KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
1300
825555 E

WiMBP
Opole

1955 st

K- 169/73 - St

Franciſci Borgiæ Kéri, e Societate
Jesu Sacerdotis,

IMPERATORES ORIENTIS,
COMPENDIO EXHIBITI.

IMPERATORES ORIENTIS,

COMPENDIO EXHIBITI,
E COMPLURIBUS
GRÆCIS PRÆCIPUE
SCRIPTORIBUS,
A CONSTANTINO
MAGNO,
AD CONSTANTINUM ULTIMUM,
ET EXPUGNATAM PER TURCOS
CONSTANTINOPOLIM,

STUDIO
FRANCISCI BORGIÆ KERI,
e Societate Jesu Sacerdotis.

Cum Privilegio Sacræ Regiæ Majestatis,
& Facultate Superiorum.

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis Societatis Jesu. Anno 1744.

WBP Opole

EXCELLENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO

E COMITIBUS

BARKOCZY DE SZALA,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO AGRIENSI,

PERPETUO IN PALOCZ, ET TAVARNA,

INCLYTORUM COMITATUUM

Heves, & Exterioris Szolnoch articulariter unitorum

PERPETUO ITIDEM, AC SUPREMO

COMITI,

SACRÆ CÆSAREÆ, REGIÆQUE MAJESTATIS

ACTUALI INTIMO STATUS

CONSILIARIO,

EXCELSÆ SEPTEM-VIRALIS TABULÆ

ASSESSORI,

&c. &c.

DOMINO, DOMINO

PRÆLATO,

ET

PATRONO GRATIOSISSIMO.



EXCELLENTISSIME,

ILLUSTRISSIME,

AC REVERENDISSIME

PRÆSUL.

SUpremum meum certamen philosophicum ut Nomini TUO inscriberem PRÆSUL EXCELLENTISSIME, TUA, qua in omnes es, suasit benevolentia, collata vero in me beneficia etiam im-

perarunt. Quamquam, quod Positiones meas Philosophicas TIBI inscribi patiaris, quod affusum pedibus TUIS tam benigne recipias, munus rursus TUUM est, nec vulgare; dum enim TUIS sub auspiciis in arenam literariam descendere me intueor, simul, quantum in me, Philosophiamque meam redundet splendoris, clare perspicio. A TE, inquam, PRÆSUL EXCELLENTISSIME, a cujus tum Virtute, tum Nobilitate sanguinis, tum Eruditione singulari utraque Respublica multo plus recipit, quam in TE adhuc contulerit ornamenti.

Nempe illustris quidem se ipsa *Virtus* est, nec alieno splendore indiget, quæ sibi sola sufficit, nunquam tamen elucet illa clarius, atque ubi honorum amplitudo ornamentum illi, majestatem nobilitas, eruditio adjecerit authoritatem: quæ omnia quanta in TE sint, cogitare possumus citius, quam explicare. Virtutem certe quod spectat, congenitam hanc TIBI, atque a piissimis Parentibus TUIS in TE velut hæreditate traductam merito dixerimus; calentibus siquidem a DEO petitus vo-

votis & impetratus, nondum in lucem hanc editus, jamque divino devotus ministerio, mori cæpisti mundo antea, quam vixisses, ac, ne quid in ceream indolem labis irreperet, cum primum per ætatem licuit, sacratiori TE ipsum primum quidem in Kisdiano, dein vero in Generali Regni Ungariæ Clericorum Collegio, magna utriusque hujus Domicilii gloria, militiæ addixisti.

Huic TU adscriptus, totus in eo eras, ut in tenera ætate provectæ jam roboratæque morum integritati præclaram doctrinam jungeres, probe gnarus, virtutem laudabilem quidem per se se esse, nisi tamen comes ei accesserit eruditio, in commune bonum non multum utilitatis allaturam: & vero quantos hic quoque progressus feceris, illi testes sint, qui TE vixdum Discipulum, jam Magistrum, quia sine Duce in arena Philosophica & pugnantem strenue, & ab Augustissimo Cæsare inter Carolos Sexto Torque aureo ex merito ornatum triumphantemque aspexerunt. At diu TE frui Ungariæ non licuit, Urbi ipsi commodandus eras, ad

quam, translatus, rapuiſti omnes illico in TUI & admirationem & amorem, ſeu dum probiſſimos illi mores TUOS, natamque ad ſumma indolem notarent, ſeu dum in inſigni illa Divi Apollinaris Baſilica ritus ſacros TE Magiſtro reſtitutos aſpicerent, ſeu dum vix ſuperato triennio graviores ſacratiorum diſciplinarum quæſtiones facilitate maxima evolventem læti audirent, ea una de cauſa mæſti, quod TE Cive Romæ frui diu non liceret.

Patriæ ſubinde redditum, &, ne quid ad doctrinæ TUÆ teſtimonium deſideraretur, Theologica jam inſignem Laurea, non modo Celeberrimo illico Canonicorum Agrienſium Collegio adſcripſit magnus ille Patriæ Pater, Antiſtesque Gabriel Erdödius, ſed & digniſſimum judicavit, cum quo curas omnes partiretur, quemque collecto in principe Diœceſis ſuæ urbe populo Rectorem Paſtoremque præficeret: huic vero admotus muneri quid egeris, quantum conceptas de TE Præſulis ex vero magni ſpes ſuperaveris, norunt omnes, qui TE noverunt: nihil quippe erat TIBI antiquius, atque avitam Religionem tueri, novisque acceſſionibus augere: e ſacris pulpitis quam frequentiſſime dicere: mira comitate ad abjectiſſimorum quorumque cum morte luctantium tugoriola inviſere: mærorem ſuavi alloquio, pauperiem profuſo pene ultra modum ære levare: verbo, talem TE exhibere, in quo omnes Patrem ac Doctorem & agnoſcerent, & amarent.

Nec poterant hæc tot, tantaque animi TUI decora paucarum Regni noſtri Provinciarum limitibus contineri: pervolavit Nominis TUI fama totam late Ungariam, inque ipſam Imperii Sedem delata, movit Auguſtiſſimum Cæſarem, ut TE viduato tunc Capite ſuo Scepuſienſium Canonicorum Collegio, totique Scepuſienſi Terræ præficeret, & non modo non petentem, ſed ne cogitantem quidem Ten-Agrienſem Præſulem, felici hujus, quam modo obtines, Cathedræ omine nominaret primum, tum a Sede Apoſtolica impetraret. Cumulaturus ille merita TUA fuerat majoribus haut dubie

bie honoribus, niſi æquiſſimo rerum arbitro Principi inopina mors ornandi TE non voluntatem, ſed poteſtatem ademiſſet.

At præſtitit id bonorum omnium ſingulari gaudio ſuperſtes Magni Cæſaris non minor Filia AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, & REX Noſtra, quæ ſublato e vivis Agrienſium Præſule, ut hauſtum ab obitu illius populorum mærorem levaret, in TE illico conjecit oculos, & cujus integritatem, conſiliorum vim & promptitudinem, inque rebus maximis perficiendis dexteritatem perſpectam habuit, nobiliſſimæ illi Eccleſiæ dedit Antiſtitem. Gratulamur equidem hæc, aliaque in TE collata ornamenta PRESUL EXCELLENTISSIME! ſimul tamen fatemur ingenue, nihil hic conſecutum TE eſſe, quod non Virtuti, Eruditionique TUÆ dudum ante debebatur, nihil, quod non novis meritis jam compenſaſſes.

Certe ſi vel in ſolam Dicœceſim TUAM convertamus oculos, videmus, in illa Fidem Orthodoxam ſenſim reflo-reſcere: Templa Sacerdotibus, Aras Templis reſtitui: mutari denique in melius omnia læti intuemur. Adſcribendum id ſingulari TUÆ tum Providentiæ, qua ductus, quaternos e gremio TUI Capituli elegiſti, quorum ope graviora Dicœceſis negotia cognoſcuntur quidem, non geruntur; aut certe ita geruntur, ut tamen a TE uno perfectionis ſummam & integritatem accipiant: tum vero inſigni Suavitati & Fortitudini, quas geminas virtutes Angelo & Leone, Nobiliſſimi Generis TUI ſtemmatibus, ſignatas ita copulas, ut dum commiſſos TIBI populos ſingulari quadam animi lenitate moderaris, ea ſimul mentis ſis conſtantia, ut a bene ſemel cœptis aut ſtatutis nullis TE retardari obicibus, nullis difficultatibus labefactari patiaris.

Verum ne ingentia TUA merita, collatosque TIBI in utraque Republica Honores rudi mea eloquentia, obſcurem potius PRÆSUL EXCELLENTISSIME! quam depredicem, finem facio, & dum meritorum TUORUM tum copiæ, tum

magnitudini majora indies voveo præmia, me rursum cum Philosophia mea TIBI substerno, utque ea, qua hactenus, deinceps quoque benevolentia fovere tuerique pergas demisse postulo.

EXCELLENTIÆ TUÆ

Clientum infimus

JOANNES BAPTISTA KLINGLMAYR.

THESES
EX
UNIVERSA PHILOSOPHIA,
QUAS
SUB AUSPICIIS
EXCELLENTISSIMI,
ILLUSTRISSIMI,
AC REVERENDISSIMI
DOMINI, DOMINI
FRANCISCI
E COMITIBUS
BARKOCZY DE SZALA,
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI AGRIENSIS,
&c. &c.
AUTHORITATE VERO, & CONSENSU
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS, AC MAGNIFICI
DOMINI
UNIVERSITATIS RECTORIS,
ADMODUM REVERENDI, CLARISSIMI, AC SPECTABILIS
PATRIS DECANI
TOTIUSQUE
INCLYTÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN ANTIQUISSIMA, ac CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI
Publice propugnandas suscepit
REVERENDUS, NOBILIS, ERUDITUS, ac PERDOCTUS
D. JOANNES BAPTISTA KLINGLMAYR,
UNGARUS BUDENSIS,
Ex Comitatu Pesthiensi, e Cæs. S. J. Convict. Collegio.
PRÆSIDE
R. P. VALENTINO KÉRI,
E Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiæ Doctore, ejusdemque
Professore Emerito, nec non Inclytæ Facultatis Philosophicæ p. t.
SENIORE & CONSISTORIALI.
ANNO M DCC. XLVI. Mense Die

1 LOgica eſt ſcientia, & ars pure practica, docens recte cogitare.
2 Ad omnem actum in rigore ſcientificum metaphyſice neceſſaria.
3 Poteſt intellectus objective præſcindere.
4 Illorum vero, quæ ſic præſcinduntur, realis identitas habetur per perfectam unitatem eſſentiæ.
5 Diſtinctio autem per ſolam rei diſtinctæ ſingularitatem.
6 Principia intrinſeca corporis naturalis ſunt materia prima, & forma ſubſtantialis.
7 Datur etiam materia ſecunda: quatuor nempe elementa vulgaria, & chymica.
8 Illa raro transmutantur in ſe invicem.
9 Si formæ elementorum vulgarium dicantur eſſe entitates, ſalvari etiam in ſyſtemate peripatetico poteſt, formas mixtorum non viventium eſſe tantum variam horum elementorum combinationem.
10 Quod ſi dicatur, certum eſt dari formas partiales.
11 Unio non eſt entitas.
12 Cauſæ efficientes corporeæ agunt per effluvia ſubſtantialia.
13 Hinc repugnat cauſam immediatam agere, ubi non eſt.
14 Per eadem effluvia explicantur effectus ſympathici, & antipathici.
15 Non repugnat duplex actio totalis in actu ſecundo.
16 Effectus cauſarum ſunt: Generatio, Corruptio, Alteratio.
17 Loquendo phyſice Generatio & Corruptio fit tunc, quando prior atomorum plexus ex toto, aut maxima ex parte immutatur.
18 Alteratio vero, quando ex parte tantum deperditur.
19 Intenſio plerumque fit per plurium ejusdem rationis particularum collectionem.
20 Interdum habetur per ſolum etiam motum, qui eſt præcipuum cauſarum inſtrumentum.
21 Eſt autem motus mutatio activa ſitus corporis mobilis ſpectati relate ad corpus aliud præciſe ſub ratione ſuæ exiſtentiæ conſideratum.
22 Mutatio hæc activa habetur per impetum in corpore mobili receptum.
23 Præcipuæ motus proprietates ſunt: Velocitas, Quantitas, Determinatio.
24 Vacuum impeditur partim per ætherem, partim per gravitatem, & elaterium aëris.
25 Quantitas continua componitur ex punctis indiviſibilibus, extenſis tamen.
26 Ejus unio habetur per mutuum majuscularum particularum plexum, & arctam atomorum cohæſionem,
27 Rarefactio vero formaliter per pororum dilatationem.
28 Syſtema mundi Copernicanum ut hypotheſis defendi poteſt.
29 Cometæ ſunt veri planetæ.
30 Sol potiori ex parte eſt ſubſtantia ignea.
31 Ejus maculæ ſunt velut fuligo quædam ebuliens in ſolis ſuperficiem ejecta.
32 Aſtra omnia ſunt partim ſolida, partim liquida.
33 Moventur pure ab extrinſeco.
34 Terra accepta pro Terraqua eſt figuræ ad ſenſum rotundæ.
35 Quod verum eſt, etiamſi dicatur ad polos, aut ad æquatorem depreſſa.
36 Terræ quaſſationis motus oritur ab ignibus ſubterraneis; uti & flumina ſtabilia mari multo altiora.
37 Magnes, uti & corpora electrica agunt per ſpiritus ſubtiliſſimos.
38 Aquæ frigus potiſſimum provenit a ſpiritibus frigidis, liquiditas vero a minimarum illius partium continuo motu.
39 Æſtus marini cauſa repetenda etiam eſt a materia in fundo maris deliteſcente.
40 Aër cauſa eſt aſcenſus Mercurii in barometro: cohæſionis hemiſphæriorum Magdeburgicorum: aſcenſus liquorum in tubulis capillaribus &c.
41 Ignis calor conſiſtit in motu perturbato minimarum illius particularum.
42 Meteora ſunt mixta imperfecta, ex vaporibus & exhalationibus concreta.
43 Aſcendunt autem vapores; quia in bullulas formati cum aliis corpusculis intra ſe concluſis faciunt molem pari mole aëris leviorem.
44 Plantæ omnes naſcuntur ex ſemine: & vivens nullum ex putri.
45 Datur in plantis circulatio ſucci nutritii, ut in homine ſanguinis.
46 Bruta non ſunt mera automata.
47 Senſuum omnium objecta ſunt corpuſcula aſſiciendo cuique ſenſui proportionata.
48 Hinc lux quoque eſt ſubſtantia: colores vero varia lucis modificatio.
49 Potentiæ animæ rationalis non diſtinguuntur ab anima.
50 Ejus intellectus poteſt devenire ad certam notitiam DEI: Cui cedant.

O. A. M. G.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.



EGo ANTONIUS VANOSSI, Soc. Jesu per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. Generali Noſtro FRANCISCO RETZ, Facultatem concedo, ut *Imperatores Orientis compendio exhibiti, e compluribus Græcis præcipue Scriptoribus a Conſtantino Magno, ad Conſtantinum ultimum, & expugnatam per Turcos Conſtantinopolim*, a P. Franciſco Borgia Kéri, e Societate Jesu compoſiti, atque a tribus memoratæ Societatis Patribus de more reviſi, & approbati, Typis mandentur. In quorum fidem manu mea ſubſcripſi, & conſuetum officii Sigillum appreſſi. Viennæ 24. Aprilis 1743.

L.S.

Idem, qui ſupra.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SCriptores Græcanici, qui jam inde ab Imperii Orientalis, & Conſtantinopoleos exortu, res illic geſtas ſtylo proſecuti fuere, regiis plane impenſis undeunde conquiſiti, ac eruditiſſimorum virorum Commentariis illuſtrati, primum quidem typis Pariſinis, nunc iterum Venetis, iique auctiores in tribus, & viginti tomis lucem aſpiciunt. Poſterior hæc editio in manus delapſa, incitamento nobis fuit ſuſcipiendi operis, ſi non utilis, aut neceſſarii, forte tamen lectoribus non ingrati; ut ea nimirum, quæ hiſce tomis, alias diffuſe nimium, interdum nimis contracte, nec ſat ordinate, & concorditer de rebus illius Imperii conſcripta a Græcis ſunt, compendiaria, & continenti narratione unum ſub aſpectum darentur; quo ſic & inopiæ juventutis librariæ, & otio eorum, quibus diffuſa hæc legere haud vacat, conſuleretur.

Fuere & alia, quæ ad ſuſcipiendam opellam hanc qualemcunque propellerent; hiſtoriæ cumprimis hujus dignitas, & varietas; quæ tanta eſt, quantam vix uſpiam reperias: erat nempe Imperium illud, ut vaſtum, ſituque, & natura cæteris opportunius, ita viciſſitudinibus prorſus inexpectatis, & continuis objectum; in quo palam factum: quatenus increſcere violentæ hominum cupiditates, rebusque etiam florentiſſimis perniciem ad extremum ſtruere poſſint; quantum religio Chriſtiana, perperam, & inter ſcelera a cultoribus ſuis habita, damni iisdem creet; & quam parum illa ad publicam valeat felicitatem, ſi non illius ſanctitati mores, & vita regnantium, Principumque in Republica reſpondeant; quam nihil in rebus humanis firmum, fixumque, tametſi extra ictum omnem poſitum videatur; quam turbida hominum pleraque, & inſanientis fortunæ ludibrio expoſita. Hic repentina multorum faſtigia, hic inexpectata præcipitia, hic vaſtas ruinas, & occaſus videre eſt; ut jam nihil Poetarum fingendi arte ad repræſentandas animis rerum humanarum vices opus ſit, quando ipſi Regnorum ortus, & occaſus tam inexpectati, tamque variis eventis implexi imaginem animo objiciunt, non rei geſtæ veritate tantum, ſed & varietate quavis fingendi arte ſuperiorem.

Acceſſit, quod ſtimulos adderet, Imperii illius in ruderibus ſuis jam jacentis tanta nobiſcum vicinitas; ad cujus ſpectandum funus, & caſui infelici ingemiſcendum, vel jure quodam vicinitatis accurrendum nobis ſit, & documenta ad Rempublicam melius ordinandam, accipienda. Certe Ungariæ res geſtæ multum cum Imperii illius rebus implexæ ſemper fuere; eaque non ſolum olim adhuc barbara, cum Chriſtiana Conſtantinopoli negotii permultum habuit; verum etiam Chriſtiana jam effecta, cum eadem amice interdum, alias hoſtiliter verſata eſt; & nunc quoque atrocia per bella cum Imperii illius everſoribus ſæpe luctatur. Nec vero pauca in diffuſis hiſce voluminibus reperias, memoratu digniſſima, de rebus inter Ungaros, & Orientales geſtis, quæ fruſtra apud patrios, aliosve Scriptores quæſieris.

Porro in decurſu opellæ hujus id ſemper animo obverſatum eſt: Epitomen, non hiſtoriam conatui noſtro propoſitam; atque adeo in eo præcipue enitendum, ut brevitas perſpicuitati, rerumque geſtarum veritati comes eſſet perpetua; idcirco cura fuit: memoratu tantum digniſſima e variis Scriptoribus congerere; neque tamen aliquid magnopere ad hiſtoriæ dignitatem pertinens ſilentio præterire. Hinc non ita ad compendiandi leges reſtrictus eſt ſtylus, ut non liberius divagaretur per plura Auctorum volumina, & quod vero proximius in uno quoque occurrit, id miſſis aliis ſequeretur, aut ordini narrationis apud Scriptores obvio perpetim ſeſe alligaret; qua quidem in re quid hic præſtitum ſit, is optime æſtimaverit, qui noſtra hæc cum diffuſis illis & plurimis Scriptoribus contulerit; apud quos ſæpe multa occurrunt, nimis inordinate narrata, ſine delectu, ſine annorum nota, quorum plerique ea, quæ ævo ſuo contigere, fuſiſſime perſequuntur; contra vero eorum, quæ ante evenerunt, perparce, obiter, nec ſat interdum fideliter reminiſcuntur; ut mihi videantur Scriptores hi, vix citra animi tædium a quopiam legi poſſe. Multa fateor, in his occurrunt criſi accuratiore digna; at propoſita brevitas, operisque anguſtiæ falcem iſthuc immittere vetuerunt; præſertim cum non eruditorum gratia ſuſcepta hæc ſit opera; adeant illi ad fontes ipſos, & virorum doctiſſimorum Commentarii, quibus Scriptores hos illuſtrarunt, deſideria eorum abunde expleverint. Nec tamen ita penitus a judicio de rebus ferendo abſtinuimus; ut non interdum in ipſo narrationis contextu, alias in notulis obſervationes quasdam, & noſtrum de rebus ſenſum, ſed perparce, ut compendiariæ narrationi conveniebat, adjungeremus. Eadem

narratio quo expeditior defluereret, minusve moraretur lectorem, Scriptorum nomina, ex quibus hæc hausta sunt, in notulas rejecimus; annorum vero seriem in marginem. Scriptores eos potissimum sequi propositum fuit: qui ætate illa, vel proxime sequente scripsere; nec unum aliquem, sed plures simul, ac quod maxime exploratum erat, id in Epitomen referre. Fuit interdum, cum in magna Scriptorum inopia versaremur, quod nostri, utut diffusi, multa sæpe vix attigerint digna memoratu; eorum præcipue, quæ in longe dissitis Byzantio oris evenerunt; ut necesse fuerit, ad Latinos quoque Scriptores consulendos transgredi.

Anni in margine positi, quantum fieri poterat, ex ipsis Scriptoribus, qui rebus coævi fuere, excerpti, & annotati sunt; cæterum quia Scriptorum horum in annis adnotandis summa fuit indiligentia, necesse fuit: annorum seriem sæpe ex aliis conquirere, interdum vero suspicione tantum, & conjecturis quibusdam sequi. Quod si Chronologia novæ Romæ, quam in apparatus ad Historiam Byzantinam delineatione promittit Philippus Labæus S. J. haberi a nobis potuisset, magno certe tædio, & labore in annis inquirendis, & adnotandis levati essemus. Hæc de conatus hujusce, & opellæ proposito, inter plures alias occupationes subsecivis tantum studiis elucubratæ, præfari libuit; utere ea Lector benevole, & si minus rem ipsam, conatum certe, bonumque in hæc studia animum proba, & vale.

FL. VAL. CONSTANTINUS
ROMANORUM IMPERATOR.



ROmanum inde ab extrema Britannia ad fines Persidis, & a Scythia, Sarmatiaque ad Africæ deserta fusum latissime Imperium mole jam laborabat sua; & qua insurgentium assidue Tyrannorum infinita cupiditate, qua vero perpetuis Barbararum gentium procursibus fatiscebat. Malis hisce ut Imperatores mederentur, Augustam in plura capita dignitatem partiri cæperant, quo sic & Tyrannis mutua fulti authoritate, ac potentia facilius obsisterent, & si Respublica pluribus in locis eodem tempore laboraret, præsentia Augustali recrearetur. Idcirco solemne posterioribus præsertim temporibus, ut Imperator renunciatus collegam sibi nuncuparet Augustum, quin etiam unum, aut alterum Cæsaris appellatione ornaret; qui rerum gestarum gloria inclyti, & Imperatoriæ dignitatis, velut canditati Rempublicam pro sua gerere, quam aliis extrema cum pernicie ereptum ire mallent. Consilium non infelix, si homines ab ambitione, aliisque animi perturbationibus liberos invenisset; ut vero tunc res erant, ac semper futuræ, ad perniciem magis, quam utilitatem comparatum. Ita enim factum, ut mutuis inter eos enatis offensionibus, alter ad alterius perniciem tota Imperii mole abuterentur.

Sublatis Numeriano, & Carino Imperatoribus summa rei Romanæ ad Diocletianum pervenit, obscuro ortum genere, sed rebus gestis claritatem nominis consecutum; qui Valerium Maximianum Sirmio e Pannonia oriundum Cæsarem dixit; eundemque non diu postea Augustæ dignitatis fecit consortem. Horum Imperatorum prior Jovii, alter Herculii cognomentum sibi adscivere. Interea aliquot post annos cum a Tyrannis, & Barbaris laceraretur Imperium, iidem Augusti duos renunciarunt Cæsares, Valerium Maximianum Dacia oriundum; cui a vilitate stirpis Armentarii cognomen fuit; a) & Valerium Constantium Chlorum, cui Eutropius e Dardania ortus, atque Claudia e fratre Claudii Imperatoris

a) Eutropius l. 9. Idatius.

progenita parentes fuere; ob quod genus maternum ad Flaviam gentem A) referebat ſe Conſtantius, quive ab eo provenerunt. Hos ſibi ut Cæſares arctius Auguſti obſtringerent, Diocletianus quidem Galerio filiam Valeriam, Herculius vero Conſtantio Theodoram, ex Eutropia conjuge ſua privignam conjuges locarunt, atque ita Conſtantius Juliam Helenam forte tali conjugio imparem repudiare eſt coactus. His ita conſtitutis, ad rem communem protegendam vires, & animum Imperatores, & Cæſares contulerunt: ac Maximianus quidem Herculius in Africam, Diocletianus in Ægyptum, Conſtantius in Britanniam, Galerius demum Maximianus in orientem profecti, Rempublicam ordinabant.

Et Diocletianus quidem, Herculius, atque Galerius omne ſtudium non tam ad hoſtes Imperii perdomandos, quam ad delendum ex orbe nomen Chriſtianum contulerunt; neque majorem, atque his principibus clademres Chriſtiana accepit, cum urbes, & oppida ſanguine Chriſti pugilum redundarent; & horum alacritas in propugnanda Religione, illorum in deſtruenda ferociam licet incitatiſſimam longe vinceret. B) Non ita cum Chriſtianis egit Conſtantius; quos tantum abeſt, ut inſectaretur, ut etiam honoribus in aula ornaret, haberet in intimis, & plenam Religionis profitendæ poteſtatem faceret; quin ferunt aulam illius a ſacerdotibus quoque Chriſtianis frequentatam; ipsumque veri Numinis cultorem fuiſſe Ethnicum quidem exterius, quod dignitas Cæſarea id expoſcere viſa eſſet, animo tamen Chriſtianum; vel ſi iſta non ſatis cohærent, certe Chriſtianæ Religioni faventiſſimum.

Ejus rei luculentum quondam dedit indicium idem Conſtantius: C) ſuorum virtutis periclitandæ ſolemne Diis patriis apparari ſacrificium imperarat, edixitque Chriſtianis in aula degentibus, ſacrificarent & ipſi Diis, vel certe aula, honoribusque cederent; cumque alii quidem his excidere, quam Religioni labem inferre mallent, alii vero turpi inconſtantia tempori ſerviendum ducerent, priorum quidem multa laude proſecutus eſt conſtantiam; alteros aula expulit, ſibi quoque infidos fore dictitans, qui ſupremo Numini perduelles exſtitiſſent. Ejusdem quoque Principis in ſubjectos æquitas, & moderatio, atque in hoſtes Imperii Romani fortitudo laudem promeruit: cujus auſpiciis & Britannia compoſita ad quietem fuerit; & Alemanni juxta Lingonas internecina clade proſtrati. D)

Verum ad Conſtantii Chlori famam, & nomen plus Conſtantini ejus filii magnitudo, quam privatæ laudes valuerunt; cujus res geſtæ tam magnificæ, tamque orbi ſalutares fuere, ut majoribus quoque illius illuſtrandis ſuffecerint; qui fortitudine, juſtitia, pietate, ac præſertim Chriſtianæ Religionis propagandæ ſtudio Magnus undique, & illuſtris fuit. Primam is lucem aſpexiſſe fertur Naiſſi in Dacia, aut Thracia E) ſub annum æræ Chriſtianæ ducenteſimum ſeptuageſimum ſecundum matre Julia Helena, quam alii Britannam, Bithynam alii faciunt errore ex vocum ſimilitudine crediderim exorto. Undecunque tamen fuerit, & quibuscunque progenita, nam id quoque in obſcuro eſt, ea certe fuit in Deum religione, iisque animi dotibus exornata, quæ matrem Principis undequaque magni deceret; dubiumque eſſe poſſet, mater filio, an filius matri plus de ſuo ornamenti adferret. Nec deſunt, qui Helenam principio Chriſtianam fuiſſe, eamque filio Religionis veræ amorem ingeneraſſe dicant, atque geminato partu ſydus tam illuſtre, tamque proficuum orbi Romano protuliſſe.

Ut e pueris exceſſit Conſtantinus, iis inſtitutus artibus, quibus ea ætas informari ſolet, ad belli tyrocinium faciendum applicitus animi continuo

A) Trebellius citatus in Familia Conſtantini Magni p. 32. Editionis Venetæ; qua ſemper utimur in hac Epitome. Cum pagina citabitur, indicio erit, ſcriptorem contineri in hac editione, & collectione ſcriptorum Byzantinorum, non item ſi diverſa fuerit citatio, quod ſemel hic admonuiſſe ſuffecerit. B) Euſebius l. 8. Hiſtoriæ. C) Euſebius de Vita Conſtantini l. 1. c. 13. D) Eutropius lib. 9. E) Cedrenus p. 213. Naiſſum veteribus fuit, quæ nobis hodie Niſſa, ut patet ex itineris ſui ad Atilam facta deſcriptione per Priſcum Rhetorem in excerptis de Legationibus p. 25.

tinuo magni, & invicti ſpecimina edidit, ut virtutis admiratione, & benevolentiam in ſe militum, & invidiam principum, quæ duo per raro inter ſe divelluntur, conciret. Ab uno, vel altero exemplo conjecturam de aliis facere licuerit: ad Galerium Maximianum in Sarmatas, & Scythas bellantem miſſus in ſingulare certamen cum quopiam Barbarorum, mole corporis, & ferocia cæteros eminente deſcenderat, A) cumque poſt acrem dimicationem ſuperior exſtitiſſet bellicoſus juvenis, non ille quidem quod facile poterat, mortem adverſario intulit, verum crinibus apprehenſum, ceu ferocientem quandam belluam ad pedes Maximiani ipſius pertraxit. Alias cum viarum difficultate, & ignoratione laboraret exercitus, primus ille, tanta in principe juvene erat alacritas, eam locorum aſperitatem ingreſſus viam facilem exercitui ad bellum faciendum, & victoriam aperuit.

Interea anno poſt Chriſtum natum tercenteſimo quarto Diocletianus, & Herculius ſive tædio bellorum, ut præferebant, & ſollicitudinum; ſeu magis dolore animi, quod in Chriſtianum nomen fruſtra deſævirent, innumeris ad glorioſam eam arenam convolantibus, Imperio ſemet abdicarunt, prior quidem Nicomediæ, alter Mediolani; B) quo eodem tempore renunciati ex Cæſaribus Imperatores ſunt Galerius Maximianus, & Chlorus Conſtantius; cui Galliæ, Britannia, Italia, & Africa obvenerant; verum ille Gallias modo, & Britanniam ſibi retinuit. In locum vero horum Cæſares nuncupati fuere ſive ab illis ipſis, qui ſe Imperio abdicarunt, ſive a Galerio Maximiano, nam utrumque proditur, Galerius Maximinus, Maximiani Galerii filius, C) & Severus; quorum quidem alter in Orientem, alter in Italiam proficiſci, ac rem curare publicam juſſi ſunt.

Verum Conſtantio dignitas Auguſtalis nequaquam fuit diuturna, annos enim duos, ac menſes tres ea potitus Eboraci in Britannia poſtremum in morbum decidit. Commodum vero ſub idem tempus advenit ex Oriente Conſtantinus filius. Is cum reſciſſet a Galerio Maximiano geſtis ſuis illuſtribus invidente inſidias vitæ parari, citatiſſimis equis in Britanniam ad patrem jam cum morbo, & morte conflictantem refugit. D) Conſtantius vero præteritis aliis filiis licet ex conjugio illuſtriore progenitis, hærede inſtituto Conſtantino poſtquam Cæſar annos tredecim, Auguſtus vero, ut dictum eſt, fuiſſet, humanis deſiderio apud omnes ſui relicto exceſſit. Præter Conſtantinum ex Helena, fuere Conſtantio ex Theodora filii Conſtantinus alter, Fl. Julius Conſtantius, & Fl. Dalmatius Hannibalianus, qui ſub fratris imperio primis honoribus claruerunt; Itemque filiæ Valeria Conſtantia Licinio Imperatori, & Anaſtaſia Baſſiano Cæſari poſtea appellatis nuptæ; ac denique Eutropia Popilio Nepotiano Conſulari in matrimonium data. E)

A morte patris continuo ab exercitu Cæſar ſalutatus eſt Conſtantinus; cujus cum effigies Romam pro more perlata eſſet, milites Prætoriani ea conſpecta Maxentium Maximiani Herculii filium, an privignum? diverſa enim hic narrantur, Imperatorem ſalutarunt. F) Id cum Maximiano Galerio perlatum eſſet, tulit peracerbe Imperatorem Romæ ſe inſciente conſtitutum; itaque Severum Cæſarem adverſus Maxentium Romam ire juſſit. Verum Severus fortuna uſus eſt iniquiſſima: nam primum quidem a milite ſuo deſertus Ravennam profugit; dein vero Maximiani Herculii perjurio in fraudem pellectus, ac Romam pertractus via Appia triceſimo ab Urbe milliario eſt jugulatus. Quippe Herculius, quem purpuram abjeciſſe pœnituerat, hac turbarum occaſione ad eam reſumendam animum adjecit; authorque erat Diocletiano Salonis degenti, idem ut faceret; at catus ille ſenex horto, quem ſtudioſe excoluerat, legatis oſtenſo hominis inquieti

A) Anonymus citatus a Petavio in Doctrina temporum lib. 13. B) Idatius. Eutropius lib. 10. Non igitur eadem tunc fuit Cæſaris, atque Imperatoris dignitas. C) Theophanes in Chronographia p. 7. D) Euſebius de V. C. l. 1. c. 5. E) In familia Conſtantini p. 35. F) Hæc Zoſimus lib. 2. Conſtantino, & Chriſtianis infenſus. Eutropius l. 10. Anonymus.

cupiditatem derisit. Idem vero Herculius Imperium resumere Romæ aggressus id facere a militibus prohibitus est; cumque insidias Maxentio tendere animadversus esset, ad Constantinum in Galliam profugit. Hunc ut suum efficeret, Augustum primum appellavit, dein vero Faustæ filiæ suæ conjugio nexuit. Non desunt, qui omnia hæc in fraudem, & perniciem Constantini commentum esse Herculium velint, A) quo pretiosis ejusmodi vinculis irretitum facilius perderet; filioque Maxentio Imperium firmaret. Illud non dubium, post biennium ab his rebus gestis per Faustam filiam insidias Constantino molitum illum esse; verum illa facinus aversata periculum viro aperuit. Herculius tanti criminis compertus profugit Massiliam, ibique suus ipse carnifex dignum tot fraudibus, & sceleribus exitum est denique consecutus. B)

At Galerius Maximianus de Severi interitu redditus certior magnis cum copiis ulturus Severi necem adversus Maxentium generum tametsi suum in Italiam properavit; qui tamen irrisus, atque a milite magna ex parte desertus in Illyricum redire necesse habuit; ubi Licinium e Dacia obscura origine progressum, ac Legatum antea in exercitu suum Cæsarem dixit; neque diu postea idem Licinius Carnunti Augustus est salutatus. Ita eodem tempore a quatuor Imperatoribus res Romana tenebatur, Galerio, & Licinio novis hominibus; Constantino, atque Maxentio filiis Augustorum.

A. C. 306 Ab hoc igitur anno post Christum natum sexto supra tercentesimum, quo Patre elato rebus præesse cæpit Constantinus, illius Imperii procedunt anni Religioni Christianæ auspicatissimi; cum enim ad hanc evertendam superiorum Principum pleno furore potentia incubuisset, probata jam abunde suorum virtute, & sanguine tot pugilum rigato, quantum satis erat, Ecclesiæ solo, Principem concedere voluit Deus, qui primus Christum palam profiteretur, solusque obtento postea Romani orbis principatu secuturis ingenti numero per easdem terras Christianis Principibus in fervore Religionis promovendæ pro specimine esset. Ut vero ille animum ad hanc Religionem penitus complectendam adjecerit, utque orbis Romani Imperium solus obtinuerit, ex jam dicendis clarebit. Interea vero dum id fieret, strenue Constantinus Provinciam fungebatur suam; nam & eos, qui Rhenum accolebant, populos ad obsequia armis compulit, & mari in Britanniam trajecto Barbaros non semel devicit. C)

312 Sexto post adeptum principatum anno iter quoddam exercitu comitante inierat Constantinus, cum ecce sole in occasum vergente, videt in cœlo Crucem D) e lucido quodam fulgore ductam, atque circum micantium congeriem stellarum; quæ Latio E) sermone has describerant voces: In hoc vince. Obstupuere ad portentum istud Constantinus, & comites, ignari quid ea res sibi vellet. Nocte consequente Servator ipse humani generis visendum se Constantino præbet, admonetque, in Crucis illius, quam pridie conspexerat formam signum militare aptari faciat, fore enim, ut virtute signi illius hostibus fiat superior. Altero mane sacerdotes Christianos jubet advocari Imperator, percontatur, quid sibi hæc visa vellent; Religionem, sacrique illius signi virtutem uberius edocetur. Ab hoc igitur primum quidem decreto publico sævientem ob aliorum Augustorum edicta in Christianos persecutionem compressit, author idem ut facerent, aliis quoque Principibus; dein vero ipsemet uni vero Deo missa Deorum vanitate obsequia, animumque penitus addixit. Atque hæc ita se habuisse, neque a quoquam conficta testis nobis indubitatus est Cæsariensis Præsul Eusebius postea Constantino in Oriente degenti intima familiaritate conjunctus, qui hæc ex ore Constantini ipsius, & quidem jurati excepta, ad posteros transmittere sese perhibet.

Inte-

A) Eutropius l. 10. Eusebius de V. C. l. 1. c. 19. B) Eutropius l. 10. Eusebius in Chronico; sed Zosimus, & Socrates l. 1. c. 1. Tarsi in Cilicia morbo illum periisse tradunt, Galerium nempe cum Herculio confundentes. C) Iidem Eutropius, & Eusebius. D) Eusebius de V. C. l. 1. c. 28. E) Philostorgius lib. 1, c. 6.

Interea Galerio Maximiano Christiani nominis hoste virulento e vivis, & diro quidem morbi genere proturbato, Romæ Maxentius, qui rebus consulturus suis Christianis favere se diu prætulerat, acerbam in eos commovit tempestatem; nec mirum in horum odia inflammatum esse hominem moribus fœdissimum, quive sanctissimis eorum institutis vita ipsa repugnaret quam maxime. Præter enim sanguinariam in suos crudelitatem, & innumeras civium cædes, libidinibus ad insaniam se se immersit; invadebat in honestissimos quosque thoros per scelus, & Senatoribus ipsis conjuges abstrahebat suas; nec defuit de harum numero genere, & virtute nobilior Christiana mulier, quæ ne pudoris labem pateretur, violentas ipsa sibi manus attulerit. A) Ejusmodi vita & moribus perfecit brevi Maxentius, ut a plerisque Romæ non jam pro Imperatore, sed Tyranno, ac libertatis oppressore haberetur. Idcirco vota pro Constantino, cujus probitatem late fama sparserat, ab optimis fieri, nuncii, literæque creberrimæ ad eum mitti, quibus ad liberandam Urbem, tyrannidemque opprimendam vocaretur. A. C. 312

Hunc licet novellum Christianæ militiæ tyronem non tam prolatandi Imperii cupiditas, quam probitatis amor eo brevi perpulit, ut contra prævalidum hunc adversarium, & copiis immanibus vallatum inferior ipse duceret. Maxentium quippe omnis Gentilium, & facinorosorum turba assectabatur, veluti si decretorio tunc Marte pro Diis patriis, scelerumque licentia certandum esset. At Constantinus signo militari, ut jussus erat, parato, quod Labarum incerta vocis origine appellatum est, plenus fiduciæ Christo vero Deo innixæ Italiam versus expeditionem suscepit.

Porro Labari forma hujusmodi erat: B) e prælta, auroque obducta hasta transversim antenna crucis in morem pendebat, ex hac velum longitudine, juxta & latitudine pari, gemmis, & auro prædives; cujus summitatem effigies Constantini, ejusque liberorum obtinebat, hastam denique terminabat desuper corona aurea, in qua initiales e salutari Christi nomine literæ χ. & ρ. sed inter se ita implexæ, ut litera una duarum vicem fungeretur. Signi hujus militaris miram fuisse virtutem memorant: Nam primum cui gestandi illius cura erat, etsi telis hostium innumeris peteretur, illæsum tamen perstitisse; C) dein vero si qua parte gravius laboraret exercitus, eo illatum continuo victoriam in partem suam traxisse; D) Nec certe quidquam bellorum aggressus hoc prævio signo est Constantinus, quin belli fortuna votis examussim responderet, magna quidem illius gloria, sed majore gentium devictarum bono, quorum saluti unice signum istud militabat, quodve unum spectabat Constantinus, palam profiteri solitus, nulla sua virtute, sed Cœli solius favore victorem se de tot hostibus effectum, dignus vel ob hoc ipsum, qui vinceret, & Magni cognomentum haberet.

Ut ventum in Italiam cum exercitu, semel atque iterum ad Veronam, & Brixiam fusis Maxentii copiis, E) recta Urbem versus adproperavit, demumque cum Maxentio ipso, quem centum, & septuaginta armatorum millia sub signis habuisse ferunt, ad Tyberim flumen prope pontem Milvium acri certamine congressus est. Maxentius fraude oppressurus Constantinum, ita quibusdam machinis pontem aptaverat, ut is pro nutu suo momento temporis corrueret, ac in ruinam transeuntes traheret. Verum dolum hunc in caput suum commentus est: F) dum enim victæ illius copiæ Tyberim transgredi, ipseque Maxentius festinant, machina illa Dei nutu soluta ante tempus, Maxentium ipsum cum multis in flumen demersit. Cadaver illius continuo perquisitum, inventumque est, caput resectum, ac prælto hastili impositum: atque ita triumphans Constantinus Urbem cum victore exercitu ingressus, utque tyrannidis oppressorem decebat a

A) Eusebius lib. 8. Historiæ c. 26. B) Ita illud describit, qui oculis conspexit Eusebius de V. C. l. 2. c. 9. C) Eusebius. D) Sozomenus l. 1. c. 4. E) Zosimus lib. 2. F) Eusebius lib. 1. d. V. C. c. 38.

A. C. Senatu, populoque perquam magnifice eſt acceptus. Ut vero palam orbi
312 faceret, quibus auſpiciis pugnatum abs ſe, & victoria relata eſſet, in Urbis foro ſtatuam ſibi non oſtentandi ſui, ſed virtutis Divinæ prædicandæ, poni imperavit; nam in manu illius crucis ſignum viſebatur cum ejusmodi inſcriptione: Hoc ſalutari ſigno, quod veræ virtutis argumentum eſt, veſtram Urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam ſervavi, populoque Romano in libertatem aſſerto priſtinum decus nobilitatis, ſplendoremque reſtitui. Sublato iſthoc ſalutis noſtræ palam ſigno cogitare pronum fuerit, quanta lætitia Chriſtianos occuparit, cum viderent ex Imperatoribus Crucis Chriſti ad hunc diem oppugnatoribus, jam fieri prædicatores, cunctosque ad ſalutem exemplo ſuo vocare; contra vero quantus mœror Deorum cultores inceſſerit, tanta, tamque ſubitanea rerum mutatione attonitos, Diocletianum præcipue illum Salonis deliteſcentem; cui idcirco ſolum vita diuturnior videtur indulta, ut acerbum e talium rerum conſpectu hauriret cruciatum, utque nuncium devictæ ſuperſtitionis ad inferos perferret. A)

Etſi autem complura in favorem Chriſtianorum reſcripta jam tum dederit Conſtantinus, nihil tamen acerbi adverſus Deorum cultores ſtatuit; cum magna etiamnum Urbis pars præcipueque Senatorum a parte adverſa ſtarent Divina felicius, quam humana vi ad ſalutem, ſublatis jam quæ obſtabant difficultatibus, trahendi. Quin Pontificis quoque illum Maximi retinuiſſe titulum ſatis liquet; quæ res in cauſa fuit, quod quidam falſorum cultorem Numinum eo adhuc tempore Conſtantinum extitiſſe dicant; at titulo Pontificis Maximi uſus fuerit, quod ea appellatio Auguſtali dignitati neceſſario conjuncta a plerisque exiſtimaretur; B) retinuerit itaque nomen nudum, ſed non rem ipſam; abſit enim impietatis ſacerdotem fuiſſe, qui Crucis Chriſti, ejusque virtutis eximius ubivis fuerit prædicator, & cultor.

313 Romæ legatis multarum gentium acceptis, ac rebus rite ordinatis in Germaniam conceſſit Conſtantinus. Ut ventum Mediolanum eſt, ſororem illic ſuam Conſtantiam conjugem dedit Licinio Auguſto; ad has nuptias invitatum quoque ferunt Diocletianum, ſed illum ſenectutem excuſaſſe, minacibus propterea literis ab Auguſtis exagitatum. C) Germania ordinata annos aliquot in Galliis egit Conſtantinus; quo tempore præclare de Religione meritus eſt; ampliſſimo enim edicto, cui Licinius quoque ſubſcripſerat, D) ſanxit, ne ulli religionis cauſa negotium exhiberetur, ut Chriſtiani, qui fortunis ea cauſa exciderant, aut patria, in integrum reponerentur, cauſæ eorum ex æquo & bono dijudicarentur; quin non diu poſtea reſcripto ad Prætorem Ablavium dato ordinavit, uti Epiſcoporum ſententia non modo in ſacris, verum etiam in profanis cauſis firma, ac rata haberetur.

Ad eum in Galliis commorantem acceſſere ex Africa Donatiſtæ accuſaturi Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum, ut ſi non rite, ſed perperam a traditore Fælice Aptungitano ordinatus is fuerit; adverſus quem Donatum illi Epiſcopum crearant. Imperator eorum cauſam ad Melchiadem Romæ tunc Pontificem, & conventum quorundam Epiſcoporum rejecit. Examinata eorum accuſatio in æde Lateranenſi abs Melchiade, & Præſulibus eſt; & Cæcilianus innocens pronunciatus. Verum Donatiſtæ minime acquievere judicio, ut prompti ad accuſandum, ſic ad obtemperandum, quæ certa eſt animi in hæreſim proclivis nota, duri, & pervicaces. E) Eorum cauſa, cum inquieti eſſe pergunt pluribus etiam aliis ſynodis examinata eſt; quibus tamen perfectum aliud nihil, quam ut eorum improbitas fieret conſpectior, demumque illi apertam in hæreſim prorumperent.

Mel-

A) Ad hoc tempus initium Indictionum paſſim refertur, quæ quindecim annorum ſpatio definiebantur; origo harum tam incerta eſt, quam certum ad annorum computum adhibitas eſſe. B) Baronius ad hunc annum. C) Zoſimus l. 2. D) Euſebius lib. 10. Hiſtoriæ c. 5. E) Baronius ex Optati lib. 1.

Melchiadi Pontifici anno ab ea re geſta altero vita functo ſucceſſit A. C.
in Pontificatu Sylveſter; ſub quo magnis in dies auctibus Religio Chri- 314
ſtiana efloruit in Occidente; cum ad eam omne ſtudium Pontifex, & Imperator Conſtantinus ut decebat, conferrent. At Orienti non eadem facies: Maximinus enim, qui illic a Galerio Maximiano conſtitutus Cæſar imperabat, concitatiſſima adhuc rabie in Chriſti nomen furebat; Alexandriæ præſertim ubi frequens illi commoratio, res Chriſtiana in luctu, & ſqualore fuit; exuebantur plerique fortunis, & vita; quodve morte durius, ad libandum Diis honorem inviti trahebantur. Ea de cauſa Conſtantinus, & Licinius Auguſti hortabantur Maximinum A) deſiſteret ab hoc furore, neve civium ſanguine Imperium fœdaret; quin potius quod ipſi pro Chriſtianis propoſuerant edictum, in Oriente promulgari pateretur, ſecus enim pro Tyranno non Auguſto eundem habitum iri. Ejuſmodi admonitio compreſſit aliquantiſper hominis impotentiam, ut privatim ad Prætores reſcriberet, remittendum eſſe a publica in Chriſtianos perſecutione, & ſanguini civium parcendum; Idem tamen occultis in eosdem bellare artibus minime deſtitit; quamquam poſita brevi larva, neſcio qua ſpe occupandi univerſi Imperii Romani inflatus & Chriſto, & Auguſtis bellum intulit.

Ingenti itaque ſtipatus exercitu in Illyrico adverſus Licinium pugnaturus adfuit Maximinus; verum ab eodem victus, ac fugatus in Aſiam turpiter eſt, B) ubi furorem ſuum in Deorum ſacrificulos effudit, qui ſe vana ſpe Occidentis occupandi impletum ad id bellum perpulerint. Idem Maximinus reſcriptum quoque pro Chriſtianis tunc dedit, malis hiſce perdomitus, ac ſapere aliquantum edoctus. At ſanguinarium hominem vindicta Dei acerbius brevi eſt conſecuta: dum enim in bello inſtaurando totus eſt, jamque copias in Europam expedit, morbo atroci correptus, atque igne inteſtino colliqueſcens miſerabiles inter ejulatus vitam finiit. Occupato Oriente Licinius filiis Maximini omnibus, aliisque in ſcelere adjutoribus morte illata recreaturus videbatur Religionem illorum ſceleribus miſere convulſam; at enim Licinium neque unquam ex animo Chriſtianis ſtuduiſſe, neque bellum illud eorum, ſed Imperii proferendi cauſa geſſiſſe, ex iis, quæ conſecuta ſunt, liquido apparuit. Neque enim tam pronum faſtu inflatum animum, & a tenero ſuperſtitionibus irretitum ad partes Chriſtianæ demiſſionis ſerio deflectere; itaque idolomaniæ etiam in Oriente penitus debellatæ gloriam Deus Conſtantino mitis animi Principi, & Chriſtum palam profitenti ſervavit.

Licinius etenim non ille quidem initio aperte, verum quo tectius, hoc periculoſius Religionem oppugnabat. Clam Prætoribus provinciarum in mandatis dedit, uti ſpectatiſſimum quemque Præſulem appoſitis criminatoribus perderent; vetuit præterea, ne conventus Epiſcopis celebrare liceret, ne mulieres cum viris una ad rem Divinam confluerent; quin etiam non paucis ſub Licinio ob Religionem Chriſtianam aperte cædes illata eſt. Ac futurum forte fuiſſet, ut vires omnes ad perdendam illam afferret, ni eas principio quidem Conſtantini metus, & comminatio, mox etiam victricia ejusdem arma compreſſiſſent.

Belli vero in Licinium geſti occaſio hujuſmodi fuit: Baſſianum, cui 317
ſoror Conſtantini Anaſtaſia in matrimonio fuit, Cæſaris appellatione ornatum Italiæ præfecerat idem Imperator; ut is medius inter utrumque interjectus Imperium, fines, de quibus contentio oriri inter eos poterat, diſcriminaret. C) At Baſſianus pro beneficio eam brevi retulit gratiam, ut Conſtantino bellum inferret pertractus in eam ſententiam a Sinicio fratre ſuo Licinii partes ſequente, cum jam tunc Licinius bellum in Conſtantinum animo coqueret. Baſſiani temeritas ſub ipſa initia ſerpentis incendii

A) Euſebius Hiſtoriæ lib, 9. c. 11. B) Theophanes in Chronographia p. 9. hanc victoriam Conſtantino magno adſcribit, & Galerium Maximianum ponit pro Maximino; ſed in utroque refellitur ex Euſebio. C) Idatius, & Anonymus. Nam Euſebius cauſam belli fuiſſe concitatam in Chriſtianos perſecutionem a Licinio.

A. C. dii oppreſſa a Conſtantino eſt, captus idem, atque etiam ut perfidia po-
317 ſcebat cæſus. Sinicium mali tanti authorem parem ad pœnam depoſcebat Conſtantinus, negabat eundem Licinius, hinc odia, averſiones, & denique apertum inter utrosque bellum. Ad hoc faciendum, neque aliæ deerant Conſtantino cauſæ, Religio cumprimis, cujus commodis vitam ille ſuam, & militiam conſecrarat; ac præterea contumelia, qua abs Licinio affectus eſt dejectis ejus Æmone imaginibus, atque ſtatuis. Maximis igitur copiis, atque apparatu, ſed longe diverſo inter utrosque certatum ſæpius eſt.

Nam Licinius quidem Deorum ſacrificiis, A) magicis incantamentis, ac ſacrificulorum ſponſionibus arrectus, velut ad certam properabat victoriam, pollicitus ſi vinceret, exterminaturum Chriſti Religionem; ſin vinceretur, ad illius, ceu fortioris Dei partes tranſiturum. Contra Conſtantinus precatione, jejunio B) procul omni caſtrenſi amandato luxu Deum placare impenſius inſtitit, uni Chriſto ſi vinceret, non ambitioni, imperioque proferendo militaturus. Nec defuit militi huic ſuo Deus; Primum enim ad Cybalim Pannoniæ oppidum octavo idus Octobris conſerta acie, etſi a mane in veſperam pugnatum eſſet, demum tamen gravi clade fractum fugavit Licinium. C) Potitus ita Pannoniis, atque Sirmio totus in perſequendo hoſte fuit Conſtantinus, quem in campo Mardienſi in Thracia aſſecutus, vel invitum coëgit ad pugnam; acerrima rurſus dimicatio ad ſeram uſque noctem protracta eſt, quæ ſola obſtitit, quo minus internecione deletus ſit Licinii exercitus. Tandem interventu Meſtriani legati confecta inter eos pax eſt iis conditionibus, ut Conſtantino ab Illyrico occidentem verſus omnia, Thracia, & reliquæ orientales Provinciæ Licinio ſubeſſent; Valens, quem poſt primum conflictum Cæſarem Licinius crearat, necaretur. Nec dubium Chriſtianorum quoque commodo per eam pacem a religioſiſſimo Principe fuiſſe proſpectum. At vero Licinius propoſiti immemor tantum abeſt ut ad Chriſtianas partes tranſiverit, ut etiam in eorundem, ac Conſtantini exterminium clam omnia & diligentiſſime apparârit. Ita nec ſecundæ res, nec adverſæ ad ſanitatem homini ambitioſo, aliisque ſceleribus immerſo D) quidpiam profuerunt. Sub idem tempus mortem oppetiit Diocletianus diu corpore per morbos, ſed magis animo excruciatus, cum videret Religionem, ad quam vires omnes opprimendam contulerat lætiſſimis ubique progreſſionibus efflorescentem.

Poſt hæc in Scythas duce Gallicano a partibus Conſtantini feliciter bellatum eſt. Ut vero pax cum Licinio firmior eſſet; conventum inter Auguſtos, ut Filii Conſtantini Criſpus ex Minervina priore conjuge, & Conſtantinus ex Fauſta progeniti, itemque Licinius Licinii & Conſtantiæ filius Cæſares nuncuparentur; id quod Kalendis Martii ſolemni pro more præſtitum fuit. E) Erant vero Criſpus, & Licinius (nam Conſtantinus paulum antea in lucem venerat) expectationis, ac virtutis eximiæ; ob idque Licinius hic Conſtantino percharus. Criſpus autem & religione in Deum, & bellica fortitudine patrem ad vivum exprimebat a Lactantio Firmiano probe inſtitutus; qui & in Alemannico bello victor, & in Liciniano ſtrenuus bellator exſtiterit futurus gloria Principum, ſi ad maturitatem virtuti tantæ venire per invidiam licuiſſet.

319 Rebus cum Licinio eum in modum compoſitis, etſi nunquam ille æquo in Conſtantinum animo fuerit, civilibus tamen bellis finis undique videbatur impoſitus, itaque Conſtantinus arma in Sarmatas vertit Romanis finibus ſemper infeſtos; F) Iſtrum illi transgreſſi Illyrico, atque Thraciæ moleſtiam exhibebant; quibuscum congreſſus Imperator primum acie ſuperior fuit; dein vero in eorum profectus regionem penitus eosdem debellavit Rege quoque eorum Rauſimundo in prælio interfecto; quamcunque enim

A) Sozomenus l. 1. c. 7. B) Euſebius l. 2. d. V. C. c. 14. C) Anonymus.. D) Multa Victor de ſceleribus Licinii, & Euſebius. E) Zoſimus l. 2. F) Zoſimus lib. 2.

enim in partem ſe verteret, victoria religioſum Principem, & divina fre- A. C.
tum virtute ſequebatur. 319

Nec mirum cœlum pro eo dimicaſſe, qui legibus, & edictis contra ſuperſtitionem pro Chriſti Religione aſſidue pugnabat: quia enim Imperatores ante illum diverſas tulerant leges, atque edicta, quæ ſenſim, & quaſi ex occulto ejus inſtituta labefactarent, ut erat lex adverſus cælibatum, & de cogendis omnibus ad militiam, de luſtrorum ſacrificiis, idque genus impietatibus, hæc ſuis per partes edictis abolere pergebat pius Imperator; aliisque permultis bono Chriſtianorum proſpicere; quæ partim in Codice Romano etiamnum ſuperant, partim a Cæſarienſi Euſebio hæc talia oculis uſurpante recenſentur; quæ illius leges, datæque ad Prætores, & Epiſcopos literæ teneram in Chriſtum pietatem, atque incenſum inſerendæ omnium pectoribus Religionis deſiderium ubivis ſpirant. Vitio eidem illud datur, A) quod Haruſpices antea lege lata vetitos, rurſus alio reſcripto dum quædam ſiniſtra portendi viderentur, conſuli a Romanis permiſerit. Sed indulgendum forte aliquid Gentilibus, nec uno velut ictu omnia præcidenda arbitratus ſit, quo tranquillitati publicæ proſpiceret. Quis autem hominum, multo autem magis Principum adeo ſubductis fuit rationibus, ut non laberetur aliquando? Verum lapſum hunc ſaluberrimis poſtea inſtitutis correxit Conſtantinus; ut qui ludum gladiatorium tam crudele, tamque ad inſaniam amatum Romanis ſpectaculum penitus aboleverit; demumque fana Deorum claudi, illisve ſacrificari ubivis vetuerit. At hæc poſt alterum cum Licinio bellum, occupatumque Orientem evenerint, quo tempore ſolus Romani orbis Imperio potitus plenam proferendæ Religioni nactus eſt poteſtatem: Porro alterum hoc cum Licinio bellum tali ex occaſione exſtitit.

Licinius homo verſipellis arma neceſſitate adactus, non pravum in 324
Conſtantinum, & Chriſtianos animum poſuerat; B) itaque his & aula interdixit ſua, & plura ſanxit, quæ in detrimentum Religionis aperte vergerent; quin aperto etiam odio vitam, & fortunas non paucis eripuerat. Conſtantinus etſi angeretur rebus ejuſmodi vehementer, ferebat tamen pacis ſtudio hominem; & qua licebat authoritate ſua apud eum interpoſita rebus Chriſtianorum proſpectum ibat. Factum demum eſt, ut prior Licinius in meditatum diu bellum prorumperet. Conſtantino Theſſalonicæ tum commorante ob neglectam finium Imperii cuſtodiam Gothi magno numero in Mœſiam, & Thraciam infuſi omnia ferro, & rapinis fœdaverant. Non tulit barbarorum inſolentiam Conſtantinus, ſed impetu, armorumque terrore eo adegit raptores illos, ut impetrata pace captivos omnes redhibere cogerentur. Hic Licinius, qui ſuorum ſalute lætari debuerat, in iras exarſit, aut ſimulavit potius; Conſtantinum contra fœderum egiſſe rationes, ut qui in alienam Provinciam exercitum intulerit, finesque alienos de hoſte vindicarit; atque ita ventilatis ultro, citroque odiis maximo cum apparatu ad bellum gerendum utrique ſe ſe accinxerunt. C)

Criſpus prævalidam adverſus Licinium claſſem in Græciam duxit; cui Licinius navales copias Duce Amando objecit; verum Amandus Criſpi auſpiciis prope Calliopolim victus ægre victorum manus effugit. Nihilo felicius Licinius terreſtribus cum copiis adverſus Conſtantinum ipſum quinto Nonas Julii circa Adrianopolim certavit. Fertur in exercitu ſuo habuiſſe centum quinquaginta peditum, & quindena equitum millia. D) Conſtantinus tamen & ordine in pugnando, & felicitate adverſus has tantas copias ſuperior quatuor, & triginta eorum millia uno prælio cæcidit; exin occupavit Byzantium, cumque Licinio prope Chalcedonem altero rurſus prælio contendit; in hoc vires Romanæ propemodum exhauſtæ, ac Licinius tam atrociter devictus, ut deſperata belli fortuna per Con-

 ſtan-

A) A Baronio ob id reprehenditur ad annum Chriſti 322. B) In ordinanda annorum ſerie diſſident hic Baronius, & Petavius, ſed placuit hunc præſtantiſſimum omnium Chronologum ſequi. C) Anonymus citatus a Petavio in Doctrina temporum lib. 13. D) Zoſimus l. 2.

A.C. ſtantiam conjugem cum Conſtantino de compoſitione ageret. Nec alie-
324 nus a pace is fuit; quam tamen homini turbulento non aliter putavit concedendam, quam ut depoſitis imperialibus ornamentis privatus vitam degeret. Martiniano quoque, quem poſt priorem pugnam Cæſarem Licinius appellaverat, pari conditione vita eſt indulta. Theſſalonicam itaque Licinius cum honore a Conſtantino acceptus, ac epulis quoque adhibitus abſceſſit futurus ea quiete felicior, ſi pati eam aliquando demum didiciſſet; verum ex occulto arma cogitare, barbarasque nationes ad opem ſollicitare anno ab hac re geſta altero deprehenſus A) demum capitis diſpendio, quod ſolum poterat, turbis finem attulit; eadem fuit & Martiniano fortuna; nec longe poſt hæc & Licinio prioris filio. Sublato æmulo ſolus deinceps Romanorum Imperator fuit Conſtantinus, & Imperator quidem quo nec feliciorem Respublica, nec Religio faventiorem optare poterat.

325 Hujus ut perſanaret vulnera a tot Tyrannis, & Licinio inflicta abrogavit leges per eosdem in Chriſtianos latas, conceſſit immunitates, offendicula ſuſtulit, Eccleſias ordinavit; cumque duo eſſent per magna in oriente inter ipſos Chriſtianos diſſidia; alterum ob perverſam Arii doctrinam paſſim jam ubivis ventilatam, alterum ob Paſcha non eodem ubivis tempore a Chriſtianis celebratum, ad hæc tollenda univerſali Patrum ex orbe Conventu opus eſſe cenſuit pius Princeps, atque ad ejus rei celebritatem Præſules undique Nicæam Bythiniæ accerſiit inductus procul dubio in eam mentem a Sylveſtro Pontifice, qui Legatos cum venire ipſe nequiret, eo prior miſerat. Convenere præſtantiſſimi quique Præſules numero tercentum decem, & octo; B) in eoque graviſſimo omnium Cœtu primum Arii cauſa examinari cæpta.

Erat vero Arius Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter ingenio turbido, & ad novandas res projecto; qui jam olim a Petro ejus Urbis Antiſtite Eccleſia pulſus, atque rurſus ab Achilla prioris ſucceſſore exceptus, demum Alexandro locum Achillæ obtinente doctrinam Chriſtianorum inſtitutis ex adverſo pugnantem de filio Dei impie protulit. Cum enim e ſacris literis locos quosdam difficiliores explanaret in Eccleſia Alexander„ C) ac Patrem, cum Filio ejusdem naturæ diceret, Arius Sabelliani dogmatis accuſavit Præſulem, ut qui Patris, ac Filii perſonam in unum confunderet. Quin ulterius progreſſus ajebat Filium ſi genitus ſit, fieri non poſſe, ut unus idemque natura cum Patre ſit, neque enim gignere Pater ſemetipſum potuit; & ſi Filius genitus, neceſſe ut earum de numero rerum ſit, quæ aliquando non fuerint, quæve naturam a Patre ſemper exiſtente diverſam obtineant. Hæc cum ambitioſius ab Ario diſputata eſſent, ingens in Eccleſia illa contentio exarſit, his quidem Alexandro, aliis Ario adſtipulantibus, cum hic quidem armis dialecticis confligeret, alter ſanctitatem, vetuſtatemque doctrinæ obtenderet; eaque diſputatione non Eccleſia modo, ſed vici, & compita perſonabant inter homines nimirum, ut ſibi videbantur, acutos; qui arcana hæc fidei myſteria ſuum ad modulum, adque dialecticas leges temere exigebant; & in rebus humanis talpæ, in divinis lyncei eſſe avebant. Alexander tanto mature incendio occurrendum ratus Arium, & ſequaces Eccleſia expellit, illi cœtus ſuorum, & coitiones faciunt; ita Eccleſia Chriſti diviſa, veſtisque ejus, quod jam antea Petro ejus Urbis Epiſcopo apparens Salvator oſtenderat, cum miſerabili Religionis, & orbis convulſione per Arium diſciſſa.

Quippe Arius, quive illum aſſectabantur, contumeliæ impatientes literis quaquaverſus ad Præſules datis, accuſabant Alexandrum hæreſeos, atque importunitatis, ſuamque impietatem multo verborum apparatu obtrudebant; Euſebium Nicomediæ Epiſcopum inter primos aſſentientem ſibi Arius habuit data, acceptaque ab eo epiſtola impietatis plena. D) Hunc ſecu-

A) Socrates l. 1. c. 4. B) Theodoritus l. 1. c. 11. C) Socrates lib. 1. c. 5. D) Recitat utramque Theodoritus l. 1. c. 1.

ſecuti Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis, Euſebius Cæſarienſis, A.C.
aliique haud pauci Præſules; ac Euſebius hic quidem aliis tectius, & ſub 325
quibusdam verborum involucris eandem inſaniam profitebatur; qui etiam omnem hanc Arii tragœdiam, licet præcipua in eadem perſona paucis admodum, velutique per tranſennam in ſua narratione attigit. Horum exemplo arrecti plures alii dubitationibus, atque contentionibus omnia repleverunt; quin a ſententiarum diſcordia, ad animorum quoque, ut fere uſuvenit, odia transgreſſi calumniis, ac rixis ædes, ac urbes adeo ipſas confuderunt.

Hæc cum ad aures Conſtantini perlata eſſent, pro ſingulari, qua in Eccleſiarum Præſules ferebatur, reverentia angi animo cæpit, quod tam fœda inter eos in præcipuo Religionis capite diſſenſio Eccleſiæ quidem damno, Deorum vero cultoribus offendiculo, & probro eſſet. Itaque aliquot abhinc annis, cum adhuc Licinius rerum in Oriente potiretur, datis ad Alexandrum, & Arium literis, hortatus eosdem eſt, A) ut miſſa vocum novitate, atque contentionum ſtudio redirent ad concordiam; quippe omnem inter eos diſſenſionem vocum quarundam novitate, atque ambiguitate contineri, meliusque ſilentio rem omnem committendam; nondum enim tum mentis optimæ Princeps animadverterat, quantopere cum totius Religionis ſanctitate pugnaret impia Arii ſententia, quantumve eidem non modo contentio de re tanta, ſed vel ſilentium ipſum damnoſum eſſet. Iis cum nihil literis perfeciſſet Imperator, Oſium Cordubenſem B) priſcæ ſanctitatis virum ad cognoſcendos, componendosque eos tumultus allegavit Alexandriam; qui quid illic egerit rerum, in obſcuro eſt, certe contentio ſemel exorta incendii in modum ſerpebat in dies magis, omniaque exitialis illa flamma corripiebat. Sedando itaque tam atroci malo Nicæam, ut dictum eſt, vocati Patres operam ad rem contulerunt; inter quos fuere orientalium Eccleſiarum Præſules plerique omnes; ex occidente quoque haud pauci; Oſius ille apud omnes celebratiſſimus, itemque Vitus, & Vincentius Romani Presbyteri Pontificis Sylveſtri obibant vicem; C) adhæc plurimi inter eos vitæ ſanctimonia, toleratisque olim pro Religione ſuppliciis inclyti fuere; qui cicatrices teſtes certaminis, & gloriæ deferrent, pugnaturi ſententiis pro Dei Filio, cujus Divinitatem fuſo jam olim ſanguine præclare tuiti ſunt.

Hic vero magni illius Imperatoris religio, liberalitas, atque adverſus viros Deo ſacros veneratio magnopere eluxit; Nam & de annona Patribus ex publico large proſpexit, & in ſanctum illum Senatum ingreſſus humili ſella in medio poſita non prius aſſedit, quam id nutu Patres indicaſſent. D) Tum vero Latio ſermone, quod majeſtas Romana poſcebat, E) hortari ad concordiam omnes cæpit, quæ ejus oratio Græce a quopiam Patribus eſt reddita. Dein cum Patres ſententias ſuas promerent, eſſetque aliqua inter eos altercatio, ſingulos ſeorſim ſermone Græco appellabat, orabatque, ut rem omnem veritatis, non contentionis ſtudio ad ſacrarum literarum, & fidei doctrinam exigerent, neve æſtu diſceptandi abripi ſe paterentur. Ejus factum authoritate, ut pugnaces illos ſpiritus comprimerent hæretici; & in ſedato illo tot gravium virorum Conſilio facile veritas triumpharet. Habitis igitur ultro, citroque ſermonibus, ac locis ſacrarum literarum in medium prolatis, Athanaſio quoque Alexandrinæ tum Eccleſiæ Diacono uberrime pro Chriſti divinitate perorante, plerique filium Patri ὁμοούσιον, id eſt ejusdem omnino cum Patre ſubſtantiæ, & æternum cenſuerunt. F) Adverſarii numero decem, & ſeptem circiter tempus ſibi ad rem rectius expendendam popoſcerunt; tum vero protulerunt fidei expoſitionem ſuæ plane hæreticam, quæ ſimul lecta in

A) Recitat has literas Euſebius de V. C. l. 2. c. 64. B) Socrates l. 1. c. 7. C) Sozomenus l. 1. c. 16. ſed errat, cum pro Sylveſtro Pontifice Julium pridem vita functum ponit, niſi fors mendum irrepſerit. D) Theodoritus lib. 1. c. 7. E) Socrates lib. 1. c. 8. F) Teſtes horum Socrates, Theodoritus, Sozomenus, quin & ipſe Arianus Philoſtorgius libro 1.

A. C. 325 Concilio eſt, ſimul omnium clamoribus damnata, & diſcerpta. Alia dein a Patribus prolata eſt expoſitio, quæ hodieque inter Chriſtianos obtinet, atque maximo omnium conſenſu probata. Quippe illi etiam, qui ſecus ſentiebant, ut Cæſarienſis Euſebius, itemque alter Euſebius Nicomediæ, aliique viſa tanta animorum conſenſione, ne famæ, & præſulatus jacturam facerent, animum tempori etſi ficte accomodarunt. Soli Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis ſubſcribere renuebant damnati propterea cum Ario, atque Sacerdotiis exuti. A) Euſebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ ſubſcripſerunt illi quidem ſententiæ Patrum, ſed quod in damnationem Arii conſentire nollent, in exilium fuere miſſi; a quo tamen dato poſtea pœnitentiæ, ut vocabant, libello in Urbes, ſedesque ſuas magna Religionis labe ſunt reſtituti. Ferunt Arium quoque ipſum recantaſſe errorem in Concilio, B) atque receptum ea lege, ne aliquando Alexandriam rediret. Cæteri ut Euſebius Cæſarienſis, Paulinus Tyri, aliique qui ficte, & metu expoſitioni illi ſubſcripſerant, ut ſe ab inconſtantiæ, levitatisque nota vindicarent, varios poſtea verba Concilii in ſenſus detorſerunt, ſub voce ὁμουσίῳ intellexiſſe ὁμοιούσιον, C) hoc eſt: non ejusdem, ſed ſimilis ſubſtantiæ Filium cum Patre; adhæc non eſſe illum quidem e rebus creatis, ut alia omnia ſint, ſed modo quodam præcellenti, & Deum quidem, plena tamen libertate progenitum, non neceſſitate; fuiſſe illum ante ſæcula utpote per quem tempus ipſum conditum exſtiterit, ſubjectum tamen Patri, eidemque in rerum opificio miniſtraſſe; D) ita nunquam deerant impietati illi verborum involucra & latebræ, quibus & reconderent animi ſenſa, & cum viſum eſſet, in apertum ferrent in ſuam, aliorumque perniciem male ſubtiles, aut potius impii. Nec certe in tanta Myſterii illius obſcuritate captiones deeſſe poterant, queis orbi illuderent. Atque horum poſtea factum improbitate, ut & Concilii illius labefacta ſit authoritas, & orbis magna ex parte Arii peſte infectus. Verum iſta Conſtantino demum fatis concedente evenerunt; eo enim ſuperſtite nemo palam ὁμουσίῳ contradicere auſus eſt, ut qui ſeveriſſimis edictis ſupplicio capitali eos ſubjecerit, qui ſimile quidpiam palam proloqui auſi eſſent; quive Arii librum, quem ille ad plebem in fraudem pelliciendam verſibus complexus erat, legerent, aut vero penes ſe haberent. E) Occultis itaque tantummodo cuniculis eo quidem regnante ſanctitas Religionis ab inquietiſſimis illis ingeniis eſt oppugnata.

Interea vero in eodem Nicæno Concilio alia quoque ad ritus, & mores ſpectantia ſalubriter ſancita fuere; atque ſerio proſpectum, uti deinceps per orbem Chriſtianum eodem ſemper tempore, & quidem a Judæorum more diverſo celebraretur Paſcha. Atque ita ſumma omnium conſenſione, maximaque Imperatoris lætitia finis Concilio altero, quam illud cæptum erat, menſe eſt impoſitus. Eo omni tempore liberaliſſime non Præſulibus modo, ſed ingenti, qui hos conſectabatur, Sacerdotum numero alimenta a Principe ſuppeditata fuere, quin epulis quoque illos ſuis ſumma cum humanitate F) adhibuit. Libellos, quibus Præſules quidam inter ſe accuſabant, ne conſpectos quidem in ignem jecit, cum diceret nefas eſſe Præſulum errata, qui norma vivendi aliis eſſe debeant, ad plurium aures permanare; quin ſi palam aliquem eo ex ordine delinquentem conſpiceret, offendiculi ab aliorum oculis avertendi cauſa pallio obtecturum ſuo. G) Aceſium ſectæ Novatianæ Epiſcopum eo pariter accerſitum hortari Imperator cæpit, ut ſe ad aliorum concordiam adjungeret; H) negavit ille fieri poſſe, ut qui poſt baptiſmum lethali ſe culpa obſtringunt, veniam a Sacerdotibus conſequantur; verum a ſolo Deo

A) Patet id ex literis Synodi ad Epiſcopos datis, quas recitat Socrates lib. I. c. 9. B) Ita Baronius ex Athanaſii ipſius Apologiis contra Socratem, & Sozomenum, qui ex ipſis Concilii literis Arium cum adhærentibus depoſitum, & in exilium miſſum aſſerunt. C) Philoſtorgius lib. I. D) Patet id ex diverſis fidei formulis, quas ediderunt Ariani relatis ſæpe a Socrate, & Theodorito. E) Sozomenus l. I. c. 21. F) Euſebius. G) Theodoritus l. I. c. 11. H) Socrates: & Sozomenus lib. I. c. 22.

Deo per pœnitentiam expectari oportere; tum Imperator hæreticam notans arrogantiam ſume igitur Aceſi ſcalam inquit, & ſolus cœlum conſcende; quo dicto ſimul innuebat Imperator poteſtatem illam errata quælibet pœnitentibus remittendi eſſe imbecillitati noſtræ, quam maxime conſentaneam; ſed hæreticorum alios immoderata ſeveritas, alios quidvis agendi licentia, omnes ambitio, judiciique protervia in errores impellit. A. C. 325

Ut Concilio finis impoſitus, literas quaquaverſus dedit Imperator, quibus ad Concilii Nicæni decreta ſancte obſervanda omnes eſt exhortatus; tum etiam velut nova illius fervori facta ſit acceſſio, novis in Religionem in dies ſtudiis ſeipſum quodammodo ſuperabat: viduis, ac virginitatem profitentibus, quive divino ſemet in Eccleſia obſequio addixerant dari de publico annonam voluit, ne humana iis deforent præſidia, qui divinis ſolum intenderent; A) Hæreticos ædes ſacras extruere, aut extructas frequentare, quin in domos quoque coire privatas ſevere vetuit, B) indignos his ratus, qui per arrogantiam a cœtu ſemet Orthodoxorum diſjunxiſſent, & redituros ad ſanitatem, ſi fomenta impietati deforent. Demum ſuperſtitione quoque Gentilium depreſſa magnificentiſſimas Deo ædes pluribus in locis Romæ præſertim, ac Hieroſolymis excitavit, ut non facile, atque ſub Conſtantino in Oriente præſertim florentior eſſet noſtræ Religionis progreſſio.

Hanc tantam Reipublicæ, & Conſtantini felicitatem perturbavit, aliquantum malus Dæmon opera mulieris familiari inſtrumento ad id abuſus. Fauſta Imperatoris conjunx Maximiano Patri ſuo, quam marito moribus ſimilior, ſive reipſa in Criſpi privigni ſui amorem exarſerit, nec potiri eo valuerit, ſive Imperium ſuos ipſa in filios transferre necato per calumniam Criſpo intenderit, juvenem integerrimum apud Patrem criminata eſt, C) ceu thori illius invaſorem, qui ipſam ad facinus ſollicitare auſus ſit. Exhorruit ad tam atrox filii crimen Imperator, eidemque præcipiti ſane furore necem decrevit; quam alii Polæ in Iſtria, D) alii Romæ illatam ferunt; E) & neque de genere mortis conſenſio eſt, ſi quidem veneno hi enectum, illi capite truncatum narrant. Magnam certe eo facto Conſtantinus maculam nomini ſuo intulit; absque qua fuiſſet, næ ille abſolutum magni, felicisque Principis exemplar exſtitiſſet: niſi forte juſtus vindicandi tanti, ut putabat, criminis dolor paternum in eo animum, ſpemque Reipublicæ vicerit; ita nemo undequaque beatus, & cui non atra aliquando dies intercurrat. Non manſit impunitum Fauſtæ tantum ſcelus: in adulterio cum quopiam de aurigis (iſthuc enim Majeſtatem abjecerat) deprehenſa, & calumniæ Criſpo ſtructæ comperta, calore balnei non diu poſtea juſſu Conſtantini præfocata eſt; F) qui ne vindicare quidem dolorem animi priorem, niſi majore adhuc cum dolore potuit. 326

Romam redux Imperator Vicennalia Imperii illic celebravit, quod jam antea Nicomediæ, atque per reliquas orientis Urbes magnifice præſtiterat. Quæ autem reduci Romam Conſtantino eveniſſe a quibusdam feruntur, ut mira ſunt, ita prorſus incerta; & ſi non commentitia penitus, fabulis certe implexa: G) Ajunt enim Conſtantinum lepra divinitus percuſſum, atque etiam ob mortem filio illatam conſcientiæ ſtimulis exagitatum, & hujus cædis expiationem, & ulcerum depulſionem apud Deorum Sacerdotes perquiſiviſſe: juſſiſſe illos puerorum e ſanguine parari balneum, in eoque lavare Imperatorem; jamque plurimos ad cædem collectos fuiſſe puerulos; Verum divos Petrum, ac Paulum per ſomnum ſemet Imperatori viſendos præbuiſſe; monuiſſeque ut ſacro Chriſtianorum lavacro noxas una, & lepram ablueret, innoxiæ ætati parceret; altero mane Conſtantinum ad Pontificem Sylveſtrum acceſſiſſe. atque num Petrus, & Paulus Dii eſſent exquiſiviſſe,

A) Theodoritus l. I. c. 11. B) Recitat decretum hoc Euſebius l. 3. de V. C. c. 64. C) Philoſtorgius l. 2. D) Ammianus l. 14. E) Zoſimus. F) Philoſtorgius, Eutropius l. 10. G) Criſpi cædem, & Conſtantini Baptiſmum Baronius præponit anno uno Concilio Nicæno, poſtponit Petavius fretus Idatii Chronico; ſed & Sozomenus l. I. c. v. Criſpi exitum anno Imperii viceſimo contigiſſe ait.

A.C. repoſitum a Sylveſtro, non Deos, ſed ſervos Dei, & amicos; tum re-
326 cenſitis, quæ viderat ſacrum a Conſtantino lavacrum petitum eſſe, atque felici cum eventu impetratum. A) Ex eo tempore plurima illum Chriſtianorum cauſa ſalubriter ſanxiſſe, ædes Deo ſacras tum Romæ, tum alibi magnificentiſſimas extruxiſſe; & jam tum Senatus Romani adverſus ſe ob ſuſceptam Religionem odia pertæſum ſedem Imperii alio transferre meditatum eſſe. Verum ut non negem, a Sylveſtro illum aquis ſalutaribus expiatum, qui ad id tempus inter Catechumenos ut vocabant, cenſus ſit, vix tamen credam Principem Religioni Chriſtianæ tam addictum ex animo, qui tot antea edictis, atque reſcriptis ejus indemnitati proſpexerit, qui ejus maxime cauſa Tyrannis bellum intulerit; qui divinis quoque oſtentis ad capeſſendam eam Religionem animatus ſit, qui tam præſens in omnibus præliis Chriſti Numen expertus, aut ad Sacerdotes Deorum labis expiandæ recurriſſe, aut cædem tot infantium fieri præcepiſſe, aut ignoraſſe num Petrum, & Paulum pro Diis Chriſtiani habeant. Ac quod donationem illam celebrem a Conſtantino Romanæ Eccleſiæ factam attinet, ne Annalium quidem Eccleſiaſticorum ſcriptor inficiatur ſuppoſititiam illam eſſe, atque a poſterioribus Græcis actis Sylveſtri per fraudem inſertam, quo nimirum evincerent primatum inter Epiſcopos non aliunde, quam a Conſtantino Romanos Pontifices obtinuiſſe, ſicque largitos aliquid, ut quod ſummum apud eos eſt, ereptum irent; de quibus merito illud uſurpes Virgilianum: timeo Danaos, & dona ferentes. Porro Conſtantinum non viceſimo, ſed poſtremo Imperii ſui anno cum jam male habere occiperet Nicomediæ Baptiſma ſuſcepiſſe veteres poſt Euſebium omnes teſtantur. B) Et qua ratione rem in omnium recenti memoria poſitam comminiſci auſus fuiſſet Euſebius? niſi forte hæreſis Ariana frontem ipſi perfricuerit, cum videret multam partibus ſuis authoritatem allatum iri, ſi Conſtantinus ab Arianis initiatus cenſeretur; idipſum Annalium ſcriptor adverſus Euſebium multis contendit; ſed pendet adhuc lis, nec noſtrum eam in compendaria hac brevitate decidere.

327 Mater Conſtantini Helena dolorem ut ſuum cæde tam chari nepotis contractum leniret, profecta in orientem eſt, locaque vita, & morte Chriſti conſecrata inviſit; ubi plurimis ſinceram in Deum religionem monumentis teſtatam liquit. Itaque ab ejus adventu fana, & idola, quæ ad profanandum locum tam ſacrum Gentilium impietas poſuerat, e monte Calvario dejecta ſunt, ſacrum Crucis lignum alta ab iis humo defoſſum, quæſitum, atque gaudio uberrimo repertum; C) quod auctum eſt luculento quodam portento; cum enim ternæ ſimul repertæ cruces ambiguum facerent, quamnam ex iis morte ſua Deus ſacraſſet, a Macario loci Præſule ægrotanti cuidam matronæ applicitæ ſingillatim ſunt; una de illis ſimul, atque ægrum corpus attigit, remiſit ægritudo; intellectumque portentoſum hocce lignum illud ipſum eſſe, in quo maximo omnium prodigio mortem temporariam oppetierit Homo Deus, ne homines æternam ſubirent. Ædificatum dein templum eſt S. Sepulchri ſumptus Conſtantino largiſſimos ſuppeditante; Helena vero binas Deo exſtruxit ædes, in monte Olivario alteram, alteram ad ſpeluncam natalibus Chriſti ſacram; atque hiſce D) pietatis officiis pro animi ſui ſenſu perfuncta, & Dominicæ Crucis parte quidem relicta Hieroſolymis, parte ſecum aſſumpta, itemque clavis, qui Chriſti corpus terebraverant, Romam regreſſa eſt. Clavorum horum alterum quidem fræno, alterum galeæ Conſtantini innexuit, quo filium hiſce ſalutis noſtræ inſtrumentis adverſus omnia pericula communiret; quæ demum octogenaria anno ab hac re altero inter filii, nepotumque amplexus diem obiit ſuum felix vita tam longe acta, & tanto filio, ſed virtutibus ipſa ſuis multo felicior.

Locis

A) Hæc ex actis Sylveſtri Papæ poſteriores Græci ut Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & alii, quæ acta ut non rejiciat Baronius, corrupta tamen haud inficiatur. B) Theodoritus l. 1. c. 32. Socrates l. 1. c. 39. Sozom. l. 1. c. 34. D. Hieronymus & alii. C) Socr. l. 1. c. 17. Sozom. l. 2. c. 1. D) Theophan. p. 15.

Locis tam ſacris ab impietate expurgatis, excultisque, & orbe in pa- A.C.
ce conſtituto læta erat Religionis ſinceræ facies, & multa ubivis locorum 327
ad eam acceſſio. Eodem quippe hoc tempore & Gens Iberia in Aſia ſacra Chriſtianorum amplexa eſt, & ad Indos uſque prolata Evangelii lux, quibus ab Athanaſio non ita pridem in locum Alexandri vita functi ſuffecto Frumentitius Tyrius, qui inter primos illic Chriſtum prædicaverat, Epiſcopus eſt conſtitutus. A) In Perſide quoque, & Armenia plurimi Chriſtum ſecuti ſunt, etſi obſtaret omnimodis Sapor Perſarum Rex, ac furioſe illos inſectaretur.

Verum in hoc felici Eccleſiæ ſtatu non deerant partibus ſuis Ariani non illi quidem aperte Imperatoris metu, ſed tectis artibus ad everſionem doctrinæ per Nicænum Concilium aſſertæ omni conatu adniſi. Ante omnia ſatagebant Arium reponere Alexandriam; B) quo repoſito certa illis erat ſpes, ſumpturum vires incendium, quod ortum illic, neque multorum adhuc in animis plene conſopitum fuit. Sed obſtabat conatibus Athanaſius acerrimus Arii, & impiæ doctrinæ hoſtis. Tametſi enim Arius edita fidei coram Imperatore profeſſione reditum Alexandriam impetraſſet; attamen ab Athanaſio minas tam Epiſcoporum, quam Imperatoris inſuper habente admiſſus non eſt, ut quem verſuta hæreticorum ingenia, artesque nefariæ minime laterent. Hinc acerrima in Virum ſanctum Euſebii utriusque & aliorum Ario faventium enata odia, hinc graviſſimæ in eum comparatæ criminationes, hinc exilia, latebræ, & calamitates innumeræ, quæ vir ad prodigium fortis conſtantiſſime pertulit; ut adeo cauſa Dei in cauſam Athanaſii migrare viſa ſit, & veritas in uno pene homine adverſus magnam orbis partem triumpharit.

Ut pro Ario Alexandriam reponendo apud Athanaſium ageret Imperator, perſuaſus eſt ab Euſebianis pacem, & concordiam eo facto pollicentibus, itemque a Presbytero quodam Arianæ perfidiæ ſocio; qui jam antea Conſtantiam Imperatoris ſororem ſimili veneno infecerat; atque illa moriens fratri Conſtantino hominem obnixe commendarat; nactus Imperatoris aures nefarius ille intulit ſæpe Arii mentionem velut calumniis circumventi, ac recte de Chriſto ſentientis. Idcirco Imperator concordiæ ſtudio literis ad Arium datis venire illum Byzantium, atque fidem Nicænam ſe coram profiteri juſſit; quod & facile præſtitit homo omnium horarum. In ea tamen expoſitione cæteroqui ſana C) ſubticuit vocem τὸ ὁμοούσιον, quod & ab aliis Arianis factitatum ſæpe poſtea eſt, quod ea duntaxat ſuppreſſa voce cætera in ſenſum detorquere alium pronum omnino eſſet. Atque hæc illorum fraus ſæpe oculatiſſimis etiam ſanctisque viris impoſuit, cum in eorum dictis nihil a recta Religione abhorrens appareret; quo minus mirandum Imperatori in Chriſtiana militia tyroni a Præſulibus doctrinæ fama celebratis, atque authoritate præſtantibus illuſum fuiſſe; quem tamen Nicæni Concilii acerrimum fuiſſe defenſorem Hiſtoriæ omnes, & res illius geſtæ loquuntur.

Eidem Imperatori in oriente per hosce annos commoranti cupido 328
inceſſerat Urbis de nomine ſuo condendæ, quæ amplitudine, & elegantia Romam exæquaret. Quæ illum ad hoc cauſa perpulerit non ſatis liquet; odium quidam prætexunt, D) quo in Senatum, Urbemque magna adhuc parte veterum ſuperſtitioni addictam erat. Ferunt admonitum a Deo per quietem, ut Urbem de nomine ipſius appellandam eo, quo tum Byzantium erat, loco conderet, E) cum prius inter Illium vetus, & Helleſpontum condere voluiſſet, ac jam muros, quorum etiamnum rudera exſtare dicuntur, ſat alte extuliſſet. Quin lapillos ab aquilis ſæpe arreptos, atque in adverſam continentem translatos, funiculum quoque menſorium ab iisdem transportatum indicio fuiſſe, ut eo potius loci Urbs Romæ

A) Theodoritus l. 1. c. 23. Socrates l. 1. c. 15. B) Colliguntur hæc ex Socrate l. 1. c. 23. Et ex Apologiis S. Athanaſii. C) Recitatur ea profeſſio a Socrate l. 1. c. 26. D) Zoſimus l. 2. Philoſtorgius l. 2. extructionem Urbis rejicit in annum Imperii Conſtantini viceſimum octavum. E) Sozom. l. 2. c. 3.

A. C. 328 mæ æmula exurgeret. A) Quanquam vix opus fuerit ejusmodi Constantino admonitionibus, quando admirabilis loci ipsius opportunitas ad capiendam Urbem cæterarum dominatricem facile eundem invitare poterat. Fuit Byzantium jam antea Urbs antiquitate, & nomine sat celebris, non item amplitudine; at Constantinus deleto fere veteri Byzantio novam ad plura passuum millia Urbem extulit in quatuordecim, ut Roma erat, regiones distributam; eique Constantinopoleos, & novæ Romæ cognomen lege ea super re lata attribuit. Ferunt ipsum hastam manu tenentem, B) ac pedibus incedentem condendæ Urbis amplitudinem dimensum fuisse, cumque spatium justo amplius videretur aulicis describere, quendam ex iis dixisse, quousque tandem Domine? reposuisse Imperatorem, eo usque inquit, dum is sistat, qui me præcedit; ex eoque responso intellectum, bono quodam, & non viso cæteris Genio præcedente ambitum Urbis ab Imperatore designatum. In hujus magnitudinem, & ornatum omnes fere Imperii vires impensæ a Constantino sunt; & plurimis urbibus sua detracta ornamenta, ut una hæc futura aliarum Princeps ornaretur: fora, balnea, hypodromus, theatra, palatia, porticus, omnia Romæ veteris imitatione ædificata, ut nihil eorum, quæ Romæ erant, isthic desideraretur, commoditate vero habitandi, terræ, marisque opportunitate nova veteri Romæ multo præstaret. In domos ample ædificatas, & exornatas inducti ab Italia, atque undelibet novi fuere cives, Senatus, & reliqui Magistratus constituti; nec deerant, qui certatim nomina in civium album referrent, quod ad cætera Urbis commoda certum annonæ numerum gratuito in domos singulas ex Ægypti proventibus largiendum Imperator sanxisset; C) ita factum ut amplitudini Urbis brevi civium responderet frequentia, quin illam etiam vinceret; ut qui consecuti sunt Principes, proferre Urbis vastissimæ licet ambitum necesse haberent.

Illud vero peculiare novæ huic Romæ: quod cum in veteri plurima essent superstitionis antiquæ monumenta, in hac nullum ejusmodi impietatis appareret vestigium; nulla illic Deorum fana, nulla quæ cultum tulerit idoli statua; D) si quæ aliis ex orbis partibus allatæ erant, ornamenti magis, ac derisus, quam cultus causa fuere expositæ; sacræ autem Deo ædes extructæ a Constantino complures; nominatim mentio occurrit templi Irenes, E) Sophiæ, Apostolorum, S. Moci, S. Archangeli; quæ amplitudinem & Urbis, & Imperatoris magnitudini parem referebant.

330 Porro Urbis tam amplæ, tamque elegantis exstructioni biennii vix tempus impensum est; & cum aliæ Imperiis claræ urbes ægre per sæcula ad majestatem sibi debitam excreverint, hæc post biennium vix habuit, quo jam crescret; at enim tenuibus illæ a principiis profectæ sunt, hæc a Principe, & latissime omnium dominante, & felicissimo. Igitur undecimo die Maji mensis celebrata est Urbis hujus dedicatio solemnitate quanta maxima potuit; dedicata vero est Deo, & memoriæ F) Virginis Dei Matris non ritu aliquo, & superstitione majorum, sed sacrificiis incruentis Deo Imperiorum, & ævitatis largitori oblatis. Quin statuit Imperator ut quot annis die eodem recurrente dedicationis memoriam solitis Urbis cerimoniis obiret. G) Illud autem, quod quidam memorant, famæ suæ, honorisque post se relinquendi plus satis studiosum fuisse Constantinum indicant: ut qui præceperit solemni illo die statuam suam, quæ fortunam Urbis manu gestabat, per vicos ejusdem a militibus altera manu cereos gestantibus circumferri, atque cum ex adverso tribunalis Imperatorii perlata esset, eum qui tunc esset Imperatorem cum cætero magistratu ei assurgere, & fortunam H) Urbis adorare. At enim quis credat Principem tam ab omni superstitionis, vel umbra abhorrentem ista sanxisse?

A) Zonaras, & Cedrenus, sed hæc fabulam sapere videntur; nihil tale vetustiores. B) Philostorgius l. 2. C) Zosimus lib. 2. D) Eusebius l. 3. de V. C. c. 48. E) Theophanes p. 15. F) Niceph. l. 8. c. 16. G) Chronicon Alexandrinum p. 227. additque quod dedicaverit Urbem ποιήσας θυσίαν ἀναίμακτον, offerens sacrificia incruenta. H) Idem Chronicon.

xisse? nisi forte per fortunam Urbis Crucem Domini, aut Divinum quidpiam intelligi oporteat. Quanto ritus majorum in odio habuerit, vel illud indicio est, quod non lauro Apollini sacra, ut cæteris Imperatoribus publico in processu moris erat, sed corona aurea caput cinctus dedicationem illam obierit, moremque hunc ad posteros transmiserit. A) A. C. 330

Ut vero quemadmodum in omnibus, ita & in exortu novæ hujus Romæ Magnus fuerit Constantinus, rei tamen Romanæ plusne facto illo obfuerit, an profuerit, non facile definias. Etsi enim meliore ad orbis Imperium obtinendum situ nulla unquam urbium fuerit, tamen abstracta a patrio solo Romana potentia, & inter Græcos, barbarasque alias nationes collocata, non perinde felix exstitit; quin & in horum mores, ac linguam descivit sensim, & a vetere disciplina militari degeneravit; cum interea vetus Roma per novæ exortum labefactata eo infirmitatis prolapsa sensim est, ut Barbaris denique gentibus ludibrio fieret. At enim nihil sub sole perpetuum, nec nova nasci Imperia, & Regna possent, ni vetera interirent; quod fieri tamen rerum humanarum varietas, & inconstantia exposcit.

Res pacis Constantini bellum in Gothos gestum interpellavit; Sarmatæ ab his graviter pressi ad Imperatorem auxilii causa confugerant; qui filio Constantino in eosdem expedito sæpius illos fregit, ut centum fere suorum millia, B) qua ferro, qua inedia pessumdata numerarent. Sæpius in eosdem Barbaros susceptam fuisse ab eodem Imperatore profectionem, & pontem lapideum C) ei fini Istro impositum scriptores meminerunt. Semper enim pacis opera bellicis adjuvabat non nescius alterum ad felicitatem, ad diuturnitatem alterum regnorum facere, & alterum alterius opis egere. Gothos istos an potius Schythas? ab Imperatore fuisse perdomitos, & illud indicio est, quod pensio pecuniaria ad redimendos a vastitate Imperii fines eisdem quot annis dari solita ab hoc tempore desierit, quin iidem Barbari ad tributum adacti. D) Sarmatæ per Imperatorem in præsens liberati, a servis ipsi suis post biennium discrimen fortunarum subierunt; cum enim istos consilio parum sano in hostes armassent, debellatis illi hostibus arma in dominos verterunt, ac inermes ejecerunt patria; quorum ad trecenta promiscuæ multitudinis millia excessisse, atque ad Imperatorem confugisse memorantur; quos ille per Provincias partim adlectos militiæ, partim in agris collocatos opportune dispescuit. 332

Imperatore in Barbaros decertante, nefarii quidam Præsules, qui norma sanctimoniæ esse debuerant, idque ipsum simulabant, in Dei Filium pro Ario, sed tectis duntaxat cuniculis dimicabant. Ut enim partes suas redderent valentiores, eos, qui eminebant ex adverso calumniis aggredi, atque prosternere, sui vero furfuris homines ubivis intrudere, nec sine successu tentarunt, superaturi reliquam facile turbam, si principes statione deturbassent. Primus ad ictum destinatus est, qui authoritate, & doctrinæ fama in Oriente primus erat Athanasius. Fuere in calamitoso hoc bello antesignani duo Eusebii, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Maris Chalcedonius Episcopi, pluresque alii, quo majore authoritate, & doctrinæ fama præditi, hoc causæ Dei plus noxii. E) His igitur authoribus infandæ in Athanasium criminationes confictæ; quæ cum impostura non semel convictæ essent, tantum abest, ut impudentiam suam illi ponerent, ut etiam adaugerent. Primum contortis in partem maxime delicatam, & periculosam telis calumniati eum sunt, quod clam Ægyptiis tributa imponat, ac cuidam ejus regionis Regnum paret; verum a tanto crimine facile per Macarium Diaconum apud Imperatorem se Athanasius purgavit. Altera fuit calumnia necatum esse ab Athanasio Arsenium Meletianæ factionis Episcopum; tum calices sacros per Macarium illius jussu fuisse confractos, quo crimine accusabatur ab Ischyra quodam, 335

A) Id Zosimus Constantino infestus exprobrat, scriptor Gentilis. B) Eusebius l. 4. c. 1. de V. C. C) Chron. Alex. p. 226. D) Eusebius eodem loco. E) Diffuse de his in Athanasium calumniis Theodoritus l. 1. c. 26. 27. & 30. Item Socrates l. 1. c. 27. & 31.

A.C. quem Diœceſim luſtrans Athanaſius pro Presbytero per nefas gerentem
335 ſe, cum profanus eſſet, Eccleſia ejecerat. Miſſus Alexandriam, ut de homicidio cognoſceret, Dalmatius Imperatoris ex fratre nepos, Athanaſianæ innocentiæ teſtis ex judice & prædicator fuit. Cum nihilominus multis aliis criminationibus fatigaretur Imperator, ac Euſebiorum, quibus ob doctrinam plurimum tribuebat, ſuaſionibus adigeretur, eo demum inclinavit, ut ad turbas ſedandas, totamque eam cauſam ex æquo, & bono dijudicandam Conventum Epiſcoporum primum quidem Cæſareæ in Palæſtina, dein vero Tyri in Phœnicia habendum imperaret; cujus quidem Conventus cauſa alia fuit, ut ſacræ Deo Hieroſolymis, & Tyri ædes jam ad faſtigium perductæ, quanta maxima poſſet frequentia, totque Præſulum celebritate dedicarentur. Cæſaream non acceſſit Athanaſius, quod bene noſſet, quid ſibi ab Euſebio loci Epiſcopo expectandum foret; at venit anno conſequente Tyrum, quo Synodus translata erat; ubi eundem illum Euſebium magno bonorum mœrore judicem invenit, & Præſulum plerosque cauſæ ſuæ adverſarios; ſexaginta hi numero erant, quos inter adfuere quoque Urſacius Singiduni, A) & Valens Murſiæ in Pannonia Epiſcopi Athanaſii, & veritatis hoſtes atrociſſimi; alios quadraginta Epiſcopos ab Ægypto ſecum, & pro ſe adduxerat Athanaſius. Is itaque pro reo ſtare juſſus multas adverſum ſe prolatas criminationes audivit, de calice fracto, de Arſenio; quem ut necatum ab Athanaſio evincerent accuſatores, manum reſectam, & ſale conditam ex arca depromebant; eamque Arſenii eſſe dejerabant; at divinitus factum ut eodem plane tempore Tyri adeſſet Arſenius, atque præſentia ipſe ſua in Synodo calumniam refelleret. Muliercula quoque impudens mercede conducta erepti ſibi per vim pudoris poſtulare Virum ſanctum auſa eſt; ſed cum illa Athanaſium ne de vultu quidem noſſet, & Timotheum quendam perſonam interea Athanaſii ſumentem pro Athanaſio accuſaret, ſuamque, Euſebianorumque impudentiam B) hæc talia machinantium liquido detexit. Cum itaque eorum luce clarius paterent calumniæ, nihilo tamen minus inſtabant adverſarii, atque ab uno commentitio crimine ad aliud tranſibant; idque tantis clamoribus, tantoque odio, ut vis quoque Viro ſancto illata fuiſſet, ni eam Dionyſii, quem protegendi Conventus cauſa miſerat Imperator, authoritas compreſſiſſet; adeo hominis, an magis veritatis, quam ille propugnabat odium? Præſules cætera non indoctos occæcarat. Athanaſius cum videret omnia ad perniciem ſuam conclamata, Præfecto quoque Euſebianis plus favente relicta Tyro fugit Conſtantinopolim, ut nefarias illorum artes Imperatori panderet; qui eosdem peracta Hieroſolymitani templi dedicatione venire Byzantium, atque ſe coram Athanaſii cauſam agitare juſſit. Interea in Conventu Tyri Athanaſius ceu fuga ſua reum ſe profeſſus ſit, Præſulatu exuitur; neve in Imperatoris gratia ſpem haberet, nova confingitur criminatio, ut ſi Athanaſius minatus ſit impediturum ſe, quo minus Conſtantinopolim annona ex Ægypto, ut moris erat, afferretur. Sive tædio tot accuſationum, & turbarum victus Imperator, ſive ſpe ductus redituræ uno amoto homine concordiæ, ſeu denique ut vitam Athanaſii tot impetitionibus vexati in tuto locaret, C) eundem Treviros exulatum miſit; ubi a S. Germano Urbis Epiſcopo receptus ea humanitate eſt, quæ Orientis lumen, & invictum in cauſa Dei pugilem decebat. Hæc Athanaſii expulſio malam de Conſtantino exiſtimationem apud non paucos ingeneravit, ceu ad partes Arii ipſe quoque animum deflexerit; at certe Patrum doctrinam ſemper integre ab eo fuiſſe retentam vix ambigere licet, cum exploratum ſit, nihil Concilio Nicæno adverſum unquam ad aures admiſiſſe; ut adeo ne Arius quidem iterum fidem

A) Singidunum hodie Senderovia Ungaris Vég-Szyndrô infra Belgradum. Murſia hodie Eſſekinum. B) Philoſtorgius hiſtoricus Arianus, & nequam, hanc de meretrice calumniam a tot aliis fide integra relatam, in Euſebium transfert, quaſi ab Athanaſio ſtructam lib. 2. C) Hanc cauſam relegati Athanaſii affert in ſua Epiſtola poſt mortem Conſtantini ad Alexandrinos ſcripta ejusdem filius Conſtantinus, quæ recitatur a Theodorito lib. 2. c. 2.

dem Imperatore coram profiteri juſſus contrarium quidpiam Concilio illi A.C.
palam proferre auſus ſit. Ceſſerit igitur Imperator tot Epiſcoporum, 335
quorum virus ignorabat, doctrinam vero admirabatur accuſationi; illius enim magnitudini non tam ſua, quam ſuorum vitia umbram aliquam fecere, familiari viris Principibus infortunio; qui ſuorum conſilia nec rejicere ſæpe ſine famæ diſpendio poſſint, nec ſequi. A)

Imperii tricennalia magnifice poſthæc a Conſtantino exhibita fuere; quorum ut celebratior eſſet memoria, eodem tempore filium ſuum Conſtantem, & Dalmatium, ex fratre Dalmatio nepotem Cæſares renunciavit. Ita ſingulis decenniis ſingulos e tribus filiis honore illo ornarat, decennalibus quidem Conſtantinum, vicennalibus vero Conſtantium. B) Erat Dalmatio huic frater Hanniballianus, cui Conſtantianam filiam nuptui dedit Imperator, eundemque Regem Regum, & Ponticarum gentium nominavit; filios porro per Imperium ita partitus eſt, ut in Gallia degeret Conſtantinus minor, Conſtantius Orientem, Conſtans Italiam, & Africam, Dalmatius denique ripam Gothicam tuerentur. C) Eodem hoc anno dedicationem Baſilicæ Hieroſolymitanæ celebrari Imperator voluit, ad quam Præſules Tyri congregati ſeſe contulerant. Nihil hic eorum, quæ ſive loci ſanctitas, ſive Imperatoris magnificentia poſceret, omiſſum. Orationes ad populum de loci religione, deque fidei myſteriis habitæ a Præſulibus, multa quoque de locis ſcripturæ difficilioribus diſputata; D) ſumma denique lætitia, & omnis ætatis confluxæ rei tam ſacræ operatum eſt. Unum quod ſplendorem feſtivitatis tam ſacræ inquinavit, erat, quod Arius in communionem ſacrorum admiſſus illic fuerit, E) atque redire Alexandriam juſſus; plerosque enim ex illis, qui Hieroſolymis tum erant Epiſcopis peſtilens Arii doctrina afflaverat, vel certe ejusdem fictio in fraudem adduxerat.

Cæterum Arium Alexandriam reverſum averſata omnino civitas eſt, 336
nec in ſacrorum recipere communionem turbatorem ſuſtinuit; cumque illius cauſa turbæ illic commotæ eſſent, Conſtantinopolim evocatus ab Imperatore fuit. Ut eo venit Arius, nihil non egere apud Imperatorem Euſebiani ut Ario cœtus, & templa Orthodoxorum paterent, non neſcii errorem quoque ſubintraturum, ſi ejus architecto aditus concederetur. Horum precibus fatigatus Imperator adeſſe in aula voluit Arium, rurſusque fidem ſe coram profiteri, ut ſi nihil impietatis in ea appareret, recipi in communionem juberetur. His cognitis Byzantinus Præſul Alexander vir integerrimus Deo ſupplex accidit nocte inſomni ducta, ne ſineret peſte illa Eccleſiam inquinari ſuam, & vel Ario, vel priuſquam id dedecoris videat, ſibi mortem immittat. Non irritæ hæ fuerunt preces: adeſt altero mane in aula Arius; & fidem, in qua nihil Nicæno Concilio adverſum erat, omiſſa duntaxat voce ὁμοούσιον profitetur; eaque profeſſione Imperatori imponit. Exin triumphanti ſimilis ſuorum turba comitante per vicos Urbis celebres incedit, ac ſeſe oſtentat ſacrorum, ut putabat, particeps eo die futurus; at enim ſoluta repente alvo in latrinas prope forum Conſtantinianum ſecedit, ibique Dei vindicta infelicem inſequente impuram animam cum viſceribus egerit. F) Ab hoc facto ingens in Urbe, atque ubivis exſtitit animorum commotio; nam Orthodoxi quidem confutatum morte impii hominis tam fœda errorem gaudebant; Ariani vero qua erant protervia, in maleficia adverſariorum hunc illius exitum referebant, aut certe præ gaudii impotentia, quod in communionem ſacrorum recipi juberetur, diruptum ipſi cor fingebant; G) ita æmulatio, & contentio, ne tam prodigioſo quidem authoris ſui ſupplicio compreſſa.

A) Divus Hieronymus in Chronico ait Conſtantinum ad Arium deflexiſſe ſub exitum vitæ; ſed illum plurimis in hac parte teſtimoniis refellit Baronius, ad annum Chriſti 336. B) Euſebius l. 4. c. 51. C) Anonymus. D) Ita Euſebius, qui in his præcipuus fuit, de V. C. l. 4. c. 45. E) Theodoritus l. 1. c. 37. F) Hunc Arii exitum referunt Theodoritus, Socrates, Sozomenus, & paſſim alii. G) Sozomenus l. 2, c. 29.

A. C. 336 Imperator etſi ob hanc erga Arium facilitatem notam aliquam apud ferventiores incurrerit, nihil tamen a religione majorum, ac in ea promovenda fervore ſibi conſueto, etiam ſub exitum vitæ remiſit; extructæ ab eo plurimæ ubivis ſacræ Deo ædes Tyri, Antiochiæ, Romæ, Byzantii, quo etiam ſacra divorum corpora, ut honoratius haberentur Lucæ, Andreæ, Timothei translata ab eo ſunt; ſingularem denique Religionis ſuſceptæ amorem ubivis exhibuit, quod ipſum teſtatur oratio bene longa ab Euſebio relata, quam Imperator ille ad cœtus Sanctorum, ſeu ad Præſules Chriſtianos inſcripſit, ubi ſublimes illius de rebus divinis ſenſus, animumque Deo plenum ubivis legere eſt.

337 Demum triceſimo Imperii ſui anno & menſe decimo profectione in orientem adverſus Perſas inſtituta, qui Meſopotamiæ bellum intulerant, Conſtantio filio eodem jam præmiſſo, poſtquam Nicomediam attigiſſet, ægrotare cæpit. Hic in ſuburbano Achronis dicto ſacro Baptiſmi lavacro expiatum illum fuiſſe ab Euſebio loci Epiſcopo vetuſtiores memorant, A) cum eo myſterio in aqua Jordane perfungi jam olim conſtituiſſet, neque ad id temporis per negotia eo proficiſci valuiſſet; niſi forte Euſebii Cæſarienſis commentum ſecuti illi fuerint. Certe ſacrorum Chriſtianorum participem jam antea fuiſſe Conſtantinum, atque Eccleſias adiiſſe haud obſcure Euſebius ipſe indicat; B) quod vix in Principe non initiato veteranus Eccleſiæ rigor tuliſſet. Eo perfunctus myſterio viceſimo ſecundo Maji die, qui erat Pentecoſtes, vitam, & Imperium Conſtantinus liquit; cui non minus geſtis rebus, quam probitate ſua egregie ſi quis alius profuit Magni non immerito cognomentum adeptus; ac ſi cum Principibus eandem appellationem conſecutis comparetur, Maximi quoque cognomento dignus. Non deſunt, qui veneno a fratribus propinato mortem illi allatam prodant; eundemque ſcripto ſub occaſum teſtamento, atque Ariano illi Presbytero tradito præcepiſſe, ut qui primus filiorum adforet, mortem ſuam fratrum morte vindicaret; quod tamen ab uno, alterove veterum, eoque fidei dubiæ ſcriptis conſignatum C) vix in tanto aliorum ſilentio fidem invenit.

Conſtantius, qui ſolus filiorum in oriente aderat, audita Patris morte recurrit confeſtim Nicomediam, atque funus Patris magnificentia quanta maxima poterat, curavit. Illatus tumulo eſt Conſtantinus in æde Apoſtolorum in Urbe ſibi cognomine, inter maximam populi pro illius felicitate comprecantis multitudinem; D) cujus ſepulchrum poſtea quoque in honore habitum, atque velut unius e Cœlitibus cultum. Conſtantius accepto e manibus illius Presbyteri teſtamento, cum orientem ſibi obveniſſe ex illo didiciſſet, ea re mire lætus hominem nefarium in honore, & in intimis habuit. Itaque Conſtantino tres filii in Imperio ſucceſſere: Conſtantinus Gallias, Britanniam, & quid quid trans Alpes eſt, obtinebat; Conſtantio Thracia, Aſia, cum Ægypto obvenit; Conſtans demum Romam, Italiam, Africam, Inſulas, Illyricum, & Græciam ſibi habuit. Quantus hic parens, qui tribus filiis, non jam regna ſingulis, ſed vaſta adeo Imperia relinquere potuit! Filiæ quoque tres ab eo extiterunt, Conſtantina, quæ primum Hanniballiano, ac poſtea Gallo Cæſari eſt collocata, Conſtantia, quæ Romæ virginitatem profeſſa, ſponſum cœleſtem terreno antetulit; ac denique Julia Helena, Juliano poſtea Cæſari in conjugem data. E) Sed jam Conſtantius, paterni in Oriente primum, dein etiam in Occidente Imperii, non item religionis, & felicitatis hæres nos ad ſe ſe avocat. FL.

A) Superius citati. B) Ita de illo ait l. 2. c. 17. de V. C. σπουδῇ ἐξάρχων αὐτὸς τῶν ἔνδον ἐκκλησιαζομένων Præcipuus inter eos diligentia, qui ad rem Divinam in aulam confluebant. Et iterum c. 22. μέτοχος τῶν ἱερῶν ὀργίων Sacrorum myſtericum particeps ut vertit Valleſius. C) A Philoſtorgio, l. 2. ſcriptore Ariano, qui ad Conſtantium excuſandum a nota crudelitatis fors talia commentus fuerit. D) Euſebius l. 4. c. 71. ἐυχὰς ὑπὲρ τῆς βασίλεως ψυχῆς ἀπωδιδόσαν: preces pro anima Imperatoris fundebant. Vide veterem pro vita functis precandi morem. E) In familia Conſtantini M. p. 35.

FL. CONSTANTIUS ORIENTIS IMPERATOR.



COnſtantius Conſtantinopolim, & Orientale ſortitus Imperium, ſenſim ad perverſam Arianorum doctrinam animum deflexit, ſive ab Euſebio Nicomedienſi, cui plurimum tribuebat, in eam pertractus impietatem, ſive a Presbytero illo Ariano, cui teſtamenti tabulas moriens crediderat Conſtantinus, ſeu demum torrente quodam in tanto illo tot virorum naufragio abripi ſe paſſus ſit. Quippe orientis Epiſcopi magna parte, aut Ariani erant, aut ſimili quadam vertigine correpti; in aula vero nefarius ille Presbyter primum Eunuchos, A) dein mulierculas, ac Euſebiam Imperatricem, tum plerosque alios veneno infecit ſuo, ut pronum fuerit, a tot peſtiferis, qui confertim circumſtabant hominibus, virus ad ipſum quoque Principem tranſire. In hac tamen animi in partem illam propenſione, aut etiam perverſitate nihil magis præferebat Imperator, ac religionis conſtituendæ, diſſidiique tollendi ſtudium: certe eo Imperante conventus Epiſcoporum plurimi diverſis in locis, & quidem ſumptu, & vehiculo publico celebrati ſunt, omniaque litigiis, & contentionibus Præſulum completa; quo quidem ſtudio ardorem decertandi auxit improvidus magis, quam ſopivit; ac demum eo aperte progreſſus eſt, ut omnes in ſententiam de Filio Dei Nicænæ, & veritati contrariam conſpirare vellet. 337

Crudelitatis quoque nota ipſo in Imperii aditu exercitæ a quibusdam ſugillatur Conſtantius, ob ſublatos e medio Conſtantinum, & Conſtantium patruos B) & qui de Dalmatio perinde patruo, ſed jam antea vita functo nati erant, Dalmatium Cæſarem, & Hanniballianum; hos militaris ſuſtulit ſeditio: Inſignia quædam Imperii illis, ſupraque alios prærogativæ a Conſtantino Imperatore fuere conceſſæ, ut veſte coccinea uti poſſent, utque Nobiliſſimi titulo ornarentur; quin Hanniballiano provinciæ quædam Ponticæ regio nomine erant attributæ; ita ſpeciem illi quandam Imperatoriæ Majeſtatis præferebant. Milites ſeditione concita, negarunt ullum paſſuros ſe in Imperio, præter Conſtantini Magni liberos; ac primum Conſtantio, dein ſimili ex occaſione Conſtantino, Dalmatio, & Hanniballiano necem intulerunt. Vix idem ſubterfugerunt fatum Gallus, & Julianus Conſtantii hujus liberi, quorum alterum morbus, alterum ætas tenera ab exitio texit. Cædes has Conſtantii Imperatoris voluntate patratas ſunt, qui affirment; at ſi non eo jubente, connivente certe illatas indubium eſt, C) ſive quod Imperio ab iis ſuo metueret, ſive ut paternis juſſionibus obſequeretur; verum quid intereſt, jubeat aliquid Princeps, an gratum ſibi fore innuat?

A) Socr. l. 2. c. 2. Theod. l. 2. c. 3. B) A Zoſimo l. 2. Unus Zonaras Conſtantini hujus a Conſtantio cæſi meminit; reliqui necatos ab eo patrueles absque nomine referunt. C) Socrates l. 3. c. 7. Sozomenus l. 5. c. 2.

A. C. Principum interitum ut fere uſuvenit, Procerum quorundam conſe-
337 cuta eſt cædes, Optati viri Patricii; quæ dignitas ſingularis, & præcipua Byzantii fuit; itemque Ablavii Conſularis, qui ab imo ad ſumma per Conſtantinum productus, rerumque ſub eo potens ab infelici hoc exitu pila fortunæ dictus eſt.

In educandis vero Gallo, & Juliano duo diligenter cavebat Conſtantinus, alterum ne ad Imperium aſpirare aliquando illi poſſent, alterum ut in Religione Chriſtiana firmarentur; in Juliano enim adhuc adoleſcente, prodebat ſe, etſi illam optime premeret, prona ad ſuperſtitionem Gentilium impietas. Ut vitæ ſuæ conſulerent juvenes hi Principes, Clero poſtea nomina dederunt, ac Gallus quidem Epheſi, Julianus Nicomediæ ſtudiorum cauſa morabantur; ubi quamvis bene Julianus cuſtodiretur, caveri tamen non potuit, quin ſe clam in diſciplinam Gentilium Philoſophorum daret; ad quam natura ad malum projecta factus videbatur, quam acer ſtudio, & ingenio, tam animo violento, & vafro, ingens poſtea Chriſtiani nominis dedecus, & labes. A)

Interea dum in Oriente Arianorum fraudibus, & perfidia Religio laborat, erigitur, fulciturque in Occidente, tum a Julio Pontifice, qui Conventu Præſulibus Italiæ Romam indicto Nicæna decreta, ſuo rurſus firmavit calculo, & Arianos proſcripſit; tum a Principibus Conſtantino Juniore, & Conſtante; quibus Patris ſui religione nihil fuit antiquius. Eorum arma ſat proſpere per hæc tempora in barbaros habuiſſe, atque de Alemannis trophæa ſtatuiſſe, nummi veteres indicio ſunt. B) Ac felix rerum per Europam fuiſſet ſtatus, ſi Principatus illis diuturnus obtigiſſet; ſed magni Principes oſtenduntur populis a Deo ſæpius, quam dantur.

Conſtantini hujus Junioris factum pietate, ut in Ægypto quoque, & Oriente reſpirarent Orthodoxi; ejus enim authoritate, & interventu Athanaſius Religionis columen repoſitus eſt Alexandriam, ingenti Urbis illius, & bonorum lætitia; qua eadem occaſione rediere ſuas in Urbes, reliqui per Ægyptum, quos ſimilis cauſa, & hoſtium veritatis calumniæ extorres fecerant, Præſules. C) Tulit etſi invitus factum hoc Conſtantius, quod nec Patris, qui moriens id fieri præceperat, voluntati, nec fratris ſenioris authoritati, niſi temere obſtitiſſet. Ita quies, ſed non longum duratura Religioni rediit; in tanta enim hæreſis invaleſcentis potentia, quid ſani ab ea parte ſperari poterat?

338 Sub idem tempus bellum cum Perſis fuit Conſtantio divina felicius, quam humana ope tunc quidem geſtum: nam cum Niſibin Urbem Meſopotamiæ Sapores Rex Perſa obſediſſet; jamque centum ipſos dies protracta eſſet obſidio, Jacobus Urbis Epiſcopus, & cives ad cœleſtia verſi præſidia precibus aſſiduis Divinum exorabant Numen. Hiatu in muris facto irruptionem tentarunt Perſæ, at infelicem; eorum enim decem a civibus perempta millia; D) Sapor de ſpe occupandæ Urbis dejectus; cum tamen inſtat pertinacius, immiſſa in exercitum hominum lues, culicumque, & cyniphum examima ſic ſuperbum illum perdomuerunt brevi, ut cum dedecore re infecta migrare in Perſidem cogeretur. Ferunt a Sapore Conſtantium, licet abſens is longe eſſet, per muros Urbis ſæpe conſpectum, atque illius capiendi deſiderio nervos omnes cum tanta militis jactura intentos. Eadem Dei liberalitas ipſius quoque Conſtantii perſonam eſt proſecuta; is enim gravi afflictus morbo, per Spiridionem Trimituntis in Cypro Epiſcopum impoſita manu momento recreatus eſt. E) Atque utinam piis viri tanti monitionibus idem Imperator obſecutus eſſet! ſed enim facilius corporum, quam animorum morbi curantur; illos enim acerbe ferimus, hos ſæpe etiam amamus.

Etenim

A) Sozomenus lib. 5. c. 2. B) Inter nummos Conſtantini Junioris refertur etiam cum tali inſcriptione: Alemannia devicta. In familia Conſtantini p. 13. C) Theodoritus l. 2. c. 2. D) Chronicon Alexandrinum p. 232. E) Petavius ex Metaphraſte in Doctrina temporum.

Etenim qui totum illum poſſidebant Euſebiani, omnes in exter- A. C.
nium ſanæ doctrinæ contenderunt vires; Athanaſii reſtitutio tam inexpe- 339
ctata, non poterat illis non eſſe quam maxime inviſa; itaque ad antiquas converſi artes criminari rurſus cæpere virum Sanctum; quod ſine Synodi ſententia Sacerdotium recepiſſet, præter morem majorum, quod ejus reſtitutionis occaſione turbæ, ac cædes Alexandriæ exortæ fuiſſent, quod frumentum viduis dari ſolitum alio avertiſſet; atque has criminationes, non ad Conſtantium modo, verum ad Julium Pontificem, ipſumque Conſtantinum, & Conſtantem Imperatores, quorum ille authoritate redierat, deferre auſi, omnia ab imo in veritatis defenſorem commovebant. Sed enim ab Athanaſii Legatis coram iisdem Principibus confutati male ſibi hac quidem vice criminandi, qua ſola valebant, licentiam ceſſiſſe indoluerunt. Julius ipſe datis ad illos literis, teſtatus eſt, A) ſatisfactum ab Athanaſii Legatis; atque a parte adverſa Concilium Univerſale ſanctum quidem, at plus juſto familiare, & ſimulatum turbulentis capitibus perfugium, expetitum eſſe.

Julius Pontifex Athanaſianæ ut innocentiæ ſubveniret, faceretque ſa- 340
tis adverſariis, Conventum Epiſcoporum indixit Romæ; B) adfuitque ipſe ad cauſam dicendam Athanaſius annum unum, & ſex menſes Romæ commoratus, ſed non adfuere toto illo tempore, qui illum in jus vocarant hoſtes male fallaciis ſuis Romæ ominati, quam proni ad calumniandum, tam ad accuſandum juſto in judicio ſegnes. Ea Athanaſii Romæ commoratio, ſine magno Religionis commodo non abiit: quo tempore admirabilem Magni illius Antonii in Ægypto ſolitariam vitam profeſſi vivendi normam ſcriptis conſignavit, ac multis cœleſtis ejus vitæ inſpiravit amorem, ita Monaſtica profeſſio, ab Oriente in Occidentem quoque translata; adhæc fidei profitendæ exaravit formam idem Athanaſius, hodieque ſuperſtitem, qua omnia latibula, omnesque ambages errori Ariano præcluduntur. Illo interim Romæ commorante omnia in perniciem rectæ Religionis in oriente procumbebant; quippe Alexandri defuncti in locum Byzantii ſuffectus a populo erat Paulus ſtrenuus ejusdem veritatis aſſertor; at hic Arianorum odio, & Conſtantii Imperatoris juſſu ejectus in exilium Nicomedienſi Euſebio citra jus, & fas cedere Eccleſiam illam coactus eſt. Non poterat ſub tali capite, non ultimam in oriente cladem Religio perpeti; Is enim ut primum Sacerdotio illo, & Imperatore ipſo potitus eſt, eo curas retulit, ut in præcipuas per orientem Urbes ſuæ factionis homines, ejectis veris paſtoribus intruderet. C) Advolavit itaque Antiochiam, ac coacta ſuorum Synodo Euſthatium virum frugi, & erroris illius hoſtem criminibus perperam impactis, quod Sabellianus eſſet, quod cum meretrice rem habuiſſet, quod in matrem Imperatorum jeciſſet convitia, Urbe & Præſulatu ejecit, eadem non paucis aliis per orientem fuit fortuna Præſulibus; in quorum loca intruſi homines perditiſſimi prorſus in ruinam, quantum in ſe erat, fidem Nicænam impulerant.

Non parum Arianorum iſtorum animos ſuſtulit interitus, qui tum 341
contigit Conſtantini Junioris; inter hunc, & Conſtantem ob fines utriusque Imperii exorta lis fraternis neceſſitudinibus fere ſemper potior, eo adegit Conſtantinum, ut in fines fraternos armatus irrumperet, verum expeditio male eidem ceſſit; ad Aquileam a Conſtantis militibus victus, obtruncatusque, & in Alſam flumen projectus maxima perdidit, cum modica, & incerta ſequitur, D) unaque nomini ſuo, & rebus antea præclare geſtis labem intulit.

Conſtans Occidentali hoc modo potitus Imperio, cum gente Francorum geſſit bellum, ac victos prius ad amicitiam, & fœdera adjunxit, altero

A) Baronius ad hunc annum ex literis ipſis Julii Pontificis, & Athanaſii Apologiis. B) Theodoritus l. 2. c. 4. C) Hanc Euſthatii ejectionem Socrates, & Sozomenus ad tempora Conſtantini Magni referunt. Sed cum Euſebius non ante adeptam Conſtantinopolitanam ſedem Euſthatium ejecerit, ut habet Theodoritus l. 1. c. 21. hanc autem mortuo Conſtantino adeptus ſit, dicendum ſub Conſtantio id eveniſſe. D) Zoſimus l. 2. Idatius.

A.C. altero fratre ſuo Conſtantio, non Religionis modo integritate, verum etiam
341 virtute bellica præſtantior. Huic enim Epiſcoporum diſcordiæ, ac in Religione diſſidia plus curæ erant, quam Respublica, aut quod in Perſas gerebat bellum, curanda quidem a Principibus nunquam tamen ſine graviſſimo periculo ſuum ad tribunal penitus avocanda. Is igitur interfuit hoc tempore Antiocheno nonaginta circiter Epiſcoporum Conventui, qui ad dedicandam illic Eccleſiam, cui ob magnificentiam aureo Dominico nomen fuit, vocati erant. Inchoata hæc ædes a Conſtantino Magno, a Conſtantio ad faſtigium perducta eſt, atque ſolemnitate maxima dedicata. In hoc Conventu Ariani Epiſcopi, quorum ſex & triginta fuiſſe memorant, reſumpſerunt veteres in Athanaſium nænias, atque Imperatoris maxime freti authoritate, eundem Præſulatu abdicarunt, A) Epiſcopis, quibus ſana in fide mens erat, aut fruſtra reclamantibus, aut Imperatoris metu vocem prementibus. In eadem Synodo alias, atque alias profitendæ fidei formas procudebant Ariani, idque geminas ob cauſas: primum ut ne pro talibus, quales intus, & in cute erant, id eſt pro Arianis haberentur; dedecori enim ſibi ducebant, ſi tot Epiſcopi ad unius Presbyteri, qualis erat Arius, ſententiam aperte fidem ſuam accommodarent; deinde ut crebra illa mutatione ambiguitatem in fide profitenda inveherent, eaque Nicæni Concilii authoritatem infringerent. In ejusmodi fidei expoſitionibus, non illi quidem aperte aliquid cum veritate pugnans aſſerebant; obſcurabant tamen illam vocum novitate, imo & ambiguitate; omiſſaque voce τῆ ὁμοουσίω quæ recte ſentientium veluti teſſera tunc fuit, merito non pro ſuſpectis modo, verum etiam ſicut erant, pro hæreticis habiti ſunt. Julius Pontifex exſpectatis fruſtra Romam Euſebianis, cum præterea reſciſſet, quæ contra jus, & æquum Antiocheno in Conventu geſta eſſent, abſolvit Athanaſium, & Ancyranum Epiſcopum, ſimili de cauſa accuſatum, atque Euſebianos damnavit; ita diviſis animis, & ſententiis in apertum omnia proruperunt incendium.

342 Ea ſententiarum diverſitas, & animorum alienatio ad perniciem quoque Urbium, & publicam calamitatem pertinuit; nec certe inſolentior ullus eſt, quam religione armatus furor. Gregorius ille Cappadox a Philagrio Præfecto Alexandriam vi armata perductus, B) Tyrannus pro Epiſcopo fuit. Athanaſium, qui Julii Pontificis ſententia fretus Alexandriam redierat, retinere tota civitas efflictim cupiebat; a Gregorio ut Ariano, & perdito homine abhorrebat plurimum; quare ad eum imponendum armis opus fuit Præfecto. Judæis, Gentilibus, facinoroſis arma capere juſſis, cædes civium extitit miſerabilis; neque aliter viri Deo ſacri, & Virgines habiti, quam ſi Barbarorum direptioni objecta Urbs foret. Athanaſii præcipue cædem ſpirabat Cappadox; verum ille latebris occultatus, ac dein fuga Romam lapſus procellam vitavit. Urbe miſerum in modum lacerata demum vis prævaluit; & Gregorius ille in ſexennium Eccleſiæ illi inſultavit magis, quam præfuit.

Similis tempeſtas, populo Byzantino, & pari ex cauſa incubuit; Euſebio illo Nicomedienſi, tot malorum authore e vivis abſcedente populus Paulum per nefas ſede illa exturbatum revocavit; quod cum minus placeret Arianis, Macedonium quendam pariter Arianum oppoſuere Paulo, atque ad Conſtantii authoritatem, & potentiam recurrerunt; Præfecto Imperator Hermogene cum armatis miſſo, præfici Macedonium Eccleſiæ, Paulum exturbari imperavit; Hinc ſeditio populi in Præfectum, hinc odia, cædes, & miſeranda Urbis facies; Paulus Urbe ejectus, confugit Romam; Hermogenes vero a populo in furorem verſo tractus, & diſcerptus

A) Socrates l. 2. c. 8. qui reprehendit hanc Synodum ita loquens: καίτοι κάνονες ἐκκλησιαστικὸς κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τῦ ἐπισκόπυ ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν cum & lex jubeat Eccleſiaſtica, non oportere absque ſententia Romani Epiſcopi Synodos ab Eccleſiis celebrari. Vide ſummam jam tunc Pontificis authoritatem. B) Petavius ex Epiſtolis Athanaſii ipſius:

ptus eſt. Conſtantius his auditis accurrit Byzantium, & compreſſa po- A.C.
puli ſeditione dimidia frumenti, quam ex Ægypti vectigalibus quot annis 342
accipiebat, parte Urbem in pœnam concitati tumultus, necatique Præfecti mulctavit, A) id eſt quadragies centenis millibus medimnum; quod certe ingens erat, & dignum Conſtantini magnitudine congiarium.

Talis in oriente ſub Conſtantio erat Eccleſiæ facies: in Perſide vero 343
multo etiam calamitoſior, ſed una, & plurimis felicior; quippe bello etiamnum inter Saporem, & Imperatorem perdurante, etſi quæ utrinque fuerint progreſſiones non perinde exploratum, Chriſtiani Perſæ quorum maxima fuit multitudo, ob Religionem Chriſti ſuſceptam, velut patriæ proditores a Sapore habiti, ac vexati peſſime ſunt. Plurimi Epiſcopi, Sacrique Ordinis viri necem oppetiere; B) quin data militi, & Prætoribus facultas ad promiſcue cædendos omnes, qui Chriſtum profiterentur; quæ facultas etſi revocata dein fuerit, in Doctores tamen legis Chriſtianæ ſævitum toto eo tempore fuit; & innumerabilis hominum multitudo crudelitate Saporis martyrum albo feliciter, quod illos quidem attinet, inſerta. In idem tempus incidit mors magni illius Pauli, recondita in ſolitudine degentis, qui ſub exitum ab Antonio Ægyptio inventus, ac ſalutatus eſt. Atque duo hi viri Deo pleni pro portento quodam ſeverioris ſanctimoniæ, ea ætate, & ſecutura habiti fuere.

Adverſus Saporem ſic in Chriſtianos ferocientem, prodiit rurſus in 345
expeditionem ipſe Conſtantius Niſibin uſque progreſſus; C) verum de toto hoc bello, præter ſingularem Conſtantii infelicitatem nihil fere memoriæ commendatum invenias; ferunt ipſum novies cum Perſis acie congreſſum, totiesque ſuperatum eſſe, ac complures Urbes, magnamque hominum multitudinem perdidiſſe; non igitur in cauſa ſua felicem foris voluit Deus Conſtantium, qui eandem intus, & in viſceribus ipſis imprudentia ſua, & inquiete perturbabat.

Tollendæ hujus diſſenſionis, reponendique Alexandriam Athanaſii 347
ſolliciti Julius Pontifex, & Conſtans Imperator, egere de Concilio Univerſali, in locum opportunum colligendo; quem in finem Athanaſius a Conſtante Mediolanum cum aliis Præſulibus eſt accerſitus. Conventum dein inter Conſtantium, & Conſtantem fratres; ut Concilium in confinio utriuſque Imperii Sardicæ in Thracia cogeretur; quo etiam convenere ſubinde, complures ex Occidente Patres ad trecentos; ex Oriente, non niſi ſeptuaginta adfuere, quod Ariani male ſuis verſutiis, in tam ſancto tot virorum Cœtu ominati, aut abſtinuerint Sardica, aut eo delati quæſitis variis prætextibus ſemet ſubduxerunt. D) In hac Synodo Athanaſii in qua verti Religionis ſinceræ cardo tum videbatur, examinata eſt cauſa; atque ille ut viri ſanctitas poſcebat, abſolutus omni crimine, ſedique reſtitutus ſuæ, Gregorius vero Cappadox abdicatus. Alii quoque Epiſcopi eodem turbine agitati repoſiti in ſua fuere. Statutum præterea in eodem Concilio, ut fides Nicææ aſſerta reciperetur ab omnibus, neve quidpiam a quoquam immutaretur; tum diverſi fuerunt Eccleſiaſtici conſtituti Canones, qui intemperantem illam Præſules Urbibus ſuis exturbandi licentiam comprimerent; atque integram cauſæ eorum cognitionem, & appellationem Pontifici Romano ceu omnium capiti reſervarent. E)

Hæc cum Sardicæ ſedate omnia ut Concilii tanti gravitas poſcebat, aguntur; Ariani ne tum quidem fraudibus, & impietate abſtinuerunt: Philippopolim enim in eadem Thracia ſeorſim congregati, non modo Athanaſium, & reliquos ſententiæ ſuæ adverſarios, ſed pro ſumma ſua audacia Julium ipſum Pontificem condemnarunt. Tum edita fidei ſuæ profeſſione, ut ſe a nota Arianiſmi vindicarent, quædam Arianæ doctrinæ damna-

A) Sozomenus l. 3. c. 6. B) Theodoritus l. 1. c. 24. Socrates l. 2. c. 8. C) Oroſius l. 7. c. 29. D) Socrates l. 2. c. 20. Recitat idem Socr. longiorem illam Orientalium ἔκθεσιν aperte hæreticam, quia libera voluntate dicit Filium a Patre genitum. E) Baronius ex actis Concilii Sardicenſis.

A.C. mnarunt capita; ſed vocem ὁμοούσιον reticuerunt omnino; quin ſtatuerunt
347 ne ea velut turbarm ſeminarium a quopiam uſurparetur; quo & verſipelles ſe, & improbos ſicut erant, declararunt Semi-Ariani propterea vulgo cognominati. A) Illud vero ſummam per fraudem factum ab iis, quod decretis a ſe conſarcinatis Sardicenſis Concilii nomen imponere haud ſint veriti, atque eo nomine errata ſua per orbem vulgare, quin Conſtantii freti potentia impedimento erant, ne Concilii Sardicenſis, per orientem ſancita vulgarentur: quo etiam factum, ut apud nonnullos recte ſentientium, Concilium illud male audiret, cum ſincerum ab adulterino non ſatis diſcernunt. B) Tanta erat Præſulibus illis, & ad exagitandos Orthodoxos audacia, & nequitia ad fallendos.

348 Ex Concilio illo miſſi fuere legati Vincentius Capuæ, & Euphrates Agrippinæ Epiſcopi, ad Conſtantium Antiochiæ per id tempus commorantem. Stephanus Urbis ejus Epiſcopus, & ipſe improbus, ac ſectator Arii, hoſpites iſtos inhumane prorſus, ac ſcelerate habuit; namque ſubornavit mulierculam, quæ ad legatorum progreſſa ædes, vim ſibi ab iis fieri noctu conclamaret; C) atque ita calumniam viris tam probis ſtruere impudenter perrexit. At enim detecta fraude, idem ille Stephanus dejectus Præſulatu eſt, eique ſuffectus Leontius, homo improbitate nihilo deceſſore ſuo inferior. Egere Legati iſti apud Conſtantium pro reponendis in Urbes ſuas Epiſcopis ſententia Concilii abſolutis. Verum ad permovendum Imperatoris animum plus Conſtantis fratris minæ, quam Concilii authoritas valuere; Conſtans quippe acriter per literas comminatus eſt fratri, niſi reponeret Athanaſium, Paulum, aliosque ſententia Concilii abſolutos, venturum ſe cum exercitu, D) atque vel invito illo armis repoſiturum. Conſtantius, cui ſat multum id temporis negotii cum Perſis fuit; aquievit poſtulato fratris, Paulum repoſuit Byzantium, atque Athanaſium literis ipſe ſuis ad reditum invitavit. Venit igitur Antiochiam ad Imperatorem Athanaſius, ac in ſpeciem benevole ab eodem acceptus & Alexandriam ire permiſſus eſt; ubi non ita pridem nefarius ille Cappadox a populo, ſimul atque Concilii ſententia damnatum illum audierant, tot malis exacerbato necatus fuit. Rogarat in diſceſſu Athanaſium Imperator, uti illis, qui in contraria erant opinione, ac propterea a reliquorum ſemet conſortio Alexandriæ reſciderant, unam in ea Urbe ædem ſacram attribueret; verum petitionem alia conſimili eluſit Athanaſius, qua idem Antiochiæ indulgeri iis popoſcit, qui ab Arianis abhorrebant, dicti propterea Euſtathiani, quod ſanam Euſtathii indigne proturbati doctrinam ſectarentur; id cum negatur ab Arianis, neque Imperatoriæ petitioni quidpiam Athanaſius detulit. E)

Bellum interea in Perſas Imperatori huic nihilo quam annis ſuperioribus felicius procedebat: Victoriam quippe quam ad Singaram manu propemodum jam prehenderat inconſulta militis ferocia, pugnam præcipiti in occaſum die poſcentis perdidit, quo eodem tempore, & capta a Barbaris Amida eſt, & Niſibis rurſus obſeſſa; ita nihil e ſententia Conſtantio cum rebus ſacris belligerante ceſſit. F)

350 Majorem adhuc perturbandæ Religionis campum eidem aperuit Conſtantis ejus fratris Religione, vitaque integerrimi occaſus. Magnentius legionibus Jovianæ, & Herculianæ Præfectus arripuit Auguſtoduni in Gallia Tyrannidem, cujus cum inſidias fugit Imperator Conſtans, prope montes Pyrenæos a Gaizone perfidiæ Magnentianæ ſocio cæditur. G) Ejus interitus acerbum probis dolorem intulit, non neſciis ejus potiſſimum authoritate, & potentia ſecundum Deum rem Orthodoxam fuiſſe nixam; eo vero collapſo metu liberum Conſtantium, omnia pro Arianis facturum; neque eos metus iſte poſtea fefellit. Magnentio purpuram arripiente, Vetra-

A) Sozomenus l. 3. c. 11. Socrates l. 2. c. 20. B) Baronius ex Epiphanio & aliis. C) Theodorit. l. 2. c. 8. D) Socrates lib. 2. c. 19. E) Theodoritus l. 2. c. 12. Sozomenus l. 3. c. 19. F) Eutropius l. 10. G) Idem Eutropius, Idatius.

Vetranio quoque exercituum in Pannonia Dux, eandem uſurpavit; cum- A.C.
que Conſtantis interitus Romam allatus eſſet, Nepotianus Eutropia Con- 350
ſtantini Magni ſorore progenitus, ſe illic pro Imperatore geſſit. Ac Nepotianus quidem prælio uno, & altero, poſtquam cum Magnentianis contendiſſet, cæſus ab iisdem, & oppreſſus eſt. Vetranionem vero dolo circumvenit Conſtantius: nam primum in partes veluti conſortem futurum Imperii adſcivit ſuas, ac Magnentio oppoſuit; dein cum ad exercitum illius valentior ipſe acceſſiſſet pro concione militem adhortans, ut Vetranionem purpura per nefas arrepta ſpoliaret, votis obſequentem habuit. A) Juſſus magnis clamoribus abjicere purpuram Vetranio vitam deinceps Pruſæ honoratam, & tranquillam egit. Cum ſolo itaque Magnentio de Occidentis Imperio certandum Conſtantio Imperatori fuit.

Is itaque bello ſummis viribus apparato Gallum Conſtantii patrui fi- 351
lium renunciavit Cæſarem, qui Orientem curaret interea, dum ipſe opprimendæ Tyrannidi dat operam; eidem ſororem Conſtantiam in conjugem dedit; ac Conſtantium quoque appellari voluit, ratus tot obſtrictum nominibus firmiorem, in amicitia, inque curanda Republica ſolertiorem futurum; B) at enim adverſus ambitionem, & imperandi cupiditatem, nondum aliquid ſat firmum ingenia hominum excogitare potuerunt. Frater hujus Galli Julianus in deteriora in dies præcipitabat: Galli enim fortuna ad ſimilem arrectus ſpem totus erat in vaticiniis de ſe magicisque artibus disquirendis, atque etiam Dæmonum evocationibus tametſi alia omnia exterius præferret. In delubrum quoddam abs homine mago inductum, malus genius horrifica ſpecie apparens ita externaverat, ut ſuimet oblitus ſigno ſe crucis communiret; C) quod ſimul atque præſtitit omnis illa infernalis ſcena, momento ex oculis evanuit; & poterat victricem Crucis virtutem, ab hoc exemplo diſcere Julianus, ni malus illum animus, & imperandi libido totum jam occæcaſſent.

Interitus Conſtantis quantum Religioni Orthodoxæ obfuerit intellectum brevi eſt. Reſtitutione Præſulum, atque cumprimis Athanaſii lætior jam redierat Eccleſiæ facies, & Epiſcopi complures, qui ex parte adverſa feroces erant, viſa hac animorum commutatione, redibant ad concordiam, ac oblatis pœnitentiæ ut vocabant, libellis priorem turbandi pruriginem damnabant; inter quos præcipui erant, qui primi antea improbitate Urſacius, & Valens Romam idcirco ad Pontificem progreſſi, ſed redituri rurſus ad vomitum, cum turbandi occaſio ſe dederit; adeo difficile corrigere ſerio animum cum ſemel in veritatem pugnare cæperis. Hanc religionis malatiam, perturbavit illico ſolutus fratris metu Conſtantius; ut qui Philippo Urbis Præfecto in mandatis dederit, ejiceret Paulum Byzantio, atque Macedonium ejus in locum reponeret. Ac Paulus quidem relegatus Cucuſum, atque ab Arianis præfocatus, felicem ſortitus eſt exitum; Macedonius vero cum pleraque ab eo abhorreret civitas, horrendis ſupplicis, qualia vix Tyranni in Chriſtianos attentarunt, ad ſacrorum communionem ſecum habendam adigebat Orthodoxos, plane ex hæreticorum ingenio, quorum in errore proferendo fervor demum in furorem degenerat. D)

Improbum igitur hac ſe parte præbuit Conſtantius: qui tamen ut Chriſti, ejusque religionis cultorem ſe egregium oſtenderet, profectus in expeditionem, adverſus Magnentium, milites omnes qui nondum Chriſto initiati erant, aqua ſalutari ablui præcepit, E) aut certe militiæ cingulum abjicere; qui ritus profanos præelegerunt vetiti deinceps militare ad paganitatem redacti dicebantur, exin peculiaris Deorum cultoribus Paganorum appellatio. Habita per idem tempus Sirmii Epiſcoporum Syno-

A) Chron. Alexandrinum p. 233. B) Eutropius, & alii. C) Theodoritus lib. 3. c. 3. ἠνάγκασε τοῦτον τὸ θέος ἐπιθεῖναι τῷ μετώπῳ τὸ σφυρὸν τὸ σημεῖον. metu ille (ſcilicet Julianus) adactus crucis ſignum fronti impreſſit. Vide veterem Chriſtianorum morem. Idem Sozomenus l. 1. c. 1. D) Socrates l. 2. c. 12. E) Theodoritus l. 2.

A.C. dus eſt, in cauſa Photini ejus Urbis Epiſcopi, qui præclarus ſcilicet Arii
351 diſcipulus Chriſtum merum fuiſſe hominem, etſi divino favore præ omnibus ſublimiorem impie docebat. Hunc Præſules quamvis & ipſi plerique omnes Ariani condemnarunt, atque ternas per eandem occaſionem edidere profitendæ fidei formas, ceu una non ſatis eſſet, A) non multum inter ſe diſpares, nec palam impias, niſi quod vocem ὁμοούσιον reticerent; ita in omnem ſe verſabant partem ut hæreſeos a ſe notam depellerent, minus ſolliciti quales eſſent, quam quales haberentur.

353 Conſtantio in occidentem profecto, Gallus Cæſar in oriente crudeliter adminiſtrabat Rempublicam: in Judæos qui Patricium quendam ſpecie regni ſuſtulerant, profectus eosdem oppreſſit, atque eorum plurimos ad innoxiam uſque ætatem cecidit; quo tempore ſubverſæ eorum Urbes Diocæſarea, Tiberias, & Dioſpolis. Sed & in Chriſtianos idem Gallus ſeveriorem ſeſe exhibuit, quam eorum legis poſceret manſuetudo, ignarus tum quid ſibi quoque veſper isque non nimium ſerus veheret. Conſtantius, ut venit in Pannoniam, prope Murſiam oppidum B) bellum geſſit cum Magnentio difficile illud, & in quo vires Romanæ pene exhauſtæ. Et primo quidem prælio inferior fuit Conſtantius, altero fractus eſt Magnentius, atque in Gallias fugatus. C) Eo, quo pugnatum eſt tempore, Conſtantius in æde martyrum ſuburbana commoratus fuit, aſſumpto in ſolatium Urbis Epiſcopo Valente; a quo ita res ordinatæ fuerunt, ut nihil de prælii eventu, niſi per ipſummet Valentem cognoſcere Imperator poſſet. Cum itaque inclinata acie inferiores Magnentianos nuncius attuliſſet Valens primus victoriam Conſtantio gratulatus eſt, idque ſibi divinitus ſignificatum commentus; ea fraude in intimam ille Imperatoris gratiam penetravit; ut quidvis perſuadere illi poſſet, atque palam profiteretur Conſtantius precibus Valentis, non armis ſuis victoriam conſecutum. D) Hujus potiſſimum Valentis verſutia pertractus eo eſt Conſtantius, ut palam in eos inſurgeret, qui aſſertam Nicæno in Concilio Religionem integram tuebantur, jactare ſolitus Deum ipſum integritatem in fide ſuam, illuſtri adeo victoria remuneratum eſſe; quaſi vero apertum in nos Dei favorem, ex iis æſtimare liceat, quæ probis juxta, atque improbis ſæpe ut ei viſum eſt, largitur. Magnentium in Gallias fugientem conſecutus Imperatoris exercitus, inito prope montem, qui Seleucus dictus eſt, prælio iterum E) ſuperavit. Magnentius in rabiem quandam, ex deſperatione verſus fertur matre prius, fratre Decentio quem creaverat Cæſarem, ac neceſſariis interfectis ſibimet manus attuliſſe F) haud longe Lugduno. Non deeſt tamen, qui Decentium fuga lapſum prope Senonas laqueo G) ſibi vitam eliſiſſe ajat. Ab his victoriis Occidens in Conſtantii jura totus conceſſit; arripuerat equidem haud diu poſtea in eadem Gallia purpuram Sylvanus quidam; at ipſo ſtatim principio, ab Imperatoris Ducibus eſt oppreſſus. Proſperi hi ſucceſſus non modeſtiorem ut conveniebat, ſed inſolentem, & elatum fecere Conſtantium, ut ſe orbis Dominum, Imperiumque ſuum æternum publicis in decretis inepte jactaret; ita per ſuorum adulationes quæ nunquam Principibus deeſſe poſſunt, & moderationis Chriſtianæ, & Religionis jacturam fecit. H)

Suis itaque ut Arianis gratum aliquid faceret, in Athanaſium ſua non ita pridem ſententia reſtitutum edictum ferox propoſuit; juſſitque Urbibus ſuis exturbari Epiſcopos, quicunque damnationi illius nollent ſubſcribere; I) cui decreto robur ut adderet, Arelate in Gallia Conventum haberi

A) Sozomenus l. 4. c. 64. Subſtantiæ vocabulum a Latinis eo tempore uſurpatum in divinis author eſt idem ſic loquens: περὶ μὲν οὐσίας ἣν ϛυσσίαν ῥώμαιοι ὀνομάζουσι. B) Errat Sozomenus l. 4. c. 7. Dum Murſiam in Gallia collocat. C) Philoſtorgius l. 2. atque poſt eum Chronicon Alex. p. 233. ajunt ſub initium conflictus viſam in cœlo crucem, perinde ut tempore Conſtantini bello Maxentiano; ſed id commentum eſt hominis Ariani pro Conſtantio. D) Baronius ex Severo l. 2. E) Socrates l. 2. c. 32. F) Sozomenus l. 4. cap. 7. G) Zoſimus lib. 2. H) Ammianus l. 15. I) Socrates l. 2. c. 29. Sozomenus l. 4. c. 8.

beri Epiſcoporum voluit; atque damnari in eo Athanaſium; id qui face- A.C.
re renuerant, ut Paulinus Trevirenſis, & Jucius Anneus Moguntinus Epi- 353
ſcopi pulſi in exilium, ac ferociter ab Arianis habiti fuere; prorſus conclamata omnia de Athanaſio, deque veritate videbantur præcipuo tot malorum architecto Valente illo; qui idcirco ſolum impietatem deteſtatus ſuam videri poterat, ut majori eam cum pernicie reſorberet. Arelate commorans Imperator, Circenſes ludos magnifice exhibuit, quod triceſimus is eſſet annus, ex quo Cæſar fuerat renunciatus. Cum vero Gallum Cæſarem in oriente crudeliter præeſſe accepiſſet Imperator, pluribusque Antiochiæ necem ab eo variis prætextibus illatam, Domitianum eo Præfectum allegavit, qui Gallo acceſſum in Italiam ſuaderet; Domitianus Gallum imperioſius allocutus, ab eodem ſeditione militum concita, eſt interfectus; A) quæ cædes iram Conſtantii in Gallum prorſus incendit, ut jam tum de eodem perimendo conſilium caperet; ad quod faciendum, aliæ quoque non deerant ſuſpiciones, quas harum parens invidia concitarat; quippe in Perſas toties de Conſtantio victores ſtrenue, ac feliciter rem gerebat Gallus, reque ipſa Imperatoris ignaviam plus de Præſulum turbis, quam Perſarum progreſſionibus ſolliciti confutabat. B) Itaque in Italiam Gallum Cæſarem, alio ſub prætextu accerſiit Imperator; ipſe vero interea in Alemannos profectus fœdus cum eorum regibus Gundomadum, & Vadomario icit; quo liber metu Mediolanum profectus eſt. Eo Mediolani commorante, venit in occidentem mandato Imperatoris obſecutus Cæſar, qui Conſtantinam conjugem precibus fratris fors iras placaturam in itinere ex morbo perdidit; ipſe vero ut Flanonam in Iſtria attigit ornamentis ſpoliatus Cæſareis captivus primum detentus eſt, mox etiam cæſus. C) Ægre idem effugit fatum Julianus initæ cum fratre in Conſtantium conjurationis accuſatus. Mediolanum ille evocatus Imperatricis Euſebiæ precibus vitam debuit. Ut vero cupiditatem imperandi celaret melius, miſſionem ab aula Athenas ſtudiorum cauſa poſtulavit, atque impetrata eo profectus eſt, majores in Dæmonis, quam in Philoſophiæ ſchola illic progreſſiones facturus; quippe magiæ fuiſſe deditiſſimum teſtatur, qui tum ſtudiorum cauſa Athenis erat Gregorius Nazianzenus; D) qui ſimul atque Julianum conſpexit, ex diſtorto illo morum, vultus, totiusque corporis habitu futuri præſagus, ac verus nimium vates exclamavit, magnum malum alere terram Romanam in Juliano.

Imperatorem his expeditum curis, negotia Religionis, & Athanaſius 355
quieſcere non ſiverunt, magnum aliquid ut rebatur, facturum, ſi in tanti viri, imo in doctrinæ Nicænæ perniciem, machinas omnes intenderet. Rurſus itaque Conventum Epiſcopis omnibus Mediolanum indicit, ipſemet eidem præfuturus; huc enim ambitio omnia miſcendi eum adegit, ut pro capite Eccleſiæ ſe gereret, qui ne membrum illius ex vero dici poterat baptiſmo nondum etiam initiatus. In hoc Epiſcoporum Conventu, quos ad tercentos conveniſſe memorant, nihil niſi per vim, & imperioſe actum. Quicunque damnationi Athanaſii ſubſcribere nollent, certum illis impendebat exilium; reſtitere tamen palam iniquis Imperatoris juſſionibus Præſulum plurimi; E) quos inter eminebant Euſebius Vercellenſis, & Dionyſius Mediolanenſis, multas pro veritate ærumnas, & hic mortem ipſam toleraturi. Liberius quoque, qui Julio ſucceſſerat Pontifex, accerſitus Mediolanum, acriter ſemet Conſtantio objecit, Beræam propterea ab eodem in exilium pulſus; in cujus locum Romæ ab Arianis ſubſtitutus eſt Felix, non ille quidem Arianus, ut eventu ipſo patuit, ſed quod eorum impoſitus authoritate communia cum iisdem ſacra habuiſſet, pro tali Romæ habitus; a quo populus Romanus ita abhorrebat, ut ne ædem quidam ſacram, eo præſente ingredi ſuſtineret. Plurium quoque Urbium Epiſcopi, in eadem cum Liberio fortuna fuerunt. Atque hoc illud eſt tem-

 pus,

A) Ammianus l. 14. B) Philoſtorgius l. 4. C) Ammianus l. 14. Socrates &c. D) Oratione 2da in Julianum. E) Socrates l. 2. c. 15.

A. C. pus, quo Ariani ubivis, ut ſibi videbantur victores, omnia tumultu in
355 Orthodoxos, ac vexatione compleverunt Principis favore arrecti; quo ut ad delendam hæreſim ſecundum Dei opem, ita multo magis ad proferendam nihil eſſe poteſt validius.

Equidem & crebri Barbarorum in Gallias incurſus, & Perſarum minæ, alias ad curas Imperatorem avocabant, ſi bellicoſus perinde, ut in religione inquietus fuiſſet. Itaque tantæ rerum, & bellorum moli imparem ſe ſolum profeſſus, agente potiſſimum Euſebia conjuge evocavit e Græcia Julianum, dataque illi in conjugem Helena ſorore ſua, Cæſaris dignitate exornatum, in Galliam ad defenſandas eas Imperii partes expedivit. A) Incredibili gaudio eam accepit Provinciam Julianus, ac etiam ſtrenuiſſime adminiſtravit; cujus in Gallias adventu Orthodoxi quoque ab Arianorum inſultibus reſpirarunt; quod Provincialium demereri ſtudens benevolentiam omnem ab iis vexationem removeret; B) ſicque ambitio odium, quo ſemper flagrabat, Religionis in præſens ſuperavit.

Inter tot mala bene illud a Conſtantio decretum eſt, quod cauſas Epiſcoporum in judicio profano tractari vetuerit, melius in Conventu Præſulum examinandas. Quo eodem tempore alterum quoque ejusdem Imperatoris prodiit Mediolani edictum, quo vetabat pœna capitis appoſita, ſacrificari Diis, aut eorum ſtatuis honorem exhiberi; C) ſed & munificentia ejus in egenos, virgines, atque ſacras Deo ædes celebratur, D) ut videatur non tam ſua, quam ſuorum improbitate Princeps ille a recto deſciviſſe, qui tam pie, tam multa in Chriſtianæ Religionis favorem decreverit; at undecunque quis deſciſcat, ſua certe culpa malus eſt, etſi miſeratione, quam reliqui dignior.

356 Mediolano Romam profectus eſt Imperator, triumphum de Magnentio debellato, pro more veteri illic acturus. Romæ commorantem conveniunt matronæ nobiles, orant ſupplices, ne ſe paſtore vero deſtitutas ſineret, poſtque multas preces reditum Liberio in Urbem impetrant; ea tamen appoſita a Principe conditione, ut is ſimul cum Felice Pontificatum obtineret, qua ſuper re edictum populo cum legeretur, E) riſu exceptum eſt, illudque acclamatum: Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus. Sed quid agas? cum ſemel Principem ſuo pro arbitratu ſacra, juxta, & profana curandi libido inceſſit, in abſurda quæque prolabi proniſſimum eſt, & uſu rerum ſacrarum, & Dei ſpiritu deſtitutum. Is tamen in Urbem reditus, non aliter conceſſus eſt Liberio, quam ſi conſentiret in damnationem Athanaſii, in cujus viri interitum homines juxta, & inferi conſpirare videbantur; at ille ſolius quam propugnabat veritatis conſcientia ſecurus, & adverſis omnibus major fuit.

Ad eum Alexandria denique exturbandum, aut etiam necandum, ſub ipſum hoc tempus miſſus in Ægyptum eſt Dux Syrianus F) cum quinque militum millibus. Completa Urbs tumultu; Athanaſius ipſe in templo, cum Divinis intereſſet, obſeſſus; verum inter medios militum cuneos nemini eorum agnitus, fuga interitum vitavit. Dein latebris vitam occultans, in ſicca quapiam ciſterna, quo vix radiis ſolis eſſet acceſſus, ſex ipſos annos delituit, ſola quæ tenuem afferebat victum, ancilla latebræ hujus conſcia. G) In iis poſitus rerum anguſtiis, non deſiſtebat tamen Athanaſius cauſam ſuam, & Dei adverſus Arianos, ſcriptis per orbem literis propugnare, ringente ne quidquam Ariana improbitate, & in uno homine perdendo fraudes omnes, & vires exhauſtas ingemiſcente. In ejus locum intruſus vi eſt Georgius quidam ex homine profano, ærariique publici depeculatore ab Arianis, quod vix eo nequiorem, & ad perturbandas res aptiorem haberent. Miſerrima tum erat Alexandrinæ Urbis facies; Matronæ, Virgines fœdum in modum habitæ, plagis quin etiam

A) Zoſimus lib. 3. B) Baronius ex quadam S. Hilarii Epiſtola. C) Extant hæ leges in Cod. Theod. D) Chron. Alex. p. 235. E) Theodoritus l. 2. c. 17. F) Sebaſtianum Ducem hunc vocat Theodoritus, & ait mandatum Conſtantii fuiſſe ut Athanaſius necaretur. G) Ruffinus lib. 1. cap. 18.

etiam morte ſævitum in eos, qui Georgium pro Epiſcopo habere nollent; A. C.
ea tamen plerorumque pro Deo, & Athanaſio erat animi conſtantia, ut 356
extrema perpeti omnia, quam venire in communionem ſacrorum cum hæretico, & intruſo mallent; neque diu poſtea ejus Tyrannide ſic increvit populi furor; ut oppreſſuri hominem ad ædem ſacram concurrerent; A) vitavit ille maturata ad Imperatorem fuga interitum; atque alias nactus copias, ferocior rediit Alexandriam, & ad proferendam impietatem Arianam valentior.

Conſtantium vero ne Urbem quoque Romam præſentia depravaret ſua, haud ſivit Dei providentia, diutius illic commorari: Quadi Rhetiam, & Pannonias hoſtiliter ingreſſi in cauſa fuerunt, quod Imperator in Illyricum, inde vero Sirmium tranſierit. Cum Quadis illis ut res habuerit, incompertum: niſi forte fama Imperatorii adventus ad quietem eos retraxerit. B) Nec a Juliano in Gallia res geſta male eſt; qui eodem tempore Coloniam Urbem recuperavit; atque cum Francis, quos armis antea ſuis perterruerat, pacem compoſuit, utinam quam bello ſtrenuus, tam bonus Religione! ſed blanditur ſæpe improbis fortuna, ut ſubita rerum mutatione gravius incautos opprimat. Pace hac confecta S. Martinus miſſionem a Juliano honeſtam obtinuit C) ſoli jam Deo militaturus; cujus ortus Pannonias, vita ſanctiſſime acta Gallias mirifice illuſtravit.

Imperatore Sirmii commorante Urſacius, & Valens, & reliqua, quos 357
novandi, atque turbandi occuparat prurigo, Præſulum turba ad eundem convenere. Ubi fidei nova rurſus edita eſt expoſitio, vetitumque, ne quis voces τὸ ὁμοούσιον, aut etiam ὁμοιούσιον in divinis uſurparet, id eſt: ut neque ejusdem cum Patre naturæ Filius diceretur, nec etiam, quod Semi-Ariani contendebant, ſimilis naturæ; quin non obſcure jam in eadem expoſitione, Pater major Filio dicitur, D) neque ex neceſſitate naturæ, ſed plena voluntatis libertate Filium progenuiſſe, tametſi æternum illum, & imaginem Patris perfectam, atque adeo vere Deum, non autem e rebus creatis aliquem; ita vera falſis, ſed quæ peſſime cohærerent, admiſcebant, ac veteri impietati, novi aliquid adjiciebant mali Chriſtiani, deteriores Theologi, ac Epiſcopi peſſimi. Ut authoritatem ſectæ adderent ſuæ, nihil non egerunt in pervertendo Oſio illo Cordubenſi, qui ſicut ætate, ita virtutis opinione cæteros illo ævo anteibat; quemve ſecum Imperator Sirmium adduxerat, ac anno fere toto inedia, aliisque calamitatibus vexarat, ut a conſtantia dimoveret. Pertæſus demum tot miſeriarum Oſius victas dedit manus, atque nefariæ illi fidei expoſitioni magna nominis ſui jactura, & probro ſubſcripſit. Ingentem viri tanti prolapſus bonis omnibus mœrorem incuſſit; at enim redditus libertati idem ille Oſius, execratus errorem eſt, cui ſubſcripſerat; docuitque viros etiam magnos calamitatibus quandoque frangi, raro tamen penitus corruere, præſertim ſi opinione magis, quam animi pravitate labantur; ut Oſius videri poteſt, qui voces illas citra fidei jacturam ſubticeri poſſe exiſtimaverit; dum ne quid Concilio Nicæno aperte pugnans admitteret; id vel inde arguas, quod ne tum quidem ad damnandum Athanaſium, vi ulla pertrahi Oſius ille valuerit; nec facile crediderim hominis etſi innocentis, quam Dei ipſius cauſam pluris ab eo æſtimatam. E)

Huic fidei expoſitioni cum non Orthodoxi modo, verum etiam Semi-Ariani, turmatim ſeſe opponerent, ut quæ aperte Arii continere doctrinam, atque Filium Patri natura diſſimilem, ac quod inde ſequi neceſſe erat, nec Deum adſtruere videretur, vetando uſurpare voces illas: τὸ ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον, Imperatorem, & qui Synodo intererant plerosque pœnitentia factorum, & editæ illius fidei formæ ſubiit; Itaque ejusdem Imperatoris voluntate, alia rurſus Ancyræ conſcripta eſt credendi in Divinis forma, in qua Filius, per omnia Patri ſimilis dicebatur, ſuppreſſa duntaxat

A) Sozomenus lib. 4. c. 10. B) Ammianus l. 16. C) Severus Sulpitius in ejus Sancti vita. D) Recitat eam Socrates l. 2. c. 30. E) Baronius ex ſcriptis S. Athanaſii.

A. C. taxat voce ὁμούσιον, a qua abhorrebant plurimum, ne ejusdem Filium cum
357 Patre ſubſtantiæ dicerent, atque adeo ne Perſonas in Divinis confundere viderentur; illi enim Orthodoxos pro Sabellianis, qui unam tantum in Divinis dicerent Perſonam, hi vero illos pro Arianis, qui naturam Filii, a Patris ſubſtantia ſejungerent, habebant. Suſcepit hanc fidei expoſitionem Conſtantius, edictoque firmavit pœna capitis iis omnibus propoſita, qui priorem Sirmianam reciperent. A) Ita eodem ore calidum, & frigidum; ſed quid ageret? qui turbidis illis, atque inter ſe pugnantibus ingeniis, totum agi ſe, ac ferri permiſerat. Certe animo in rem Chriſtianam, non malo fuiſſe, quas circa idem tempus adverſus Gentiles, & pro Clero edidit leges, confirmant; nam ariolos, & magos conſuli capitali ſub pœna vetuit, gladiatorum ſpectacula innovato Patris ſui edicto penitus ſuſtulit, Clericis Urbis Romæ ſua confirmavit privilegia; B) ejusque ordinis virorum immunitati ubivis locorum impenſe proſpexit futurus in promovenda Religione Patre ſuo nihilo inferior, ſi tueri ſolum illam, quod Principum eſt, non item ordinare, quod Dei, & Eccleſiæ, voluiſſet.

Oſii illius lapſum gravior adhuc ſubſecuta eſt Liberii Pontificis prævaricatio; qui exilii tædio victus, & recuperandæ dignitatis cupidus ſubſcripſit demum alteri illi fidei expoſitioni, in qua Filius per omnia Patri ſimilis dicebatur; quæ quidem excepto, quod ab hæreticis compoſita eſſet, hæreticum aliquid palam continere non videbatur; attamen quod omiſſa fuiſſet vox τὸ ὁμούσιον, quodve idem Liberius Athanaſii damnationi ſubſcripſiſſet, quod cum Arianis in communionem ſacrorum veniſſet, pro hæretico certe a plerisque Orthodoxorum habitus eſt, neque amplius Romam redux pro Epiſcopo ab Urbe agnitus. C) Hinc perturbatio rerum Romæ, cum is quidem pro Pontifice ſeſe gerit, nec agnoſcitur; Felix vero qui antea pro intruſo, jam pro vero Religionis capite habetur. De Felicis hujus exitu diverſa eſt, & implexa narratio: ferunt a Felice excommunicatum fuiſſe Conſtantium, ac ob eam cauſam Felicem in oppido Cere capite plexum; D) quod ipſum teſtata eſt ejus urna tali cum inſcriptione ſub annum Chriſti, milleſimum, quingenteſimum, octogeſimum ſecundum reperta: Corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui damnavit Conſtantium; E) quem certe Eccleſia, & ut Pontificem, & ut Martyrem, hodieque colit. Felice poſt poſſeſſum anno fere integro ex vero Pontificatum e vivis abſcedente Liberius, quod ab Arianorum conſortio abſtraxiſſet ſe, ſanaque eſſet doctrina, iterum a Romanis pro Pontifice habitus eſt; quem proinde & depoſitum ex ſumma in terris poteſtate, & in eandem reſtitutum interſertus Felicis Pontificatus aperte evincit. Commoverunt itaque hoc, ſi unquam tempore Romanam petram portæ inferi, non tamen dejecere, ejus fultam providentia, qui tam parum promiſſiones ſuas deſerere poteſt, quam Deus non eſſe.

Conſtantio in rebus Religionis improvide ſic occupato, Julianus interea, ſtrenue cum Alemannis bellum gerebat; cruentò ad Argentinam comiſſo prælio eosdem ſuperavit, capto quoque Rege a Chonodomaro, & ad Imperatorem in teſtimonium virtutis miſſo. F) Idem Julianus Francos quoque, & Salios, qui in fines Romanos ingreſſi, ſedes ſibi apud Toxoandriam collocarant, eo adegit armis, ut ſeſe victoris poteſtati dederent.

358 Religioni ad eum modum perturbatæ, & trifariam diſtractæ meliorem in ſtatum reponendæ, viſum eſt multis Univerſali ex orbe Patrum Conventu opus eſſe, idque placuerat Conſtantio. Quippe initio duæ tantum erant partes inter ſe adverſæ, eorum qui fidem Nicææ ſtabilitam propugnabant, & qui eandem aperte cum Ario impugnabant; at temporis lapſu tertia uti dictum, enata fuit factio, eorum qui nec Arium aperte tueban-

A) Socrates lib. 2. c. 25. B) Extant leges hæ diverſis locis in Jure Romano quas citat Petavius in Doctrina temporum. C) Theodoritus & alii. D) Baronius ex libro de Vitis Pontificum. E) Teſtatur id, qui oculis conſpexit Baronius. F) Ammianus lib. 16. Zoſimus lib. 3.

tuebantur, nec per omnia fidei Nicænæ adhæreſcebant, ut qui nec eun- A. C.
dem natura Filium cum Patre ut Homouſiani (ita Orthodoxi audiebant) 358
adſtruerent, neque illo minorem, aut illi natura diſſimilem cum Anomæis, ut duros illos Arianos indigitabant, ſed eo contenti eſſent, quod Filium natura Patri ſimilem per omnia confiterentur; atque hæc factio priori illa multo erat valentior, quod & plurimos per orientem Epiſcopos, & Imperatorem ipſum numeraret; pro fide Nicæna occidentales plerique ſtabant, at pauculi in oriente, verum illi ſanctitatis, & doctrinæ fama clari, ac Monachi in ſolitudine Ægyptia præſertim, atque alibi plerique omnes. A) Inter hos fertur fuiſſe Meletius Epiſcopus Sebaſtenus; qui ob ingentem doctrinæ exiſtimationem, ad Antiochenam ſedem expetitus, ſpes de ſe Ariani illius populi fefellit. Quippe verba ad Antiochenos facturus diſerte in Divinis tres eſſe Perſonas ac unam naturam edixit; quod audiens qui pone adſtabat Diaconus, os Præſulis velut ſi magnam protuliſſet blaſphemiam obturavit; at Meletius manu extenta, tribusque ſublatis digitis, geſtu quam voce nequibat, veritatem profitebatur; pulſus propterea, atque Sacerdotio illo ab B) Arianis abdicatus privatim Orthodoxorum cœtus habuit.

Tollendis itaque hiſce diſſidiis, aut potius omnibus in ſententiam Imperatoris adducendis, pro Univerſali indicendo Concilio Imperator, quive illum circumſtabant, egere. Placuit primum Urbs Nicæna priore jam Conventu celebrata; ſed horrendus terræ motus, qui eodem tempore, & hanc, & centum quinquaginta alias Urbes labefactaverat, id conſilii præpedivit. Dum ſic de loco deliberatur, tandem Urſacii præſertim, ac Valentis ſuaſu C) non ignorantium in periculum adductum iri hæreſin ipſorum, ſi ex orbe probatiſſimi quique unum in locum confluerent, itum in eam eſt ſententiam, ut orientales quidem Seleuciam Iſauriæ, occidentales Arimini in Italia convenirent; atque eodem utrique tempore de rebus Religionis inter ſe conferrent.

Ne alterutri horum Conventuum intereſſet Conſtantius, bellum in Quados, & Sarmatas eodem ipſo tempore gerendum impedimento fuit: quorum populatus fertur regionem, & Sarmatici ſibi appellationem ex ambitione crediderim magis, quam ex merito adſciviſſe. At non eadem uſus eſt fortuna in Perſas, quibuscum eodem tempore per Sabinianum Ducem gerebat, bellum; a quibus victæ illius copiæ, Amida, urbesque aliæ in victorum poteſtatem venerunt; melius pugnatum a Juliano in Alemannos, quos victricibus ille armis ad pacem ſuppliciter expetendam adegerat. D)

Interea Imperatore curis bellicis occupato Epiſcopi Arimini, & Se- 359
leuciæ congregati, de Religione inter ſe pertractabant: Arimini convenere ad quadringentos; e quibus octoginta circiter Arianam improbitatem clam animo fovebant. Rogati ſententiam Patres cenſuerunt plerique ſtandum eſſe Concilio Nicæno, conceptamque illic fidei profeſſionem unice retinendam; at obſtabant Valens, & Urſacius; utque fidei forma noviſſime ab illis procuſa ab omnibus reciperetur, acriter contendebant. Nihil illa veritati adverſum palam continere viſa eſt; itaque ſubſcripturos eidem dicebant Patres, ſi Valens cum gregalibus omnem Arii doctrinam diſerte in eadem expoſitione condemnarent; id cum illi negarent, damnati a Patribus ſunt, atque a Conventu reſciſſi. Miſſi poſthæc a Patribus Legati ad Imperatorem, occupatum jam illius animum a Valente invenerunt; ut ne alloquio quidem eos dignaretur, ſed juberet adventum expectari ſuum. Adhæc Præfecto Tauro, cui protegendæ Synodi cura erat, in mandatis dedit, ut Patres non ante dimitteret Arimino, neque a vexandis qui obſtabant, remitteret, quoad omnes illi, quam Valens procuderat, fidei expoſitioni ſubſcriberent. Et mora temporis, & vexationum tædio

A) Socrates lib. 2. c. 31. B) Sozomenus l. 4. c. 28. C) Idem l. 4. c. 16. D) Ammianus lib. 16.

A.C. tædio infracti Patres, qui initio ferventiſſimos ſe in Valentem oſtenderant,
359 aut clam in Urbes ſuas dilapſi ſunt, A) aut expoſitioni Valentinæ ſubſcripſerunt, in qua penitus vocum οὐσίας & ὁμοουσίου nulla fuit mentio, quin iisdem uti vetitum. Atque ita Conventui Ariminenſi cum laude cæpto, cum dedecore, & damno finis eſt impoſitus. Quippe Valens, & Urſacius erroris in occidente anteſignani per eam occaſionem accepta ab Imperatore poteſtate, circuibant Urbes, omnesque Epiſcopos, qui formæ fidei abs ſe conceptæ ſubſcribere nollent, vi exturbatos divexabant; quod & Liberio Pontifici factum narrant; B) qui labem olim Sirmii contractam conſtantia jam ſua, ac veritatis defenſione, aboleverit. Miſerrima deinceps erat Religionis ubique facies, Imperatoris inquiete, & Arianorum fraudibus in id malorum præcipitatæ.

In Seleucienſi Concilio perinde, ut in Ariminenſi turbata omnia, & ad perniciem profligata fuerunt. Convenere illo centum quinquaginta Epiſcopi. Chorum inter rigidiores illos Arianos ducebat Acacius Cæſarienſis; qui aperte Arium cum triginta aliis propugnabat. Dixerat is equidem in credendi forma abs ſe propoſita Filium Patri per omnia ſimilem; ſed verſute dictum interpretatus ſuum, voluntate non item natura ſimilem poſtea ajebat. Cæteri illic congregati damnarunt Acacium, & ſequaces; ſideique formam eandem illam, quæ olim Antiochiæ in Encæniis prodierat, propoſuerunt. At enim Acacius, & cum eo abdicati recurrerunt ad Imperatorem Conſtantinopolim eo tempore reducem, & occcupato ejus animo effecerunt, ut non modo in Urbibus ſuis conſervarentur; verum etiam ut de Baſilii Ancyrani aliorumque adverſantium ſibi Præſulum ſenſu, & moribus Imperator cognoſceret; quem in finem vicinorum Epiſcoporum Conſtantinopoli Conventus eſt habitus. In hoc nova iterum fidei prodiit expoſitio, ab Ariminenſi paucis verbis diverſa; non enim ut in illa Filius Patri per omnia ſimilis dicitur, ſed tantum ſimilis; adhæc vetitum ſimpliciter in Divinis nomine οὐσίας ſive ſubſtantiæ uti; C) quodve ridiculum fuit, ſanxit Imperator, illam Ariminenſem in Occidente, hanc vero alteram in Oriente recipi. Acaciani benevolentia in ſe Imperatoris ad Præſulum ſibi adverſantium expulſionem uſi in eo Conventu ſunt, ac prætextu quorundam criminum, non Religionis cauſa eosdem in judicium vocarunt. Damnati itaque, atque Præſulatu abdicati ſunt complures; qui cum injuſte damnatos ſe queruntur, atque Urbibus ſuis decedere nolunt, factum ea ratione, ut plures in eadem Urbe Epiſcopi populum in contraria ſtudia diſcinderent, magno Religionis Chriſtianæ probro, & damno majore.

Inter Epiſcopos Sacerdotiis tunc exutos, fuit Macedonius quoque Byzantinus, fortuna illa quidem digniſſimus; qui ob crudelitatem aliaque vitia, ac quod Conſtantini Magni corpus ab æde Apoſtolorum alio transferri Imperatore inſcio feciſſet, eaquepropter tumultus, ac cædes populi extitiſſet, Imperatoris in ſe animum commoverat. Is e malo factus deterrimus, nova procuſa hæreſi Spiritui Sancto Divinitatem adimere tentavit; cum diceret unum illum eſſe ex beatis Spiritibus, etſi cæteris potiorem; quæ blaſphemia cupide ab Arianis arrepta, novam in animos invexit impietatem. En quo opinandi in rebus Divinis licentia, homines vana ſui æſtimatione inflatos adigat!

360 Conſtantio, cum Epiſcopis vano conſtituendæ Religionis ſtudio miſcente omnia, ac perturbante, Perſæ interea ſtrenue rem curant ſuam; D) Meſopotamiam aggrediuntur, Singaram capiunt, ac Bezabiden, Virtam fruſtra tentant; exeunte hyeme profectus in eos Imperator, cum dedecore

A) Hæc Sozomenus, & Socrates, qui addit Imperatorem offenſum, quod ſe invito dilapſi eſſent Arimino Epiſcopi poteſtatem dediſſe Valenti, ut ad ſubſcribendum vi illos compelleret, aut vero ejiceret. B) Socrates lib. 2. c. 327. In eo lapſus, quod tunc Felicem ſubſtitutum Liberio in Pontificatu ajat; quod prius accidiſſe ex Theodorito, & aliis liquet. C) Socrates lib. 2. c. 39. Qui novem diverſas fidei expoſitiones diverſis locis factas recenſet. D) Ammianus lib. 20.

core victus eſt; hoc illi profuit rebus abs ſuo foro alienis, & Epiſcopo- A.C.
rum diſcordiis, totum ſemet ingerere. Sed gravior adhuc eidem impen- 360
debat procella a Juliano Cæſare; cujus gloriæ, & rebus bello bene geſtis, invidens partem copiarum ſpecie belli Perſici, in Orientem ex Gallia evocabat; execrati illi profectionem tam longinquam, & Conſtantium, Juliano honores Imperatorios deferunt, & torque aureo pro corona capiti ejus impoſito, Auguſtum proclamant. Julianus Legatis Byzantium miſſis excuſavit factum; militum, quam comprimere nequierit, ſeditione, non ſua voluntate Auguſti appellationem ſibi tributam; A) at enim Legatos ſuperbe, & per contemptum accepit Imperator, eoque facto Julianum, in iram, & arma exſuſcitavit.

Cum bellum per hyemem apparat Julianus, mortua eſt ejus conjunx Helena, quam ſepeliendam Romæ curavit, & mortua quidem nulla ſobole; fertur enim medicatá eidem potio ab Euſebia Imperatrice, Juliani factis illuſtribus invidente data fuiſſe, quæ præmaturum ſemper fœtum ab utero expelleret. B) Eadem Euſebia Arianis perdite addicta, brevi Helenam eſt conſecuta; a cujus exceſſu duxit aliam Conſtantius nomine Fauſtinam; quacum tamen breviſſimo eſt perfunctus conjugio.

Julianus contractis undelibet copiis profectionem in orientem ſuſce- 361
pit. Dum in Illyrico iter haberet, ros in militum veſtes deciduus, easdem minutis crucibus ſignare viſus eſt; & cum jam tempus vindemiæ prætergreſſum foret, uvæ ſubito acerbæ in palmitibus apparuerunt; quæ oſtenta & Juliani in Chriſtianos furorem, & præmaturum ejusdem interitum prænunciaſſe videri poſſunt. C) Recurrit miſſo bello Perſico, his auditis Imperator; verum in itinere prope Tharſum in febrem decidit, ex eaque ætatis anno quarto, & quadrageſimo, Imperii quarto, & viceſimo, ac menſe quinto, diem tertium Nonas Novembris egit ſupremum. Marem nullam Conſtantius ſuſcepit ſobolem; fœminam reliquit ex Fauſtina poſthumam Conſtantiam, Gratiano poſtea Imperatori nuptam. D) Ferunt a Conſtantio ſuprema voluntate ſucceſſorem in Imperio deſignatum eſſe Julianum. E) Mirum ſi hoc animo in hoſtem, ſibique inviſum fuerit: ni illum forte familiæ ſuæ, de qua ſolus jam ſuperſtes erat Julianus, amor in id conſilium perpulerit. Funus Conſtantii curatum eſt Chriſtiano pro more Byzantii a Juliano; qui cognita illius morte, Urbem illico occuparat; atque funebrem ipſe pompam, ſine diademate eſt comitatus F) nullo lætior honore, quam quem mortuo Imperatori exhibebat. Sub ipſum e vita exceſſum ab Euzoio uno e primis Arii ſociis, ac tunc Antiocheni Sacerdotii invaſore baptiſma ſuſcepit Conſtantius, & vexata per omnem vitam, cujus ſtudium præferebat, Religione, & ultimo hoc Ariani hominis obſequio prorſus infelix. G)

A) Sic quidem Ethnici Scriptores; at Socrates, & Sozomenus negant ab eo Legatos eſſe miſſos. B) Idem Ammianus. C) Sozomenus l. 5. c. 1. D) In familia Conſtantini p. 36. E) Ammianus. At Theophanes ait Conſtantium conſilium ſuum ante mortem damnaſſe, quod Julianum in conſortium Imperii adſciverit. F) Philoſtorgius lib. 6. G) Theodoritus acerbe lamentatum ſcribit Conſtantium, quod fidem Patris mutaſſet. l. 2. c. ultimo.

FL. CLAUDIUS JULIANUS IMPERATOR.



A. C. 361

PRincipio maxima omnium voluntate Chriſtianorum juxta, & Gentilium acceptus eſt Julianus; ut qui rebus in occidente bello bene geſtis, moderationisque, & ſapientiæ fucata laude nomen ſibi illuſtre paraſſet, regendoque tanto Imperio, ac reprimendis Barbaris par futurus videretur. Neque enim animi illius depravatio, atque a Religione Chriſtiana defectio vulgo ſat erat cognita; nec quam gravia in eam mala coqueret, ſuſpicando aſſequi poterant; cujus Imperium niſi anguſtis adeo temporum ſpatiis divinitus definitum fuiſſet, omnium ante ſe Tyrannorum in Chriſtianos truculentiam, artesque nefarias longe viciſſet, nam & ingenio, ac ſolertia ad hæc valebat, quam qui maxime, & odio, quam abjecerat, Religionis malorum Dæmonum irretitus conſuetudine deceſſores ſuperabat.

Imperium itaque ſuum, ab impietatis patrocinio auſpicatus eſt; A) aperiri fana Deorum, iisque, ut quondam ſacrificari ubivis juſſit; atque prior ipſe non modo palam Diis honorem habuit, verum etiam Pontifex Maximus profanis ritibus eſt inſtitutus; quin fertur victimarum cruore corpus abluiſſe, B) ut ſuſceptum olim Chriſtiano e more baptiſma deleret. Perculit inſperata hominis mutatio Chriſtianos; quos ne alienaret abs ſe Julianus, utque Imperio recens occupato conſuleret, variis eſt uſus vaframentis; nam tributis nimium exaggeratis modum poſuit; nequiſſimos aulicorum Conſtantii antea facilitate abuſos aula, complures etiam vita exturbavit; aulæ luxum, infinitamque Eunuchorum, coquorum, aliorumque turbam reſecuit, profeſſus denique eſt nemini Religionis gratia moleſtiam exhibiturum ſe, ſed cuilibet, ut animo obſequatur ſuo permiſſurum. Idcirco Epiſcopos quoque Conſtantio imperante exturbatos, redire in Urbes ſuas juſſit; quanquam id recondito magis conſilio ab eo factum; ut videlicet Chriſtiani in factiones plures diſtracti, ac turbis inter ſe confuſi, minus iniquis ejus deſignationibus obluctari poſſent. Atque ejusmodi artibus perfecit Julianus ille, ut tametſi Apoſtatam odio haberent Chriſtiani, Imperatorem tamen venerarentur, & amarent; quo certe ad illos in perniciem adducendos nihil accomodatius fieri ab eo poterat, ſi diuturnior illi obtigiſſet Principatus.

362 Aliæ quoque clancularіæ eum in finem molitiones non deerant Juliano: in aulam, & honores perducti ab eo Deorum cultores plerique; Philoſophi gentiles, & eruditione clari in honore habiti; inter quos eminebant, Maximus, Libanius, Themiſtius, Oribaſius, Ecebolius; quibuscum ingenio ſemet exercebat Imperator, ſcribebat orationes, & recitabat more veterum; C) quin & libri ab eo conſcripti non pauci, quibus Chriſtianam potiſſimum traducebat Religionem, eamque, qua inter ſe labora-

A) Socrates l. 3. c. 3. B) Sozomenus l. 5. c. 2. C) Ammianus, & Zoſimus.

borabant diſcordiam, morborum ejusmodi non ignarus, objectabat. Sacerdotum deinde diverſos ordines, inter Gentiles perinde, ut inter Chriſtianos conſtituit; locupletavit eosdem opibus, ac Chriſtianæ legis in egenos miſericordiam, aliaque præclara imitari eos, A) & moribus exprimere prorſus ex Dæmonnm, qui divinorum ſimii ſunt, ingenio, jubebat. Jam in militibus, & qui in magiſtratibus eminebant, pervertendis ſolertiſſimus fuit; effigiem ſuam cum profanis Deorum imaginibus pingi una, & in exercitu præferri voluit; ut dum pro conſuetudine Imperatoriæ imagini, miles honorem habet, una & falſis Numinibus exhiberet; dum ad ſtipendia, aut donativum auferendum iidem accedebant, ignem juxta poni, ac ab uno quoque thus injici mandarat, ut vel ignari quid rerum ageretur, Diis Chriſtiani milites adolerent; B) ſimili quadam impietate contaminare populum, & Conſtantinopoli, & poſtea Antiochiæ adniſus eſt; vetuit enim quidpiam in foro venum exponi, niſi Deorum antea libationibus pollutum. Adhæc Gentilium Urbibus per literas benevolentiam large ſuam offerebat, adhortans ad cultum Deorum inſtaurandum, omnique eas ope, & auxilio adjuvabat; quo factum, ut multa illi acerba occaſionem nacti, in Chriſtianos deſignarent; & tametſi aperta Juliano imperante excitata non ſit perſecutio, multi tamen Religionis gratia, mortem glorioſe oppeterent. Cavebat enim Julianus ipſe in Chriſtianos cædibus graſſari, tum ut gloriam necis pro Chriſto obitæ, cujus norat cupidiſſimos, iis adimeret, tum vero ut blandimentis potius lenique imperio, ſuam in naſſam eos pertraheret. Si qui ob religionem ferventius propugnatam, jactave in eum ceu deſertorem convitia gravius illum incenderant, aliorum ſpecie criminum, vitam illis adimebat; quos inter præcipui nominis, erat Artemius C) militiæ per Ægyptum Dux; qui quod Conſtantio imperante multa Deorum fana evertiſſet, neci a Juliano datus eſt. Eadem fortuna Juventio, & Maximo militibus defectionem ad Deos Imperatori objectantibus fuit. Ut in contemptum Chriſtianorum ſacra adduceret, non alio quam Galilæorum nomine indigitabat illos Julianus, nec aliter oportere appellari lege lata ſanxit; vetuit adhæc ne Chriſtiani literas publice docerent, aut docerentur, opportuniores fore vulneri ratus, ſi hæc illis arma ademiſſet. Et hæc erat Religionis Juliani Imperio facies. A. C. 362

Poſt menſium aliquot Byzantii commorationem expeditionem adverſus Perſas ſuſcepit Imperator Antiochiam ea cauſa progreſſus, ut exacta illic hyeme, copiisque paratis, primo cum vere bellum in ipſam Perſidem infunderet. Adiit ex itinere Nicomediam, Peſſinuntem, & loca quædam delubris Deorum celebrata, erat enim ſuperſtitioni, ac Dæmonum cultui ad inſaniam addictus: plurima victimarum, ac interdum, privatimque etiam hominum cæde inania hæc Numina placatum ibat, extiſpicinæ cumprimis deditus; certe ab ejus interitu plurimæ hominum calvariæ in aula repertæ, indicio impiiſſimi ſtudii, magicarumque artium fuere; D) quin joco jactabatur, defuturos aratris boves, ſi Imperatorem, ab expeditione Perſica revenire contingeret. In hoc itinere obvios ſibi habuit Perſarum Legatos, quos nulla gentium Juris habita ratione, aut affecit contumelia, E) aut vita ipſa exturbavit, quod Perſarum e more Solem ſecum adorare (erant quippe Chriſtiani) noluiſſent.

Antiochena illius commoratio multa pariter impietate, Chriſtique odio memorabilis exſtitit: cum totus eſſet in Daphnitico Apolline conſulendo, isque pertinax teneret ſilentium, demum Babylæ Martyris prohiberi ſe lipſanis, quæ quondam eo in delubro fuere recondita, edixit. Exturbavit continuo Martyrem Imperator; utque a Chriſtianis ſolemni

A) Refert Epiſtolam Juliani Sozomenus, quam de ea re is dedit ad quendam ſacrificulum l. 5. c. 6. B) Diffuſe de his Sozomenus, Socrates, Theodoritus diverſis capitibus. C) Theodoritus lib. 3. cap. 27. D) Idem Theodoritus l. 3. c. 27. E) Ita quidem ſcriptores noſtri, at Eccleſia hos pro Sanctis Martyribus habet Baronius ad hunc annum.

A.C. illinc pompa aſportaretur, permiſit; quo in proceſſu, cum probra in Deo-
362 rum cultores jacta eſſent, carceribus quosdam, alios verberibus, neminem tamen morte, quod gloriam invideret martyrii, mulctavit. Non diu poſtea factum, ut jacto divinitus igne, fanum illud Daphniticum conflagraret; quod Chriſtianorum ille maleficio imputabat; cumque Antiocheni liberrimis in eum ceu deſertorem cavillis luderent, ac barbam illius, quam ut Philoſophus gerebat prolixam, dicteriis vellicarent, acerbum in eos librum, quem cognominarat Miſopogonem exaravit; A) in quo multa Antiochenis, multa Chriſtianis furioſe objectabat; ita non ferro ut Princeps, ſed ſtylo ut Philoſophus, injuriam ultus ſuam eſt; cum non tam ſanguine Chriſtiano, quam interitu oblectaretur.

Nec profecto pauci fuerunt, qui ad illius arbitrium mores, ac religionem fingerent, acerba tamen Dei vindicta ob defectionem appetiti. Eminebant ut ſcelere, ita exemplo vindictæ divinæ præ aliis Julianus alter, Imperatoris Patruus, Felix Comes largitionum, & Elpidius domus regiæ Præpoſitus. Et Julianus quidem cum Antiochenæ Eccleſiæ theſauros abſtuliſſet, fœdo ulcerum genere, & a vermibus corroſus brevi interiit; reliquos ſerius violenta, & infamis mors ad inferos demerſit. B) Fuere tamen complures intimi etiam Juliano, quorum invicta in fide eluxit conſtantia; Valentinianus, & Valens fratres Imperio poſtea potiti, quod improbitati illius adverſati eſſent, in Armenia exularunt. Jovianus quoque legioni Præfectus ſtrenuus in ſuſcepta Religione fuit, nihil tamen acerbi ob id perpeſſus, quod præclara ejus in bello Perſico opera Imperator egeret.

Gentiles Juliano freti, ſuis in Urbibus intemperantiſſime in Chriſtianos furebant; Gazenſes in Palæſtina pluribus necem intulerunt, non modo non reprehenſi ab Imperatore, verum etiam ceu ſtrenui Deorum quondam a Chriſtianis male acceptorum vindices laudati. Par eorum aut etiam major fuit Arethuſæ, & Heliopoli truculentia; nudatæ in propatulo ſacræ Deo virgines, quin cæſæ etiam, ac ſuibus in eſcam objectæ. Alexandrini quoque Gentiles primum in Chriſtianos promiſcue, quod profanis eorum Sacris illuſiſſent, mox etiam in Georgium Urbis Præſulem Arianum perbacchati, vita illum privarunt; qui tamen non probitate ut Epiſcopus, ſed crudelitate ut Tyrannus, eum ſibi exitum promeruit; atque illos Julianus ob hæc facinora literis leviter reprehendiſſe ſat habuit. C)

Sublato hunc in modum Georgio, emerſit demum ſuis aliquando e latebris Athanaſius; ac velut cœlo lapſus maxima poſt hominum memoriam celebritate, ab Alexandrinis eſt acceptus. Curarum ejus primum fuit convulſam Georgii ſcelere Religionem reponere in integrum, quem in finem Conventum quoque Epiſcoporum illic habuit. Interfuere huic Euſebius Vercellenſis, & Lucifer Calaritanus, Religionis gratia jam olim in oriente exules; in eo Congreſſu aſſerta rurſus naturæ Divinæ perfecta unitas, cum Perſonarum inter ſe omnino diſtinctarum triade; D) atque damnatus Apollinaris quidam; qui non jam Divinitatem, ſed animam Chriſto adimebat. Ordinatis ita in oriente rebus Euſebius, & Lucifer rediere in Italiam ab exilio; & prior quidem maxima totius Italiæ lætitia, eſt acceptus; at non Lucifer, qui odio in hæreticos ſuo tantum indulſit, ut alterum denique in extremum fœde impingeret; negabat enim recipiendos ad concordiam Epiſcopos, qui aliquando prolapſi eſſent; cumque pertinacius opinioni ſuæ adhæreſcit, nova ſe a reliquo corpore diſcordia reſcidit, & præclaras in Religione propugnata laudes ſeceſſione hac ſua perpetuum infelix obruit.

Reſtitutum Alexandriam Athanaſium, non diu ferre improbitas potuit. Criminati apud Imperatorem virum ſanctum Ariani facile perfecerunt,

A) Socrates lib. 3. cap. 17. B) Sozomenus lib. 5. c. 8. C) Recitat illas Sozomenus. D) Theodoritus, & alii.

runt, ut militari is manu ad necem quæreretur; ceſſit tempeſtati Athanaſius, præmonitis tamen amicis, ne caſu turbarentur ſuo, nubeculam A.C. 362
enim illam, non longi temporis futuram; fugientem adverſo Nilo ſatellites ſecuti ſunt, & conſecuti; ille verſa retro cymba occurrit perſequentibus, atque non agnitus, rogatusque num Athanaſium vidiſſet, reſpondit: non longe illum abeſſe, conſecuturos ſi curſum contenderent. A) Sicque vir ille tot adverſis per omnem vitam jactatus magno Eccleſiæ illius bono ſervatus iterum eſt.

Interea Julianus, qui initio placatum ſe utcunque Chriſtianis præbuerat, cum partes ſuas, & alacritate Gentilium, & fœda non paucorum defectione valentiores jam cerneret, acerbius ſenſim, apertiusque in eosdem inſurgebat. Pauca ſpeciminis loco attuliſſe ſuffecerit: Judæis quorum atrox in Chriſtianos norat odium, poteſtatem fecit Urbis Hieroſolymitanæ, templique inſtaurandi; at illi ad opus immenſo cum hominum numero, & alacritate maxima aggreſſi, operam omnem perdiderunt; quippe ventorum vi, fulminibus, ac fulgetris, & erumpentibus e terra incendiis deterriti, quin dehiſcente etiam pluribus in locis tellure abſorpti, nullo conſilio humano divinas eludi poſſe prædictiones didicerunt. B) Donatiſtæ quoque in Africa a cruento in Orthodoxos odio, Juliano bene cogniti poteſtatem acceperunt revocandi Epiſcopos ſuos, atque res ſacras, pro ſenſu, & ingenio curandi; qua illi poteſtate haud uſi ſegniter ingenti Eccleſiam Africanam tumultu, & furore compleverunt. Adhæc lege lata ſanxit Julianus, ne Chriſtianis forum, neve publici cœtus prius paterent, quam Deorum honori litaſſent, utque mulcta pecuniaria plecterentur, qui Diis ſacrificare nollent; denique ut militia, honoribusque omnibus arcerentur Chriſtiani. Illud vero ridiculum, nec Chriſtianæ ſolum legi, ſed omnino generi humano infeſtum: quod libertatem dederit mulieribus repudiandi maritos, cum id ipſis collibuiſſet; næ miſerrimos Juliano authore viros, & mancipiis ipſis inferiores, ſi lex ejusmodi obtinuiſſet. C)

Sed miſſis ejusmodi amentiæ plenis Juliani facinoribus ad bellum Perſicum proficiſcentem, & nihilo illic res ſanius adminiſtraturum, comitemur. Aſſumptis ſecum quinque, & ſexaginta armatorum millibus, tertio Nonas Martii D) ſpei, tumorisque plenus profectionem iniit, arrectus præcipue magorum, & ariolorum prædictionibus, cum tamen multi interitum illius præſagirent; quin in victimis quoque, quas maximo ille numero per diverſa Deorum fana cædi curaverat, infauſta ſe omina prodebant, ut vel vivens, cruciatum ab iis hauriret rebus, in quibus ſalutem, & fortunam reponebat. His ille minime deterritus, atque etiam meliorem in partem cum ſuis interpretatus in Dæmonum, quod ſæpe expertus erat, auxilio ſpem omnem collocavit. Ferunt familiarem ipſius Genium, quo ad res diſſitas cognoſcendas utebatur, ſic precibus viri cujusdam aſcetæ illac forte prætervolantem, alligatum fuiſſe, E) ut decem ipſos dies moram ibi trahere coactus admiratione Julianum ob tarditatem, ſimulque furore in Chriſtianos, cum factum inaudiſſet, compleret. Certe minabatur exterminaturum nomen Chriſtianum, eosque Diis immolaturum, ſi victorem redire contingeret.

Expugnatis quibusdam hoſtium arcibus, & oppidis Cteſiphontem uſque, feliciter progreſſus eſt exercitus, qua re inflatus Imperator, rejecit Regem Perſam, pacem ſuppliciter, & amicitiam offerentem; F) tum juxta Euphratem profectus, eundem fluvium canali quodam veteri, ſed tum repurgato in Tygrim deduxit, quo expeditam navibus annonam deferentibus navigationem pararet. Verum cum Barbari prælium declinarent omnino, atque ſenſim commeatus exercitum deficeret, abſtinendum

A) Socrates lib. 3. cap. 20. B) Eadem hic Socrates, & Sozomenus. C) Baronius ex D. Auguſtino. D) Ammianus lib. 23. E) Cedrenus, & Glycas in geſtis Juliani. F) Socrates lib. 3. c. 21.

A.C. 363 dum porro ulteriori progreſſione, atque in fines Romanos recedendum cenſuit. Hic vir Perſa caput pro incolumitate ſuorum devovens ducem ſe viæ offert Juliano, A) ſcire ſe iter breve, & expeditum, tridui aſperitatem, & difficultatem ſuperandam exercitui, tum in regionem uberem venturum. Huic improvide fidem habuit Julianus: itaque incenſis omnibus navigiis itineri ſe dedit exercitus, ſequentibus ex occulto Barbaris, & occaſionem rei gerendæ operientibus. Triduum progreſſi Romani in majores ſemper viarum difficultates incurrerunt, commeatu quoque, & aquatione deſtituti; nec ductor ille Perſicus conſilium jam celabat ſuum. Imperator in hac rerum difficultate, cum Perſicus feſſis ingrueret exercitus, etſi triſtibus quibusdam perculſus ominibus, prælio tamen fortiter ſeſe accingit. Hic dum ſtrenuus per ordines diſcurſat, voceque, & factis militem animat, haſta incertum unde emiſſa per latus ictus lethale vulnus accepit. Quidam a milite Chriſtiano, B) alii a Genio quodam percuſſum ferunt, C) diverſa alii, ut animo bene vel male in Julianum affecti, prodiderunt. D) Sed & de ſanguine, quem e vulnere vola hauſtum is jactavit, non eadem eſt narratio; in Chriſtum enim ceu præſentem jeciſſe quidam ajunt cum dicto: Viciſti Galilæe, E) alii vero adverſus Solem, quod Perſis æquior clientem deſtituiſſet; F) ſed & alios Deos multis incuſaſſe, qui ſe diſcrimini illi objeciſſent, nec opem tuliſſent. Relatus in tabernaculum horas aliquot ſupervixit; ac primum quidem Duces allocutus, poſt de animarum excellentia, cum ſuis philoſophatus, G) circa noctis medium impie, uti vixerat, viceſimo ſexto Junii die interiit, poſtquam annum cum ſeptem menſibus in Imperio exegiſſet, unum vero, ac triginta vixiſſet. Sobolem nullam poſt ſe reliquit Julianus, dignus quocum & ſtirps, & memoria omnis interiret.

FL. JOVIANUS IMPERATOR.



EXercitus Romanus, & inſperato iſthoc Juliani occaſu, & rerum qua laborabat, difficultate oppido perculſus, ne a Barbaris obrueretur penitus, altero mane maxima animorum conſenſione Imperatorem proclamavit Jovianum Singidone in Pannonia Patre Varoniano Comite oriundum; ac tam forma corporis, quam virtute imperio præ aliis opportunum. Erat is domeſticorum in aula ordinis primus, & legionis Tribunus, H) non tamen ſupremæ in exercitu authoritatis, tres circiter, ac triginta natus annos; ut electio illius non tam humano conſilio, quam divino voluntatum impulſu peracta cenſeretur. Etſi autem omnium clamori-

A) Sozomenus lib. 6. c. 1. B) Zoſimus, Ammianus, Libanius Ethnici ſcriptores, a Chriſtiano interfectum prodidere. C) Calliſtus qui expeditioni interfuit referente Socrate, a Dæmone interfectum ſcripſit. D) Diverſi plane ab aliis Chronicon Alexand. p. 238. & Malalas; qui a S. Mercurio Martyre, cum ſomnum in tabernaculo caperet vulneratum Julianum tradunt. E) Theodoritus l. 3. c. 45. F) Philoſtorgius l. 9. Quidam utrumque hoc conjungunt factum. G) Ammianus Juliani laudator l. 25. H) Theophanes p. 36. At Theodoritus ne Tribunum quidem fuiſſe ait.

moribus ad ſuſcipiendum Imperium adigeretur Jovianus, ea tamen & modeſtia erat, & honoris divini ſtudio, ut negaret omnino militibus, a Chriſto alienis imperaturum ſe, illorumque impietatis conſortem, ac participem futurum; A) quo audito vocem ſuſtulit exercitus, qua Chriſtianum ſe teſtaretur; plerique enim militum retinuerant animo Chriſti Religionem, etſi Juliani importunitate adacti, profanis eam ritibus inquinaſſent. In hunc igitur modum inauguratus in Imperio Jovianus ad exercitum ab ea locorum iniquitate educendum, ac fœdus cum Barbaris pangendum animum appulit. A.C. 363

Legatis ultro, citroque miſſis, conventum inter eos eſt, ut exercitui Romano commeatu a Perſis adjuto diſcedere incolumi liceret; B) Contra vero Meſopotamia, juris antea Romani, atque Urbs Niſibis civibus vacuefacta, in Perſicum concederet dominatum, ac in triginta annos pax utrinque firma haberetur. Probroſa equidem Romano nomini pactio; verum quid ageret novus Imperator in tantis rerum anguſtiis, & pereundi neceſſitate deprehenſus? Reducto ab infelici hac expeditione exercitu, etſi magna ſui parte imminuto, C) Antiochiam conceſſit Imperator, res illic Juliani ſceleribus labefactas recreaturus, ante omnia vero Religionem cujus erat ſtudioſiſſimus, Orthodoxam. Itaque abrogatis Juliani adverſus eam legibus, quin fanis Deorum occludi juſſis, ac victimarum cæde vetita revocavit exules; D) quos inter fuere Valentinianus, & Valens Tribuni; reſtituit annonam virginibus, ac viduis dari ſolitam, Clerum profeſſis veteres confirmavit immunitates, bonas artes profitendi libertatem omnibus reddidit; omniaque ut Principem decebat Chriſtianum, rite, & ex æquo ordinavit, ob quæ multis Gentilium convitiis proſciſſus, an magis uti vere ſunt, laudibus exornatus? nihil a conſueto ſibi ardore remiſit.

Ut Imperatorem ex animo Chriſtianis ſtudere Præſules inter ſe ſententiis, & animis diviſi audierunt, E) convolarunt ſinguli Antiochiam, ad partes quisque ſuas Imperatorem pertracturi; at ille nolle eorum ſe diſcordiis miſceri palam edixit; ſentiret quisque, ut liberet, non receſſurum ſe a fidei integritate Nicæno in Concilio aſſerta. Jam enim olim abhorrebat ab Arianis Jovianus, tum vero Imperium conſecutus, literas ad Athanaſium ab interitu Juliani Alexandriam reverſum, dedit; quibus conſilium in fide profitenda illius exquireret. Collecto Athanaſius Epiſcoporum Conventu literas fervore ſuo dignas, & nomine reddidit, F) quibus ad Synodi Nicænæ decreta ad apicem obſervanda, Imperatorem eſt adhortatus. Itaque Jovianus palam τῇ ὁμοουσίᾳ aſſertorem ſemet profitebatur; quod cum cernerent partium adverſarum Epiſcopi, occupaturi Principis animum, Conventum Antiochiæ coram Meletio Orthodoxo non pauci, atque in his Acacius Cæſarienſis, Arianorum nequiſſimus, celebrarunt; ac ſcripto ſuper ea re Imperatori porrecto, Nicænæ ſe conſentire, per omnia fidei teſtati ſunt, & τὸ ὁμοούσιον recipere; G) cui tamen voci alium nequiter ſenſum ſubſtraverunt, cum dicerent, non aliud ea voce ſignificari, quam quod Filius in Divinis ſimilem Patri ſuo ſubſtantiam obtineat. De veteratoriis ejusmodi Epiſcopis, ſcite illud a Themiſtio Philoſopho in oratione ad Jovianum habita, eſt dictum, illos magis colere purpuram, quam Deum. Lætiſſimus probo in Divinis rebus Joviani ſenſu Athanaſius, profectus & ipſe Antiochiam eſt, atque ab Imperatore ut invictum fidei defenſorem decebat, magna honoris, & benevolentiæ ſignificatione acceptus. Oblectatus viri tanti conſuetudine Imperator multa illum proſecutus eſt laude; atque cum Euzoius ille Antio-

 chenus,

A) Socrates, Sozomenus, & alii. B) Theophanes poſt unum prælium pacem concluſam ait; fors prælium illud intellexerit, in quo occubuit Julianus, de cujus tamen eventu nihil uſpiam reperi. C) Vix decimam partem ſuperfuiſſe ait Philoſtorgius l. 8. D) Sozomenus l. 6. c. 3. E) Socrates lib. 3. cap. 24. F) Refert illas Theod. l. 4. c. 3. G) Recitat libellum Imperatori oblatum Socr. l. 3. c. 25.

A. C. chenus, per aulicos quosdam Eunuchos viro ſancto perniciem ſtruere pararet, A) ſevere eam perditorum inquietem compeſcuit.

364 Demum rebus Antiochiæ conſtitutis e ſententia, Conſtantinopolim verſus in viam ſe dedit Imperator. Ut ventum Tharſum Ciliciæ eſt, Juliani Imperatoris cadaver ſepulturæ illic mandavit, B) quod illius in deſertorem officium non parum de præclara ejusdem exiſtimatione detrivit; qui rectius rogo infelix cadaver uſtulaſſet, quam ſepulchro honoraſſet; niſi Imperatoriæ honorem illum majeſtati, quæ in perditiſſimis etiam colenda eſt, non homini habuerit. Ancyram Galatiæ ut attigit ipſis Kalendis Januarii, conſulatum cum filio Varoniano admodum adoleſcente inivit; dein Senatores Urbis obvios habuit, qui Imperium illi, & conſulatum gratularentur; quorum nomine Themiſtius Philoſophus orationem dixit præclaris ejus laudibus refertam. Inter haſce gratulationes, & Reipublicæ ſincera de tam præclaro Principe gaudia repens Joviani in itinere illo interitus, tam lætam rerum ſcenam momento oculis, cum maximo proborum gemitu ſubſtraxit. Dadaſtanam locum in Galatiæ, & Bithyniæ finibus ſitum, ut Imperator attigit; ingreſſus domum recenti calce illitam, in quam ad humorem temperandum magna prunarum ardentium vis illata erat, a noxio hoc odore dormiens ante diem XIV. Kalendas Martii præfocatus eſt, C) ut adeo menſes non plus ſeptem, ac viginti dies, ejus imperio attribuendi veniant. Filio ejus Varoniano quæ fortuna fuerit incertum; non equidem deeſt author idoneus, D) qui ajat excuſſum Varoniano fuiſſe oculum, ne aſpirare aliquando ad Imperium poſſet. Qui in comitatu Imperatoris fuere Proceres attoniti caſu tam inſperato collatis inter ſe capitibus, Valentinianum etſi abſentem Tribunum tunc militarem, & Religionis Chriſtianæ fortiter propugnatæ gloria illuſtrem optabant; qui demum Nicææ in Bithynia decimo a morte Joviani die E) a militibus Imperator acclamatus Romanis præeſſe cæpit.

FL. VALERIUS VALENTINIANUS, ET FL. VALENS FRATRES.



VAlentinianus Cybale in Pannonia ſtirpe quidem perobſcura, at patre Gratiano rebus geſtis, & virtute claro in lucem venit; cum enim virium firmitate tanta Gratianus etiamnum adoleſcens polleret, ut funem quem circumferebat venalem, milites quinque extorquere ei non poſſent, adlectus militiæ, per omnes honorum gradus demum Præfectus prætorio fuit, F) cui a facto jam memorato Funarii quoque cognomentum adhæſerat. Nec Valentinianus degener a patris virtute fuit; quem & fortitudinis, & religionis laude præſtitiſſe Scriptores memorant, etſi

A) Sozomenus l. 6. c. 5. B) Socrates l. 3. c. 26. C) Sozomenus l. 6. c. 6. Philoſtorgius lib. 8. D) S. Chryſoſtomus citatus in familia Joviani p. 41. E) Ammianus lib. 25. F) Ammianus lib. 30. Philoſtorgius lib. 8.

etſi huic ob crudas quasdam animi cupiditates maculas haud leves, aſperſiſſe poſtea feratur. A. C. 364

Quanta eſſet animi magnitudine ab inito ſtatim Imperio in apertum protulit: quinto, & viceſimo Februarii die acclamatus Auguſtus in diem ſequentem inaugurationem diſtulit, quod biſſextilem, qui tum erat, velut non boni ominis refugeret; A) cum vero pro conſuetudine milites illum inaugurarent, de Conſorte Imperii adjungendo miſcere ſermonem cæperunt; id ubi Valentinianus comperit, magnanimo eorum molitiones dicto retudit: equidem ajebat in eorum poteſtate fuiſſe Imperatorem ut ſe renuntiarent, B) at cum ea dignitate rem quoque publicam omnem ſibi commiſſam, neque eorum jam arbitrii eſſe de Collega Auguſtali proſpicere; quo dicto perculſi milites, ac præſentiam illam animi admirati, quievere.

Hæc Nicææ in Bithynia geſta ſunt; inde Conſtantinopolim magnifice Imperator ingreſſus. Iſthic commoranti nuncii advenere permoleſti, barbaros turbato Imperii ſtatu arrectos Sarmatas, Quados, Saxones, Gothos, C) aliosque in Romanas ditiones graſſari, & gravia undique Provinciis mala incumbere; quam rem animo agitans Imperator, cum unum ſe tot rebus gerendis, tantæque moli imparem cerneret, de germano ſuo Valente in Conſortem Imperii adſciſcendo conſilium cæpit. Itaque triceſimo ab ſua inauguratione die in Hebdomo Auguſtum appellavit Valentem, D) eumque curru ſublimem, ac diademate redimitum ſecum in Urbem revexit; cui Oriente commiſſo ipſe in occidentem profectus ad reprimendas Barbarorum graſſationes operam feliciter contulit. Poſt hæc igitur Valentinianus Occidentis, Valens Orientis Imperatores, ad exceſſum uſque fuerunt. Quamobrem nos quoque Valentiniano inter Occidentis Imperatores remiſſo, Valentis res geſtas, convulſumque eo imperante Religionis in oriente ſtatum compendio exhibebimus.

Ut Rempublicam adminiſtrare Valens cæpit, gravi Procopii cujusdam perduellione appetitus, ægre dignitatem ſervavit. Procopius ille Juliano conſanguinitate junctus, ac ab eodem ut Imperium ſe demortuo occuparet admonitus, juſtis funebribus Juliano, cujus cadaver Tharſum deduxerat, perſolutis; non amplius, etſi diligentia maxima conquiſitus apparuit. E) Fertur in villa Eunomii Arianorum perditiſſimi prope Conſtantinopolim ſex ipſos menſes delituiſſe; F) Valente vero Cæſaream Cappadociæ negotiorum cauſa profecto hac abſentia, ad meditatam abuſus tyrannidem Procopius, primum quidem in Urbe ab infima plebe, mox etiam a militum plerisque Imperator acclamatus, ingentibus Rempublicam turbis implicuit. Poſt complura dein per Aſiam minora prælia, ac bellum ſex menſium ſpatio geſtum, prope Nacoliam in Phrygia cum Imperatore congreſſus Procopius, victoriam quidem, at ſibi luctuoſam obtinuit; per Agillonem enim, & Gomoarium duces ſuos, G) Valenti proditus, ac comprehenſus horrendo ſupplicii genere interiit. Adducti per vim craſſiores arborum rami, pedibusque illius illigati, ac remiſſi miſerum diſcerpſerunt. H) Nec mitior erat proditoribus fortuna, qui ſecuribus medio corpore diſſecti, eam retulerunt gratiam, quod Valenti Imperium ſervaſſent. Erat enim prædurum illi ingenium, animus ferox, & crudelis; cujus ſpecimina tum etiam, cum Orthodoxos perſequi cæpit, ſanguinaria non ſemel edidit. Caſtigatam tam ſevere tyrannidem perſequi tamen, ac prenſare Marcellus quidam non deſtitit; qui minore cum labore, ab Imperatoriis profligatus, ſua malum hoc inteſtinum cæde reſtinxit. 365

Turbata ſic Republica profana, ſacra quoque veteri ex morbo, & diſcordia laboravit. Semi-Ariani, ut eos appellant, (tametſi & Macedo-

 nianos

A) Idatius in faſtis. B) Theodoritus lib. 4. c. 6. C) Ammianus. D) Socrates l. 4. c. 1. E) Ammianus lib. 25. F) Philoſtorgius lib. 9. G) Socrates lib. 4. c. 5. H) Philoſtorgius lib. 9.

A.C. nianos a præcipuo eorum capite nominatos comperio,) A) qui ſub
365 extrema Conſtantii tempora Acacio Cæſarienſi, Eudoxio Byzantino, aliisque Arianis accuſantibus exulare jubebantur, rationem jam inter ſe inibant, qua via de inimicis ulciſci ſe, atque ſedibus eos ſuis proturbare poſſent. Itaque ſub novis Imperatoribus, novam rati habituros ſe rerum faciem, convenere Lampſacum in Helleſponto, ubi damnarunt impiam Eudoxii, & Acacii fidei expoſitionem; qui Dei Filium aperte jam in rerum conditarum ordinem detrudebant; damnarunt illam quoque, quæ Arimini concepta erat, ac veterem Antiochenam receperunt, Seleuciæ ante ſeptennium probatam. Viſi demum ſunt Divinitatem attribuere Dei Filio, quam tamen Divino Spiritui ſecuti Macedonium impie adimebant. B) Sui igitur magis, quam Dei cauſa Conventum illum celebrarunt; quod clariſſime tum patuit, cum per dolum extorta a Liberio Pontifice ſacrorum communione, & ejus authoritate muniti, & odio Arianorum commendati in ſedes quondam amiſſas eorum complures adrepſerunt. Tres etenim Legatos Lampſaco Romam ire juſſerunt: Euſtathium Sebaſtenum, facile inter ſuos Principem, Sylvanum Tharſenſem, Theophilum Caſtaballorum Epiſcopos, qui ſincera fidei forma per fraudem exarata, C) & Liberio porrecta, ejus concordiam, atque commendatitias in orientem literas obtinuerunt; nec ſolum a Liberio, verum etiam a non paucis per occidentem Præſulibus; quibus freti repetierunt orientem, ſuisque verſutiis multis Orthodoxorum turpiter illuſerunt.

366 At enim non diuturnus illis e fraudibus, & fictione fructus extitit: Eudoxius robur ut partibus ſuis adderet, & utrosque tam Semi-Arianos, quam Orthodoxos deprimeret, Imperatorem errori adjungere ſuo, potentiaque illius ſuam ad cupiditatem abuti eniſus eſt; qua in re ſolertem habuit adjutricem conjugem Valentis Dominicam, Arianis perdite faventem; quæ eo demum maritum recte antea ſentientem adduxit, ut & baptiſmum in Gothos ducturus e manu Eudoxii reciperet, & ab eodem jurejurando obſtringi ſe pateretur, nunquam ab Arianna opinione diſceſſurum, curaturumque, ut omnes in illius adigeret concordiam. D) Et cumulate profecto promiſſioni huic ſatisfecit Imperator; nulli enim labori, atque ſtudio, quin etiam ſuppliciis pepercit, ut omnes toto ſuo Imperio in Eudoxii ſententiam, & communionem pertraheret. Id decretis ſuis, id eorum, qui Provinciis præerant, opera, continuo perfectum dare cupiebat; hinc fœda plures per annos Eccleſiæ facies: ejiciebantur ſedibus Præſules Orthodoxi juxta, & Semi-Ariani, ſævitum acerbe in eos, qui iniquis ejusmodi juſſionibus obſtarent, Oriens denique aperta jam Arii impietate maxima ſui parte inquinatus. Diram hanc in Religione procellam, prænunciare viſus eſt horrendus, qui plures Provincias eodem hoc anno concuſſit terræ motus; quo mare ſic fertur exagitatum, ut Adriatico in ſinu naves ad fundum uſque deſcenderent, ac rurſus emergerent; Alexandriæ vero in Urbem ipſam redundarent aquæ, & in domibus naves deponerent, civibus fuga perniciem declinantibus; E) qui cum diſcedente jam aqua in Urbem regreſſi, naves mercibus onuſtas diripere ſatagunt, ultrices aquæ rurſus in Urbem provolutæ injuſtam hanc eorum cupiditatem ſimul cum ipſis oppreſſerunt.

Productis trans Iſtrum adverſus Gothos copiis, cum nulli ſe hoſtes in conſpectum darent, rediit in Urbem Imperator, atque inde Nicomediam transgreſſus Conventum Præſulum habuit, quem Lampſaceno opponeret: Eleuſium Cyzicenum e Semi-Arianis præcipuum factioni ſuæ cogit ſubſcribere; qui reverſus Cyzicum, atque errorem vi extortum condemnans ſuæ ſe probat Eccleſiæ, atque ob id Eunomio in locum ejus per Arianos ordinato decedere cogitur. Verum Eunomium horrenda in Dei

A) Paſſim apud Socratem, & Sozomenum. B) Sozomenus l. 6. c. 22. C) Socrates l. 4. c. 12. Recitat expoſitionem fidei fraudulenter Liberio porrectam, & ejus ad orientales Epiſtolam. D) Theodoritus l. 4. c. 8. E) Theophanes p. 38.

Dei Filium declamantem ferre civitas non potuit, ob quod receſſit ille A.C.
Cyzico, atque nova de ſuo nomine procuſa hæreſi, baptiſmum omnino 366
immutavit, non ſacræ Triadis expreſſo nomine, ſed per Chriſtum illud impertiens. A) Ferax enim ſi quæ aliquando, illa profecto factioſorum ejusmodi capitum ætas fuit; qui novas in Religionem ſectas inducere, ac de nomine eas ſuo compellari inanis gloriolæ ſtudio avebant, ut ſi de opinionibus inter ſe philoſophicis, non de negotio ſalutis omnium maximo contenderent, & velut ſi ad arbitrium cuique ſuum Religionem aptare integrum eſſet; ex quo ipſo liquidius apparuit, quam neceſſaria foret tot membrorum tam inter ſe diverſorum, atque late diffuſorum in Religione unum ad caput debita, aptaque coordinatio; ſine qua res Chriſtiana non jam Religio, ſed ſectarum colluvies exiſteret.

In eodem Ariano Conventu, multis Orthodoxorum Præſulum exilium decretum eſt, Meletio Antiocheno, Samoſateno Euſebio, Pelagio Laodiceno, aliisque; in quorum locum ſuffecti Arianorum audaciſſimi, Orthodoxos modis miſerrimis divexarunt. B) Hanc cum religionum perturbationem accepiſſent, Gregorius a patria Nazianzo cognominatus, itemque Baſilius, quibus in ſolitudine Deus tantumodo curæ fuit, ut laboranti ejus cauſæ ſubvenirent, relicto, ad quem animo obſtinati erant, ſeceſſu patriæ eorum opem poſcenti ſe reddiderunt; atque maximo Religionis commodo, prior quidem patris ſui vice, qui Nazianzi Epiſcopus fuit, res adminiſtrabat; alter Cæſareæ in Cappadocia Præſul conſtitutus doctrinæ, & virtutum luce ſpiſſas eorum temporum tenebras diſcuſſit. Acceſſit his Baſilii frater, Gregorius Niſſæ in Cappadocia Epiſcopus, iisdem laudum decoribus, ac præſertim eloquentiæ exornatus.

Valens Imperator, quo minus pleno in doctrinam ſanam furore per- 369
baccharetur, bello prohibitus eſt Gothico; de quo tamen pauca memoriæ conſignata ſunt; triennio illud geſtum ferunt, ac dein Gothos factione inter ſe diviſos, ab Imperatore repreſſos. Athanarico, ac Frithigerni Gothorum ducibus diſſidium inter ſe fuit; Frithigernes ad Valentem recurrit; qui demum victo, ac fugato Athanarico pacem certis conditionibus cum Gothis compoſuit. Idem tamen Imperator animis quam corporibus Gothicis majorem eo bello cladem attulit, C) quippe de conſilio Eudoxii ad Arianam ſectam Frithigernem, & Gothorum Epiſcopum Ulfilam pertraxit, ratus, amiciores fore, ſi eadem circa Religionem Gothis, quæ Imperatori eſſet ſententia; atque ita Gothi in Arianam prolapſi impietatem acerrimi toto orbe ejus propagatores extiterunt.

Bello expeditus Gothico Imperator rumore de Perſis ſiniſtro avocatus in orientem eſt; D) Sapores enim Arſacen Armeniæ Regem Chriſtianum, & Imperio fœderatum, convivio ſubdole exceptum, atque argenteis vinculis miſero dignitatis Regiæ ſolatio conſtrictum, necari demum curaverat; atque in terras Romanas irrupturus ferebatur. Progreſſus in orientem Imperator nihil Barbaros moliri hoſtile animadvertit; pace itaque ab hoſte undique potitus, ad bellum Religioni Orthodoxæ inferendum, totis ſe viribus accinxit. Edicto propoſito depelli Urbibus ſuis omnes illos juſſit Epiſcopos, qui ſub Conſtantio proturbati, ac dein regnante Juliano, ab exilio regreſſi erant; ita Ariani potentia Imperatoris ſuperiores plurimos ſedibus ſuis deturbarunt, E) & præſertim recte ſentientium Præſulum, plerosque.

Athanaſius quoque eadem rurſus procella vexatus in patris ſui monumento, quatuor ipſos menſes delituit; F) cumque tumultuaretur ob ejus abſentiam Urbs Alexandrina, turbas veritus Imperator, reditum permiſit Athanaſio; qui demum anno inſequente, poſteaquam annos ſex,

A) Sozomenus l. 6. c. 26. B) Theodoritus l. 4. c. 13. Diſceſſit inquit ille Euſebius ab Urbe ſua τὴν ἑσπερίνην λειτυργίαν συνήθως ἐπιτελέσας peracto pro more veſpertino Miſſarum officio. Obſerva veterem ſæpius in die ſacrificandi conſuetudinem. C) Theophanes p. 44. D) Sozomenus l. 6. c. 7. E) Theodoritus l. 4. c. 19. F) Socrates l. 4. c. 13.

A.C. & quadraginta Eccleſiæ illi inter mille vexationes præfuiſſet, ad quietem
369 abiit ejus luce, & aſpectu felicem, cujus Divinitatem, in tam denſa rerum caligine, unus ante alios aſſeruiſſe viſus eſt. Eo fatis concedente Lucius quidam A) Arianus ab Euzoio Antiocheno Alexandriæ Præſul ordinatus fuit, isque exturbavit Petrum virum inſignem, & periculorum Athanaſii ſocium, qui ab Orthodoxis Epiſcopatum Alexandrinum obtinuerat. Hic Romam ad Damaſum, qui Liberio hiſce temporibus ſancte decedenti ſuffectus erat, profugus, ſero demum Urbem, & pedum recuperavit. Per idem tempus ejectus inter alios Edeſſa eſt Barſe Præſul, ſanctimonia vitæ inclytus; qui cives ſuos adeo firmos in Religione effecerat, ut cum mandato Imperatoris, Præfectus Urbis ad Arianam communionem cives cogeret, ultro illi ad ſupplicia currerent, ac fervore ſuo deſperationem tyrannidis Præfecto, & Valenti injicerent. Niſſænus quoque Gregorius Præſulatu exturbatus octennium ea Urbe exulavit.

370 Baſilii Cæſarienſis, invicta pro fide contentio, furore cumprimis Valentem compleverat, qui nihil minis, & pollicitationibus cum promoveret, exilium viro ſancto intentavit. Forte filius Imperatori, cui Galates nomen, Cæſareæ tunc commoranti ægrotare cæperat: pollicetur Baſilius reſtituendum valetudini, ſi per Orthodoxos ſacro eundem lavacro initiari ſineret. Negavit hoc Imperator; atque Galates ab Arianis initiatus, magnum parenti dolorem interitu ſuo reliquit. Cum nihilominus obſtinatus eſſe in Baſilio proturbando pergit Valens, decretoque expulſorio ſubſcribere parat, tentatis necquicquam tribus per vices calamis, ac diruptis, brachio quoque ſubito cohorreſcente depulſus de ſententia, nihil deinceps in Baſilium molitus eſt; B) qui egregie interim ſcriptis, voceque Orthodoxos ad certamina promovendo, plurimum profuit Religioni, ut Magnus antea Monachorum in umbra pater, ſic invictus jam in arena pro Religione Chriſti pugil, & utroque Eccleſiæ orientalis lumen.

Imperatore Nicomediæ commorante obiit Byzantii Eudoxius ſectæ Arianæ coryphæus; cujus deceſſu arrecti Orthodoxi Præſulem ſibi conſtituerunt Evagrium, at Ariani ſubſtituerunt Demophilum. Evagrio exilium indixit Valens, Demophilus vero graſſari in Orthodoxos paſtore viduos cæpit. De his cum octoginta numero, viri ordinis Clericalis Nicomediam ad Imperatorem ſupplicibus cum libellis profecti eſſent, ille ira ſuccenſus, necari omnes confeſtim juſſit; C) at Præfectus patrandæ cædi veritus populi tumultum navi eos impoſuit, velut in exilium deportandos, cumque in alto jam mari eſſent, incendi naves juſſit, ita mediis in aquis exuſti, triſte quidem terris, at jucundum cœlo ſpectaculum præbuerunt. Ab horum cæde, dira fertur fames Orienti incubuiſſe, ac furioſas Principis deſignationes publica ea calamitate fuiſſe vindicatas.

Antiochiam exinde Imperator progreſſus, atque in oriente annos aliquot commoratus, nihil in Urbe illa, maxima jam parte Ariana penitus pervertenda intentatum liquit; in multos exilio, & carceribus, quin etiam morte ſævitum. Accedebat ad malorum cumulum, quod Eccleſia Orthodoxorum Antiochena, duas in partes, ob Præſules ſuos Meletium, & Paulinum, etſi utrumque vitæ ſanctimonia inclytum, diſciſſa, hoſtibus reſiſtendo minus eſſet. D) Quippe jam olim multi Orthodoxorum a Meletii ſe conſortio avulſerant, quod is ab Arianis Epiſcopus fuiſſet inſtitutus, idcirco Paulinum ſibi Præſulem creaverant; Orthodoxorum igitur Paulinum alii, alii Meletium de ſede illa diſcordes aſſectabantur, duravitque ea multos in annos perturbatio.

Orthodoxi orientales calamitatibus hiſce, tantum non oppreſſi recurrerunt opis poſcendæ ad Damaſum Romæ Pontificem; qui tamen opitulari illis apud Principem in adverſa ſententia obfirmatum non valuit.

Sed

A) Theodoritus l. 4. c. 21. Ubi etiam de inſectatione Monachorum Ægypti per Lucium facta. B) Diffuſe de hoc, aliisque Baſilii certaminibus Theodoritus l. 4. c. 19. C) Theodoritus l. 4. c. 23. Socrates l. 4. c. 16. D) De hoc inter Meletium, & Paulinum diſſidio multa Socrates, & Sozomenus.

Sed & Valentinianus Imperator tametſi ægre hanc fratris inſaniam ferret, A.C.
aliis tamen Alemannorum, Quadorum, Sarmatarum, iisque difficillimis 370
preſſus bellis ferebat pacis ſtudio hominem, tametſi ipſe Orthodoxorum partibus ſtuderet; quod ipſum jam olim ab inito Imperio univerſis pateſecerat; Conventu enim Præſulum in Illyrico celebrato literas ad Provincias dedit, ſuo, & Valentis etiam fratris nomine, A) queis ſignificabat, eam ſe fidem ſuſcipere, quæ Romano, & Gallicano in Conciliis probata eſſet, cupereque, ut eidem omnes adhæreſcant. Attamen profeſſus quoque idem Valentinianus eſt, nemini Religionis cauſa aliquid ſe moleſtiæ allaturum.

Non igitur opis aliquid Orthodoxi in Valentiniano habuerunt; qui non Arianos modo, verum etiam Gentiles, ſua ſibi habere ſacra ſivit; his etiam aram Victoriæ in Capitolio collocari, & veterum ritu, ſacra peragi indulſit. Idem ille Imperator eo quoque infamatur crimine, quod ſuperſtite adhuc Severa conjuge, de qua Gratianum jam genuerat filium, aliam ſuperduxerit Juſtinam Magnentii tyranni viduam Ario faventem; B) quin lege quoque ſanxiſſe fertur, ut duas Chriſtianis habere liceret conjuges; quod tamen ab uno de antiquis memoriæ proditum, vix tanti eſt, ut fidem in aliorum ſilentio mereatur. Certe Valentinianum ſeverum fuiſſe morum correctorem, ac præſertim acrem pudicitiæ vindicem, conſtans eſt aliorum relatio; qua in re moderationis quoque limites illum exceſſiſſe ajunt, C) ac multis ob minimas quasvis ſuſpiciones, dum ſtirpitus vitia excindere parat, mortem improvide illatam.

Valentinianus hic Imperator, anno Imperii ſui duodecimo nondum expleto, Legatis Sarmatarum in conſpectum admiſſis in iram ab iisdem concitus, ex nimia vociferatione, ſive ſanguine ab ore profluo præfocatus, ſive apoplectico malo correptus, Brigitione in Pannonia XV. Calendas Decembris vitam abrupit; D) cujus corpus Conſtantinopolim delatum eſt, ac demum ſexto poſt exceſſum anno tumulo mandatum. Duos in Imperio ſucceſſores filios habuit, Gratianum jam antea Auguſtæ dignitatis Conſortem ex Severa, & Valentinianum id temporis quadrimum ex Juſtina progenitos.

Valens inter hæc altam ut plurimum pacem a vicinis habuit; niſi 372
quod cum Mavia Saracenorum Regina bellorum aliquid interceſſiſſe videatur. Fertur enim poſt quædam prælia, pacem cum Romanis Reginam ſanxiſſe; E) & ut Moſen quendam ſibi in Epiſcopum ordinarent flagitaſſe; atque Moſes iſte, antea anachoretes, rejecta Arianorum ordinatione, eaque ab Orthodoxis ſuſcepta, Religionem in barbaricas illas oras feliciter intulit. Cum Armenio quoque Rege Para ſimultates aliquæ Imperatori interceſſerint; F) illum enim ad convivium vocatum medias inter epulas necari juſſit Imperator, dignus ipſe ſupplicio quo ſublatus poſtea eſt, Phalaridæo illi non abſimili, qui Phalaridem truculentia exprimebat.

Edidit & aliud per hæc tempora memorabile crudelitatis exemplum; cum enim Philoſophi quidam gentiles, ex tripode magicas per artes didiciſſent, G) ejus qui Valenti in Imperio ſucceſſurus eſſet, nomen ab his literis Θ. E. O. Δ. inchoare, non pauci, qui e Proceribus eminebant, Theodori, Theodoti, aut Theodoſii, Imperatoris juſſu necati ſunt: inter quos fertur fuiſſe Theodoſius H) ex Hiſpania ſtirpe clara oriundus, ac geſtis rebus clarior, Africæ tunc Præfectus, magnique illius Theodoſii, poſtea Imperatoris pater; item Theodorus unus e ducibus, qui dum eo fretus oraculo res novas molitur, in quæſtionem tractus, I) & necatus eſt. Philoſophos quoque ob id ſtudium, acriter inſectatus eſt Valens, quo non crudelem tantum, ſed dementem ſe plane exhibuit; ut qui ejusmodi oracula aut eludi poſſe, ſi vera ſint, ſperaverit; aut ſi falſa, penſi habuerit.

Quo

A) Recitat hanc Epiſtolam prorſus Catholicam Theod. l. 4. c. 8. B) A Socrate l. 4 c. 26. C) Baronius ad A. C. 371. ex S. Ambroſio. D) Ammianus l. 30. E) Theodoritus l. 4. c. 22. F) Ammianus l. 30. G) Socrates l. 4. c. 19. H) S. Hieronymus in Chronico. I) Philoſtorgius lib. 9.

A.C. 375 Quo diuturnior hæc a bellis malacia, hoc plus Religioni veræ noxia exſtitit; quod Imperator omnes ad ejus exterminium cogitationes retuliſſe videretur: certe ſectis omnibus, Judæis quoque, & Gentilibus, plenam ſacra ſua obeundi poteſtatem fecit, Orthodoxis duntaxat ab ea lege exemptis; A) quos ad ſuam ſi adjungeret opinionem, magnum aliquid, Deoque gratiſſimum præſtiturum ſe rebatur. In tanta Religionis calamitate, non deerant viri fortes, & ſpiritu magni, qui clam obirent Provincias, nutantesque erigerent: quod egregie præſtitum a Baſilio illo Magno, Euſebio Samoſateno, Meletio, aliisque; Damaſus quoque Zenobio viro inſigni Conſtantinopolim allegato, res Orthodoxorum afflictas ut poterat, ſolatus eſt. Creſcebat enim in dies Valentis furor; quem tamen Themiſtius Gentilis Philoſophus oratione ad Imperatorem habita, aliquantiſper mitigavit; dicebat enim non curandas in Religione ſectas: delectari Deum hac circa naturam ſuam opinionum varietate; quod tanto natura ejus hominibus appareret admirabilior, quanto ab eorum mentis acie remotior; B) quæ quidem apta in ſpeciem oratio Ethnico fors Principi placere poterat, at certe Chriſtiano minime omnium debebat.

Sed potentior demum vis Valentem ab hoc in Orthodoxos furore abduxit: prorumpentibus ab Scythia Hunnis, & regiones trans Iſtrum ſitas inundantibus, Gothi earum incolæ coacti Iſtrum transgredi ſunt, ducibus Alarico, & Fritigerne, utque ſecurius incolerent ſedes ſibi per Thraciam ab Imperatore popoſcerunt; futuros ſe Romano Imperio obnoxios, finesque adverſum quoslibet hoſtes defenſuros. Lætus Gothorum acceſſu Valens, ſedes illis per Thraciam attribuit; quin imo velut eorum ſecurus jam præſidio, partem militiæ non minimam diſſolvit, C) atque etiam Provincias, quæ militem prius in bella miſerant, illorum vice aurum repræſentare juſſit. Verum inconſulta iſthæc ſecuritas, & magnam Imperio cladem, & brevi exitium Valenti attulit; docuitque quam ruinæ proximum ſit in eorum fide penitus acquieſcere, quos hoſtes aliquando expertus fueris.

378 Unum, & alterum annum quiete in Thracia commorati ſunt Gothi; Lupicinus ejus Provinciæ Prætor, cum tributi neſcio quid ab iis exegiſſet, armis illi raptis Thraciam fœde populati ſunt; produxit iis reprimendis copias ab Urbe Lupicinus; quæ tamen magna a Gothis clade proſtratæ, & Thracia omnis, ad uſque Urbis pomœria, eorum graſſationibus completa. His intellectis Valens, miſſa in Orthodoxos perſecutione, quin etiam venia exulibus redeundi data, Byzantium Antiochia properavit. Interea diverſis præliis Romanos inter, & Gothos certatum eſt: ferunt Gratianum a Valente D) de ſuppetiis mittendis appellatum dignum dediſſe Principe Chriſtiano reſponſum: non decere ut adverſus hoſtes ei præſto ſit, qui cum Deo, rebusque ſacris bellum gerat. Miſſæ tamen ab eodem Gratiano duce Richomero copiæ in orientem præclaram navaſſe operam memorantur, E) Gothique a Romanis, etſi magna utrinque clade, ſuperati. At bellum quod Gratiano impendebat Alemannicum Richomerum, ab oriente revocavit; itaque reſumpſerunt, Gothi vires, rurſusque præliis diverſis Romanos attriverunt. De his cum Dux Trajanus prælio inferior, in Urbem reveniſſet, illique ignaviam Valens exprobraſſet, appoſite reſpondit, F) non ſe a Gothis, ſed Imperatorem a Deo, cujus ſacris bellum intulerit, ſuperatum.

Devictis Gratianus Imperator Alemannis, atque juxta Argentinam clade maxima protritis, Sirmium properavit, non tam Valenti, quam Romanæ potentiæ, atque Urbi in periculum adductæ opem laturus. Id cum Valens comperiſſet, jam antea convitiis populi, quod impune Thraciam evaſtari ſineret irritatus, exercitum ipſe produxit, tametſi quidam de

A) Theophanes p. 40. B) Socrates l. 4. c. 32. C) Socrates l. 4. c. 25. D) Theodoritus l. 4. c. 31. A Valentiniano ait petita auxilia, & reſponſum iſthoc datum; ſed Valentiniano jam dudum vita functo, ad Gratianum hæc referenda ſunt. E) Ab Ammiano. F) Theodoritus lib. 4. c. 33.

de Orthodoxis funeſtum illi exitum prænunciarent; atque Adrianopolim progreſſus, Gratiano haud expectato, ne gloriam debellati hoſtis cum eo partiretur, A) adverſus ducum ſententiam, cum hoſtibus etſi pacem ultro offerentibus, quam primum confligere conſtituit. Ut ventum ad manus eſt, ne primum quidem hoſtis impetum Romanæ copiæ pertulerunt, effuſam in fugam præcipitatæ. Imperator ictu ſagittæ ſaucius in caſam quampiam fœni conditorium delatus eſt, B) & a Gothis Imperatorem intus latere ignorantibus jactis ignibus uſtulatus interiit, poſteaquam Imperio annos quatuordecim, ac menſes quatuor præfuiſſet. Pugnatum eſt die nona Auguſti, ipſo Valente ſextum; & Valentiniano ſecundum Conſulibus. Marem nullam reliquit ſobolem Valens, fœminas binas Anaſtaſiam, & Caroſam, cujus conjux Dominica, audita viri fortuna, fortem ſe ultra ſexum præſtitit; quippe civibus in arma excitis, acceptis etiam, a Regina Mavia ſuppetiis repreſſit affuſos mœnibus Urbis Gothos, illosque longius fortiter ſubmovit. A.C. 378

Gratiano cum Sirmium occaſus Valentis perlatus eſſet, capeſſivit ipſe continuo Orientale quoque Imperium; atque literis quaquaverſum datis ſuam populis benevolentiam, ante alios vero iis, quos crudelitas vexarat Valentis, libertatem, Urbesque ſuas reddidit. Quin miſſo in orientem duce cognomento Sapore reponi Orthodoxos in Eccleſias, & Præſules ab exilio reduci imperavit: C) ita melior a Valentis interitu tam Religioni, quam Reipublicæ, quarum felicitas plerumque mutuo conjungitur, dies affulſit.

Adverſus Gothos ſuperiore victoria præferoces, expeditus a Gratiano Theodoſius Mœſiæ dux, manu cum iis conſerta, maximam concidit Barbarorum multitudinem, atque victor ad Imperatorem revenit; cui dum calumniam invidi ſtruerent, ceu minus ſtrenue rem in Gothos geſſerit, non verbis, quod vulgi, ſed quod herois eſt, geſtorum monumentis calumniam depulſurus, fidos ab aula mitti in locum certaminis popoſcit; illi conſpecta ingenti cadaverum hoſtilium ſtrue, ac Imperatori relata, tanto illum gaudio repleverunt, D) ut Theodoſium jam antea rebus geſtis, patreque, & majoribus clariſſimum, egregiaque forma corporis, & moribus commendatum tres, & triginta natum annos, Auguſtæ dignitatis in Conſortium adſciſceret, ac quod bello in occidente Alemannico avocabatur, Orientem ei regendum maximo illius, & Religionis commodo in manus daret. Ita poſt triceſimum a Valentis infortunio diem, Theodoſius in Imperatorem inauguratus eſt; ac Gratianus quidem in occidentem in orientem Theodoſius Sirmio diſceſſere. Et nos proinde Gratiano inter Occidentis Imperatores relicto, Theodoſium qua licet; aſſectemur.



A) Ammianus lib. 31. B) Philoſtorgius l. 9. Socrates l. 4. c. 37. C) Theodorit. l. 5. c. 2. & 3. D) Ita Theodoritus l. 5. c. 7. Solus quod ſciam; nam alii victoriam de Gothis poſt adeptum Imperium Theodoſio adſcribunt.

FL. THEODOSIUS MAGNUS.



A.C. 378



Theodosius Religione, gestisque rebus Magni cognomentum non ex vano consecutus, singulari numinis beneficio Ecclesiæ Imperator obtigit; ut prævalentem Principum præsertim favore tot per annos Arianam improbitatem magnitudine animi sui, & fervore demum opprimeret, ac Religionem in oriente præcipue in ultimum pene discrimen impulsam, pristinum in locum reponeret. Et vero præstitit, hoc tam egregie, ut omnes ingenii, & potentiæ suæ nervos ad unum illud opus contulisse visus sit. Nec defuit piis illius inceptis divinus favor; qui illum, & armis ubivis superiorem, & felicitate nemini secundum præstitit; docuitque Principes hoc illustriores, atque expressiores Divinæ in terris potentiæ fore imagines, quo integritati cultus illius, melius, ac impensius prospexerint.

Progresso in Thraciam novo Imperatori, uno, alterove adhuc anno bellum cum Gothis fuit; quin non desunt, A) qui victoriam jam memoratam, post adeptum ab eo Principatum obtentam prodant; at cum constet plures de Gothis, eodem hoc bello relatas esse victorias, B) nihil prohibet, quin utrisque talia referentibus assentiamur. Interea Valentis interitu arrecti in meliorem spem Orthodoxorum Præsules, convenerunt Antiochiam; partim ut diuturnum Paulini cum Meletio de illa Cathedra dissidium componerent, partim vero ut convulsæ per Provincias Religioni, quam primum consultum irent. Inter Meletium, & Paulinum ita jurejurando convenit, ut alterutro eorum humanis elato, alter Orthodoxis omnibus præesset, interea suam uterque Ecclesiam C) obtineret. Religioni vero constituendæ Gregorius quidem Nissenus in Arabiam, Eusebius Samosatenus in Syriam, Gregorius Nazianzenus Constantinopolim abiere. Hic postremus vitæ integritate, ac vi eloquentiæ, ita populi illius Orthodoxi perstrinxit animos, ut concordibus illum suffragiis Episco-

A) Plerique alii præter Theodoritum. B) Ex Idatii fastis. C) Socrates lib. 5. cap. 5. Sozomenus lib. 7. cap. 3. Sed Theodoritus lib. 5. cap. 3. ait Meletium, & Paulinum conventionem illam non iniisse, etsi id Meletius cuperet.

scopum optarent; at obstabat Petrus Alexandrinus a morte Valentis in Urbem, & ipse suam regressus (Alexandrini quippe Præsules, jus sibi constituendi Antistitis Byzantini dudum arrogabant) & Maximum quendam ex Philosopho Cynico Christianum, ac a moribus, & sapientia celebrem Episcopum institutum Constantinopolim ire jussit, unde rursus divisio animorum, & turbæ. A.C. 378

Perdurabat bellum adhuc Gothicum; quibuscum victis sæpe, & fugatis interventu demum Imperatoris Gratiani, pacem Theodosius composuit; exin vero ægrotare cæpit Thessalonicæ, ac baptismi gratia (in Catechumenis enim ad hoc tempus militaverat) ab Ascholio Præsule Urbis Orthodoxo, ac vitæ sanctimonia celebri adversus instans periculum communiri voluit. A) Ab eo facto velut si nova quædam Religionis promovendæ fax animo illius admota esset, literas plenas Dei spiritu in Provincias dedit; quibus hortabatur omnes, ut eam, quam Romanis olim Petrus prædicarat fidem, & quam modo Damasus Pontifex profiteretur; admitterent; abolitisque animorum in Religione dissidiis, optatam diu ad concordiam transirent; in id se operam collaturum omnem, & eorum, qui obstarent pertinaciam acriter ulturum. Eo Imperatoris edicto redire Orthodoxis animi, & hæreticos, ut eorum poscebat novandi intemperies, metus incessit. Vetuit quoque lege lata eodem hoc anno Imperator, ne sacri jejunii tempore criminales exercerentur quæstiones, indecorum ratus severitatem ab hominibus, in homines eo tempore exerceri, quod ad placandam vindicem in nos Dei iram unice foret institutum. 380

Recepta Imperator valetudine, Constantinopolim Decembri mense ingressus est, nullaque interposita mora, ædes sacras quadraginta jam per annos, ab Arianis usurpatas reddi Orthodoxis jussit; B) ita Ariano Demophilo ab Urbe discedente, Gregorius in Ecclesiam introductus Cathedram obtinuit, etsi non satis firmam, Maximo illo, & Alexandrino Timotheo, qui Petro tum defuncto successerat, omnia in contrarium moventibus.

Imperatore in Urbe commorante, advenit eo Athanaricus Gothorum Rex a suis pulsus, quocum Imperatori bellum ante, postea fœdus fuit; illum Theodosius summa accepit humanitate obviam ipse progressus; atque non diu post fato elatum, regio pro more humavit. C) Gothi Athanaricum secuti visa isthac Principis magnitudine injuriarum tam immemori, in ejus fidi obsequio perstiterunt. Persarum quoque Legatio tum adfuit; quibuscum constituta pax, & tranquillitati publicæ undique præclare prospectum.

Solutus bellorum curis Theodosius ad Religionem constituendam stirpitusque excindendas, quæ innumerabili multitudine propullulaverant, hæreses totus incubuit; cui fini indictum est Constantinopolim universale Patrum Concilium D) convenere Orthodoxi Præsules centum quinquaginta, ex Semi-Arianis sex, & triginta; qui cum concordibus suffragiis errores damnari suos animadverterent, Imperatore frustra eos ad concordiam adhortante, inde semet proripuerunt; sicque fictione, qua olim Liberio imposuerant, palam manifestata damnati fuere, & a Christianis passim inconstantiæ nota sugillati, atque rejecti. Actum dein de Divini Spiritus natura contra eosdem; perfectaque illius Divinitas, & in natura cum Patre, & Filio unitas est asserta. Damnati adhæc Eunomiani, Sabelliani, Marcelliani, & plurima hæresum monstra; quæ vel enumerare, ne dum eorum singillatim errores percensere, labor Herculeus fuerit. Suis deinde præstituti sunt Ecclesiis limites, atque serio cautum, ne fines istos, inconsulta Præsulum turbandi aviditas transiliret. Ecclesiæ Constantinopolitanæ eodem in Conventu Princeps post Romanum Pon- 381

 tificem

A) Sozomenus lib. 7. cap. 4. En certam etiam antiquis fidei regulam. B) Socrates lib. 1. cap. 7. C) Zosimus lib. 4. D) De hoc Concilio multa Theodoritus, Socrates, & Sozomenus.

A.C. 381 tificem attributa fertur authoritas; A) cui tamen legi Romani Pontifices, id quod futurum erat, veriti, toto se nisu sæpe objecerant. Abrogatus præterea Maximo illi Urbis Præsulatus, atque Gregorio pleno jure attributus; tametsi deprecaretur ille dignitatem, & ad amatam tantopere solitudinem respectaret. Et bona se defugiendi ejus oneris turbis quibusdam exorientibus eidem occasio obtulit.

Meletius, qui Byzantium ad Conventum accesserat, diem illic suum obiit; cujus in locum suffectus Antiochiæ est, contra jusjurandum olim datum, Flavianus, cum ex pacto convento solus jam Paulinus omnibus præficiendus esset. Objecit se magnopere Flaviani cupiditati Gregorius; atque eo facto orientis Antistites, quorum plerique a Flaviano erant, plurimum alienavit. Accessit durante adhuc Concilio Alexandria Timotheus; B) qui cum ordinationem Præsulis Byzantini magnis ad se pertinere clamoribus obtenderet, arrepta Gregorius ea occasione, ne sui causa turbaretur, abdicavit semet dignitate, etsi obstarent omnimodis Imperator, nec pauci de Concilio; suamque se ad quietem retraxit. Gregorii locum cepit Nectarius, vir quidem frugi, at rerum sacrarum rudis e Senatorio ordine, ne baptismo, ne dum Sacerdotio initiatus. Cum enim indiculum porrexissent Imperatori Præsules c) eorum, quos sede illa dignos censerent, novissimo loco Nectarii apposuerant nomen, quod is uni alicui de ipsis Præsulatu dignus esset æstimatus; atque hunc Imperator præ aliis ne visum quidem, divino ut quidam putavere impulsu Antistitem designavit. Eodem in Concilio diversi fuerunt conditi Canones; de modo recipiendi hæreticos ad Ecclesiam reduces, de Præsulum accusationibus, deque aliis ordinem Ecclesiasticum spectantibus; cæptumque cum Majo mense negotium illud, cum Julii mensis exitu est terminatum.

Cum vero perspectum Imperator haberet, Conciliorum decreta ad proritandos magis, quam comprimendos adversarios valere, ni Principum, quam idcirco a Deo nacti sunt, authoritate fulciantur, diversa continuo rescripta adversus hæreses dedit, ac leges etiam sancivit. Rescripsit igitur ad Auxonium Asiæ Pro-Consulem, ædes omnes sacras iis tantum addiceret, qui cum præcipuis, quæ illic enumerantur Ecclesiis consentirent; tum diversæ adversus Arianos, Manichæos, Eunomianos editæ sanctiones; vetitum illis templa construere non tam pietatis, quam pertinaciæ eorum fomenta; a privatis quoque cœtibus interdicti; quin Manichæos, quive a fide Orthodoxa desciverant, intestabiles omnino reddidit; D) ut hac pœna pervicaciam illis extunderet, qui salutis in hæresi sua negotium obtendunt magis, quam curæ habent. Vetuit denique E) publicas circa Religionem contentiones, quæ tum inter infimam etiam plebem, ac in foro ardebant; cum sciret ejusmodi litigiis accendi magis hæreticum furorem, quam retundi; & simplicem fidem præ ingeniorum acumine Deo cordi esse.

382 Ab eo igitur tempore refloruit in oriente res Orthodoxa, & multa etiam de hæreticis, ad eam facta accessio; qui a perditissimis in errorem inducti Præsulibus, ad frugem animum, bonam nacti occasionem recipiebant. Atque hoc demum est Principem esse, populorum non tam fortunis, quæ fluxæ, & labiles sunt, quam saluti, quæ immortalis, prospicere; qui nisi subditis id, quod multo præstantius est, reddiderint, frustra eorum opibus, & miseriis magnos se, & felices jactant. Hanc Religionis promovendæ curam, publica quoque consecuta est felicitas: Gothi tot antea cladibus formidati, non modo firmi in amicitia perstiterunt, F) verum etiam suo cum Rege, potestati Imperatoris, & obsequio semet addixerunt. Adeo humanitas Principis, ad populos in obsequium pertrahendos,

A) Ita exerte Socrates lib. 1. cap. 8. Extatque inter Decreta Concilii illius, sed Baronius obrepsisse putat. B) Theodoritus lib. 1. cap. 6. C) Sozomenus lib. 7. cap. 8. D) Extant hæ leges diversis locis in Codice Theodosiano. E) Sozomenus lib. 7. cap. 8. F) Idatius, Socrates lib. 5. cap. 10.

hendos, armorum felicitati præpollet; illa enim amorem, quo nullum est vinculum potentius, hæc metum tam mortalibus invisum ingenerat. A.C. 382

Non par Occidenti felicitas fuit; etsi enim Gratianus mentis, ac indolis optimæ Princeps ante omnia Religionem poneret, & præclare Imperio, inter varia adversus Alemannos, Quados, aliosque bella fungeretur, obstabat tamen divisum inter ipsum, & Valentinianum Occidentis Imperium; cujus mater Justina fœmina arrogans, & Ariana, in Orthodoxos filium assidue impellebat; A) hinc & Ambrosio Mediolani, non parum per illam exhibitum est negotii, & hæretici ubi ubi se occasio dabat, ejus ope adjuti. In Hispania quoque Priscillianistæ hæretici, rem perturbabant sacram, templaque sibi non pauca usurpaverant; quæ cum ipsis adempta essent, rescripto fraude cujusdam Macedonii officiorum in aula Magistri a Gratiano obtento eadem recuperarunt.

Sed magis adhuc perturbatæ res Occidentis sunt interitu Gratiani 383
Principis vita, gestisque rebus clarissimi. Maximus exercituum in Britannia dux, qui se de Helenæ Constantini Matris ortum prosapia jactabat, Tyrannidem illic arripuit, atque in Gallias transgressus, Gallicis legionibus ad perduellionem pertractis sedem Imperii Treviris fixit, Victore quoque filio in Consortium Imperii adscito. Adversus Tyrannum profectus in Gallias Gratianus, ab Andragathio Maximi duce, sive desertus a suis, sive fraude exceptus, interiit. Ferunt Andragathium de sponsa, quæ Gratiano per id tempus adducebatur edoctum nuptialem eam simulasse pompam, B) atque ex altera fluminis parte constitisse, Gratianum videndæ sponsæ desiderio confestim in littus alterum cum paucis egressum, atque Andragathii insidiis exceptum. Ut ut fuerit, Maximus certe ab eo tempore Britannia, Galliis, & Hispania potitus gravem Valentiniano, & Justinæ metum incussit, ut Ambrosium pacis causa ad eundem allegarent; atque contenti eo essent, ut sibi cis alpes dominari liceret, trans alpes Maximo omnia obtinente. Idem Maximus Legatos quoque ad Theodosium, paci constituendæ misit; quos ita excepit Theodosius, ut neque rejiceret omnino, nec probaret, sed vindictam de cæde Gratiani tam in se quondam benefici opportuniora in tempora seponeret.

Interim ut tanto certius ad filium Arcadium transmitteret Imperium, etsi sex tantum natum annos, Augustum appellavit; cui instituendo missus a Damaso Pontifice Arsenius est, vir eruditionis magnæ, & probitatis etiam majoris. Ut patris vice moderatorem haberet, sapienter filium admonuit Theodosius, atque scholam aliquando ingressus, cum adstantem cerneret Arsenium, Arcadium vero sublimius considentem, mutavit vices, & in throno quidem Arsenium, filium vero loco humiliore constituit, admonitum uti aperto capite præceptori auscultaret, C) non nescius hoc altius doctrinam in discipuli animum penetraturam, quo ea majori cum authoritate illaberetur: nec mercis instar emendas a præceptoribus doctrinas, sed ceu a parentibus, qui nobiliorem hominis partem efforment, suscipiendas.

Opprimendarum deinceps in Religione scissionum sollicitus, idem Imperator eodem hoc anno quosdam ab oriente Antistites Byzantium advocavit: adfuere non pauci etiam partium adversarum; quos in aulam accersitos interrogavit Princeps, ecquid veterum Patrum testimoniis, & authoritati ipsi starent? cum stare se annuissent; quidni igitur ajebat, clarissimis eorum in fide testimoniis nitimini? ad quod cum alii alia responderent, ut nunquam desunt obstinatis captiones, nullo operæ pretio discesserunt. D) Itaque pertractatis negotiis ad Religionem pertinentibus, maximeque Antiocheno illo inter Paulinum, & Flavianum dissidio, rursus Imperator edictis, & legibus in pervicaces insurrexit; ut conventus

A) Theodoritus lib. 5. c. 13. B) Socrates lib. 5. cap. 11. Prorsus dissentit ab aliis hic Chronicon Alexandrinum; ait enim p. 242. Gratianum fraudibus Justinæ novercæ, Constantinopoli interfectum. C) Baronius ex Surio de vita Arsenii. D) Socrates l. 5. c. 10.

A. C. nusquam ſuos agerent, ut Præſulem ordinarent nullum, ut omnibus in
383 Republica muniis excluderentur; quin Urbe quoque Byzantina iis interdictum eſſe comperio. Latæ tum leges quoque ſunt adverſus Gentiles nondum plane oppreſſos, ac in Judæos Chriſtianis mancipiis inhiantes.

384 Pietatem hanc Imperatoris munerari viſum eſt cœlum, conceſſo altero filio Honorio, ex Facilla conjuge Principe religioſiſſima, & illuſtrium ejusmodi Imperatoris inceptorum vel ſocia, vel authore; nec deſunt, qui conjugem per eam in Religione confirmatum A) prodant, Sanctarum ob hæc decora mulierum catalogo a Græcis adſcriptam. Adfuere per id tempus Legati Perſici, & firmata rurſus pace populi lætitiam geminarunt.

Nihil deinceps oriente in alta pace conſtituto per conſequentes hos tres annos memoratu magnopere dignum ſe offert; præterquam quod per eosdem præclare de Religione mereri e more ſuo Imperator inſtiterit. Iteratis enim edictis repullulantem Gentilium audaciam compreſſit; pſaltrias, & fidicinas, ejusquemodi peſtes, emolliendis hominum mentibus natas lege vetuit; ſpectaculis, & circo ſtata tempora definivit, ac demum majore Gentiles vi aggreſſus Cynegio Pro-Conſule in Ægyptum B) miſſo, Deorum cultu interdixit penitus; atque fana eorum, olim a Conſtantino occluſa, ipſe radi funditus imperavit; exinde ubivis profanis illis ſacris bellum plures in annos illatum. Alexandriæ cumprimis magnus Chriſtianorum in evertendis ſimulacris fervor apparuit, quibus confligendum quoque cum Gentilibus erat, C) Deos deſtrui ſuos indignantibus; comminutæ non citra irriſum ſtatuæ; una tantummodo memoriæ, & contumeliæ gratia reſervata. Apameæ inſignis cujusdam delubri firmitas operam in deſtruendo ſuperabat: captum id conſilii eſt, ut columnas, queis ædes tota nitebatur, aliam poſt aliam ſuffoderent, lignis interim, ne laborantes opprimerentur ſuppoſitis, quibus igne deinde ſubjecto moles tota corrueret, D) opportune id cogitatum fuit; ſed ſufflaminavit inceptum malus Dæmon, igni ne materiæ nocere poſſet, vi adempta. Marcellus Urbis Antiſtes, in preces abjectus, aqua crucis ſigno munita materiam conſpergi juſſit, atque ignem ſubjici; ita abactus tenebrio opitulari ædi ſuæ non valuit. Per eosdem hos annos Flacilla conjuge morbo amiſſa, duxit Imperator Gallam Placidiam, Valentiniani ſenioris, & Juſtinæ filiam, quæ conjunctio in cauſa præcipue fuerit, quod Valentiniano juniori per Maximum Tyrannum Italia pulſo, totis idem Imperator viribus opitulatus ſit.

387 Valentinianus junior Juſtinæ matris hortatu, multa pro Arianis reſcripta dedit, inter quæ fuit, ut Arianis ædes ſacræ redderentur; cui edicto, cum paſſim Præſules ſe objiciunt, ante alios vero Ambroſius Mediolanenſis, contra Auxentium ejus ſectæ Præſulem acriter dimicat, ob id Sacerdotes velut Principum juſſionibus refractarii, vexari peſſime cæperunt. E) Maximus Tyrannus quidem, at in rem Orthodoxam bene animatus admonuit Valentinianum, deſiſteret ab eo in viros ſacros furore, idque ni faceret, arma quoque comminatus eſt. Sive igitur hoc belli prætextu uſus ſit Maximus, ſive Imperii totius obtinendi cupiditate exarſerit, magnis denique cum copiis Italiæ infunditur. Subitaneo hoc bello perculſi Imperator, & Juſtina Ambroſium male antea abs ſe vexatum ad Maximum allegant, pacem quovis modo procuraturum. Sed rejecit Ambroſium Maximus, atque Mediolanum properavit. Valentinianus itaque & Juſtina Theſſalonicam ad Theodoſii opem confugerunt, F) accepti ab eo magnifice, ut tantos decebat exules, etſi vitiis ipſi ſuis exilium, quod illis objectabat Theodoſius, promeruiſſent. Ille igitur ulturus

A) Theodoritus l. 5. c. 19. B) Idatius. C) Socrates l. 5. c. 16. D) Theodoritus l. 5. cap. 21. aitque: ἀπέδραμεν ὁ δαίμων ἐκ ἐνεγκὼν τὴν τῦ ὕδατος προσβόλην. Fugit Dæmon non ferens vim aquæ; obſerva hic morem aquæ ſacrandæ pervetuſtum a Theodorito, qui ſuppar huic ævo fuit, proditum. E) Baronius ex Paulino de V. S. Ambroſii. F) Sozomenus lib. 7. cap. 13.

rus præſertim Gratiani cædem contractis copiis, in Italicam expeditionem A. C.
accingitur. Occaſione hujuſce belli tributi amplius aliquid populis im- 387
peratum fuerat; cujus impatiens plebs Antiochena, cæteris levior exarſit in Principem, & Flacillæ ſtatuam, per ludibrium traxit; quæ contumelia mulieri tam piæ irrogata ſic iram Theodoſii exſuſcitarat, ut extrema omnia civibus comminaretur; A) a Flaviano tamen Urbis Præſule Byzantium progreſſo, placatus oſtendit, magnos ejusmodi animos, ad vindictam juxta, & indulgentiam celeres habere motus, & errati pœnitentia magis, quam ſuppliciis civium oblectari.

Magno in bellum apparatu, ſed divinis ante omnia præſidiis, & Jo- 388
annis in Ægypto Anachoretæ, aliorumque precibus munitus Imperator, exercitum in Pannoniam produxit; ubi quidem primum ad Sciſſiam cum ipſo Maximo, dein ad Petavionem, cum fratre ejus Marcellino congreſſus B) victorias plane inſignes retulit, ducibus uſus Timaſio, C) Richomero, Promoto, & Arbogaſto. His rebus fractus Maximus recepit ſe Aquilejam, atque non diu poſtea a ſuismet militibus, octavo, & viceſimo Julii die Imperatori eſt D) præſentatus; illum milites e conſpectu Theodoſii, qui jam inflecti cæperat abreptum mille vulneribus diſcerpſerunt. Andragathius Gratiani interfector, claſſi tum in Sicilia Præfectus, audito Maximi occaſu, in aquas ſe jecit præcipitem; Victor vero Maximi filius, ab Arbogaſto comite eſt interfectus. Ita bellum tam late patens opinione celerius, & felicius patratum eſt; cujus victoriæ hunc pulcherrimum cepit fructum Theodoſius, E) quod ademerit templa Arianis, Valentinianumque ab iis abſtractum, defuncta tunc Juſtina Orthodoxis reddiderit.

Unum & alterum adhuc annum conſtituendæ publicæ rei in occidente, exegit Theodoſius triumpho per quam inſigni, Romam F) cum Valentiniano, & filiolo Honorio ingreſſus. Ut vero palam faceret non latius imperandi, ſed opis ferendæ cauſa, bellum abs ſe ſuſceptum, omnes quæ Valentiniano antea parebant, Provincias, eidem reddidit, G) quarum partem adminus ſibi decerpere non injuria poterat, ſi non ut populos, ita etiam imperandi cupiditatem, quæ plerumque Principes in transverſum agit, moderari noſſet. Romana ejus commoratio magnum Religioni, & Urbi attulit emolumentum: diſcordia eorum, qui Luciferum Calaritanum ſecuti erant, ſopita tum fertur; quin ea etiam, quæ inter Flavianum Antiochenum, & Siricium tunc Pontificem interceſſerat, H) Paulino jam demortuo; coercita poſtea Magiſtratuum cupiditas, fœda quædam ſcelerum latibula excuſſa, I) dejecta in Capitolio ara Victoriæ, ſacrificari Diis vetitum, hæreticorum denique audacia ſanctionibus multis ab Imperatoribus compreſſa.

Inter plurimas a Theodoſio, ac Valentiniano tum latas leges, una in reprehenſionem incurrerat, qua vetabatur, ne quid a Diaconiſſis, ut vocabant, aut ſacratis Deo fœminis dono templis addiceretur; K) quæ tamen ipſa Ambroſio, & aliis obnitentibus Veronæ brevi abrogata eſt; cujus ferendæ legis occaſio fuerit fœdum, quod eo plane tempore Byzantii in templo admiſſum eſt facinus. De ejusmodi mulierum ordine, quæpiam Sacerdoti, qui pœnitentibus in templo præerat, errata enunciavit, L) & ad longiorem in templo placando Numini commorationem condemnata cum Eccleſiæ illius Diacono ſcelus conſcivit, atque opes in illum ſuas prodegit. Id cum ad populi permanaſſet aures, indignabatur vehe-

A) Theodoritus lib. 5. cap. 20. B) Zoſim. l. 4. C) Philoſtor. l. 11. D) Socrates l. 5. c. 14. E) Suidas de Valentiniano. F) Sozomenus lib. 7. c. 14. G) Socrates lib. 5. c. 18. H) Theodoritus l. 5. c. 23. I) Socrates lib. 5. c. 18. K) Baronius ex Codice Theodoſiano. L) Referunt hoc factum Socrates, & Sozomenus; ex quorum relatione multi contendunt abolitum tunc fuiſſe morem confitendi peccata; ſed profecto id neuter exerte aſſerit, verum Presbyterum pœnitentibus præpoſitum a templo amotum fuiſſe, ἔπαυσε τὸν ἐπὶ τῆς μετανόιας πρεσβύτερον. ut Sozomen. quin ait: ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολόγειν τὴν ἁμαρτίαν χρεών. In petenda venia neceſſum eſt peccatum confiteri. Male autem Socrates morem confitendi peccata inductum ait ſub exortum Novatianæ ſectæ, contrarium Sozomenus.

A. C. 388 vehementiſſime tanto ſcelere pollutam eſſe Eccleſiam, atque in ſacri Ordinis viros acriter incenſus eſt. Fertur Nectarius ab eo facto removiſſe Sacerdotem pœnitentibus præpoſitum; atque neceſſitatem placandi Numinis ſuum cuique ad arbitrium rejeciſſe. Sunt, qui ab hoc tempore morem peccata Sacerdotibus enunciandi, in ea Eccleſia ſublatum contendant; quaſi vero ab homine unius ob flagitium aboleri id potuerit, quod omnium delendis criminibus, tam ſalubriter a Deo fuerat inſtitutum.

Mediolanum poſt hæc progreſſus Imperator illuſtre hic, & ære perennius Chriſtianæ demiſſionis in Principe monumentum poſteris defixit. Bothericum militiæ apud Illyros Præfectum, cives Theſſalonicenſes in circo congregati, quod is aurigam ſuum in carcere detentum, & aurigandi peritiſſimum, equeſtre ad certamen producere nollet, orta ſeditione peremerunt. Cædes hæc Imperatori nunciata, vehementi illum ira commovit, A) nec defuere militiæ duces, qui quod res agi ſua videretur, Imperatorem ad vindictam incenderent; non permittendum facinus tam atrox impunitum; conſcitam a promiſcua multitudine cædem, cæde pariter civium promiſcua vindicandam. Sive æquitatis ſtudio agi ſe Princeps, cætera probus exiſtimaverit, ſeu ira præceps abreptus ſit, cædis patrandæ poteſtatem ducibus fecit; qua illi immaniter uſi fuere: in populum Theſſalonicenſem ad ſpectacula congregatum immiſſi militum globi, promiſcuam ſeptem millium necem intulerunt. Ut vindictæ hujus atrocitas rumore per orbem diffuſa eſt, denunciat Ambroſius Imperatori, immani illum ſcelere adſtrictum eſſe, ob tot innocentum cædem; neque ſe communia deinceps cum eo ſacra habiturum. Exhorruit ad eam denunciationem Theodoſius; orat ſupplex delicti veniam, obſecrat, ſed nihil impetrat: quin a veſtibulo quoque ædis ſacræ repellitur; cumque Davidico ſemet exemplo, ad ſpem veniæ erigit, illud audire cogitur: ſequeretur pœnitentem Davidem, qui errantem ſecutus ſit.

In palatium dein regreſſus Imperator octo ipſos menſes placando Numini, & lachrymis impendit. Cum vero Sacro Chriſti Natalitio die appropinquante altius ingemiſceret Imperator, quod infimis e plebe templum pateret, ſibi autem eorum Principi occluſum eſſet, Ruffinus cui ſumma erat in aula authoritas, perfecturum pollicetur, ut Imperatori veniam errati Ambroſius indulgeat. Conventum Ambroſium, duriorem opinione ſua reperit Ruffinus; illum enim velut conſilii tam iniqui authorem acriter reprehendit Præſul; nec Imperatorem admiſit prius, quam lege caveret, ut deinceps a ſententia ſanguinis, & bonorum lata triginta ad ejus executionem dies interjicerentur. Quod ut lubens præſtitit Imperator, in ædem ſacram progreſſus, atque in terram toto corpore provolutus profuſis lachrymis veniam delicti imploravit. Cum vero intra cancellos ſeſe recepiſſet, monitus per Presbyterum ab Ambroſio, Sacerdotibus, non profanis eam competere ſtationem, magna ſe animi demiſſione inde etulit, excuſans factum ignorantia, quod Byzantii eo loco conſiſtere Imperatores conſueſſent. Ita excelſus ille animus Dei, & ſalutis cauſa feliciter ſeſe abjecerat; in quo tam illuſtri exemplo merito ambigas, uter ipſorum major, Ambroſius in infligenda pœna vindice, an Theodoſius in ſubmiſſe recipienda apparuerit.

391 Conſtitutis in occidente rebus omnibus e ſententia Conſtantinopolim Nonis Novembribus, Imperator ingreſſus tranquilla omnia in oriente reperit, ac Religionem multorum acceſſione in dies florentiorem. Ariani, qui ſiniſtrum de exitu prælii rumorem in Urbe diffuderant, ac ſeditione concita domum Nectarii inflammaverunt, B) Arcadii precibus mitigarunt Imperatorem; ac forte etiam ſua ad Orthodoxos tranſitione iram Principis plus de ſalute ſuorum, quam vindicta ſolliciti leniverint. Non diuturna tamen hæc a bellis fuit ceſſatio: vix Conſtantinopolim attigerat Theo-

A) Theodoritus diffuſe de hac Ambroſii conſtantia, & Imperatoris pœnitentia lib. 5. cap, 18. B) Sozomenus lib. 7. cap. 14.

Theodoſius fama detulit, alium pro Maximo Tyrannum inſurrexiſſe Eugenium Arbogaſti Ducis ambitione ad arripiendam Tyrannidem pertractum. A) A. C.

Arbogaſtus genere barbarus, at geſtis rebus, virtuteque, militiæ non obſcurus Magiſter, cum potentia immane quantum excreviſſet, Valentiniano timori eſſe cæpit; quam ut circumcideret Imperator Magiſtratu illum militiæ abdicavit; ea irritatus contumelia Abrogaſtus, cum pleramque aulam beneficiis poſſideret, eo juventutem perpulit, ut Valentiniano dormienti fauces eliderent, B) fœdo inſuper dicito rumore ceu juvenis Princeps ipſe ſibi vitam laqueo ademerit, ſcelus contegerent. Ita periit Valentinianus, viginti tum natus annos, poſteaquam a patris morte annos ſexdecim Auguſtus fuiſſet. At Arbogaſtus, quod ipſi utpote e Barbaris orto, nulla eſſet occupandi ſpes Imperii, Eugenium quendam olim Rhetoricen profeſſum, tunc vero ſcriniorum in aula imperiali Maſtrum Imperatorem conſtituit, atque immenſis undique adſcitis copiis, potentem, formidandumque de nihilo effecit. 392

Cupiebat his intellectis quam primum Tyrannidi occurrere Theodoſius: ſed apparatu tam longinqui belli, aliisque curis præpeditus, non niſi uno, & altero poſt cædem Valentinianam anno vindex adfuit. Interea ut Imperio, familiæque ſuæ certius proſpiceret, filium Honorium in Hebdomo Auguſtum appellavit. Quo eodem tempore virorum illuſtrium cæde Promoti, Procli, aliorumque Ruffini calumniis, qui jam tum ambitione ſua miſcere cuncta occæperat, circumventorem, res aulicæ turbatæ fuerunt, C) Theodoſio omnes in futurum bellum curas intendente. Inſtructæ igitur quam optime ſunt legiones, Barbarorum copiæ ſubſidio accitæ, de ære, commeatuque proſpectum. Sed melior alius fuit Imperatori apparatus, aſſiduum nempe precandi, jejunandi, corporisque afflictandi ſtudium; ferunt ad ſolitariorum quoque in Ægypto, atque alibi preces illum recurriſſe; D) atque de his Joannem illum Imperatori nunciaſſe, fidenter iniret expeditionem; victoriam enim, etſi minime incruentam obtenturum. 393

His arrectus longo, & difficili itinere ad alpes uſque Julias progreſſus eſt, quas prior occupare Eugenius moliebatur, verum illas feliciter antecepit Theodoſius. Erant Eugenio copiæ innumerabiles e Gentilibus, & Barbaris ſpe reſumendæ ſuperſtitionis invitatæ; etſi enim Chriſtiani fuerint Eugenius, & Arbogaſtus, Gentilium tamen uſi opera, ſpeciem in exercitu E) veteris impietatis prætulere Jovis fulminantis, atque Herculis effigie aciei præire juſſa. Cum his igitur prope Aquilejam cruento prælio, & ancipiti die quinto Septembris F) concurſum eſt. Duos id prælium dies protractum fertur, etſi non una exſtet de modo rei geſtæ narratio; & primo quidem die Barbaris, qui cum Imperatore erant loco motis Tyranni partes viſas ſuperiores; G) nocte vero in precibus a Principe exacta conſpectos ei per quietem fuiſſe Divos Joannem Evangeliſtam, & Philippum, atque in diem alterum victoriam pollicitos. Rurſus igitur commiſſæ acies: quo in prælio barbaricæ Imperatoris acies inclinatæ iterum, ſed Bacurii militiæ Magiſtri accurſu reſtitutæ ſunt. Hic rurſus Imperatore in preces provoluto, ſubito ventus exſtitit validiſſimus, qui pulverum nube oculos Eugenianis offunderet, atque etiam tela in eosdem retorqueret; H) quo confuſæ hoſtiles acies cædi, & vulneribus patuerunt. Id conſpicata ex edito Eugenianæ aciei pars, quæ ad claudendos a tergo Imperatorios per juga montium acceſſerat, pacta priſtinos militiæ gradus, 394

H &

A) Sozom. l. 7. c. 22. Flaviano, qui Præfectus Prætorio apud Valentinianum fuit defectionem attribuit, quem conſtat Eugenii partes ſecutum fuiſſe, alii omnes Arbogaſto tribuunt. B) Ita Socrates l. 5. c. 25. at Philoſtorgius lib. 11. & Theophanes p. 48. ex eo rumore, Valentinianum ſibimet necem conſciviſſe ſcribunt. C) Zoſimus l. 4. D) Sozomenus l. 7. c. 22. & 24. E) Baronius ex S. Auguſtino. F) Socrates l. 5. c. 25. G) Sic Theodor. l. 5. c. 24. At reliqui unius tantum prælii meminerunt. H) In hoc conſentiunt Scriptores omnes tam Chriſtiani, quam Gentiles.

A. C. & honores, ad Imperatorem defecit. A) Hiſce rebus fracti denique ho-
394 ſtes, aut cæſi ſunt, aut armis projectis in fidem accepti; quin etiam Tyrannum ſuimet milites vinctum Imperatori adduxerunt, cui vitam fruſtra deprecanti caput abſciſſum. Paucis fuga opitulata eſt; in his fuit Arbogaſtus mali tanti incentor, qui tamen tertio poſt die ex deſperatione ſibi gladio vitam ademit; atque ita mira Theodoſii felicitate tantus ille improbitatis apparatus paucos intra dies ex oculis evanuit.

Ab hac victoria Occidentis quoque Imperio potitus Theodoſius Mediolanum maxima populi lætitia ingreſſus eſt; ſaluberrimisque legibus conſtituere Rempublicam aggreſſus. Militibus Tyrannum ſecutis, ac ſupplicibus, item ad templa refugientibus veniam facile indulſit, cujus moderatio nusquam pulchrius, ac in media victoria alioquin inſolenti eluxit. Innovatis poſt hæc ſuperioribus in Gentiles decretis, penitus Deorum cultu ubivis terrarum interdixit, ratus pulcherrimum hunc victoriæ ſuæ fructum, ſi quos vicerat, eorum ſaluti quam optime conſuleret. Denique ut lætitia tantæ victoriæ ad omnes pertingeret, annonaria tributa magna parte populis relaxavit lætis quidam victoria, ſed tali victoriæ fructu lætioribus. At enim magno hoc Principe ingenti ſuo malo frui non licuit diu Occidenti: ſub ipſum anni ſequentis initium ex aqua intercute ægrotavit. B) Recreatus aliquantum a morbo eſt, filiorum Arcadii, & Honorii ex oriente adventu; qui victoriam gratulaturi accurrerant: ſed demum decimus ſeptimus Januarii dies triumphalem lætitiam cum funebri mœrore C) commutavit. Obiit itaque Theodoſius Princeps ſæculorum memoria digniſſimus annis Imperii ſexdecim, vitæ quinquaginta circiter expletis; D) cui præter dictos jam filios, filia quoque ex altera conjuge Galla Placidia ejusdem nominis fuit. Corpus funebri cum pompa Byzantium delatum, atque in æde Apoſtolorum humatum eſt; de quo Principe illud jure dixeris, fortitudine illum militari ſummos Duces, in adminiſtranda Republica maximos Imperatores, Religionis vero proferendæ ſtudio, Pontifices ipſos exæquaſſe, atque neminem unquam ex homine privato altius, & felicius eluctatum.

FL. ARCADIUS.



395 THeodoſio vita functo filii Honorius, & Arcadius orbem Romanum bifariam diviſere, nunquam exin ad hæc uſque tempora unius ſub Imperium capitis ex integro rediturum. Agebat id temporis Arcadius cui Oriens obtigerat annum ætatis viceſimum, jamque duodecim cum patre imperaverat; cujus, uti & Honorii tutelam, Stiliconi e Vandalis quidem orto, ſed multorum in familiam Theodoſii meritorum, inque Chriſtianam Religionem probe animato moriens pater crediderat.

A) Pu-

A) Socrates ibidem. B) Philoſtorgius lib. 11. C) Socrates lib. 5. cap. 26. D) Tot annos vitæ attribuit Victor, at Socrates, & Sozomenus ſexageſimo anno defunctum ajunt.

A) Pupugit res ea Ruffinum Orientis Præfectum obſcurum genere, & A. C.
quod ejusmodi terræ filiis ſolenne, avarum juxta, & ambitioſum; cui du- 395
cturus in Eugenium Tyrannum Theodoſius Arcadium cum oriente commendarat; Is tamen ſuprema voluntate a tutela Principis, unaque parandi per eam occaſionem Imperii ſpe excluſum ſe indoluit. Acceſſit ad intemperantiſſimum hoc animi vulnus aliud; quod cum nihil propius abeſſet, quam ut juveni Principi filiam locaret ſuam in matrimonium, Eutropii Spadonis ſed in aula gratioſi artibus perfectum ſit, ut Arcadius inſperato Promoti Conſularis neptem, cui Æliæ Eudoxiæ nomen erat, in Regiam deduceret. Ille dolore, & ira amens nefariam ſpem concipit deturbandi regno Arcadii; ſibique illud modis omnibus parandi. Et erat ei auctoritas Regiæ proxima; nihil ſine illo Arcadius, multa ille pro Arcadio, ſed ſua pro libidine plura, cui tamen juſtitiæ fucum, ſpeciemque boni illinere ſolers noverat. Sub ipſum regiminis exordium multa ad Ruffinum Arcadius pro Religione Chriſtiana adverſus Gentiles reſcripſerat, quæ ſingula gnaviter ille exercere, in nullo officio Prætoris deeſſe, tranquille in ſpeciem jus omnibus dicere, cum interea occultis conſiliis ad miſcendas Imperii res, Regnumque in turbido rapiendum ex ultima Scythia Hunnos, ex Septentrione Gothos promiſſis maximis pelliceret, arcana cum ipſis haberet fœdera, quæ denique in Orbis Romani ipſiusque perniciem recíderent. Hujus artibus ignotæ illæ Gentes ſuis audacius prorumpere repagulis, ac novas majori quam unquam antea numero ſedes quærere cæperunt; atque rebus per domeſtica Romanorum diſſidia non improſpere cedentibus, orbem diripere, novisque & importunis miſcere coloniis, nullis dehinc ſat viribus reprimendi. Tantum nefaria unius hominis ambitio ad vaſtitatem orbis terrarum valuit.

Namque primo ab obitu Theodoſii anno Hunni Aſiam, ipſamque Palæſtinam, Gothi vero Græciam crudeli populatione diripiunt; illi quidem e Caucaſi anguſtiis, hi ex ultimo Septentrione magno numero immiſſi. Gothi Duce Alarico per Thermopilas proditione Ruffini penetrant, omnia ferro & rapinis fœdant. Stilico qui tum Occidentis ſub Honorio copias ductabat, opem laturus adfuit continuo, ſed quo minus Gothos Græcia exigeret, ejusdem proditoris fraudes præpedivere: is a Stilicone æmulo, male metuens, omnibus apud Arcadium eniſus artibus effecit tandem, ut exercitus Orientis, qui pugnaturus in Barbaros Duce Gaina ſe Stiliconi junxerat, jamque incenſis in pugnam animis, ſignum a Ducibus expectabat, præpropere juberetur, quas neſcio ob ſuſpiciones Conſtantinopolim regredi. Ita Stilico viribus jam multo inferior, fruſtratus expeditione in occidentem ſe cum exercitu recepit. At milites eodem Gaina Duce, ad Arcadium reverſi, nec neſcii cujus opera victoria ſibi e manu extorta, proditaque foret hoſtibus Patria, ad ulciſcendas Ruffini cæde calamitates animum adjiciunt. Nec dilatum longe ſupplicium: Ruffinus enim ſperans amicorum, & militum favore Imperii Conſortem ſe renunciatum iri, parato in eam rem donativo, ſubornatisque qui id apud exercitum curarent amicis, comes Arcadio ad ſalutandum exercitum Urbe prodit, dumque magnum ad ſe undique concurſum militum fieri videt, ratus ab iis Imperatorem ſalutandum ſe, auctor eſt Arcadio, ut ab eo Imperii Confors renuncietur, ne contra dignitatem ſuam invitus, id tamen pati debeat; hæc dicentem, magnaque æſtuantem ſpe milites circumdant, milleque ictibus ab iis hoſtis Imperii diſcerpitur. Caput illius conto affixum, manus vero reſecta ad petendum rapiendumque avide obolum a militibus per jocum aptata, & circumducta eſt. Hic exitus fuit Ruffino, abjecti infra ultimos, dum ſupra omnes ſcelerate enititur. In bona Ruffini, & quam habebat auctoritatem proturbatis, qui eum aut ſanguine, aut amicitia contingebant, invaſit Eutropius, ex Eunucho Ar-

 cadii,

A) Narrantur hæc a Marcellino in Chronico, Sozomeno, ſed imprimis a Zoſimo lib. 5. Chriſtianis infenſo.

A. C. cadii, & tantum non Imperii potens, æmulique ſui nece liberior magis, quam cautior, non diſſimili, & ipſe infortunio deprimendus.

396 Sublata Tyrannide, non propterea Barbari e ſolo Romano ſubmoti; quin contemptis Romanorum viribus, quas diripuerant terras coloniis ſuis implebant, magnaque eorundem contumelia, per intervalla miſcere, ac turbare perrexerunr. Hos ad compeſcenda hominum ſcelera, ſtirpitusque excindendam Deorum ſuperſtitionem, immiſſos credidere viri Sancti, quando his ipſis temporibus Deus adverſus A) Conſtantinopolim cœlum ac terram armarit, prænunciato per virum quempiam Urbis in diem certum, & horam interitu; quam tamen pœnitentem videre, quam pereuntem maluit; levi terræ motu, ac flamma ſuper Urbem pendula, & prædictioni fidem faciendo, & ſe precibus populi placatum oſtendendo. Arcadii potiſſimum pietate averſam ab Urbis jugulo perniciem vulgo creditum; qui ſingulari Deum pietate publice privatimque colebat, hæreſum hoſtis acerrimus; ſola illi deinde labem aſperſit Eudoxia, cui dum remiſſius obſequitur, tantis initiis exitus non ſatis reſpondit.

398 Quamquam biennio poſt, non ſua id quidem, ſed Eutropii culpa, ab ea pietate deſciſcere viſus eſt, dum edicto cavit, ne confugientes ad Eccleſias criminum rei pro more aſylo gauderent, ipſo, qui legis auctor erat, Eutropio iſthoc perfugium non diu poſt quærente, quod eum in modum accidit.

399 Hic ſemivir ſervili ortus genere, mira agendi, & adulandi arte, penitus in animum Arcadii penetraverat, ejusque vice Urbem, quin orientem omnem tametſi Deorum impurus cultor regebat. Indigniſſima hæc res cunctis auctoritate pollentibus viſa; maxime cum eum vita turpiter maculatum, & poteſtate abuſum ſua, Conſulatus inſuper dignitate auctum conſpexere. Urebat imprimis B) Gainam exercitus Ducem Gothum genere, hominem prætumidum, & ferocem Eutropii dignitas, certum aut ſe perdere, aut æmulum. Is igitur Tribigildum Barbarorum Ducem ſibi conſanguinitate junctum, clam in Arcadium concitat, in eumque profectus bellum perfide ducendo, quod diceret ſummam Rempublicam non eſſe in unius eventum prælii conjiciendam, ejus potentiam reddidit Imperatori formidabilem: cumque jam in eo res eſſet, ut niſi ſua, ſuorumque opera, Imperium locari in tuto nequiret, aperte ſe, exercitumque hoſtem Arcadio declarat, niſi ſuæ Eutropius poteſtati dedatur. Imperator in eo rerum articulo neceſſitati parendum ratus, Eutropium dignitate ſpoliat: ille contento curſu Eccleſiam aſylum quæſiturus petit, obterendus populi & militum in eum furentium tumultu, niſi defenſorem nactus eſſet, Joannem illum Chryſoſtomum; qui efferatorum animis mira orationis arte inflexis vitam homini impetravit, eumque Imperator in Cyprum inſulam deportari juſſit. At Gaina ne hac quidem pœna contento, tandem infelix capitali ſupplicio perimitur, futurus terriculum omnibus, qui ſacrorum jura violare, aut ea quoquomodo perturbare conniſi fuerint.

Hic de quo mentio Joannes C) ab aureo eloquio ſic dictus, ex Antiocheno Presbytero populo illi furtim ſubductus, non ita pridem Nectario ſucceſſerat. Magnam ille Nominis celebritatem literarum, ſed imprimis eloquentiæ laude adeptus fuit, Libanii Philoſophi olim diſcipulus; qui interrogatus ſub exitum vitæ, quem ſcholæ præfici poſt ſe vellet, reſpondit: Joannem vellem, niſi hunc Chriſtiani nobis præripuiſſent. Nactus civitatem moribus perditam ſic orationum vi ad frugem reduxit Joannes, ut ipſam ſe non agnoſceret; caſtigavit diſſolutos Cleri mores, ludorum exagitavit impudentiam, templis frequentiam, animis pietatem indidit; ſuaque qua eloquentia, qua fortitudine perfecit, ne multis

A) Marcellinus in Chronico. B) Totam hanc Gainæ tragœdiam ex Zoſimo lib. 5. repete, cujus meminere etiam Socrates lib. 6. cap. 5. Sozomenus lib. 8. cap. 7. Theophanes in Chronographia p. 52. &c. C) Socrates lib. 6. cap. 5. Theophanes, paſſimque alii.

tis per hæc tempora preſſa malis Conſtantinopolis interiret. Hujus ipſius A. C.
de quo paulum ante, Gainæ furorem barbarum repreſſit, ac eliſit.

Is eo proceſſerat impudentiæ, ut direptione Aſiæ & morte Eutro- 400
pii minime exſatiatus, auderet præcipuorum e Senatu capita poſtulare, templumque ſuis in Urbe Arianis. Arcadius duræ neceſſitati cedens, mittit poſtulato Gainæ, præcipuos tres in Republica viros, Aurelianum Conſulem ejus anni, Conſularem Saturninum, & Joannem ſibi a ſecretis, qui ad avertendam Patriæ calamitatem ſponte ſe exitio illi obtulere. Verum hos Barbarus terrere contentus leviter gladio perſtrictos in A) exilium amandavit. Illos brevi ſecutus eſt Chalcedonem Arcadius, cum negaret Gainas cum ullo tranſacturum ſe de pace, præterquam cum ipſo Principe; eum igitur in privato colloquio Arcadius in fidem recipit, data illi peditum & equitum Præfectura; præſtitumque jusjurandum de non ſtruendis invicem inſidiis. His rebus peractis Conſtantinopolim venit Gainas nullum non movens lapidem, ſuis ut in Urbe Arianis templum obtingeret. Et futurum id erat Principe, omnia præ metu largiente niſi illo fortiorem adverſarium nactus eſſet Chryſoſtomum; B) qui fruſtra, ut tempori cederet rogatus ab Arcadio, nunquam paſſurum ſe libera voce reſpondit, ut in eodem templo, ſuas in Deum blaſphemias jactarent Ariani, in quo antea veri cultores laudes illius concinuiſſent; ſatiusque eſſe Principi Imperio cedere, quam domum Dei ejus hoſtibus prodere. In colloquium dein cum Gaina templum iterum urgente, cum deſcendiſſet præſente Arcadio Joannes, tam nervoſe ejus impudens poſtulatum refellit, ut illi audaciam, & verba adimeret; & qui Imperatoris potentiæ pro libidine illudebat, ſacro Joannis eloquio fractus obmuteſceret.

Ægerrime eam repulſam ferens Gainas Urbis C) incendendæ, ac diripiendæ conſilium clam init; ſuos mittit Gothos (hi tum apud Romanos ſtipendia merebant) qui noctu palatio ignem ſubderent; at illud militum denſo agmine procero & inuſitato corporum habitu cinctum inveniunt, remque extemplo Gainæ renunciant. D) Ille nuncio fidem non habet, non neſcius nullos præterquam Prætorianos milites in Urbe commorari, facit ipſe rei periculum, at viſa, ut erat re perturbatus, meditata exequi non audet. Creditum cœleſtes tum Genios, Urbis tutandæ curam habuiſſe. Cum inceptum non procederet, Gainas Urbe egreſſus, reliquum inde Romanum militem educit, ſpargendum vario prætextu per diverſa loca, ne Urbi diripiendæ foret auxilio; relictis in ea ſolum Gothis, dataque teſſera, & hora ad quam facinus meditatum exequerentur. Sed cum tempus hoc ab iis, qui extra Urbem erant, Gothis anticipatum fuiſſet, facto tumultu, cives raptis armis, Gothos in Urbe cædunt, ac in templum quoddam refugientes ad ſeptem millia incendio enecant. Gainas in rabiem verſus, quod ſe hoſtem declaratum, ſuos cæſos audiſſet, omnia per Thraciam incendio fœdat, Gothos undique colligit, in Cherſoneſum properat, unde Lampſacum ad occupandum Orientem trajiceret. Sed milites ejus, qui ratibus conſtructis tranſitum parabant, partim tempeſtate, partim a Romana claſſe pereunt, ipſe per Thraciam fugitans ab obvia forte militum manu cæſus, vivere, & furere deſiit.

Ab hujus morte in Arianos, reliquosque errones liberius inſurrexit Arcadius, iis ab Urbe publico edicto depulſis, quo eodem tempore inſigni portento Religio vera inclaruit; nam cum mulier E) Macedoniana maritum ac patriam retentura Catholicam ſe fingeret, eoque animo Sacram accederet Synaxim, ut porrectum illic Dominicum Panem furtim ore exemptum, alio commutaret, quem Sacerdos Macedonianus conſecrarat; humi provoluta, cum ſecum allatum ori ingerit, ſenſit eum

A) Ita quidem Socrates l. 6. c. 6. ſed Sozomenus ait, eis ſiniſtri nihil eveniſſe. B) Theodoritus l. 5. c. 32. Palladius. C) Socrates l. 6. Narrat eundem Gainæ exitum Theophanes p. 52. In eo nonnihil ab aliis diverſus, quod Gainam magno terra marique bello victum ſcribat. D) Sozomenus l. 8. c. 4. E) Narrat portentum hoc Cedrenus p. 259.

A.C. lapideſcere; quo oſtento perculſa, depoſita protinus animi duritia ad Chryſoſtomum adit, lapidem exhibet, diu deinde in cimeliis Eccleſiæ illius aſſervandum.

401 Ad reliquias quoque Gentilium in ſolo Romano abolendas animum adjecit Arcadius ſtratis idolis, fanisque eorum loco non uno dirutis, inter quæ præcipuum erat Gazæ, Marnion dictum. Ejus Urbis Præſul Porphyrius, cum multa ab impiis Deorum cultoribus, acerba pertuliſſet, retundendæ eorum ferociæ, & proferendæ cauſa Religionis ad Imperatorem ſe contulit, nactus pro ſe Chryſoſtomi, & Eudoxiæ ſtudia, cui prædixerat propediem filiolo ipſam auctum iri; Illa invicem ſuam pollicita eſt operam, templumque magnificum Gazæ ſtatuendum, ſi eventus vaticinium ſubſequeretur. Haud multo poſt tempore Theodoſium enixa promiſſis ſtetit. Itaque everſa Gazæ fana, prodigia etiam non pauca in opere patrata, traducti ab errore ad veritatem permulti, isque dilatandæ Religionis fervor in Phœnicem uſque protenſus. A) Et hac quidem parte Religioſam ſe exhibuit Eudoxia, felix, ſi quæ dextera ædificarat, ſiniſtra non diſturbaſſet. Namque mulier ambitioni, & avaritiæ ex æquo dedita, cum in ſe jacta putaſſet ea, quæ Joannes de vitiis mulierum in commune ardore, & ubertate ſolita detonuerat, tanta in virum Sanctum exæſtuavit ira, ut non conquieſceret prius, quam illi ærumnas quam plurimas, ſed glorioſas, ſibi infamiam perennem, mortemque miſerrimam accerſeret. Res in eum modum geſta:

403 Eudoxia B) vineam quam ſuam putabat, animi cauſa forte ingreſſa, botrum manu carpit, intellecto autem eam viduæ cujusdam Theognoſti eſſe, cui privatim perinfenſa erat, ſimul legem extare, cum moneretur ab aulicis, quæ dominium earum rerum in Imperatricem transferret, quæ manu ſua contigiſſet perſoluto quopiam Dominis pretio, ut mulieri, & Chryſoſtomo miſerorum Patrono ægre faceret, vineam ſuis attribui jubet. Non defuit partibus ſuis Joannes, monet, hortatur alienis ut decedat, egentis & viduæ miſereatur; ubi incaſſum cuncta videt, templi foribus cuſtodes apponit, qui magna pompa adventantem Imperatricem foribus arceant. Furit ad factum Eudoxia, at viſo portento quo cujusdam e ſuis ferro viam, in templum parare volentis manus exaruerat, conterrita in aulam ſeſe recipit. Poterat eo miraculo ad ſanam adduci mentem Eudoxia, niſi muliebre ingenium contumeliæ in eo faſtigio impatiens ſic ira perturbaſſet, nullum ut æquitati locum relinqueret. Ab eo itaque tempore de exturbando ab Urbe Joanne cogitare cæpit, & Præſulum eidem infenſorum opera uſa, negotium ex animi ſententia confecit, connivente ad omnia Arcadio conjugis, & Epiſcoporum mendaciis occupato.

Venerant per ea tempora ex Ægypto Monachi quidam, erroribus Origenis infecti, & ea propter a Theophilo Alexandrino graviter exagitati. C) Horum de hæreſi, cum nondum etiam Joanni ſatis conſtaret, miſeratus genus hominum, cætera ſibi charum hoſpitio fovit, & affectu; illi re ſua apud Arcadium promota efficiunt denique, ut vocatus Theophilus, ceu cenſor nimium rigidus cauſam in Urbe dicere juberetur; quam jam antea S. Epiphanius, Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, ut profugos illos exagitaret, ingreſſus fuerat; verum cum is Chryſoſtomum eo propellere nequiſſet, ut in eos ſententiam ferret, cauſa nondum etiam plene cognita, indigne rem ferens, nec ſatis æquo in Joannem animo indidem diſceſſerat. Adeſt interea D) Theophilus Alexandrinus, ſed con-

A) Theodoritus l. 5. c. 26. B) Hæc Leo Imperator in encomio D. Joannis, ut eſt apud Baronium ad hunc annum, paulum aliter rem eandem Scriptores alii, qui nec prodigii iſtius meminerunt. C) Socrates l. 6. c. 14. Et Sozomenus l. 8. c. 16. Qui etiam addit Epiphanium cum diſcederet Joanni exilium, hunc vero illi mortem antequam Cyprum attingeret, prædixiſſe; Idem Cedrenus; Theophan. &c. D) Theophilus hic ut eſt apud Theophanem, jam alias D. Joan. infenſus erat; quod Patritium quendam Presbyterum ſuum, in Byzantinum Præſulem provehere volens, gratia Joannis victus ſit.

contrario plane, quam rebatur eventu, qui enim cauſam dicturus ac- A.C.
ceſſerat, repente Judex in Joannem, Eudoxiæ artibus conſtituitur. Illa 403
quippe hac occaſione arrepta ab adverſariis viri Sancti in eum non mediocriter inflammatis, Concilium cogi jubet; ad quod convenientibus ad Quercum in ſuburbio, triginta ſex Epiſcopis, viri integerrimi fama, multis criminibus traducta eſt; ipſique, velut Origenis fautori, graviumque reo criminum, exilii pœna decernitur, tametſi quadraginta alii ab eo Epiſcopi ſtarent, magnoque bonorum omnium mœrore, ſub veſperum Urbe educitur. A) At enim cum Civitas indignitate rei commota, ad ſeditionem ſpectaret; ſimul eodem tempore, terra motu quateretur in ſuburbio, parsque cubilis Imperatorii dehiſceret, conterriti Arcadius, & Eudoxia, Joannem ab exilio mox revocant; quem univerſus populus accenſis cereis, Boſphoroque navigiis conſtrato, obviam effuſus, quaſi cœlo lapſum magno triumpho ſuſcepit, dilapſis, qui in eum ſententiam tulerant Præſulibus. Ita ex magna tempeſtate, magna affulſit Joanni ſerenitas, non amplius tamen, quam menſes decem duratura.

Namque his exactis acerbius in eum ſævire perrexit Eudoxia; B) non 404
longe a Divæ Sapientiæ ritu ſolenni, ſtatua ejusdem Imperatricis poſita fuit, ad quam inſolens plebecula ludos, & choreas ducebat, curante rem Præfecto, Urbis Macedoniano homine, cui gaudium erat Joanni moleſtiarum aliquid faceſſiviſſe. Cum ea vociferatione, multum turbarentur ii, qui ad rem divinam confluebant, ac forte etiam admiſſum quid in ea re fuerit, Religioni ſinceræ inimicum, ludos iſtos gravi oratione inſectatus eſt Chryſoſtomus, eoque modo, vulnus Eudoxiæ neceſſitate compreſſum magis, quam mora conſanatum rurſus refricuit. Vehementi ergo percita furore, nihil non ad exturbandum ſolio Præſulem comparat, cogit Epiſcopos eidem infenſos, extimulat Arcadium, aulam concitat, quibus intellectis Chryſoſtomus, orationem illam habuit, cujus initium: Iterum furit Herodias. Ipſo Sabathi die, quem Sacrum appellamus, juſſu Arcadii milites impetu in templum facto populum, ne cum Joanne ceu ab Epiſcopis jam condemnato, Sacra haberet communia fœde diſpellunt, C) graſſantur in Eccleſiam, resque Sacras; & ut militaris impetus intra terminos imperii difficiliter continetur, multa nefanda committunt, Sanguine etiam Chriſti in adytis aſſervari ſolito, in militum veſtes, per tumultum diſperſo. Quin Sicarii quoque ad adimendam Præſuli vitam ab inimicis fuere ſubmiſſi; ſed horum eluſis fraudibus, inter maximas ſuorum complorationes, clam ad vitandam ſeditionem, egreſſus Joannes in Cucuſum Urbem remotiſſimam, maximeque egentem relegatus proficiſcitur; implorato ante per Legatos Innocentii Romani Pontificis auxilio, animoque inter mille diſcrimina ſemper excelſo, & velut ab ipſis ærumnis vires ſumente. Ab ejus egreſſu erumpens ex ſuggeſtu flamma D) e quo tanto cum ardore populum erudierat, templum princeps momento igni cum vicina Senatus domo involvit. Joanni in Epiſcopatu ſuffectus eſt Arſacius, magno populi dolore, qui ex ejus tarditate magis intellexit, quid amiſerit in Joanne; & ad cujus obſequium vix vi, minisque, ac etiam ſuppliciis compelli potuit.

Exilium illud ærumnarum, & gloriæ Joanni, admodum fertile exti- 407
tit; inimicorum etenim conſilio, quo citius vitam abrumperet loca identidem mutare, itineraque ſubire moleſtiſſima compulſus, Cucuſo Arabiſſum, hinc Pithiuntem traducitur, ad cæteras moleſtias, morbo etiam atroci

A) Palladius, Cedrenus, Zonaras &c. B) Sozomenus l. 8. c. 20. Theophanes p. 54. Cedrenus p. 26. Sed hic triennio integro, alterum hoc exilium a priori disjungit, non ſatis accurate. C) Sozomenus l. 8. c. 20. Unde etiam morem in Eccleſia veterem obſerves. D) Ita quidem ſuperius citati; ſed Chronicon Alexandrinum: ἐκάη ἡ μεγάλη ἐκκλησία ἀπό κρατούντων αὐτῆς τῶν λεγομένων ξυλοκερκέτων, exuſta eſt magna Eccleſia a Xylocercetis; ita autem dicebantur, qui ob Joannem expulſum, ſe a communione aliorum abſtraxerant, in circo ligneo veteri, extra Urbem cœtus habere ſoliti; quos Proclus ſero poſt reducto in Urbem Divi corpore ad reliquos adjunxit.

A.C. 407 atroci afflictus; illinc Comana ductus, cum a sole aliisque miseriis pejus haberet, in templum Basiliſci Martyris regressus, mortem ab eodem Sancto sibi prænunciatam alacer, & Pontificali habitu ornatus, sanctissime post tres exilii annos obiit: A) Vir per omnia summus, & quo nemo unquam melius eloquentiam vitæ sanctitati junxit.

Doluere viri casum omnes, quibus vera virtus & Religio cordi fuit. Romanus Pontifex, posteaquam nihil apud Arcadium literis profecit, audita Joannis morte eidem fidelium cœtu interdixit, data ad eum epistola, cujus initium: Vox sanguinis Fratris mei Joannis clamat &c. Verum cum ille nesciente se, aut per fraudem inducto gesta esse omnia, circa Chrysostomum excusaret, a Pontifice, sacris haud diu post vinculis, est exsolutus. Honorii quoque Imperatoris hæc in virum Sanctum admissa, animum vehementer commoverant, sic, ut arma quoque fratri comminatus fuerit, sed eum domesticæ turbæ, alio avocabant. B) Namque eidem Alaricus, & Radagaisus negotium facessiverant, turbata Italia, Provinciisque late vastatis; quos tamen Divina magis, quam suorum ope repressit, cæsis cum Radagaso, aut captis propemodum ducentis hominum millibus. Verum illi ne sic quidem quieto esse licuit Vandalis Gallias diripientibus, in Britannia vero Imperium arripiente, primum quidem Marco quodam, ac deinde Constantino, ob nominis solius augurium a militibus acclamato.

Non tamen propterea Deus in pœna fuit remissior; nam primum C) Eudoxia putrescente in utero fœtu, post tres ab Joannis decessu menses, inter acerbos cruciatus miserrime vitam finiit; quam Arcadius anno proximo sequente Kal. Maji, in ipso ætatis flore, unum & triginta natus annos secutus est, cum imperasset cum patre annis duodecim, ab ejus vero obitu, tredecim, & trimestre. Reliquit ex se præter filias Pulcheriam, D) Flacillam, Arcadiam, & Marinam, octennem Theodosium, cui dum ab Honorio fratre, aut Proceribus metuit, ne sublato pupillo Imperium affectarent, eum Isdegerdis Persarum Regis tutelæ, suprema voluntate commendavit; exemplo sane inaudito, & nisi ex eventu de re judices, temeritatis, & periculi pleno; qui eo honore & judicio de se Romani Imperatoris lætus, fidelem pactis in centum annos induciis, & studiosum Theodosii semet præbuit.

FL. THEODOSIUS JUNIOR.



408 E) CUm primum enim ejus rei nuncium accepit Isdegerdes, continuo Antiochum quendam spectatæ virum fidei, Constantinopolim allegavit, qui curam pupilli haberet, admonitis per literas Primoribus, uti puero Imperium servarent incolume, secus injurias eidem illatas, habiturum se pro suis, magnoque bello vindicaturum. Honorius quoque rebus pupilli prospecturus, Byzantium apparabat iter, nisi hunc aliæ ex aliis turbæ remoratæ essent, inter quas præcipua Stiliconis conjuratio; qui maximis pro Republica rebus gestis elatus, filio Eucherio Imperium occultis dum parat artibus, proditus, quæsito frustra in templo Ravennate asylo, cujus jura prior violaverat, jussu Honorii, capite minuitur, quod factum filius Serenaque conjunx, tametsi Imperatorum esset Amita, haud diu post subiere. A.C. 408

Gravis quoque per ea tempora tempestas, Romæ veteri, & Italiæ incubuit. Alaricus enim Gothus, obsidione Urbem cinxit, ac primum quidem pace pecuniis redempta, cum iterum ad obsidionem revertisset, Attalum e Senatu creavit Imperatorem, cumque eo adversus Honorium Ravennam duxit. Res hujus tantum non perditas, recreavit adventus militum ex oriente, qui Ravennam præsidio communivere. Verum Attalus cum ingens Romam fames premeret, impedito quod ex Africa devehi solebat frumento, quippe Provincia illa partes Honorii tuebatur, in odia omnium incurrit, atque ab ipso Alarico purpura exutus est; qui etiam certis conditionibus cum Honorio transegit; verum tractatus ille, a Saro quodam trecentis Scythis, Honorio militantibus Præfecto interruptus est; cum enim is pacem hanc e re sua non esse existimaret, furiose cum suis in Alarici castra, impetum fecit, eaque re sic inflammavit Barbarum, ut continuo Romam jam tertium obsidione cingeret; in eamque haud multo post proditione occupatam, direptione desæviret; in qua tamen & præcipuis templis, & ad eas confugientibus parcitum voluit; atque dum spoliis Regiæ Urbis, dives in Siciliam ire parat, demoritur; cui Gothi Athaulphum substituere, Placidiæ Honorii sororis tunc captæ virum; qui tempestatem illam Gothicam, in Gallias primum, deinde in Hispanias secum abduxit, non parvam Romanis adversus alios Barbaros operam navaturam. Sic Honorio Roma Italiaque, qua pene exciderat, restituta est. Eo tempore Anthemius Imperii pro Theodosio Administer, non modo auxilia laboranti Honorio submisit, verum etiam portus omnes Orientis, & fines multa manu communiit, ne furor ille Barbaricus, iis quoque regionibus sese infunderet.

Hujus igitur præstanti consilio, sed Dei magis favore per hosce annos res Theodosii pupilli florentes, & pacatæ fuerunt, nullo in Imperio illius tumultu perstrepente, cum interea Occidentis Imperium, miseris modis, tum a Barbaris, tum vero a perduellibus in Africa, Gallia, Hispania pessumiret. A) Religio quoque per hæc tempora, tranquille in oriente viguit, maxime, posteaquam Pelagius hæreseos convictus errores suos in Concilio Diospolitano tametsi ficte retexuit; & moriens Theophilus, succesſorque ejus Cyrillus, Alexandrini Præsules Divinitus admoniti, nomen Chrysostomi in Sacras tabulas retulere, quos secuti reliqui Præsules, Ecclesiæ se Romanæ, a qua, eapropter abscissi fuerant, quod Sancto illi adversati essent, postliminio reddiderunt.

Ut fortunatius res orientis, in dies se haberent, Theodosius, cum per ætatem regendis his non esset, eximiaque prudentia præditam suspiceret sororem suam B) Pulcheriam, hanc novo ad eam diem apud Romanos exemplo, Consortem renunciavit Imperii, eique Augustæ titulo, non diu post condecoratæ rei summam tradidit; quæ tametsi annum ætatis sextum decimum, vel ut Sozomenus, duobus minus ageret, ea tamen prudentia, pietate, ordine res administravit Imperii, ut eæ vix unquam florentiores, quietiores certe non alias extiterint. Sororibus suis posteaquam Deo virginitatem ipsa consecrasset, auctor fuit idem ut faceren- 414

I

A) Socrates l. 6. c. 19. B) Hæc Orosius, & alii Latini, Græci enim Scriptores de his & pauca, & perturbate. C) Ita Zonaras p. 30. Et alii; Theophanes vivo Joanne brevi post ejus ejectionem mortuam vult; sed literæ Arcadii ad Pontificem quas Glycas recitat, innuunt vixisse Eudoxiam mortuo jam Joanne; quam a se acriter ob patrata in Joannem reprehensam Arcadius scribit. D) Flacillam vivo patre decessisse credibile est, neque enim ejus meminit Sozomenus enumerans proles Arcadio superstites. E) Cedrenus p. 264. Zonaras p. 32. &c. De Honorio videndi Latini Scriptores.

A) Nicephorus lib. 14. cap. 28. B) Chronicon Alexandrinum p. 246. Theophanes p. 55. &c. In hac laudanda Scriptores omnes consentiunt.

A.C. cerent; mores porro Theodosii adeo solerter rexit, ut eos ad omnem
414 honestatem, & dignitatem Regiam componeret; Principemque effingeret Religionis, ac pietatis unice studiosum. Una igitur Virgo ac puerulus Dei favore nixi, eam præstitere Orienti tranquillitatem, quam Imperatores alii innumeris copiis, omnique armorum apparatu, frustra quæsierant, documento, quantum his ad publicam felicitatem, validius sit præsidium Principum pietas. In favorem quoque Numinis singularem illud referas, quod his ipsis annis, non sine multis prodigiis, reperta sint in oriente complura Sanctorum corpora, ut Zachariæ Prophetæ, Divi Stephani Proto-Martyris, & aliorum, quæ in magna deinceps veneratione, & cultu fuere.

420 Eodem cæli favore factum, ut res belli quoque contra fœdifragos defuncto Isdegerde Persas A) bene procederent: cum enim illi dispersо per varia loca milite imparatos aggressi essent Romanos, inusitato imbre & grandine, sic eorum retardatus est exercitus, progredi ut vix posset, ægreque viginti stadia diebus totidem emetiretur; quæ mora ad contrahendas Romanis copias, obviamque eundum hostibus, plurimum commodavit. Interea dum hi adventant, Persæ Urbem Theodosiopolim, Romanæ ditionis obsident, Episcopi Eunomii virtute, ac pietate defensam. Quadraginta dies tenuit obsidio, cumque Ducum aliquis hostilium, Christianorum Deo circum muros convitiari soleret, Eunomius directa e turri balista, nomine Divi Thomæ inscripta, prægrandi lapide impium obtrivit; quo casu externati Persæ obsidionem solvere. Suspensis interea tanti belli expectatione Romanis, præsentissimum adfuit e cœlo subsidium: Cœlestes in Bithynia Genii spectandos se, iter facientibus præbuere, monebantque uti sine metu Urbs esset, auxilium laturos se certantibus. Nec longe horum dilata fuere promissa; nam cum Romani Ardaburio Duce, Nisibin usque Persicam Urbem progressi, eandem omni machinarum genere quatiunt, Vararanes Rex Persicus auxilio futurus suis, Almundarum cum innumeris prope Saracenorum copiis in subsidium accivit, pollicentem illius brevi in manus daturum Antiochiam. Sed is dum ad victoriam ire se putat, in perniciem extremam properavit. Ad Euphratem dum tendunt, immisso Divinitus Romani exercitus pavore conturbati Saraceni & Persæ, ingenti tumultu flumen pro se quisque trajicere studeant, in quo conatu armis, graves ad centum millia aquis ultricibus sorbentur. A naufragio superstitibus, clades per Ardaburium ingens illata, e quibus multi capti, cæsi plurimi; atque ita quam in Christianos concitaverant, in Persside Barbari procellam, ob exustum ab Abdaa Episcopo ignis fanum, eorum cladibus Deus acriter vindicavit. Sed hac victoria nobiliorem aliam de iisdem Persis reportavit Acatius Amidæ Præsul; cum enim septem millia Persarum captivi tenerentur a milite Romano brevi fame, & miseriis consumendi, ille distractis Ecclesiæ thesauris, lytrum militi pro captivis persolvit, ac cibis recreatos, viaticoque instructos, ad Regem suum remisit, attonitum tam inusitatæ virtutis prodigio, & Religionem illam, quæ tam illustri vindictæ genere, clades sibi illatas pensaret admirantem. Melius exin res Christianorum in Persia habuere, renovato inter Principes fœdere; quin etiam apud Saracenos, quorum permulti nomen dedere Christo, Præsule etiam ipsis constituto; sic læta tristibus fuere permixta; & Religio quod ipsi peculiare suis e vulneribus lætius progerminavit.

422 E gravi, & formidoloso bello opinione citius pacato Imperio Theodosius, ad conjugem ducendam, animum applicuit, annum cum ageret ætatis alterum, & vicesimum. Cura fuit Pulcheriæ virginem reperire non tam natalibus, quam forma & ingenio, moribusque illustrem. Forte acci-

A) Narrant hæc Socrates lib. 9. Theodoritus lib. 5. Succincte Theophanes p. 59. Et causam belli fuisse, quod perfugæ a Vararane repetiti, negati essent a Theodosio. Verior autem causa fuit excitata in Christianos in Persside persecutio.

accidit, ut in Urbem veniret A) Athenais Leontii Philosophi filia, for- A.C.
mæ & ingenii elegantia præstans; huic moriens pater, nihil præter cen- 422
tum nummos aureos legarat, suam illi formam pro hæreditate futuram dictitans. A duobus fratribus Valerio, & Genesio elato parente hæreditatem petenti, seque citra causam omnem patriis possessionibus exclusam quiritanti, cum obsisterent fratres, domoque insuper exturbassent, implorandi gratia auxilii, Byzantium se contulit Athenais: accidit supplex Pulcheriæ, compositisque verbis subsidium, & misericordiam implorat; illa ingenium virginis demirata, dignam plane reperit, quæ Augustali B) connubio dotaretur. Eam proinde sacris antea Christianorum initiatam, quippe errores Gentilium, cum patre hactenus secuta fuerat, atque Eudociam dictam, Theodosio conjungit. Quæ nec opinato e summa paupertate, in id fastigium producta, fratres in Urbem accitos, primis admovit Magistratibus; quod diceret, nisi illorum in se præcessisset injuria, nunquam se in illum honoris, & fortunæ apicem subvehendam fuisse.

Non diu post hæc Theodosio licuit esse quieto; quem mors Honorii 423
in Occidente Imperatoris, gravibus iterum bellis implicuit. Is difficillimo exercitus Imperio, & Religione magis quam armis, contra tot Barbaros, ac perduelles defensus, antequam decederet, Gallam Placidiam sororem suam cum filio Valentiniano, & Honoria ex Constantio, cui illa post Athaulphum nupserat progenitis, ob suspiciones quasdam, Constantinopolim amandarat, defuncto Constantio, qui primum Dux copiarum, ac deinde Imperii Consors ab eodem renunciatus fuit. Hinc factum ut Honorio fatis concedente, nemo in Italia esset Imperatorii sanguinis. Per eam occasionem, Joannes quidam obscuri generis Præfectus prætorio, Ravennæ Imperium arripuit; quamobrem Theodosio necessum erat, armis Valentinianum, & Placidiam in Imperio Occidentis collocare, misso Ardaburio, bellis Persicis clarissimo Duce.

Ille cum Salonis Aquilejam navigat, reflante vento, in manus Tyranni Joannis delatus, vinctus ducitur Ravennam. Perculit Theodosii, & exercitus animum tanti Ducis captivitas. Filius ejusdem Aspar pro parente exercitui præficitur, qui continuatis profectus itineribus, bono Genio viam commonstrante, per invias paludes, sine noxa cum exercitu iter facit, Ravennamque nihil tale suspicantem, ne portis quidem occlusis subingressus, Joannem subito opprimit, C) parente in libertatem vindicato. Sicque extincta Tyrannide Placidia & Valentinianus Imperium recepere, postquam illa Augusta, hic vero Cæsar Byzantii renunciati essent. Theodosii & Pulcheriæ pietati acceptam tam felicem expeditionem tulere Romani; cujus nuncius, cum Imperatori ludos in circo spectanti allatus esset, abrupto ocyus spectaculo ad agendas Deo gratias, populum in Ecclesiam provocavit, sacrosque concinendo versus ad eandem, ab omnibus processum est. Restabat adhuc, qui molestiam Valentiniano facesseret Aetius, cum sexaginta Hunnorum millibus, ab Joanne auxilio vocatus; quibuscum post varia ultro citroque certamina, ita negotium compositum, ut Aetius accepta Comitis dignitate penes Imperatorem maneret, Hunni vero auro large donati, ad sua quieti regrederentur. Reliqui Barbari ab eodem Joanne exciti, ipsam aggredi Constantinopolim animum induxerant; sed qui res Theodosii curabat Deus, qua peste in exercitum immissa, qua ignibus de cœlo jactis, ipsoque eorum Rege fulminato nubem hanc omnem brevi tempore dispulit, nulla Romanorum noxa, maxima gloria, quorum in partes cœlum ipsum veniebat.

A) Zonaras p. 32. Cedrenus, Glycas. Chronicon Alexandrinum p. 248. vocat eam κόρην ἑλλαδίκην puellam Græcanicam, quod Gentilis adhuc esset, his enim Scriptoribus ἑλληνίζειν seu græcizare idem est, ac Gentilium errores sequi. B) Quidam ajunt idcirco a Pulcheria conjugem nullius nobilitatis datam fratri, ut ipsa omnia posset in aula. C) Theodoritus l. 5. Theophanes p. 58. Socrates l. 7. c. 23. Aliique; sed Marcellinus dolo Aspаris & Ardaburii periisse prodidit Joannem; mirum sane Duces hos Arianos tanto prodigio ad victoriam adjutos, nisi Principis pietatem Deus respexerit.

A. C. 428 Bella extera domeſticum, atrocius multo, multoque majori cum pernicie conjunctum aliquot poſt annos excepit, idque inter ſacratos Deo Viros exortum, eo Duce ſceleratæ factionis, qui princeps ad defenſionem Religionis convolare debuerat, impio Neſtorio A) Conſtantinopoleos Præſule. Hic fucata morum ſanctitate, linguæque, qua una valebat volubilitate, ſic populo, & Imperatori impoſuerat, unus ut ille Byzantina ſede dignus judicaretur. Ex Antiocheno itaque Presbytero, ad eam dignitatem productus, initio quidem bellum ut debebat, grave erroribus cunctis indixit, ſed ut eventus probavit, fine non alio quam ut ſuum ipſe latius ſpargeret. Quippe quod diu jam ante occuluerat virus, poſteaquam ſe in animum Principis penitus inſinuaſſet, opportunam ratus adeſſe occaſionem palam egerere veritus non eſt. Suggeſtu quodam die conſcenſo edicere ad confertiſſimam multitudinem juſſit: a fidelium cœtu reſciſſurum ſe omnes, quicunque MARIAM Θεοτόκον dicerent; quod ajebat Deum ingenitum, naſci ex muliere non potuiſſe. Audita etiam ſcelerata vox eſt, cum diceret: non agniturum ſe illum pro Deo, qui trimeſtris, aut quadrimeſtris, in cunis vagiiſſet. Cohorruere ad tantam impietatem plerique omnes, factumque fuiſſet, ut illi vis a populo inferretur, niſi ſua illum dignitas, & Theodoſii nondum perſpecto bene controverſiæ ſtatu favor texiſſent. His armatus Neſtorius, Religioſos homines, qui dicti rationem repoſcebant, indignis divexabant modis, libris quoque eodem furore conſcriptis, ſtabilire impietatem ſuam aggreſſus; in quibus non negabat quidem Chriſtum Dei eſſe Filium, ſed in eo duas adſtruebat naturas, adoptione tantum, & favore, non vero ut jam loquimur, eadem ſubſiſtentia copulatas; hinc etiam Θεόφορον dicebat; & reipſa duos in eodem Chriſto Dei Filios, natura unum, alterum adoptione. Acriter tantæ impietati a Cœleſtino Romano, & Cyrillo Alexandrino Pontificibus obviam itum; cumque nullus eſſet turbarum, & controverſiæ finis, non paucis in partes Neſtorii abeuntibus, Univerſali denique opus fuit Concilio.

431 Epheſum itaque exciti undique Patres, ducenti fere numero. S. Cyrillo pro Cœleſtino præſidente, ad decidendam eam controverſiam animum adjecere. Aderat in eadem Urbe cum ſuis Neſtorius, verum citatus, ut in Concilio cauſam diceret, ſuperbe venire renuit, nondum etiam confluxiſſe omnes cauſatus, qui Concilio intereſſe debeant. Cum iterum, ac tertio vocatus non adeſſet, militari etiam cuſtodia ſepto aditu, nequis alloqui eum poſſet, & Patribus multis de cauſis moras trahere integrum non foret, tandem impietatis, & blaſphemiæ condemnatur Neſtorius: confecta in eundem a Cyrillo duodecim capitula, quæ ab hujus inimicis, varie deinceps fuere exagitata. Joannes Antiochenus, poſt hæc geſta, Epheſum cum ſuis ſerius advenit, ſeque non diutius expectatum moleſtiſſime ferens, cum ſuis, cumque Neſtorio, ac ei adhærentibus ſeorſim cœtus facit, Synodum, ac Cyrillum ob perperam actum negotium damnant; Comitesque pro defenſione Concilii ab Imperatore miſſos Candidianum, & Irenæum jam antea Neſtorio perdite addictos, in partes trahit, quorum opera dici nequit, quibus non malis, menſium quinque ſpatio Patres illi conflictati ſint, cum & rerum inopia premerentur, & lue peſtifera non pauci abſumerentur, nec Urbe pedem efferre auderent, ipſo inſuper Cyrillo, ac Memnone Epheſino carceri mancipatis, occupatoque aditu omni, ne geſtorum in Concilio fama, ad Theodoſium pertingeret; interceptæ Orthodoxorum literæ, multa in favorem Neſtorii, a perturbatoribus ſcripta, quo ſic tot preſſi malis, pro Neſtorio ſententiam ferrent. B) Verum conſtantia Patrum in tot malis, Pulcheriæ in Religionem ſinceram ſtudio, miraque Dei in ſuos providentia factum, ut cogni-

A) Hanc Neſtorii tragœdiam meminerunt, & execrantur Scriptores plurimi, Suidas ait Pulcheriam concitatiſſimo fuiſſe in Neſtorium odio, itaque hujus amicos confinxiſſe, idcirco id fieri, quod ab eodem reprehenſa fuiſſet, ob inceſtum cum fratre, ſed mentita eſt iniquitas ſibi. B) Acta Concilii Epheſini.

cognitis perditorum artibus A) Theodoſius animum antea ad partes Neſtorii errore inflexum, in viam reduceret, partibusque Orthodoxorum ſuſceptis, ratam haberet illius damnationem, B) Cyrillo & Patribus cum honore dimiſſis. Neſtorius ad Sancti Euprepii Aſceterium, unde prodierat, vivere juſſus eſt, ut interea per tempus, animum ad frugem reduceret, ſed cum durior in dies ſua in amentia perſiſtit, in Oaſim poſt quadriennium relegatus miſerando exitu corroſa a vermibus lingua, & lectica qua vehebatur excuſſus periit. Ita diſſidio, & tumultui periculi longe pleniſſimo finis impoſitus, non citra grave tamen Imperii Romani detrimentum. Nam qui hactenus pro Theodoſio bella adverſus hoſtes gerebat Deus, cum ille licet errore inductus hoſtis ſui partibus propensiorem ſeſe exhibet, eodem ipſo tempore, quo Patres Epheſi, Præfectorum prævaricatione, graviſſimas pertulere calamitates, Romanum exercitum delendum penitus Barbaris expoſuit. A. C. 431

Genſerico Africam cum Vandalis occupante, miſerat experientiſſimum cum exercitu Ducem c) Aſparem Theodoſius futurum Valentiniis auxilio, graviter id temporis in Africa laborantibus; verum hæc expeditio ceſſit infeliciſſime, conſerto prælio, utriusque Imperatoris exercitus a Vandalis cæſus, Africa tota in manum Ariani hoſtis, cum maxima rei Catholicæ illic pernicie delapſa eſt; atque hac clade velut e ſomno excitus Imperator, nebulas ſibi obfuſas diſcutere, partesque ſinceras quod ante ſemper fecerat, complecti cœpit; experiundo edoctus, Deum non aliorum errata gravius vindicare, quam in quos conſpicua magis beneficentia antea uſus eſſet.

Ab exercitu Romano, in Africa profligato, eadem Provincia Genſerico paruit, & ſucceſſoribus ad uſque Juſtiniani tempora, qui eam ut dicetur, iterum Imperio reddidit. Genſericus iſte, cum die quadam captivos recenſeret, illique expectando feſſi, in area palatii obdormiſcerent, vidit aquilam alis expanſis ſolem a capite cujusdam e captivis defendentem. In nomen hominis, & genus dum inquirit, diſcit, Marcianum eſſe unum e primis Theodoſii Proceribus; cui hoc augurio abs dubio Imperium Romanum portendi autumabat; D) itaque animo diu hæſit anceps, num cæde hominis infectum hoc omen redderet; tandem adjuratum ne ſibi Vandalisque unquam moleſtus eſſet, libere dimittit. Quod augurium non vanum extitiſſe, eventus poſt fatum Theodoſii patefecit.

Reddita in oriente Eccleſiis pace, res quoque publica melius habuit; ſummo otio cunctis perfruentibus, & in propagando ſincero Numinis cultu occupatis; ad quem augendum Sacris iterum lipſanis Conſtantinopolim locupletavit Deus; nam cum Proclus orationem haberet ad populum, de laudibus Divi Chryſoſtomi, tanta vociferatio exorta eſt, petentium in Urbem reduci, ut proſequi orationem nequiret. Theodoſius E) poſtulato aſſenſus mittit e Senatu, qui quod ſupererat Chryſoſtomi, ab exilio reducerent; caſſo opere cum ſacrum corpus vi nulla loco moveri poſſet, habitoque ſuper ea re conſilio, quaſi ad viventem epiſtolam ſcribit veniam parentibus ſuis exorans, utque reditum in Urbem ſuam indulgeat. Hæ literæ pectori Divi illius applicitæ negotium expedivere; ſecutum eſt manus attollentium ſacrum pignus, ingentique pompa, & triumpho Chalcedonem uſque delatum. Hic cum innumera multitudo Conſtantinopoli effuſa mare conſtraviſſet, Divique corpus imperatoria cymba veheretur, cœlo antea ſereno, tanta ſubito eſt exorta procella, ut omnem late multitudinem diſpergeret, navemque imperatoriam, ruptis funibus in illius ipſius viduæ agrum appelleret, cujus primum cauſa tempeſtas 438

A) Literæ Concilii in arundinem cujusdam peregrini incluſæ, ac in Urbem perlatæ artes malevolorum nefarias detexere. B) Zonaras p. 33. & Theophanes ajunt vocatos omnes Epheſo Byzantium Patres coram Imperatore quæſtionem agitaſſe; ſed acta Concilii illius delectos tantum aliquos ex utraque parte. C) Procopius de bello Vandalico p. 348. D) Procopius p. 350. E) Hæc Nicephorus l. 14. c. 45. Meminit Theophanes quoque in Chronographia p. 64.

A.C. olim in virum Sanctum commota fuerat. Hic loci Sacrum pignus currui
438 imponitur, & ingenti pompa ad Divæ Sophiæ deductum, in throno Pontificio collocatur; ubi verbis illis, Pax vobis: teſtante Proclo & adſtantibus, diſtincte, motisque labiis populum ſalutavit, univerſis ad oſculum ceu viveret ſacræ manus accedentibus, cereumque pro more offerentibus. Denique ſtrepitus ille qui in tumulo Eudoxiæ antea audiri ſueverat, deprecante pro ea filio exin penitus deſiit. Ita quinque ac triginta poſt annos, quam vivens Joannes Urbe inter innumeras calamitates, & calumnias exceſſerat, mortuus in eandem ſingulari triumpho revertit; communi viris Sanctis fato, quorum ærumnæ ſecuturæ poſt mortem gloriæ ſementis ſunt.

442 Neque tamen vel ſic quam in re bellica amiſerat fortunam, remereri potuit Theodoſius, ex quo turbis Eccleſiæ, licet forte imprudens ſeſe immiſcuit: qua in re ne pietatis quidem obtentu, unquam impune peccatur. Nihil eidem ab eo tempore ex ſententia proceſſit; claſſis quam Ariobindo Duce adverſus Genſericum Valentiniano ſubmiſerat, æſtate in Sicilia nequidquam contrita revocanda fuit in orientem; quippe hoc ipſo tempore A) Attila Hunnorum Rex innumerabili ſuorum manu infeſtare Orientem cæpit, contra quem fruſtra fuere arma, auro ſolum indomitæ illius vires retundi potuere; cui ad pacem redimendam ſex millia librarum auri dependi debuerunt; inſuperque annuum bis mille librarum tributum; ut jam non vane metum ſe orbis, & Dominum Rex ille appellitaret, cui ipſi terrarum Domini tributarii eſſent. Miſerat equidem adverſus eundem Imperator Duces maximos, Aſparem, Ariobindum, & Argaliſclam, verum hi ab Attila ſuperati impedire nequiverunt, quominus ille ad utrumque mare ponticum, & quod Callipolim uſque ad Seſtum expanditur, occupatis omnibus Urbibus, & munimentis præter Adrianopolim, & Heracleam, Atyram uſque perveniret, impetu hic illius auro tantum repreſſo.

Domeſtica quoque perturbatione, aulam Theodoſii per hæc tempora laboraſſe nonnulli B) memorant: oblatum quodam die Imperatori pomum inuſitatæ magnitudinis, ac elegantiæ, & ab eodem conjugi Eudociæ dono datum; hæc rurſus Paulino ſibi ob prudentiam, & ingenium in paucis charo dono mittit; ille ignarus undenam illud primum prodiſſet, Imperatori. Ab hoc facto noxiam conjugis cum Paulino familiaritatem ſuſpicatus Theodoſius, quærit ex ipſa, quid pomo feciſſet? quæ cum ſe comediſſe jurata affirmaret, in ſuſpicione hac confirmatus Imperator pomum magno rubore conjugi incuſſo profert; atque hic error Paulino vita ſtetit. Magnum ex ea re dolorem concepit Eudocia, quem ut leniret, petita venia Hieroſolymam abiit, magnifice ab Antiochenis excepta; in cujus Urbis laudem cultiſſimam ut erat ingenio præcellenti orationem habuit, viſitatisque dein locis ſacris, & liberali munificentia excultis, ad maritum revenit.

446 Privatam calamitatem publica iterum excepit: c) horribilis terræ motus paſſim Urbes & Regiones afflictabat, ſupremumque minabatur Byzantio interitum, murorum parte cum quadraginta ſeptem turribus convulſa; quo metu conſternata omnis civitas, ne ruinis domorum ſepeliretur in apertum campum prodiit: hic cum Proclus Urbis Antiſtes cum Theodoſio cunctoque populo veniam ſupplices ab irato Numine poſtulant, puerulus quidam inſpectantibus omnibus in ſublime raptus, poſtque temporis alicujus ſpatium redditus, dixit ſe cœleſtium Geniorum audiviſſe concentum, ita acclamantium: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis. Dictumque ſibi, his ut deinceps vocibus Deus

A) Has Attilæ graſſationes, & tributi penſionem habet Theophanes p. 71. B) Zonaras p. 35. Cedrenus, Glycas &c. ſed Evagrius profectionem hanc ait voti ſolvendi cauſa ante quadriennium ſuſceptam fuiſſe ab Eudocia. c) Narrant rem hanc Nicephorus lib. 14. Theophanes, uti & ſubſequentem de Cyro hiſtoriam, & Flaviano.

Deus invocaretur: A) quo dicto puer ille in vivis eſſe deſiit; triſagium A. C.
vero iſtud confeſtim ubivis locorum occini, quaſſatio illa cæpit remit- 446
tere; qui modus laudandi Numinis toto orbe propagatus, edicto etiam Imperatorio promotus eſt.

Et hoc, & aliis terræ motibus hiantia Urbis mœnia ut inſtaurarentur, non diu poſt in mandatis Cyro Urbis Præfecto dederat Imperator; qui ſumma uſus accuratione, brevi non modo labem muris abſtulit, verum etiam iis prolatis auguſtiorem reddidit Urbem; quæ induſtria miram illi apud populum gratiam conciliavit, ut in circo ab omnibus acclamatum fuerit: Conſtantinus inſtauravit, Cyrus renovavit. Sed infauſta hæc acclamatio Cyro alia omnia promerito extitit. Invidia magnorum moliminum comes perpetua in cauſa fuit, ut aulicis ſuadentibus ab Imperatore Præfectura ſimul, & facultatibus exueretur, eo obtentu, quod etiamnum Gentilium erroribus ſtuderet; ad Eccleſiam profugus, ut reliquis amiſſis vitam ſervaret, Clero dat nomen; verum Imperator miſertus hominis ſibi cætera fidiſſimi Epiſcopum dedit Smirnenſibus. Non tulere cives novum ſibi imponi hominem, nec ut rebantur ex animo Chriſtianum; itaque clam interficiendi in templo illius conſilium ineunt. Urgent ſolenni die uti pro more concionem haberet; ille ad confertam multitudinem ejusmodi oratione uſus eſt: Viri fratres Nativitas Dei & Salvatoris noſtri JESU Chriſti colatur ſilentio, quandoquidem etiam auditu ſolo in Sancta Virgine Dei Verbum conceptum eſt; ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Quibus verbis exhilaratus populus fauſtis illum acclamationibus eſt proſecutus, nec ille deinceps partes boni Epiſcopi, ulla in re deſiderari paſſus fuit; perinde gnavus in animorum commodis procurandis, quam antea in operis exercendis fuerat.

Proclus de quo ſupra mentio, ab ea re geſta diu non ſuperfuit, al- 447
tero ſtatim anno extinctus; quem excepit Flavianus pietate illuſtris, non tamen Chryſaphio Eunucho aulam tunc moderanti, & apud Principem acceptiſſimo charus; perſuaſerat ille Imperatori ut novæ inaugurationis vice munus aliquod ab Epiſcopo peteret; Flavianus muneris loco panes puros mittit; quos Græci ἐυλογίας dicebant, & mutuæ amicitiæ, ac in fide concordiæ gratia invicem miſſitabant. Chryſaphius renunciat aurum mittendum Imperatori pro munere, non panes; quod cum mittere excuſaret Flavianus adeo bilem viliſſimi homuncionis commovit, ut ad eum ſede ſua deturbandum miras fraudes comminiſceretur. Cum autem cerneret Pulcheria res Imperii moderante nihil ſe adverſus virum Sanctum promoturum, Eudociæ animum in ipſam varia arte concitavit, & per hanc Theodoſii; quibus tandem perfectum eſt, ut de Pulcheria in ordinem redigenda conſilium fieret. Rem ita ordinant, ut Flavianus eam jam antea per virginitatem Deo dicatam, templi miniſteriis (Diaconiſſam dicebant) conſecraret, hacque de cauſa eidem aula, & a publicis negotiis foret ſecedendum B) At illa per Flavianum privatim ſuum ut conſpectum vitaret, admonita, negotiumque ſubodorata, ultro relicta aula in Hebdomum ſeſe contulit, ſanctam illic & quietam vitam actura. Exin in deterius ſenſim vergere res Theodoſii, Eunuchi Chryſaphii arbitratu regi cuncta, non domi, non foris res e ſententia cedere. Theodoſius enim licet probæ mentis ſororis ſuæ prudentia deſtitutus, aulicorumque fallaciis circumventus, in deterius ſenſim præcipitavit. Erat ille natura ad omnem manſuetudinem, & humanitatem factus, nec facile quidvis peteretur negare ſolitus, cujus indulgentia nequiſſimi aulicorum pro libidine ſua, & quæſtu abutebantur. Ejus in largiendo immoderationem, ſic quadam vice Pulcheria redarguerat: libellum conſcribit ſupplicem, quo ſuis addici obſequiis Eudociam fratris conjugem poſtulat: Im-

A) Zonaras p. 36. ait dictum fuiſſe puerulo illi, ne triſagio adderentur voces illæ: qui crucifixus eſt pro nobis; ob quarum additionem tot poſtea exſtiterunt turbæ. μὴ δεῖν προστίθεναι τῷ τρισαγίῳ τὸ, σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. B) Theophanes p. 68.

A.C. Imperator ne inſpecto quidem libello quidquid in eo peteretur indulget;
447 A) non multo poſt Eudociam, a Theodoſio accerſitam Pulcheria ire non ſinit; rogata quid res tam inſolita ſibi vellet, libellum profert, quo ſibi Imperatrix mancipio dabatur. Senſit factum ſororis Imperator, ſuamque nimiam in poſtulatis admittendis facilitatem refelli non abs re intellexit.

448 Atque utinam cautior ſic effectus non illudi ſibi ab adulatoribus paſſus eſſet: quamobrem & male apud cives Byzantinos paſſim audiebat, & turbis pernicioſiſſimis Eccleſiam involvit. B) Erupere per hoc tempus e privatis Cœnobii parietibus in apertum errores Eutychis Aſceterio cuidam Præfecti, qui ſtrenuus antea contra Neſtorium dimicarat; ſed cum plus æquo in alteram inclinat partem, eo prolapſus eſt, ut diceret, ne naturas quidem in Chriſto duas eſſe, verum illas commixtione quadam in unum c) confuſas. A Conventu Epiſcoporum Byzantii eapropter damnatus, ad Chryſaphium clientem ſuum a ſe in baptiſmo levatum confugit; cujus, & Eudociæ opera factum, ut Theodoſius Eutychis patrocinium in ſe reciperet, tantum non extrema ſua pernicie, dum tantus Princeps a vili adulatore regi ſe & circumduci ſinit.

449 Altero ſtatim anno aliam idem Imperator Epiſcoporum Synodum Byzantii haberi jubet, ad ſolvendum ſua damnatione Eutychen; verum omnibus contra obnitentibus id inceptum fruſtra fuit; neque tamen ut debuerat proſcriptionis, in eundem lata eſt ſententia, agente pro eodem Chryſaphio, & Theodoſio ſententiæ ſuæ tenacius inhærente, ſicque tunc nebulonis unius adulatio tot gravium auctoritati Patrum præſtitit; quin & eo proceſſit Princeps alias pius, ut abſolvendi cauſa Eutychis Univerſalis Concilii indicendi jus ſibi arrogaret, invitatis undique per literas Epheſum Epiſcopis, & Dioſcoro Alexandrino, qui Cyrillo ſucceſſerat ei Conventui præeſſe juſſo, magna primæ ſedis ignominia, quam tamen majoris metu mali, Leo hujus temporis Pontifex concoquere ad tempus debuit, miſſis ad Concilium Legatis. Verum alterum hunc Epheſi Conventum pro latrocinio non Synodo habendum probi omnes cum eodem Leone cenſuerunt, in quo nihil jure & ordine, omnia vi, metu, & cum maxima perturbatione acta; ob quæ paſſim D) prædatoria Synodus audiit. Abſolutus Dioſcori ſententia Eutyches, Patres alii vi, promiſſis alii ad ſubſcribendum inducti, qui renuebant Epiſcopatu deturbati inque exilium acti fuere. In quibus princeps fuit Flavianus Byzantinus, qui cum in re iniquiſſima ad Leonem Romanum appellaret a Dioſcoro templo exturbatus, verberibusque dirum in modum appetitus, catenis gravis in exilium deportatus eſt, ubi paucos intra dies ærumnis confectus glorioſam pro Deo vitam E) terminavit. Damnati quoque Euſebius, Ibas, Domnus Antiochenus, ac Theodoretus; qui ſua in hac Synodo conſtantia pervicaciæ notam in proxime ſuperiore contractam abolere viſus eſt. Ita ſummo omnium mœrore ac perturbatione maxima, Conventui finis impoſitus; quo oſcitantia potiſſimum Theodoſii tanta plaga Religioni ſinceræ inflicta eſt, ut ea conſequentibus annis conſanari vix amplius potuerit. Ægyptus certe ex eo tempore perpetuo fere diſſidio ab Eccleſia disjuncta fuit; cum Alexandriam multimodis Dioſcorus ſibi demeruiſſet, eo etiam progreſſus impudentiæ, ut Leonem Romanum ceu minus recte de Chriſto ſentientem anathemate feriret. Enimvero ubi ſic dilacerari cuncta, ac permiſceri abſente ſe vidit Pulcheria prudentiſſima juxta ac integerrima Virgo, e privatis parietibus in aulam ſe transfert, ac mala quæ

A) Zonaras p. 35. B) Nicephorus, Socrates, Theophanes &c. C) *κράσιν καὶ σύγχεσιν τῶν δύω φύσεων* ut habet Chronicon, Alexandrinum. D) *σύνοδος ληϛρικὴ* a Græcis Scriptoribus appellatur. E) Ex verberum dolore obiiſſe Flavianum intra triduum ait Zonaras p. 34. Et ab ipſomet Dioſcoro verberatum innuit: *διὰ τις ἄγριος ὄνος ἀναθορῶν ὁ διόσκορος λάξ τῷ ϛέρνῳ ἐνέθορε τῶ εὐϛέβε.* Dioſcorus exiliens inſtar aſini indomiti, calcibus viri illius Sancti pectus impetiit.

quæ imprudens patraſſet, Theodoſio ob oculos ponit; pandit artes ſcelerati Chryſaphii, bonorum gemitus, Religionis vulnera explicat, quibus rebus velut alto ex ſopore excitus Theodoſius A) primum de authore tot malorum Eunucho ſupplicium ſumit, quem jam tum periiſſe quidam volunt; deinde Eudociam graviter objurgatam aula jubet faceſſere; quæ primo in Hebdomum, illinc Hieroſolymam profecta, hic vitæ reliquum egit. Denique Theodoſius pœnitentia rerum perperam geſtarum correptus de ſe ipſe Numini ſatisfacere ſtuduit, in eo felix, quod noſcendi ac deplorandi erroris gratiam nactus ſit; cæterum Deus a tergo ultor adfuit: nam ſequenti ſtatim anno vivorum numero IV. Calend. Auguſt. exemptus eſt, B) quidam in venatu equo prolapſum, alii fluvii Albi vorticibus arreptum volunt, a quibusdam morbo periiſſe fertur. Moriens Pulcheriam ut ſibi conjugem legeret Marcianum monuiſſe dicitur; C) idque ſibi a Sancto Joanne cujus non ita pridem ſepulchrum Epheſi veneratus erat, dictum eſſe. Princeps fuit rerum Eccleſiæ quam Imperii nec citra perniciem ſuam ſtudioſior, cujus turbas dum componere ſatagit, auxit imprudenter; didicitque, quam plenum periculi ſit profanam poteſtatem rebus ſacris admiſcere velle. Vixit annos unde quinquaginta, tres propemodum ac quadraginta ab obitu patris Imperio potitus. Reliquit ex ſe filiam Liciniam Eudoxiam, Valentiniano Imperatori Occidentis matrimonio junctam. A.C. 449

FL. MARCIANUS.



THeodoſio vita functo Flavius Marcianus ſtudio Pulcheriæ ex Senatus-Conſulto ſufficitur genere Illyrius, vel ut alii Thrax, ex infima ſorte per omnes militiæ gradus ad id faſtigium productus. Pulcheria ſuam cum jam olim virginitatem Deo conſecraſſet, nuptiis quidem Marciano conjuncta eſt, ſed promiſſo prius utrinque de ſervanda virginitate præſtito; cum enim cerneret tantam Imperii molem viro opus habere in quo ornando virtutes omnes conſpiraſſent, unumque ejusmodi eſſe Marcianum, cui ad illam dignitatem non alia ratione quam hocce connubio viam facilius pararet, conſilium iniit, ſaluberrimum Imperio, nec ſuæ virtuti noxium. Imperator hic ſinceræ imprimis Religionis ſtudioſus, nihil antiquius habuit, quam eidem ſuperiorum annorum turbis labefactæ ſuppetias ferre. Eutychianos ſeveris coercet ſanctionibus, vias omnes & modos concordiæ inquirit, rei totius arbitrium, Summo Eccleſiæ capiti Leoni permittit, ut is ubi liberet, Univerſale Concilium indicat. Continuo optima Marciani conſilia munerari viſus eſt Deus; nam Attila Hunnorum Rex qui hactenus orienti rapinis, cædibus, & tributis exigendis incubuerat, tempeſtatem illam in occidentem vertit, ingenti Gentium illarum formidine, nec minore exitio. D) 450

A) Meminere hujus Nicephorus, ac Theophanes p. 70. B) Marcellinus in Chronico. Viceſimo Junii die extinctum ſcribit Theophanes p. 71. C) Cedrenus p. 271. D) De his Nicephorus l. 5. Theophanes, Zonaras &c.

A.C. 451 Innumera quippe ex ſubactis Gentibus contracta multitudine (ad ſeptingenta fuiſſe millia ferunt) Germaniam Galliasque late diripit; nobiliſſimas excindit Urbes, ſupremam orbi terrarum vaſtitatem minatur. Reges Gentesque plurimæ ad commune reſtinguendum incendium concurrunt; Aetius Romanum adducit exercitum, Merovæus Rex Francos, Theodoricus cum filio Thraſimundo Gothos, qui omnes junctis viribus in campis Catalaunicis, horribili prælio manus conſeruerunt, ubi inaudita clade ad centum octoginta millia, utrinque deſiderata feruntur, cæſus ipſe quoque Theodoricus Rex, ex quo tamen prælio inferior diſceſſit Attila; unde in Pannonias redux a Marciani Ducibus prohibitus eſt, ne porro orienti moleſtus eſſe pergeret.

Pacata ſic utcunque Europa ad res Eccleſiæ per Epheſinam illam Synodum convulſas in integrum reponendas Concilio Univerſali Chalcedonem indicto initium datum eſt: A) ipſius Marciani & Pulcheriæ præſentia Patribus animi ad rem bene gerendam additi, qui non viſa adhuc frequentia triginta ſupra ſexcentos convenerant. Impius cumprimis Dioſcorus meritas dedit ſcelerum pœnas ſede ſua detruſus, actusque Gangras in exilium; damnatus B) Eutyches, data reducibus ab errore venia, reſtituti ſuas in Provincias Epiſcopi, multisque decretis Cleri diffluentes mores coerciti; omnia denique tranquille ac feliciter confecta; præterquam quod per eam occaſionem Anatolius Conſtantinopolitanus Præſul primam ſibi in Eccleſia poſt Romanum Pontificem in locum Alexandrini tunc depoſiti authoritatem attribui petierit; cui ea in re ſapienter ſe opponebat Leo Romanus, jam tum animo præcipiens, quas olim Eccleſiæ turbas hæc prælatio datura eſſet, foreque olim, ut quemadmodum jam Imperio, ſic quoque dignitate Pontificia nova Roma veteri ſemet exæquare cupiat. Anatolius Patres ea in re conſentientes habuit, quorum plerique eidem ſubjecti honorem hunc ſuum quoque eſſe ducebant, ac denique conſequentibus temporibus potentia, atque gratia Romani Pontificis reclamationi prævaluere.

452 Melior ab ea Synodo redire Religioni facies viſa, repreſſis ubivis magno ſtudio erroribus, Ægyptum ſi excipias, ubi Alexandrina civitas ſui amore Dioſcori amens, quam ille multis artibus & ſceleribus ſibi demeruerat, turbare nunquam deſtitit, perpetuis dehinc agitata motibus, & magnam partem Eutychiana. Sic tabes a capite deflua non modo membra illius Urbis, ſed progeniem quoque ipſam vitiavit.

Dum Marcianus in oriente res Dei curat, & in integrum pro virili reponere ſtudet, occidens ultimum ſubiit diſcrimen ab Attila, quem merito non unius aut alterius Gentis ſed publicum humani generis hoſtem dixeris; qui maximis Italiam aggreſſus copiis, Aquilejam aliasque Urbes funditus vertit. Qua occaſione Venetiis datum volunt initium, refugientibus ad aquas hominibus, cum nusquam tuti terra conſiſterent. Mediolani cum idem Attila depictos vidiſſet Romanos Imperatores Scythis ad eorum pedes proſtratis, imaginem pingi juſſit, quæ ſe throno inſidentem, Imperatores vero ſaccis onuſtos aurum ad pedes ſuos profundentes C) referret. Ad Mincii fluminis trajectum, Leo Pontifex Attilæ occurrens Divina quadam Majeſtate, & arcana vi ſic animum Regis perſtrinxit, ut is continuo ferociæ oblitus ſuæ, & minarum, quibus Valentiniano ſibi Romæ palatium apparandum denunciarat, in Pannonias D) remigraret. Ferunt hanc expeditionem ſtimulante E) Honoria Valentiniani ſorore ob laſciviam aula ejecta, ab eodem ſuſceptam fuiſſe, quo matrimonio

A) Acta Concilii. Theophanes, & alii. B) Eutychen infeliciter periiſſe ſcribit Zonaras p. 37. Sed quo genere mortis, non invenio. C) Baronius ad annum præſentem. D) Factum hoc narrat Suidas. E) Hanc expeditionem ob Honoriam ab Attila ſuſceptam fuiſſe expreſſe ex Græcis Theophanes: Jornandes addit coactum fuiſſe Valentinianum Honoriam cum parte regni cedere. Honoriam tamen non duxit Attila, prius demortuus; nec hujus ulla apud Scriptores illius ævi mentio ſed ſolum apud recentiores quosdam. Mors vero Attilæ poſt biennium ab hac expeditione contigit.

nio illius potiretur, potitumque ipſa connubiali nocte vino gravem tot cruentam cædibus animam egeſſiſſe ſanguine e naribus profluo ſuffocatum. Verum alii Ildiconi fuiſſe novæ nuptæ nomen, alii Hunnæ volunt. Etſi vero barbarus fuerit, ac Chriſtiani ſanguinis ſitientiſſimus Attila, moribus tamen non uſquequaque fuiſſe barbaris, ea indicio ſunt, quæ in Legatione Byzantio ad eum miſſa Priſcus Rhetor teſtis oculatus refert. Nam & hoſpitalem eum fuiſſe, & in convivio modeſtum, & Regia gravitate ac magnificentia palatium inſtructum memorat; cumque Proceres ex auro, & argento ederent, ac biberent, Attilam ipſum lignea quadra uſum eſſe. Sed nec in ira ſupra modum fuiſſe præcipitem. Maximo Legato additus erat a Theodoſio comes quidam Bigilas; is Græca uſus arte Edeconem unum de Proceribus Attilæ ad necem eidem inferendam conduxerat; ea res per Edeconem ipſum ad Regis aures perlata, tametſi vehementi ira eundum commoverit, habuit tamen eam juris publici Legatorum rationem, ut a cæde facienda abſtineret; cuſtodiæ tantummodo mancipatum, perſolutis centum auri libris abire liberum ſivit. A) Interitus Attilæ Marciano eodem tempore per ſomnum ſignificatus eſt, cujus arcum ſagittasque confractas, & abjectas ille vidit, inſtrumenta vindicis Dei quibus ſuorum ſcelera acerbe caſtigavit. B) Ab ejus morte res Hunnorum diffluere cæperunt in Pannonia, filiis ejus inter ſe diſcordibus, regnoque patrio, non item fortuna & virtute bellica potitis. A.C. 452

Quantum gaudii audita Conſtantinopoli Attilæ mors, tantum aut eo amplius doloris Pulcheriæ inſequens obitus invexit omnium animis, cujus potiſſimum prudentia & pietate res orientis ſalvæ permanſerunt, tot turbis per illa tempora agitatæ. Virgo fuit omnibus gratiæ & virtutum donis exculta, & columen Religionis Orthodoxæ, in qua palam factum, non ita ſequiorem ſexum a natura deſertum eſſe, ut non regendis interdum populis feliciter admoveri queat, maxime cum imbecillitatem ſexus eximia in Superos Religio ad omnia utilis penſarit. Annos nata quatuor & quinquaginta ad nobiliorem in cœlis coronam tranſiit poſtquam facultates omnes egntibus fuiſſet elargita; quam & virtutes propriæ, & poſterorum veneratio Divorum numero inſeruere. C) 453

Marcianus conjugi ſuperſtes quam orſus erat probitatis viam, gnaviter inſiſtebat, in omnibus conſilio Romani Pontificis Leonis obſecutus; cujus res Deo curæ fuiſſe, pacatum ejus per hæc tempora Imperium palam facit; quin etiam cum lues hominum per Aſiam, & fames graſſata eſſent, alimentum quibusdam in locis e cœlo in terras depluit; ſponteque ſua tellus inculta fructus maturos in annum ſequentem profudit; perinde ut ſi vexatio illa ad exaggerandam magis Dei in ſuos beneficentiam, atque providentiam præceſſerit. D)

At non eadem Occidentali Imperio facies, in quo tumultibus, factionibus, excidiis omnia fuere humana, Divinaque jura commiſta. Valentinianus Imperator moribus improbus, ſceleſta libidine honeſtiorum invadebat thorum; id cum Maximo quoque accidiſſet, illius Maximi qui ſub Theodoſio Magno Tyrannidem arripuerat nepoti, vindictam ille meditatus, ut eum inviſum redderet exercitui, perſuaſit Aetium ob bellica facinora clariſſimum e medio tolleret, ceu Imperii affectati reum, quod juvenis imprudens facile præſtitit; quo facinore perpetrato omnium a ſe alienavit animos, vereque ut quidam in eum luſit, Aetium interficiendo altera manu alteram ſibimet amputavit. E) Quippe Maximi inſidiis facile exin patuit, ab amicis Aetii in eodem campo Martio Imperio & vita exutus. Occupavit illico Principatum Maximus, utque illum ſtabiliret Eudoxiam Theodoſii Junioris Filiam Valentiniani relictam ſibi matrimo- 455

A) Priſcus p. 26. Illud vero ferum, ac plus quam barbarum, quod de eodem Attila ſcribit idem Priſcus, eum nuptias cum aliqua filiarum celebraſſe eo ipſo tempore, quo hæc ad eum Legatio pervenit. B) Marcellinus in Chronico. C) Marcellinus. Chronicon Alexandrinum &c. D) Nicephorus l. 15. E) Marcellinus. Idatius.

A.C. 455 nio copulavit. Verum cum imprudenter novæ nuptæ aperuiſſet illius amore impulſum ſe Valentiniano necem procuraſſe, illa quæ jam ante hominem peſſime oderat, Genſericum Africæ tunc dominantem ad ulciſcendam hanc injuriam clam evocavit; A) adfuit ille cum claſſe prævalida & exercitu aggreſſus imparatam Urbem ad reſiſtendum, & tumultu illo concuſſam. Maximus in ea trepidatione a furente quem tot malis involverat, populo lapidibus petitus, & diſcerptus eſt. Genſericus vero direptis in Urbe theſauris, ingenti civium multitudine in captivitatem abducta, in qua fuit etiam B) Eudoxia cum filiabus Eudocia & Placidia in Africam præda dives receſſit. Leonis potiſſimum Pontificis opera lenitus eſt, ne Urbem funditus verteret, templisque primariis, & magnæ Urbis parti parſum vellet. Exin dilabi ſenſim res veteris Romæ, inteſtinis omnia factionibus compleri, Imperium alius alii per vim & cædem eripere, donec Roma quaſi jam præ ſenio vertigine acta Barbaris penitus in prædam & dominatum conceſſit. Eudoxia quæ tantam perniciem in patriam exciverat in captivitate aliquamdiu detenta cum altera filiarum Placidia, nam altera Hunerico Regis filio matrimonio eſt conjuncta, in orientem redire permiſſa eſt. Porro Eudocia quæ Hieroſolymis degebat hac filiæ ſuæ calamitate admonita Eutychianum cui pertinaciter ſtuduerat, dogma averſata eſt, plurimisque piis operibus notam hanc abolere conata ſancto fine quievit.

Aliter ſe res Marciani in oriente habuerunt: qui ut propitium ſibi haberet cœlum, leges contra immunitatem Eccleſiaſticam a Valentiniano latas improbavit; antiquatis etiam illis, quas Imperatores alii adverſum viros Deo ſacratos, eorumque libertates ediderant; omnique via & modo ſaluti orientis proſpectum ivit. Sed enim tam bono Principe diu perfrui haud licuit: cum enim bellum adverſus Vandalos Romæ raptores apparat, eaque de cauſa ſupplicationes obire per Urbem vult, menſe Aprili extinguitur, C) poſtquam annos ſex totidemque menſes Orienti præfuiſſet. Imperator loco quidem obſcuro, ſed qui ſe virtutibus ſupra omnes poſt Conſtantinum Magnum illuſtrarit, & cujus natales nihil ſplendori gloriæ illius detraxerint.

FL. LEO THRAX.



457 HUic vita functo communi exercitus, & Senatus conſenſu Leo Tribunitius genere Thrax Imperio ſufficitur ab Anatolio Præſule Byzantino Imperialibus ornamentis inſignitus. Honorem hunc illi adhuc dum privato a Dei Matre prænunciatum fuiſſe fertur, D) cum cœco mendicabulo erranti miſeratione motus, ductorem ſe præbuit, ocu-

A) Theophanes p. 74. B) Eudoxia cum Placidia remiſſa fuit Byzantium; Eudocia quam Eudoxiam vocat Procopius, Hunerico regis filio conjuncta progenito filio Hilderico, poſt aliquot annos in orientem profugit crudelitatis mariti pertæſa. Theophanes & alii. C) Veneno ab Aſpare dato exſtinctum rumor fuit ut eſt apud Zonaram p. 38. D) Nicephorus l. 15.

oculisque ejus luto illitis non citra prodigium conſanavit. In ejus rei vicem Imperium illi a cœli Regina prænunciatum eſt, admonito, ut eodem quo hæc evenerant loco templum olim honori illius conderet. Leonis primum fuit operum turbas Eccleſiæ nondum etiam penitus conſopitas tollere, curareque uti Synodus Chalcedonenſis ubivis locorum reciperetur. At enim in hac parte refractariam invenit Urbem Alexandriam, A) in qua Dioſcori factio morte Marciani atrocius recruduit S. Proterio ejusdem Præſule intra ipſa templi adyta immaniter cæſo, inque ejus locum Timotheo quodam Æluro omnium ſceleſtiſſimo ſurrogato, qui miſerrimis modis recte ſentientes divexabat. Hujus furori & Anatolius, & Leo Romanus, & ipſe Imperator obviam ivere, non diu quidem Anatolius anno ſtatim altero e vivis ablatus, cujus locum tenuit Gennadius, & virtute & doctrina throno tam ſublimi digniſſimus. A.C. 457

Vi igitur ac minis compreſſo Alexandriæ tumultu idem Ælurus in 461
emlium atrociorem multo promeritus pœnam ejicitur, ſubſtituto in locum ejus Timotheo altero Solophaciolo, qui alterius perperam geſta probitate ſua ſarcire ſtuduit. Circa idem tempus Divinus ille Simeon Stylita vitam quandam cœleſtem jam in terris exorſus e columna ſua in cœlum quod ſolum ſpectabat, evolavit, annis octoginta in ſumma vitæ ſanctitate exactis, prodigiisque clariſſimus. Arripuit inſolitum vitæ genus poſt eum B) Daniel & nominis, & virtutis, & prodigiorum quodammodo hæres. Maximo in honore eum habuit Leo Imperator, frequens inviſebat, & Legatis ad ſe miſſis ceu rem Imperii ſui nobiliſſimam oſtentabat; ad quod ſpectaculum cum aliquando Regem Laziorum duxiſſet, admiratus ille invictam viri virtutem, & pie reveritus, lachrymis columnam reſperſit. Hujus viri Sancti precibus acceptam tulit Leo ſobolem maſculam, ex Verina conjuge; quæ tamen Ariadnæ iisdem parentibus progenitæ dolo interempta fertur. Zenoni poſtea nupta ambitioſa hæc mulier marito ſuo modis omnibus Imperium parabat, malorum auctor omnium quibus deinde oriens miſere multos in annos eſt divexatus.

Dum res orientis tranquille ſuoque ordine gubernantur; Occidentale 467
Imperium magna mole in ruinam præcipitabat: Ricimer potentiſſimus militum Magiſter genere Gothus, ſua pro libidine Imperatores creabat, & necabat; cæſo enim Majorano ſuffecit Severum; quo poſt quadriennium eiusdem opera veneno ſublato Romanus Senatus tot diſcordiarum pertæſus, a Leone Byzantio mitti ſibi Imperatorem flagitavit, miſſus eſt poſt anni unius interregnum Anthemius Marciani vita functi Gener, quem tamen poſt quinquennium Socerum tametſi ſuum proditione ſua idem Ricimer perdidit. Dum ſic vetus Roma a Deo caſtigatur, neque ſuis nova plagis caruit; nam & inſolito terræ motu, & horribili incendio pene abſumpta eſt, multis mortalium millibus, per eas flammas uſtulatis. Aſparis ſingularis in reſtinguendo diligentia commendatur, C) qui humeris ipſe ſuis aquam detulerit, & viritim nummum aureum elargitus ſit iis, qui ad reſtinguendum operam contulerant. Ex ea clade Imperatoris quoque probitas amplius eluxit, qui & inſtaurare Urbem, & egentiorum inopiæ ſubvenire non deſtitit. Sub idem tempus Eccleſiis quoque per crebras Arianorum præcipue injurias violatis ſua eſt reſtituta immunitas. Aſpar, & Ardaburius filius, Gothi iidem & Ario ad inſaniam addicti, rerumque in Urbe potentes militem noxæ reum, qui aſyli gratia ad Cœnobium Acæmetarum confugerat indidem per vim extrahi militibus ſuis in mandatis dederant; hi dum facinus furioſe exequuntur, fulminibus, & fulgetris ab imagine Salvatoris ſupra Aſceterii apicem poſita emiſſis repulſi, didicere res Sacras ne boni quidem obtentu impune unquam violari. Per eam occaſionem Leo Imperator novo ampliſſimoque edicto ſua templis privilegia, & jus aſyli comprobavit, pro quo Deum ipſum ſtare exemplo hoc tam luculento didicerat. D)

A) Theophanes p. 75. Cedrenus. B) Ex vita Danielis. Baronius ad hunc annum. C) Zonaras p. 39. D) Baronius ex actis S. Marcelli.

A. C. 468 Iisdem his Ducibus Aſpari & Ardaburio ſub hoc tempus debuit Leo alias fortunatus infeliciſſimam in Africa, adverſus Vandalos expeditionem. A) Ad horum retundendam ferociam maximo apparatu claſſem non ante viſam e mille & centum navibus conſtruxerat Leo, exercitumque qua terra qua mari ſupra centum armatorum millia complectenti præfecit Baſiliſcum Verinæ conjugis fratrem, Eutychis erroribus implicitum, & ambitione Imperii ſpeque illius prætumidum. Inter hunc, & Aſparem clam convenerat, uti Baſiliſcus claſſem atque exercitum Genſerico, & ipſi Ariano proderet, viciſſim opera illius infractis hoc modo Leonis viribus, Imperium Orientis conſequeretur, a quo obtinendo Aſparem Ariana labes arcebat, quo obtento liberam illis & Arium ſequi volentibus propagandi erroris poteſtatem ac templa decerneret. Baſiliſcus itaque cum ea claſſe in Vandalos profectus, primum quidem plures hoſtium naves demergit, & Chartaginem tantum non ipſam occupat; B) Genſericus dierum quinque inducias ſibi dari poſtulat, aut verius emit, ut eo tempore de pace componenda ageretur. Hiſce induciis nihil actum aliud, quam ut ventos nactus faventes hoſtis, improviſo claſſem Romanam aggrederetur; naves itaque materia ad concipiendum ignem apta plenas noctu ſecundis ventis Genſericus expedit, quæ delatæ inter naves Romanas, & accenſæ perturbationem illis maximam attulere. Ab incendio, naufragio, & inſequente hoſte claſſis, & magna militum pars interiit, uſque adeo ut e toto exercitu, vix ſemiſſis ad ſua remearit. Alii volunt Baſiliſcum non aſtu Aſparis, ſed auro Vandalico corruptum eam ſuis cladem conſciviſſe. Ut ut ſit, in eo certe patuit; quid fidei a Principibus habendum ſit iis, qui Deo ipſi antea perduelles extiterint. Ingens hæc fuit Romanis jactura, non hominum ſolum ſed & exiſtimationis, & opum; quippe in eam expeditionem, mille ac trecenta auri centenaria impenſa feruntur. Redux Baſiliſcus in Urbem, cum in eum ob rem male geſtam cunctorum odia ferverent, rapiendus ad ſupplicium in templo Divæ Sapientiæ aſylum quæſivit, unde ſororis Verinæ precibus condonatus Perinthum Thraciæ amandatur. At vero parte alia qua Duces Catholici rem gerebant, ſucceſſus fuit longe fortunatior c) Denſices Hunnorum Rex & Attilæ filius, ab Anagaſto militum Magiſtro prælio ſuperatus, cæſusque ad Iſtrum eſt, cujus caput Conſtantinopolim allatum, ſuperiorem quam Imperio Attila attulerat ignominiam utcunque penſare viſum fuit.

Ut vero a Vandalis quoque inuſtam Romano nomini maculam deleret Leo, alios iterum exercitus adverſus eosdem Ducibus Heraclio Edeſſeno, & Marſo Iſauro emiſit, viris maxime ſtrenuis, qui navali prælio ſuperiores effecti, Tripolim aliasque complures Libyæ civitates in poteſtatem redegerunt; itaque ſuperbos illos Genſerici e tanta victoria ſpiritus retuderunt, ut is de pace componenda Leonem ſollicitaret, quam ille haud gravate impertiit, cum eum domeſtici metus ab extero bello inſtanter revocarent.

Aſpar enim cum filiis Ardaburio, & Patricio ob res belli bene geſtas in eam potentiam quamvis Alani genere Byzantii pervenere, ut pene arbitri rerum eſſent, ipſisque Imperatoribus formidandi. Horum etiam potiſſimum opera Leo ipſe Imperium adeptus fuerat, D) pollicitus alterum e filiis Aſparis Cæſarem dicturum. Sæpius ille Leonem jam Imperatorem effectum interpellabat, uti memor promiſſis ſtaret; quodam die paludamento ejus prehenſo ajebat: hac veſte indutum nefas eſt mentiri; cui Leo: & Imperatorem inſtar mancipii trahi, & tractari nefas eſt. Sic tunc quidem ejus eluſit poſtulata: ſed cum in metu eſſet, ne Aſpar ob nega-

A) Narrat eam Procopius de bello Vandalico & poſt eum Theophanes, Cedrenus p. 276. B) Theophanes occupatam ab eo Carthaginem videtur ſignificare εἶτα καὶ αὐτὴν ἠδυνήθη τὴν καρχηδόνα κρατῆσαι, deinde ipſa quoque Carthagine effectus eſt ſuperior; ſed Procopio hic fides potior. C) Chronicon Alexandrinum p. 258. D) Zonaras p. 39. Glycas, in Leonem.

negata promiſſa ſeditionem conciret, aut nepoti quem ſucceſſorem deſti- A. C.
nabat ſe mortuo Imperium eriperet, Patricio A) filiam deſpondet ſuam, 468
Cæſaremque appellat. Perculit Urbem Catholicam factum hoc, Arianum Principem expaveſcentem, ut pene ad ſeditionem res ſpectare viderentur. Verum hæc omnia in ſpeciem a Leone acta ſunt, quo ſui deinde ſecuros facilius e medio tolleret, quod & factum: nam cum in aulam ceu jam domeſtici crebrius itant, quodam die ab aulicis circumventi trucidantur. Alii tradunt in circo a populo convitiis appetitos & necatos fuiſſe, alii in fuga; Nicephorus ad Sanctæ Euphemiæ illos confugiſſe, ac inde fide data extractos nihilominus eſſe interfectos cum menſæ Imperatoriæ accumberent. Illud etiam additur: cum Ardaburius patris jam interfecti caput vidiſſet, exclamaſſe: merito ſenem illum hæc pati, qui ſibi non auſcultarit ſæpius dicenti: prius Leonem devoremus, quam ille nos ſibi in prandio apponat. Ab hac cæde Leoni μαχειλὴς ſeu interfectoris nomen adhæſit. Horum morte ingens Conſtantinopolim ſeditio turbavit: Oſtrys enim ſatelles Aſparis Theodorico Gotho aliisque faventibus, ulturus ſuorum cædem Regiam invaſit, magna utrinque ſtrages edita, & niſi Zeno, ac Baſiliſcus cum exercitu in tempore Urbi adfuiſſent, in ſummum res diſcrimen adducta fuerat. Horum appulſu compreſſi tumultus, Oſtrys ſe fuga Urbe ejecit, vaſtavitque Thraciam, de quo illud in vulgus jactatum: mortui nemo amicus niſi ſolus Oſtrys; Leo autem filiam Ariadnam, Patricio B) ante deſponſam Zenoni in matrimonium dat, eundemque Orientis ducem conſtituit, quæ res non parvam Antiochenæ Eccleſiæ perturbationem invexit.

Zeno etenim in orientem profectus, Petrum quendam Fullonem co- 471
gnominatum ſecum duxerat, hominem hæreticum eaque propter Aſcenterio proturbatum; hic corruptam cum inveniſſet Urbem, facile in ſententiam traxit, & favore nixus Zenonis confictis criminibus, Martyrium Urbis Epiſcopum, varie exagitatum coegit denique Epiſcopatui renunciare, quod ille præſtitit verbis hujuſcemodi: Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuncio, ſervata interim mihi Sacerdotis dignitate. In abeuntis locum per vim invaſit idem Petrus Fullo lupus videlicet in locum paſtoris. Sed non diu hac ei dignitate perfrui conceſſum; egit enim Gennadius apud Leonem, ne tantum facinus sineret inultum, atque ille confeſtim exilii ſententiam in fanaticum hominem pronunciavit, quam hic non expectatam fuga antevertit. Redux non diu poſt, ſæpius in exilium projectus eſt, ſed tamen minus ſæpe & mollius quam ſcelera illius merebantur. Gennadius ab hac re diu non ſuperfuit eodem anno e vivis ſublatus, ferunt eum cum in templo preces noctu funderet, vidiſſe malum Genium, qui ei dixerit: ſe quidem nunc abire, reverſurum tamen mortuo Gennadio modisque omnibus Eccleſiam deſtructurum. Quod etiam præſtitum ex parte a tenebrione illo, ſiquidem ſub Præſule Acacio in locum Gennadii ſuffecto, eumque conſecutis aliquot, tot turbis agitata eſt Eccleſia Byzantina, ut propius interitum fuerit. C)

Leo Imperator adrepente ſenio Orienti proſpecturus nepotem ex Ze- 474
none ſuum, adhuc infantulum ſucceſſorem deſtinat; neque enim eam dignitatem in Zenonem ipſum transferri volebat, quod is genere Iſaurus eſſet, & tam deformitate corporis, quam morum pravitate tanta Majeſtate indignus haberetur. Hoc peracto fatis conceſſit menſe Januar. cum annos ſeptemdecim Imperio præfuiſſet, & ſex inſuper menſes. Functus eſt cum laude Imperatorio munere, id unum ſi excipias, quod in hæreticos mollis, in domeſticos vero ſuos homines peſſimos Zenonem & Baſiliſcum propenſior fuerit; quos ad eam evexit potentiam, ut & impune quidvis poſſent, & Imperium eodem extincto in ſemet transferrent, multis

A) Patricium reliqui, Evagrius, & Nicephorus Ardaburium volunt creatum Cæſarem. B) Quanquam non Ariadnam ſed Leontiam alteram Leonis filiam Patricio deſponſam fuiſſe quidam velint poſtea Marciano nuptam. C) Cedrenus p. 275.

A. C. 474 tis ac miſeris modis eorum ſceleribus afflictatum; ſic quem ſuæ virtutes ornabant Leonem, ſuorum crimina dedecorarunt. Clementiæ inprimis laude præcelluiſſe fertur, cujus dictum fuit: A) quemadmodum ſol quibus affulſit, iis calorem ſuum impertiri ſolet, ita etiam ab Imperatore clementiam eis tribuendam quos aſpexerit. Erat idem Leo literatorum quoque amans, tametſi ipſe non admodum literatus. Eulogio Philoſopho aurum aliquando dari juſſit, cumque quidam Eunuchorum reſpondiſſet, aurum illud in militis uſum eſſe paratum, vocem emiſit Leo muſis amiciſſimam: Utinam, inquiebat mea ætate contingat, ut ſtipendia militum in Doctores conferantur. B) Reliquit ex ſe præter Ariadnen, filiam Leontiam, Marciano Anthemii Imperatoris filio nuptam. Non longe poſt ſecutus eſt avum Leo junior, cum vix decem menſibus Auguſtus fuiſſet. Ferunt puerulum hunc admonitu matris, eademque & Verina adjuvantibus parenti ſuo Diadema impoſuiſſe, C) cum illum in circo ſpectante populo, ceu Auguſtum veneratus eſſet; ſicque Imperio potitum Zenonem ablato brevi e vivis Leone; quem tamen nonnulli vix anni unius infantem faciunt, D) & Zenonis patris ſcelere peremptum, ne tutorio ſolum, ſed quod unum cupiebat, Imperatorio nomine rebus præeſſet. Ita breviſſimo Leo junior Imperio ante patrem perfunctus eſt, E) in eo ſolum felix, quod nec ſenſerit quantum in ſe oneris recepiſſet, nec ſciverit quid honoris amiſerit.

FL. ZENO ISAURICUS.



ZEno itaque vultu deformis, ſed vita fœdior, ut primum in id faſtigium reſiſtente nemine conſcendit, amoto jam omni metu libere in vitia omnia, & libidines ſeſe effudit, cum ſuo arbitratu omnia ſurſum deorſum verteret, nactus in his egregium adjutorem Longinum fratrem perinde vitiis fœdatum. Hæreſi Eutychianæ quam occulte in animo adhuc foverat, favere aperte jam tum occœpit Zeno Fullone illo in Antiochenam Urbem, Ælluro autem flagitioſiſſimo Alexandriam redire permiſſis. Hic tamen poſterior a populo Cleroque Catholico prohibitus eſt, ne omnia pro ſua libidine miſceret, a cujus conſortio ut peſte teterrima refugiebant plerique, ab ingreſſu templorum eum prohibendo, & pro refringendis impiis ejus conatibus, ad Romanum Pontificem refugiendo. Sub ipſum Imperii exordium, dum Zeno adminiſtrationi rerum indormiſcit libidinibus, & crapula diſtentus, Hunni in Thraciam, Saraceni

A) Refert hoc illius effatum Zonaras p. 40. B) Malchus apud Suidam hunc Imperatorem omnis improbitatis fuiſſe diverſorium ſcripſit, eumque avaritiæ, & crudelitatis infamat; ſed maledice credo magis, quam vere, cum in eo laudando reliqui conſentiant. C) Theophanes p. 80. D) Ita quidam ex latinis Scriptoribus a Baronio citati, nam Græci id non prodidere. E) Chronicon Alex, & Malalas ex Neſtoriano hunc ſeptendecim annorum juvenem obiiſſe tradunt, alii ſeptennem, triennem alii, idque credibilius, cum matre, & Avia adjuvantibus & monentibus, coronam patri impoſuerit, ad quod opus non habuiſſet annorum ſeptendecim juvenis.

ni in Meſopotamiam fœde graſſantur, quibus plagis haud excitus ſomno A. C.
eſt Imperator, civium quam Barbarorum hoſtis atrocior, in quorum facultates crudeliter irruebat, easque egentioribus diſpertiens per ſcelus liberalis, & pii nomen affectabat. A)

Oriente hunc in modum afflicto miſerabilior erat Occidentalis Im- 475
perii facies, quod funditus interiit in Auguſtulo ſic per contemptum vocitato, cum vero nomine Auguſtus eſſet. Hujus pater Oreſtes Magiſter militum a Nepotiano Imperatore renunciatus, quem in hoſtes ducendum acceperat exercitum, in Nepotianum vertit, atque illo in Dalmatiam refugiente filium ipſe ſuum Imperatorem creat, Momilum alias dictum, quæ vox forte errandi occaſionem præbuerit Scriptoribus Græcis, ut eum B) Romulum dicerent. Ab adverſa factione ulciſcendæ injuriæ gratia Odoacer Herulorum Rex e Septentrione advocatur; qui oblatam avide arripiens occaſionem prævalido cum exercitu Italiam ingreſſus, ſeipſum Romæ Dominum conſtituit, decennio poſtea patriis inſtitutis ac legibus eam Regio non Imperatorio nomine moderatus. Oreſtes perdita patria cæſus periit, Auguſtulus vero in Lucanum caſtrum relegatus, triſte extitit lubricæ fortunæ ſpectaculum. Sicque Imperium Romanum bifariam diſſectum, altera ſui parte tunc emortuum eſt, per factiones diſſidiaque domeſtica inprimis peſſumdatum, oſtenditque caſu ſuo, quid alteri quoque parti iisdem jam tum morbis laboranti eſſet expectandum.

Enimvero ſub idem pene tempus ingentibus turbis atque diſſidiis Conſtantinopolis eſt involuta. Cum Zeno non tam Imperator eſſet, quam Imperii latro, & libidinum helluo, totius a ſe Senatus animum Verinæque ſocrus vehementer alienavit. Viſa hac re Baſiliſcus regni cupientiſſimus, frater Verinæ, in gratiam hujus aliorumque, qui favere poterant conſuetis adrepens artibus, eo rem perduxit, ut pleramque Urbem facile in ſe inclinaturam cerneret, ſi ſeditio aliqua Zenonis caput peteret. Itaque ſubnixus favore Procerum, tumultum & rebellionem concitat; Imperatorem ad necem depoſcit; perculſus re inopina Zeno cum ſe omnibus exoſum cernit, rapta conjuge ac multo auro, in Iſauriam patriam ſuam fuga ſe ſubducit. At Baſiliſcus ab omnibus Imperator ſalutatus coronaque incinctus, Marcum filium Auguſtum, Zenodiam vero conjugem Auguſtam dicit; quoque ſibi Imperium affirmaret, quæri ubivis profugum Zenonem jubet, miſſis ad comprehendendum eum cum exercitu, Illo & Procundo Ducibus, qui Zenonem poſt multas difficilesque latebras tandem in arce quadam prævalida Varas dicta obſedere. C)

Baſiliſcus Imperium adeptus nihilo meliorem ſe, quin etiam deteriorem deceſſore ſuo præbuit, ut difficile eſt ingenium longa vitiorum aſſuetudine corruptum exuere. Eutychi cum totus ſtudet, palam ſeſe datis ad omnes Epiſcopos literis Chalcedonenſis Concilii hoſtem denunciat, proturbatos ab Urbibus ob eundem errorem Epiſcopos ab exilio revocat, Fullonem, Ælurumque magnis tumultibus reponit, utque eadem hæreſeos labe cunctos aſpergeret, omnium ſuffragiis ut Concilium illud damnaretur, magnopere laborat. Inuſitato animorum ardore cives Byzantini Imperatoris amentiæ ſe oppoſuere; ſeditione ingenti concitata, cui ipſe ad tempus ſubducere ſe neceſſe habuit. Per hunc tumultum damnum non ſane leve acceptum eſt, nam igne a quibusdam tectis illato ingens extitit incendium, quo etiam nobiliſſima illa Conſtantinopoleos Bibliotheca centum, & amplius librorum millibus inſtructiſſima peſſumiit. In hac plurima veterum volumina e toto orbe collecta periere, in quibus fuit draconis inteſtinum, longum pedes centum viginti, cui aureis literis Homeri Ilias, & Odyſſea fuere inſcripta. Sic edax illud elementum non

A) Hæc Theophanes, Cedrenus, Nicephorus in rebus ejus geſtis. B) Quidam contra volunt Latinos erraſſe Scriptores, qui Momilum dixerint, cum reapſe Romulus fuerit vocatus; & repertus dicitur nummus Romuli hujus nomine inſcriptus. Quem vide in deſcriptione familiarum Byzantinarum Caroli du Fresne p. 65. C) Theophanes p. 8.

A.C. corporibus ſolum, verum & ingeniis etiam ſecuturis, tunc plurimum
475 incommodavit. A) Acacius Urbis Præſul tantum populi ardorem in propugnanda veritate conſpicatus, territus & ipſe quamquam Eutychianis clam faviſſet, diſſimulatione ad tempus uſus publice in Zenonem & Baſiliſcum pro concione dixit, veſte inſuper pulla ad teſtandum animi dolorem ſeque, & aras templi contexit. Daniel quoque Stylites ut laboranti Eccleſiæ ſuccurreret cœleſti voce admonitus e columna deſcendit, Baſiliſcumque ipſum impietatis commonefecit, dirum prænuncians interitum ni protinus reſipiſceret. Verum lavit Æthiopem, durior enim erat Baſiliſcus quam ut hæc Sancti viri verba ad animum uſque admitteret. B)

476 Sed quem viri Sancti oratio non potuit, incuſſus a Zenone terror inflexit; Verina enim plurimique e Senatu cum cernerent, ſe in vicem Tyranni crudeliorem alterum ſubſtituiſſe, pœnitentia ducti, cum Illo & Procundo clam agunt, uti Zenonem libertati aſſertum, & forte ea calamitate jam emendatum in Imperium reponerent, quod illi privatim jam Baſiliſco offenſi facile præſtant; igitur cum Zenone, quem adhuc obſidebant paciſcuntur, eumque exercitu nec opinato auctum Conſtantinopolim verſus ducunt. Baſiliſcus re inexpectata, vehementer perturbatus, quo ſibi populi benevolentiam & exercitum colligeret, perperam contra Concilium Chalcedonenſe geſta improbat, palam ſe populo de ea re purgat, contrariisque edictis priora adverſus fidem decreta abolet. Ingenti itaque multitudine contracta exercitum Armatio conſanguinitate ſibi juncto, & Thraciæ tum Duci adverſus Zenonem ducendum tradit, prius ſevere adjurato c) ut ſibi fidelem contra inimicum navaret operam. Zeno in eo rerum articulo cum ſe viribus hoſti imparem cernit, jamque de fuga novisque latebris cogitat, ad conſuetos quibus ſolis valebat, dolos converſus, ingentibus promiſſis Armatium oppugnare aggreditur; omnia ei pollicitus, ornaturum ſe illum Magiſtri militum dignitate, filiumqne nomine itidem Baſiliſcum Cæſarem protinus dicturum, brevique hominem ambitioſum expugnat. Perjurus itaque Armatius copias ſuas Zenonianis Ducibus permittit, ſicque ille nemine jam reſiſtente in Urbem, qua annum & menſes octo caruerat, revertitur. Baſiliſcus audito Armatii ſcelere in templo, cujus hoſtis fuerat, perfugium quærit cum conjuge Zenodia fœmina hæretica, & quæ maritum in recte ſentientes maxime impulerat. Zeno fide data e templo eos evocat, nihil ſe illis in vita nociturum ſancte pollicitus. Verum ut eos in poteſtate habuit, in Limnas arcem relegatos, turri cuidam præcepit includi, & poſtes muro obduci, D) ubi una cum liberis fame & frigore confecti in mutuo corporum complexu miſerabili interitu periere. Aliter nonnihil rem Procopius: Baſiliſcum ſcilicet ab ipſo Acacio de hæreſi objurgatum Zenoni eſſe traditum, ne jure Eccleſiæ gauderet, quam violarat; in via autem fame, & frigore cum liberis & conjuge enectum eſſe.

Porro Zeno ut promiſſam Armatio fidem exolveret, ludis Circenſibus filium ejus admodum adoleſcentem Cæſarem renunciat ſella illi juxta ſe poſita. Sicque homo vafer ſatis a ſe factum promiſſis ratus, conſueta ſibi Tyrannide Armatium, cui Imperium & omnia debebat, non multo poſt ceu perjurum animique inconſtantis virum, dum palatium ingrederetur, occidi jubet. Filius Baſiliſcus Ariadnæ precibus ſervatus, & ab aula ad templum translatus eſt; Clero etenim adſcriptus, ac deinde Epiſcopus Cizici ordinatus cum laude præfuit. Sic tum ſceleribus, & fraudibus magis quam armis certatum fuit, neque ſuum cuipiam perjurium feliciter ceſſit ſequente a tergo ultore Deo, alteriusque ſcelera & fraudes, alterius opera ac manu vindicante.

Adver-

A) Hanc cladem literis illatam memorat Cedrenus p. 277. B) Hæc Theophanes, Nicephorus, Zonaras, Evagrius ſparſim. C) Adjuratio hæc ſingularibus cerimoniis per ſacrum Baptiſma fiebat; ſacro nimirum lavacro abluebatur infans, & in manus dabatur ei, qui fidem ſuam obſtringebat; cujus & alias in hac hiſtoria exemplum eſt. D) Chronicon Alexandrinum p. 259.

Adverſæ hæ res, quibus Zeno jactatus eſt, viſæ ſunt nonnihil animum A.C.
ejus inflexiſſe, ut ne res Eccleſiæ, quod adhuc fecerat, perturbatum iret. 477
Antiochena Urbe exturbat Petrum Fullonem, quod partibus Baſiliſci ſtudiſſet; ſubſtitutus in ejus locum Stephanus vir probæ mentis, A) qui tamen haud ita multo poſt in ipſo templo, ab Eutychianis per tumultum interemptus eſt. Vindicavit ſevere miſſa militum manu cædem hanc Imperator, aliumque itidem nomine Stephanum, Conſtantinopoli, quod ad eam diem factum non erat, electum, ad præcavendos tumultus, qui futuri erant, ſi hæc electio a ſeditioſo illo populo Antiochiæ fieret. Ælurus Alexandrinus his auditis Zenonem ex animo Orthodoxis ſtudere ratus, de ſe ipſe ſupplicium ſumpſit violenta ſibi manu illata erroris impietatem ſui morte impiiſſima teſtatus. Occuparat quidem locum ejus Petrus quidam Mogus illi ſcelere & hæreſi geminus, verum a ferventioribus Catholicis expulſus Solophaciolo legitimo Præſuli locum relinquere coactus eſt. In hunc modum non profanæ ſolum, ſed & ſacræ dignitates factionibus ſæpe etiam cruentis per ea tempora in oriente laborabant.

Zenoni recepto Imperio non diu licuit eſſe quieto, Theodoricus enim Gothus Triarii filius Aſpari, a Leone cæſo affinitate junctus, ulturus Baſiliſci a quo Thraciæ Ducatum obtinuerat necem, adverſus Urbem copias obviis omnibus ferro direptis ducit. B) Zeno imbellis ipſe cum nec animi, nec copiarum haberet ſatis ad retundendum Triarium, alterum contra eundem Theodoricum Amalum pariter Gothum, alterius Gothici exercitus Ducem promiſſis maximis concitat, pollicitus ſe eum Thraciæ Ducem renunciaturum, auri plurimum, regionemque quam cum ſuis incoleret, opimam aſſignaturum, inſuper miſſurum undelibet auxilia ad Triarium penitus debellandum, Patricium denique dicturum, & Olibrii vel alterius e prima nobilitate filiam matrimonio juncturum. Vaferrimo id factum conſilio, ut Gothi inter ſe commiſſi, ſe ipſos conſumerent, & utra pars vinceret, victoria penes Romanum eſſet. Promiſſis tantis illectus Amalus, exercitum in Triarium ducit, verum poſt leves quasdam pugnas, cum nec ſubſidiariæ adeſſent copiæ, nec promiſſa impleret Zeno; adhæc Triarius obequitans Amali exercitum obteſtaretur, ne cognato ſanguine manus impiarent, defluentibus militum animis Amalus cum Triario paciſcitur, & uterque ſatisfieri ſibi a Zenone ceu injuriis appetitus poſtulat. Hic quidem quod ſe dignitatibus ſpoliaſſet, & ſanguine junctos partim interemiſſet, captivos partim teneret; alter vero quod vanis pollicitationibus in belli ſocietatem pertractus foret ac deluſus. His auditis Zeno magnanimos ſumit ſpiritus, & in Gothos expeditionem decernit, ipſum ſe quo militi animos adderet, in eam iturum pollicitus. Dedere ingenti numero & alacritate milites nomina, educitur exercitus, pugna ab omnibus depoſcitur. Verum militares illi Zenonis ſpiritus conſueta ſocordia, & libidinibus cito oppreſſi ſunt; neque ab illo exercitu quidquam quod e re fuiſſet, geſtum. Dum ſic in caſtris deſidetur, miles otii illius & ignaviæ impatiens tumultuari incipit. Marcianus exercitui Præfectus, Zenoni ſignificat, periculum ab exercitu inſtare, ne repens aliqua rebellio res illius convelleret. Quo itellecto ocyus exercitum dimittit Imperator, ingenti Romani nominis dedecore, & militum indignatione, quos ſola Zenonis ignavia imbelles, nec dignos militum nomine effecerat. Theodoricus Triarii filius admoverat quidem propius Urbem exercitum, futurumque fuiſſet ut eam occuparet, ni proditione deterritus ſuorum, impetum preſſiſſet. Is ab ea re geſta non diu ſuperfuit; dum enim quodam die in equum enititur, forte prolapſus latere in haſtam tentorio ſuo præfixam impacto extinguitur. Cum Valamere Zeno fœdus pepigit ſtrenua deinceps ejus opera, adverſum alios hoſtes uſus

A) Theophanes p. 88. B) Hæc Malchus Rhetor in excerptis de Legationibus p. 54. Sed conciſe nimium, & perturbate.

A.C. quoadusque Theodoricus ille majora animo designans ad Italiam, Romamque ipsam occupandam spes suas exporrigeret.

479 Per eadem hæc tempora, terra veluti tot scelerum impatiens Byzantii ingenti motu est concussa, quo plures Ecclesiæ, & porticus ad usque solum dejectæ, ingensque hominum vis ruinis domorum sepulta, ipsis etiam Urbis mœnibus labem multam facientibus; cumque dies complures teneret, tetro fœtore e cavernis erumpente aer ipse inquinatus est. Cladem hanc hominum a terræ motu factam accumularunt civiles motus & discordiæ brevi consecutæ. Marcianus Anthemii qui Romæ imperarat filius, cui soror Ariadnæ Leontia, in matrimonio erat, exosum Urbi, & militi, conspicatus Zenonem in spem Imperii arrectus tumultum ingentem commovet, prætexens sibi præ Zenone deberi Imperium, ut cujus uxor Leontia Leone jam Imperium tenente, Ariadna vero adhuc dum privato progenita esset. Fit accerrimus inter partes conflictus, Zenonisque copiæ superatæ in palatium ipsum retruduntur. Sed Marcianus quod in manu pene jam habuit Imperium, ignavia imprudentiaque sua perdidit. Nam velut confecto jam negotio, ad cœnam & balneum conversus spatium dedit Zenonianis colligendi sui, & Illo Duci Imperatorio, ut auro copias Marciani noctu subduceret. Spoliatus magna suorum parte Marcianus conserta die altero pugna profligatur, & in ædem Apostolorum tutelæ gratia confugit; hic jussu Zenonis ab Acacio Presbyter ordinatus pœnæ loco coronam accepit regia ipsa nobiliorem, qua tamen longe fuit indignior. Exinde in Papurium castrum exul agitur, Procopio & Romulo ejus fratribus captis quidem ab Illo, sed fuga e custodia Romam dilapsis. A)

480 Non citra Verinæ favorem, rem tantam Marcianus ipsius gener attentasse videtur, namque in eandem arcem & ipsa cum filia Leontia asservanda relegatur; procurante id exilium Illo potissimum, qui Imperium Zenoni jam secundum conservarat. Ariadna Verinæ filia exilium hoc matris indigne ferens, supplex Zenoni accidit, uti illi in Urbem liceret remeare; facileque apud mollem mariti animum id evicerat, si modo Illus rerum tunc in aula potens id fieri vellet. Aggressa hominem blanditiis Ariadne, cum nihil impetrat, Zenonem acerbis pulsat querelis, quod se Illus in aula plus posset, neque nisi matre reduce commoraturam se unquam in Urbe comminatur. Imperator cui solenne erat iis potissimum vitam, & fortunas eripere, quibus plurimum debebat; potestatem facit conjugi, ut si possit, Illum per insidias de medio tollat. Hominem illa conducit, qui Illum in circum adventantem militiæ id temporis Magistrum gladio feriat, sed ille ictum declinans levi perstrictus vulnere, incolumis abiit. Zeno tumultum irasque Illi permetuens, aggressorem velut de insidiis factis semet purgaturus interfici jubet; Illum vero ut deliniret Orienti, cum summa potestate præficit, uti illic Duces, quos vellet & Magistratus constitueret. Illus assumptis secum aliquot Principibus viris Leontio Thraciæ Duce, bellicis artibus, ac literis claro, itemque Marso & Pamprepio in Asiam contendit, & versatile Zenonis crudeleque ingenium extimescens, palam in eundem rebellionem commovet. B)

481 Ad arcem itaque Papurium, ubi inclusa tenebatur Verina progressus, eandem libertati asserit, pactis conventis cum ea initis, ut Leontium Patricium in Zenonis Tyranni Imperioque indignissimi locum auctoritate, qua apud populum ob Leonis memoriam valebat plurima, constitueret. Haud ægre adducta est exulcerato mulier animo, ut tale aliquid in Zenonem auderet, non tam quod bene vellet Illo, cujus artibus aula exciderat, quam quod Zenoni male, qui generi partes nec moribus, nec officio explebat. Itaque Tharsum Ciliciæ profecti, Leontium extra Urbis muros coronant, data simul ad omnes civitates, & populos sacra ut vocabant

A) Theophanes p. 87. B) Theophanes p. 89.

cabant epistola, qua cunctos admonebat Verina, Imperium sibi a Leone A.C.
relictum esse, se vero Reipublicæ procurandæ præfeciſse Zenonem gene- 481
rum, ignaram tum qui vir esset, nunc vero cum videat illum ignavia & crudelitate pessumdare omnia, & Tyrannidem non Imperium exercere, Leontium omnibus insignem virtutibus in locum illius sufficere, qui ex voto præfuturus speretur. Hæc epistola ab Urbibus, & Præfectis cupide accepta confluente undique multa manu, magnam Zenoni tempestatem concivit. Huic ille compescendæ ingentes undique copias, terra marique collectas Duce Joanne Scytha viro cumprimis strenuo expedit, qui conserta cum Illo, & Leontio pugna superior effectus eosdem in Papurium arcem retrusit; cum jam ante hanc expeditionem, illic Verina diem obiisset suum, mulier pietati apprime addicta, sed generis filiabusque infelix. Zenoniani arcem gravi diuturnaque obsidione pressere.

Dum sic res profana turbatur, sacra quoque ab Acacio, impioque Zenone maximis est turbis concussa. Mortuo Alexandriæ Timotheo Patriarcha, unanimi recte sentientium studio suffectus fuit Joannes cognomento Thalaides; quam electionem Imperator velut insciente se factam, impellente Acacio improbavit, reducto in ejus locum improbo illo Petro Mogo ex hæresi aliisque vitiis concreto. Insuper instinctu illius ejusdem Acacii usurpata sibi sacra potestate sanctionem ἑνότικον dictam edidit, qua Ægypti Episcopos in concordiam fidei adducere laborabat, præscripta iis via ac modo, quo id confieri deberet; in qua cum nullam Chalcedonensis Concilii mentionem feciſset, cujus maxime odium Ægyptios in diſſidium illud impulerat, taciturnitate hac sua Synodum improbare visus est; additaque insuper execratione in illos, qui sanctioni huic adversari pergerent, auctoritatem jusque Ecclesiæ in semet transferebat; atque ita animum hactenus clam hæreticum, palam ab Eutychianis stare ostendit. Verum cum eam ob causam ingens esset commotio animorum Byzantii, illique ad Romanum Pontificem, velut sacram in dubiis perplexisque rebus anchoram confugerent, A) ingenium Zeno in omnem partem fingere doctus, & probare se Concilium Chalcedonense edixit, & Joannem non alia causa Episcopatu depulsum, quam quod ei adversatus esset. Felix Pontifex Simplicii successor egit per suos apud Acacium, ut a communione Mogi abstineret, neve subscriberet Henotico, sed saxo durioremreperit animo illius aut fluctuante, aut ad partes Eutychianas penitus inflexo.

Non minor perturbatio Antiochenam vexavit Urbem; nam Calan- 483
dion ejus Præsul, cum pluribus sanæ mentis Episcopis a Zenone, quasi tumultu contra se per Leontium excitato partes ejus secuti essent, Urbe sua exturbatus fuit, Fullo autem ille sceleris & doli plenus, toties extrusus, iterum in eandem Urbem intrusus. Ille apertum nactus campum insanam profert doctrinam, e variis ceu monstrum hæresibus conflatam, cum Trisagio voces has apposuit: qui passus est pro nobis: quibus verbis a Christo ad Triadem Sanctissimam opus reparatæ salutis nostræ retulit; a quo deinde Theopaschitæ hæretici dicti. Hæc impietas nova tam a Felice Romæ, quam ab Acacio Constantinopoli unanimi omnium voto est damnata. Aliam quoque rei Christinæ plagam idem nefarius homo inflixit; quemdam enim Xenajam origine Persam ne baptismo quidem initiatum, & jam antea a Calandione, dum prava doctrina homines corrumperet, expulsum Episcopum ordinat, primum sacrarum hostem imaginum, per quem hæresis illa ortum duxit, qua Christi Sanctorumque imaginibus veneratio prohibetur; hac nulla stolidior excogitata est, nulla quæ acerbius divexarit Ecclesiam, ut mirum sit tot illam habuisse, hodieque habere sequaces.

A) Theophanes Scriptor Græcus exerte ait Byzantinos contra Acacium Præsulem suum ad Felicem Romanum confugisse, quin Joannem Alexandrinum ipsummet Romam ad Felicem accessisse p. 90.

A.C. 486 Leontius atque Illus in quartum jam annum obſidionem eadem incluſi arce tolerabant, ſpe ducti, quod A) Trobundus Illi frater, qui ad colligendum e Barbaris militem miſſus erat, adfuturus cum exercitu, & obſidionem ſoluturus brevi eſſet. Hac ſpe eos impleverat Pamprepius magicarum ut fama erat prædictionum, gnarus. Verum Trobundus ſub initium obſidionis a Joanne Scytha captus, & capite minutus fruſtra expectabatur. Id cum reſciſſent Leontius atque Illus Pamprepium ceu Impoſtorem in fruſta conciſum, e mœnibus dejiciunt; ipſi vero non multo poſt fraude circumventi poſt difficillimos belli labores infeliciter periere, quorum capita contis affixa Byzantii magno civium mœrore, ſed majore Zenonis gaudio ſpectata ſunt. Ad bellum hoc conficiendum Theodorici quoque Amali Gothorum Principis opera uſum Zenonem, illud quoque indicio eſt, quod is & Conſul creatus ſit, & hoc tempore triumphum in Urbe egerit; B) quibus rebus inflatus, & a Zenone viri virtutem metuente, ut quidam produnt, impulſus in ſpem Italiæ Odoacro eripiendæ venit; quod & feliciter ab eo præſtitum, ſuperato Italiæ Rege, & poſt triennalem Ravennæ obſidionem e vivis per fraudem ſublato. Atque in hunc modum Theodoricus, qui ſuis cum Gothis incertis hactenus errabat ſedibus, virtute militari pulcherrimæ Regionis Dominus effectus eſt.

Ut exortum quoque in Religione diſſidium finem acciperet, in orientem Legatos miſit Felix Romanus, ſed hi variis afflicti ærumnis, & ad extremum vi, metu, auro pertracti ſunt a Zenone & Acacio, ut in Sacrorum communionem venirent; Mogumque tot malorum auctorem in eandem reciperent. Felix reduces Legatos de his omnibus perferventiores Catholicos certior effectus ſevere caſtigat; ad Acacium autem literas diris plenas mittit; quæ tametſi impedimenta undique collocata forent, ne perferri ad eum poſſent, tamen per quosdam Dienſis Aſceterii Monachos traditæ fuerunt. Divexati peſſimis modis qui eas pertulere, quidam etiam cæſi; Acacius autem e malo deterrimus effectus, Felicis nihili pendens fulmina, ejusdem e ſacris tabulis nomen impudenter expungit. Inſuper hac irritatus epiſtola, Epiſcopos qui ſana mente ſupererant, ſedibus ſuis exturbat, hæreticis ac facinoroſis, in eorum locum ſubſtitutis, quod idem a Petro Antiocheno, & Mogo Alexandrino jam ante præſtitum erat: ſicque impietas orientem late occupavit, propagata ab iis in corpus reliquum peſte, qui primi ulceribus mederi debuerant.

In tantis tamen tenebris, rerumque ſacrarum confuſione, ad coarguendos amplius, qui Chriſtum hominem aut Deum negabant hæreticos non citra ſingularem Numinis providentiam repertum eſt corpus Sancti Barnabæ Apoſtoli, ſupra pectus Evangelii codicem habens a Matthæo conſcriptum, C) e quo cumprimis hæreſis illa confutari poterat, aperteque intelligi eundem Chriſtum vere Deum, unaque hominem fuiſſe. Sacrum hoc pignus ab Epiſcopo Urbis Salaminæ per ſomnum admonito repertum, ſummoque a Chriſtianis in honore habitum fuit. Codex porro ille Evangelicus, juſſu Zenonis Conſtantinopolim allatus, multoque auro incluſus, in palatio deinceps magna veneratione aſſervatus fuit.

489 Sed & demeſſis primis nefariæ hujus perturbationis capitibus reſpirare nonnihil viſa eſt in oriente Religio, Acacius enim Byzantinus ſub hoc tempus e vivis migravit, cujus locum Flavitas quidam per fraudem occuparat; nam cum Zeno chartam puram in ſacrario poſuiſſet Deo ſupplex, ut ejus nomen illic per Angelum ſcriberetur, D) qui Eccleſiæ illi foret præficiendus, indicto in eam rem quadraginta dierum cunctis jejunio, Flavitas templi cuſtode corrupto ſuum nomen apponi fecit, ſic Pontificatum adeptus. Utque occupatam fraude dignitatem pari arte retineret, diverſas ad Felicem Mogumque dedit literas, quibus ſignificabat, Felici quidem, ſe cum illo ſentire, Mogum execrari; E) huic vero ſe a Feli-

A) Zonaræ Trocundus. B) Theophanes p. 90. C) Cedrenus p. 279. D) Nicephorus lib. 16. cap. 18. E) Theophanes p. 92.

Felicis partibus alienum omnino eſſe. Verum illi non diu fraudibus graſſari licuit ad dignitates, poſt tres menſes morte ſubita oppreſſo; cui demique ſuffectus eſt Euthymius, melius in Religionem animatus, contra quam placebat Zenoni. Interjecto anni unius ſpatio, Acacium ſecutus eſt Mogus Alexandriæ perturbator. Fullonem quidam interiiſſe, alii vero in exilium actum eſſe, ante utriuſque mortem prodidere. Verum Antiocheni & Alexandrini in eo fuere infelices, quod ſucceſſores acceperint, tametſi forte non tot ſceleribus infames, nihilo tamen melius de Religione ſentientes; illi quidem Palladium hi vero Athanaſium Hernioſum nomine turpem, ſed erroribus ſuis fœdiorem. A) A.C. 489

Annis hiſce a bello vacuis, Zeno domitis jam Tyrannis elatus in omnium bona, & vitam plurimorum per ſcelus cæpit invadere, dum interea in aula crapulæ, & luxui ad inſaniam indulgeret. Quippe variis confictis criminationibus tollebat eos de medio, quibus rem eſſe domi lautiorem intelligebat, vel certe a quibus tenuiſſima etiam ſuſpicio aut metus erat, ne ſibi Imperium, aut poſt ſe Longino fratri ereptum irent; quem e Papuria arce, ubi decennio aſſervabatur reverſum, & bis Conſulem, & Senatus Principem fecerat, non honoribus modo, ſed vita ipſa indignum. Sic dum perbacchatur Zeno cupidus noſſe, quis poſt ſe imperaturus eſſet; id ex Mariano viro doctiſſimo, & ejusmodi prædictionum ut dicebatur, gnaro exquirit; qui eidem de Silentiariis unum (id nomen erat iis, qui domeſtica & quietiora aulæ negotia procurabant, nec partem aliquam attingebant Reipublicæ) in Imperio ſucceſſurum, uxoremque Ariadnam ſibi adjuncturum. Vaticinium hoc ut falleret Zeno primum quidem Vatem ipſum tametſi Patricium, deinde vero alios, qui ſibi ſuccedere poſſent, crudeliter enecat; in quibus erant Cottais Dux, qui bello contra Leontium geſto, ſtrenuam navarat operam; ac Pelagius egregia vir probitate, quod ſcelera libidinesque ejus reprehendere auſus eſſet, atque Longinum fieri Cæſarem nollet. De his cædibus dum liberius Zenonem arguit Arcadius Prætorio Præfectus, mortis & ipſe ſententiam acceperat, ni eam fuga prævertiſſet. Dum ita ſævit in ſuos Zeno, terribilem Dei vindictam, non multo poſt expertus eſt: nam ſeu morbo comitiali, ex quo frequens laborabat correptus, ſeu crapula, quod illi quotidianum, obrutus, & pro mortuo habitus, ſepulchro vivus infertur. B) Iſthic vero cum ſibi redditus gemitu miſerabili ſatellites, domeſticosque ſuos inclamaret, ut exaudiri ab iis poſſet; prohibente tamen Ariadna conjuge cui inviſus eſſe cæperat, ne quis monumentum reſeraret, corroſis ut poſtea compertum eſt humeris, atque etiam ſubligaculo, horribili, & qui Tyrannum decebat, interitu finiit; poſtquam crudeliter annos ſeptemdecim & menſes quinque imperaſſet. Cum nullos reliquiſſet liberos Longinus frater Iſaurorum, qui in Urbe erant manu ſibi adjuncta, nullo negotio potiturum ſe Imperio rebatur; verum Ariadnæ ſtudio, quæ inſano Anaſtaſii amore capta tenebatur, perfectum eſt, ut is e Silentiariorum numero a Senatu, exercitu, univerſoque populo Imperator neglecto Longino acclamaretur. 491

FL.

A) Evagrius lib. 3. B) Non conveniunt inter ſe Scriptores de mortis genere; Cedrenus pag. 280. Narrationis quam retulimus, idque tantum ex fama publica author eſt; idem habet Zonaras p. 42. Reliqui diſſentiunt. Evagrius ex ventris profluvio, Theophanes ex morbo comitiali, Pelagii, quem injuſte peremerat, nomen ingeminantem periiſſe ſcribunt. Chronicon Alexandrinum p. 262. ſanguinis fluxu interiiſſe ait.

FL. ANASTASIUS DICORUS.



A.C. 491 ANastaſium Imperatorem ſeptimo Aprilis renunciatum, Euphemius Byzantinus Præſul propelli non potuit, ut Imperialibus ornamentis amiciret, ceu hominem ſibi jam alias probe cognitum, hæreticum, fraudulentum, & ad perturbandas Eccleſiæ res aptum, natum. Vix tandem Ariadna Senatuque urgentibus non ante tamen quam Anaſtaſius manu ipſe ſua Synodo Chalcedonenſi A) ſubſcriberet, factum eſt, ut ei ab Euphemio corona imponeretur. Verum hanc ſubſcriptionem ſimulatam fuiſſe, metuque amittendi Imperii extortam ex iis patuit, quæ ille ſcelerate contra ſanam Religionem perpetrare ad extremum uſque ſpiritum non deſtitit. Adepto jam Imperio non leve faceſſivit negotium Longinus frater Zenonis, dolore præreptæ dignitatis amens, qui & inſidiis, & ſeditione mota in æmulum pugnavit, captus tamen ac Presbyter ordinatus Alexandriæ ſeptennium adhuc vixit; B) uſque adeo tum ſacra dignitas vilipenſa eſt, ut pœnæ loco irrogaretur, & homini quidem irrogaretur, furca, quam Sacerdotio digniori.

492 In ſuſpicionem conjurationis cum Longino initæ venerat quoque Longinus alter militum Magiſter cum Iſauris, quibus Zeno utpote eadem Gente oriundus Urbem impleverat; proinde ut moleſtis hiſce hoſpitibus ſibique inviſis Urbem revelaret Anaſtaſius, quorum facinora nec levia, nec pauca jam erant, eos omnes cum Longino Urbe expellit; illi ignominiam hanc ulturi, per Aſiam tumultuari, barbaricas cogere copias, Urbes & munita loca occupare, exercitumque magnum ad centum quinquaginta bellatorum millia in campum educere, quibus non ipſe Longinus, ſed Ninilingis Iſauriæ Præfectus Ducem ſe præbuit. Anaſtaſius ad incendium hoc reſtinguendum Duces omnes nominis alicujus, magnosque cum his e Thracia exercitus emittit, ſupremo rerum Adminiſtro Joanne Scytha uſus, qui ſimilem contra Zenonem tumultum egregie compeſcuerat. Adductis itaque ad Cortyæum exercitibus, atque inter ſe commiſſis, ingenti cæde Iſauri ſternuntur, pars potior conciſa, Dux ipſe Ninilingis deſideratus; debellatumque eo die fuiſſet; niſi Romani prædæ avidiores effugiendi reliquis, ſe ſeque in munitiora Tauri montis loca recipiendi poteſtatem feciſſent, unde deinceps triennio integro hoſtium vires diſtinebant, nec mediocri interdum clade vicem reponebant victoribus. Nam cum Diogenes, unus e Ducibus Anaſtaſii, Claudiopolim inter Tauri juga ſitam occupaſſet, id non ferentes Iſauri e latebris erumpunt ſuis, tamque acri exercitum Romanum obſidione premunt, ut pereundum ei fuerit inedia, niſi Joannes cognomento Cyrtus ſuperatis difficili labore anguſtiis nihil tale expectantes a tergo aggreſſus eſſet, quo eodem tempore Diogenes cum exercitu ab Urbe obſeſſa prorumpens ad internecionem hoſtem profligavit. In eadem pugna Conon Epiſcopus Apameæ, qui ſe pugnaturus, Iſauris contra jus fasque ſocium addiderat, accepto vulnere bre-

A) Evagrius lib. 3. B) Theophanes p. 94.

brevi interiit. Ad extremum Longinum, Athenodorum, reliquosque conjuratos Joannes poſt diuturnam obſidionem captos obtruncavit, eorum capitibus & captiva Iſaurorum multitudine Conſtantinopolim miſſis. Atque ita civiles hi motus finem accepere; qua inflatus victoria Anaſtaſius in Urbe triumphum egit, utroque Joanne ob rem fortiter geſtam dignitatibus ac muneribus maximis cumulato. Infelices vero Iſaurorum reliquiæ ad colendum Thraciæ agrum miſſi fuere, ut ſaltem coloni eſſent boni, qui mali cives, ac milites deteriores fuerant. A) A.C. 492

Stabilitum hoc modo ſibi Imperium ut vidit Anaſtaſius, metus jam expers omnis ad ingenium vitiaque, quibus a puero inſueverat, rediit. Nam qui initio populi benevolentiam ſibi adjuncturus plurima laudabiliter ſanxerat, factis ipſis aperte infringere petrexit: antea enim & tributum χρυσαργύριον B) dictum, quod ab omnibus acerbe Zeno exegerat, ſuſtulit; delatores Urbe exturbarat, Magiſtratus antea venales bene meritis conferre cæperat, ſicque ſpe cunctos impleverat Reipublicæ in meliorem ſtatum reponendæ. At vero non diu poſt factum eſt, ut & pretio venirent dignitates, & in privatorum bona per varias artes inexplebili avaritia involaret, & multis miſerisque modis non res Imperii modo, verum etiam Religionis perturbaret, Deo hominibusque inviſus, in quos plurima invexit mala, acerbis & ipſe plagis a Deo caſtigatus, quibus tamen obſirmatus eſt magis in ſcelere, quam emendatus.

Præcipua autem in eo fuit impietas, quod rebus Eccleſiæ nefarie ſe- 495
met admiſceret, lætarique in eo videretur, ſi diſſidiis & factionibus laboraret illa, cum ipſe e ſecta Manichæorum, aut Acephalorum, vel potius omnium & nullius eſſet. Primum igitur chirographum quo Concilium Chalcedonenſe defenſurum ſe Euphemio receperat, per vim extorquet obtentu pacis inter diſſidentes procurandæ, cum diceret permittere ſe ſuis ut moribus quævis Eccleſia viveret, ſique recepiſſet eam Synodum, tueretur, ſin minus rejiceret. Cujusmodi pacem procurare aliud non erat, quam æternum in Religione diſſidium invehere. Quippe geminas in Chriſto naturas Concilium illud præprimis propugnarat, quod proinde rejicere erat inficiari unum e præcipuis Fidei noſtræ capitibus. Cum vero Euphemius pro Chalcedonenſi Synodo totus pugnaret, minaturque Anaſtaſio abrogationem Imperii per populum faciendam, ſi porro perjurus & impius eſſet, implacabile illius in odium incurrit. Ac primum quidem cum palam in eum decernere aliquid non auderet, latronis inſtar immiſſo ſicario inviſum ſibi hominem e medio tollere voluit; quod cum non proceſſiſſet e ſententia, ſicarius enim in ipſo conatu deprehenſus cæſusque eſt, convocatis Epiſcopis quibusdam maleſanis Euphemium conjurationis adverſum ſe cum Iſauris initæ accuſat, C) eoque obtentu defenſorem rectæ fidei dignitate exuit, necquidquam tumultuante pro eo populo, maluitque in periculum amittendi venire Imperii, quam iræ in Euphemium ſuæ non obſecundare. Felix hæc in cauſa optima Præſuli fuerat calamitas, ſi modo a Romana Eccleſia extra quam dici ex vero felix nemo poteſt, divulſus non fuiſſet, ob Acacii nomen aperte in hæreſim deficientis nondum etiam e tabulis ſacris expunctum, licet jam in illas Felicis Romani nomen retuliſſet, quod Pontifices iterum ſæpiusque fieri, ſed incaſſum urgebant.

Anaſtaſio cum Religione rebusque ſacris belligerante, ejus in oriente Duces Eugenius Præfectus Euphrateſiæ, & Romanus per Palæſtinam exercitus Ductor rem ſtrenue adverſus Arabes geſſere, quos populationibus & incendiis omnia corrumpentes, iterum ac tertio aggreſſi magna clade ulti ſunt, occupata etiam nobili inſula Jotabe in ſinu rubei maris ſitam, & ad mercatum Romanis peropportunam, qua per ignaviam Ducum dudum ante exciderant. D) M Impe-

A) Theophanes in Chronographia p. 94. Sed Evagrius e duobus his Longinis unum facit Zenonis fratrem. B) De hoc tributi genere vide Suidam in hoc vocabulo, Chronicon Alexandrinum p. 282. C) Marcellinus ad annum Anaſtaſii quintum. D) Theophanes p. 96.

A.C. Imperator cum cæptis ſuis Romanos Pontifices tam acriter obſtare
498 cernit, quo vires non poterat, fraudes exporrigit, & ad perturbandam veterem Romam animum in ejusmodi rebus verſatiſſimum adjicit. Cum Feſto viro Patricio, qui negotiorum cauſa Roma advenerat, egit diligenter, uti Anaſtaſium ejus temporis Pontificem fraude aut promiſſis in ſententiam pertraheret. Feſtus petitioni Imperatoriæ facturum ſe ſatis pollicitus, redux Romam Pontificem Anaſtaſium in vivis non reperit. Itaque dum Romani Simplicium in prioris locum eligunt, Feſtus nonnullis ad partes ſuas pellectis Laurentium quemdam in eam dignitatem intrudere nititur, quem ad ſubſcribendum Henotico paratiorem fore non dubitabat. Hocce diſſidium integrum per triennium malis plurimis Romam involvit; quoaduſque lis ad judicium Theodorici Italiæ Regis delata, deciſa in hunc modum eſt, ut qui prior majorique numero ſuffragiorum electus eſſet, Pontificatum obtineret. Ita ſuperior Simplicius Laurentium in exilium Roma abegit, nec ſolum de æmulo, ſed etiam de Anaſtaſii impietate triumphavit. A)

Cum igitur Imperatori huic, nec comminationes, nec fraudes in Romanos prodeſſent, illique identidem erroris ſcelerumque hominem commonefacerent, indignatione motus eo proceſſit impudentiæ, ut non edictis modo, ſed armis ipſis eos cogeret ad communionem cum hæreticis habendam, qui ſani integrique in Religione adhucdum erant. Edidit & aliud per idem tempus atrox crudelitatis ſuæ ſpecimen, nam cum eum populus ceu hæreticum dicteriis, & cavillis proſcinderet, ulturus hanc injuriam adverſus eundem in circo congregatum militarem immiſit manum, B) tribus fere millibus eorum crudeli laniena hauſtis. Sed furorem hunc temperavit non nihil immiſſa a Deo ultio, Gens enim ad id uſque temporis, ne de nomine quidem Byzantii audita Bulgari ex ultimo Septentrione tot Gentium Seminario erupere, magnisque illatis undique calamitatibus robur exercitus Anaſtaſii proſtravere, Urbem fors ipſam occupaturi, niſi ingenti auro pacem redemiſſet Imperator, ſedibus trans Iſtrum conceſſis; fuitque deinceps hæc natio veluti Divinæ inſtrumentum juſtitiæ, quo impietatem Byzantinorum Principum, populique tam licenter in ſcelera provoluti inſaniam identidem caſtigabat.

502 Poſt duos tresve quietis annos, ſi tamen ita dici poſſunt perpetuo fluctuantis in Anaſtaſium populi motu turbatiſſimi, excepit eundem bellum Perſicum, magna mole geſtum; ſed conſueta infelicitate ab Anaſtaſio, cui omnia in perniciem vergebant, ex quo in Deum impius, in Religionem ſanam furioſus eſſe cæperat. C) Cabades Perſarum Rex, cum multam deberet pecuniæ ſummam Ephtalitarum Regi, ad eam diſſolvendam, mutuum ab Anaſtaſio æs poſtulaverat. Hic minime e re ſua fore ratus, ſi duo illi barbari Reges in concordiam coaleſcerent, daturum negat. Cabades repulſæ impatiens, pacem jam olim cum Theodoſio initam violat, ſeſeque cum multis copiis in Romanos fines infundit. Obſeſſa primum eſt Urbs Amida, quam licet ſtrenue cives propugnarint, actisque cuniculis non parva Perſas ſtrage affecerint, ad extremum tamen ſeu proditione, ſeu quod verius Monachorum ignavia in manus hoſtium venit. Obtigerat iſtis, etſi rerum bellicarum rudibus, ut in ultimo fieri neceſſe erat periculo, turrium una propugnanda; illi cum diem quemdam feſtum ritu ſolenniore in templo concelebraſſent, lautiusque cœnati eſſent, & labore diurno, & epulis oppreſſi, neglectis vigiliis ſe ad quietem dant, quod ſubodorati Perſæ muros nullo reſiſtente conſcendunt, Monachosque ſomno conſepultos ad unum cædunt. Inde in reliquos impetu facto, anceps diuturnumque enatum eſt certamen civibus, ut in re deſperata, atro-

A) Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum p. 26. B) Marcellinus in Chronico. C) Hæc Procopius fuſe narrat de bello Perſico. Theophanes magnas hoc bello a Perſis acceptas ſcribit clades, & Chronicon quoque Alexandrinum victoriarum Anaſtaſii contra Perſas meminit; ſed Procopius temporibus iis proximus fidem meretur, ſincere & ſine palpo res eorum temporum proſecutus.

atrociter pro aris, & focis dimicantibus. Tandem inſtante Cabade no- A.C.
vosque identidem feſſis ſufficiente Urbs expugnatur, experta cla- 502
dem, quam ab hoſte, & barbaro, & ſuorum cædibus efferato expectare poterat. Audita hac Urbis obſidione, ingentes undique copias coegit Anaſtaſius, quantas vix alius ante ſe Imperatorum, e Thracia, Beſſis, Illyrico, easque primariis Ducibus ſuis ducendas in Perſam tradit: Ariobindo alterius Ariobindi, qui ſub Theodoſio bellis Perſicis inclaruerat, nepoti, Celeri militum Magiſtro, itemque Patricio, & Hippatio Præfectis, acceſſere his Juſtinus poſtea Imperator, Patriciolus cum filio Vitaliano, aliique plurimi. Illud vero ſeu metu ne quis Tyrannidem arriperet, ſeu incogitantia Anaſtaſii factum, quod nullus ex ipſis ſuprema poteſtate in exercitu præfectus ſit, verum ſeorſim ſuas quiſque ductarit copias, quo factum, ut a tanto exercitu nihil in Perſas memorabile geſtum ſit, quin potius ſuborta Ducum diſcordia, ignominia, & clades reportata.

Ubi ad fines Romanos perventum, hoſtis non amplius iis in locis 503
repertus eſt, præda enim gravis ſe in Perſidem retulerat. Duces non ad recipiendam Amidam, ſed ad prædas ex hoſtico agendas animum vertunt. Itaque diviſis ab invicem caſtris hoſtium fines pervagati, obvia quæque diripiunt, prædæ quam gloriæ avidiores. Cabades diſtractas videns Romanas vires uſurus opportunitate, quam res ipſa dabat, recurrit ocyus cum ſuis, & ad Ariobindi caſtra gradum feſtinato adurget. Re cognita Ariobindus ſubito illo hoſtis antea non auditi adventu conſternatus, relictis caſtris fuga ſe Conſtantiam verſus expedit. At Cabades in veſtigio adfuit, caſtrisque occupatis antequam pars alia exercitus, quam Hippatius, Patriciusque ductabant de ſociorum fuga quidquam reſciſcere poſſent, ad eam obruendam provolat. Præmiſerat ſeptingentos Ephtalitarum hoſtem exploraturos Cabades, hi in Patricii exercitum forte delati, ac circumventi ad unum pereunt. Romani ceu parta jam victoria læti propter rivum quemdam conſident, & epulis quietique inter tripudia indulgent. Rex Perſa audita ſuorum clade ira exæſtuans celerrime adfuit, Romanosque nihil tale metuentes indagine circumdatos internecione delet, ſolis Hippatio, & Patricio ſub initium adventus hoſtilis fuga ſeſe periculo eripientibus. Cabadem ne pleniorem e Romanis victoriam referret, Hunni fines illius hoſtiliter ingreſſi præpedivere. A)

Intellecta Ducum diſcordia, Anaſtaſius Ariobindum, Byzantium revocat, a reliquis operæ pretii factum eſt nihil, niſi quod Celer ſua cum manu hoſtile ſolum procurſionibus infeſtarit. Contractis deinde omnibus in unum copiis ad recuperandam per hyemem Amidam animum Duces adjiciunt. Verum Perſæ tametſi commeatus eos deficeret, pro virili Urbem defenſabant, nec Romanis ſocordia, & luxu diffluentibus animus erat, ſub pellibus hyemem agere; itaque tumultuari in caſtris milites, rogare Duces, ac etiam cogere, uti cum Perſis paciſcerentur, & quod ferro perfici nequeat, auro expediant; ſatius eſſe dictitantes paulum auri, quam tantam Romani militis manum frigore, & inedia amittere. Itaque cum Gloe Urbis Præfecti filio (pater enim obſidionis tempore fraude circumventus perierat) collocuti, mille auri pondo daturos pollicentur, ſi Perſæ Urbe decedant. Haud gravate in eam conditionem itum a Perſis, ut qui deficiente jam annona de conſervanda Urbe, dudum deſperarant. Accepto itaque auro, theſaurisque, quos ibi repererant egeſtis, Perſæ Urbem Romanis tradunt; hi vero ingreſſi tum denique ſuam damnare ignaviam, qui auro emerint Urbem poſt ſeptiduum, ſi animus fuiſſet, fame certo occupandam, ſic illam omnibus ad victum neceſſariis deſtitutam reperere, tot captivis, quos Perſæ abduxerunt, theſaurisque e manu elabentibus. Huc recidit bellica illa fortitudo, qua Romani orbem perdomuerant, ut ad Urbis unius mœnia tam fœde illideretur: adeo nihil eſt,

 quod

A) Procopius p. 237. de bello Perſico hæc fuſe exequitur, longe diverſus a Theophane, & Chronico Alexandrino.

A.C. quod non debilitet, ac conficiat temporis longinquitas, Cum Cabadem Hunnica expeditio diutius detinet, facile adduci se passus est, ut inducias cum Anastasio in septennium pacisceretur, atque sic bello triennali cum Persis finis impositus.

508 Solutus hostili metu Imperator, ad exagitandos Orthodoxos studium omne contulit, ut videretur non tam ex animo alicui partium favere, quam ex Religionis perturbatione voluptatem capere. Habuit e voto suo A) Flavianum Antiochenum; qui coacto suorum cœtu aperte Synodum rejecit Chalcedonensem, nonnulla etiam contra duas in Christo naturas oblocutus, itemque Xenaiam illum scelestum, Philoxenum jam appellatum, qui impium os contra Romanum Pontificem erigere ausus, in eum sententiam protulit, cum ipse ne Christiani quidem nomine dignus esset. Cum vero Macedonium Byzantinum in sententiam nullatenus posset pertrahere Imperator, ira accensus jus asyli Catholicorum templis præreptum, hæreticis attribuit, quasi vero adimere posset nefarius, quod nec dederat, nec ut daret, in illius fuit potestate. Eum dum sic insanire cernit Symachus, admonitionesque suas, ac literas surdo toties ingeri, sacro fulmine percellit; reposuit ille libellum in Pontificem criminationis plenum, quo ad cæteras calumnias hæreseos quoque eundem insimulabat; sed Pontifex sua tectus innocentia hominis derisit amentiam, qui turpitudinem tam impudenter suam alteri affricaret.

511 Cum pari etiam constantia Macedonius in Anastasium pro sincera fide, & Concilio depugnat, sic exulceratum in se illius animum concitavit, ut primum quidem cædem per sicarium eidem machinaretur, B) quod cum non procederet, nec ob populi in eundem acerrima studia simile quid palam attentare auderet, per facinorosos quospiam fabulam adornavit, ut ille calumniis oneratus, in jus vocaretur, ceu hæreticus, & παιδεραστίας crimine infamis, cum autem integritas illius toti Urbi manifesta esset, nullam accusatores fidem invenere, nihilominus tamen tanquam horum reus intempesta nocte ad vitandum populi tumultum per milites in exilium deportatur, substituto in illius locum Timotheo quopiam paris cum Imperatore impietatis, obque id a populo variis nominibus per contemptum appellato. C) Macedonio deturbato originarium Chalcedonensis Concilii exemplar discerpit Anastasius, ac vi, minis, verberibus cunctos, ut cum Timotheo sentiant, adurget. Fœda tum ubique rerum facies, cum Sacrorum Antistites primi essent scelerum administri, ipsique populum in Religionem bene animatum in ruinam impellerent. Crebræ tum cædes fieri, non in foro tantum, sed in ipsis templis, locisque sacris, tumultus fere quotidiani, ob quos in metu semper scelestus ille vixit Imperator, paratis ad effugium navibus, si fors gravior illi a populo tempestas impenderet. Eadem discordiarum face ardebant factiones circi, cum inter Prasinos, & Venetos continua essent in circo dissidia, cladesque infandæ fierent. In ejusmodi tumultu Anastasii quoque filius spurius interfectus, magno patrem dolore affecit, iramque in populum jam antea concitatissimam immane quantum adauxit.

Quia autem frequens in hac historia Prasinæ, & Venetæ factionum mentio; operæ fuerit pretium de his paucula disserere. D) Mos vetus a Gentilibus ortus, in eamque diem conservatus obtinuerat, ut dum ludi in circo spectarentur, populus in duas divisus esset factiones, quarum una cæru-

A) Ita quidem Theophanes p. 103. Sed contrarium plane Evagrius; qui Flavianum hunc, & Orthodoxum perstitisse, & quod nollet rejicere Synodum Chalcedonensem, in exilium pulsum ait. Evagrium utpote vetustiorem sequitur Baronius. Vix tamen credibile Sanctum Theophanem hæc temere de Flaviano memoriæ prodidisse. B) Cedrenus p. 284. C) λιτροβόλην & Κήλωνα a populo appellatum Scriptores produnt, quæ voces incertæ sunt originis, obscœnum tamen aliquid significant. D) Factionum Circensium originem habet Chronicon Alexandrinum p. 89. Prasini dicti sunt a πράσον, quæ vox porrum significat, cui color viridis est; Veneti a panno cæruleo, qui in Provincia Italiæ, quam Veneti incolebant, potissimum fiebat, ut vult dictum Chronicon.

ceruleo amictu induta Neptunum referebat, hique Veneti dicebantur, altera vero viridi indicabat Tellurem, & hi Prasini nominati. Fluxerat mos ille jam ab antiquis fabulosæ Græciæ heroibus, & ipso Rege Oenomao, qui primus equestria certamina instituisse fertur in honorem quatuor elementorum. Quo tempore decertaturi quatuor in partes distribuebantur, ducta sorte, quæ pars cujus vice elementi certaret, quæve pars vicisset, elementum quod referebat, fertilitate reliquis eo anno præfuturum credebat. Qui pro Neptuno erant, cæruleus his fuit amictus, qui pro Tellure, illis viridis, pro Aere certantibus albus, pro Igne rubeus, utque priores Prasini, ac Veneti, sic posteriores Albati, & Russati a Latinis postea cognominati fuere. Quia autem inter spectantes alii quidem mare accolebant, Venetis optabant victoriam, sic fore rati, ut dives eo anno foret piscatio: qui continentem habitabant, Telluri, quod sic magnæ spes esset fertilitatis; hinc diversa extitere studia non certantium modo, sed etiam spectantium, ut alii aliis victoriam præreptam cuperent. Morem hunc cursu in circo certandi a Græcis Romam, ut omnia alia Latini transtulere, ac deinde Romanis Byzantium, & orientem occupantibus, etiam Christiana ab iis Religione susceptа, perduravere hæ factiones circenses, quanquam postremæ duæ A) aut extinctæ, aut prioribus attributæ fuerint. Ac primis quidem temporibus certamina hæc animi causa exhibita sine dissidio, ac tumultu populi utcunque tranquille peragebantur; hocce vero tempore dissectus in geminas partes populus, velut pro aris, & focis, ita pro factionibus suis fervebat, ut Prasini, ac Veneti perpetuo inter se odio dissiderent, neque modo Byzantii, sed in aliis quoque Urbibus populus mutuo distractus esset, quin in eadem quandoque domo cognati quoque ipsi animis disjungerentur. Hinc jurgia crebro in circo fieri, extra circum quandoque armis confligere, tectis ignem inferre, in Magistratuum quoque jura involare, nihil humani ac Divini pensi habere modo factio sua florens, & superior esset. Proinde sæpe amentiam hanc ævi illius Scriptores dolenter deplorant. B) Hac potissimum factionum insania factum, ut Urbes populo exhaurirentur, omneque Imperium sensim conflagraret, ut ex dicendis amplius clarescet. Ita dissidium illud, quod prius animi gratia inductum fuerat, procedente die in rabiem, & perniciem vertit: usque adeo periculo proximum est mobile ad omnem auram vulgus in contraria studia quovis obtentu discindere. Illud vero hac in re luctuosum magis, & ad perniciem comparatum fuit, quod Imperatores ipsi factionum odia ventilarent, dum alius aliam favore, ac patrocinio suo protegere pergit, quod non erat aliud, quam se Ducem populo ad pereundum præbere.

Anniversaria quodammodo ob Religionem in Anastasium seditio hoc iterum anno recruduit; cum enim nullis ille terroribus, aut minis populi ab impietate dimoveri posset, addidit insuper trisagio C) has voces: qui passus est pro nobis: quod in iis temporum, & errorum circumstantiis apertam redolebat hæresim. Ingens primum vociferatio ubi hæc occini populus audivit in templo extitit, eam atrox excepit seditio, immisso satellitio non pauci trucidantur; furore igitur universa plebs incensa per Urbem grassatur, domos eorum, qui ab Anastasii impietate stabant, incendit, militibus manum injicit, denique Imperatorem Vitalianum, aut quemvis alium aperte deposcit, ut adeo Anastasius ipse Balchernis in suburbio semet abdere necessum habuerit, quoad fluctus illi detumescerent. Cum vero palam se ab hæresi recessurum promisisset, in aulam utcunque tranquille revertitur. Sed enim promissis toties perfidus haud stetit, quin ipsum quoque Flavianum Antiochenum, qui pa-

 lam

A) Duarum posteriorum mentio apud Scriptores ævi hujus non est; apud solum Malalam p. 38. Russatæ mentionem reperio: ἐφίλει δὲ ὁ αὐτὸς Βασιλεὺς τὸ ῥάσιον μέρος, studebat autem Imperator ille (Anastasius videlicet) Russatæ factioni, crediderim illum hanc exsuscitasse, odio Prasinæ simul & Venetæ; quæ sæpius in eundem insurrexerant. B) Procopius non uno loco, & reliqui nominati. C) Theophanes p. 109.

A.C. lam Chalcedonenſem Synodum rejecerat, movit Sacerdotio, accuſatum, quod invitus & ore magis, quam animo id ab eo præſtitum fuiſſet. Subſtituit in locum illius impiiſſimum quemdam Severum, qui quod reliquum adhuc ſani in ea Urbe fuerat, diſturbare penitus, & peſſumdare aggreſſus eſt.

513 Sed nebulonem hunc egregie confutavit Alamundarus Saracenorum Princeps, cum enim ad eundem recens ad Sacra Chriſtiana transgreſſum Legatos miſiſſet, qui pari ipſum impietatis doctrina imbuerent, Princeps Legatis feſtive dicebat ſibi eo die literas de Angeli Michaelis morte redditas, quod cum Legati illi dicerent, fieri non poſſe, ut Angelus moreretur, egregie ſtultitiam illorum Princeps adhuc in fide tyro redarguit: quo pacto igitur vos inficiamini duas in Chriſto naturas Divinam, & humanam? an vero magis mori Deus potuit, quam Angelus? quo dicto ſic ora impiorum obturavit, ut verbum reponere non poſſent, ſed pudoris pleni faceſſerent.

514 Dum ita Anaſtaſius inſanire pergit, Vitalianus A) unus e Ducum numero Religionis, ut præferebat vindicandæ gratia ingens in Imperatorem bellum commovit, Hunnorum, Bulgarorum, & Romanorum ab eo deficientium maximis copiis in unum collectis. Occupata igitur univerſa Thracia, Scythia, ac Mœſia, cum exercitu ab Anaſtaſio ſubmiſſo manum conſerit, ingentique clade afficit, ad ſexaginta quinque millibus conciſis una cum Ducibus Hippatio, & Secundino; aurum quoque exercitui ſubmiſſum, & multa præda aviditatem Barbarorum explevere: quibus rebus feliciter confectis Vitalianus ad Urbem ipſam copias applicat; ſed veritus ne tanta civitas in barbaricas manus deveniret, pro cujus ipſe libertate ſumpſiſſe arma videri volebat, abducto inde exercitu ad Soſthenium caſtra metatus eſt. Anaſtaſius cum pene jam conclamatum de rebus ſuis cernit, Legatos mittit ad Vitalianum, qui cum eodem, quibus vellet conditionibus paciſcerentur. Itum deinde in has fuit, ut Epiſcopi Religionis cauſa exules in ſuas dignitates reponerentur; Concilium Univerſale Heracleæ indiceretur, vocato ad illud imprimis Pontifice Romano, in eoque ordine & ex æquo omnis ea in fide controverſia dirimeretur; hæcque pactio & Anaſtaſii, & totius Senatus, & Præfectorum militiæ juramento firmaretur, quæ omnia ſine mora Anaſtaſius rata habuit, & jusjurandum ut petebatur præſtitum. Quibus ex animi ſententia confectis, auro multo prius accepto, renunciatusque militiæ per Thraciam Magiſter nubem illam, e tot Gentium colluvie conflatam, ab Urbis cervicibus Vitalianus removit. Spes omnibus rerum meliorum ab ea re geſta affulſerat; ſed eam ſolitis ſuis perjuriis, & fraudibus Anaſtaſius evertit; nam & clam Pontificem Romanum admonuit, ad Concilium ne veniret, licet palam literas oſtentaret, quibus eundem invitare ſimulabat, & congregatos Heracleam ducentos Epiſcopos varie ludificatus, re infecta domos ſuas repetere adegit; nec denique ab exagitandis Orthodoxis protegendisque ſuæ opinionis fautoribus vel tantillum remittebat. Ob quæ perjuria cum Senatus, & populus incuſare, ac convitiis aſpergere eum non deſinerent, impudentiſſime reſpondit: extare legem, quæ Imperatori neceſſitate preſſo mentiendi, & pejerandi facultatem tribuat. B)

In hoc bello cum Vitalianis geſto memoriæ proditum eſt, Proclum Philoſophum inſtruxiſſe in mœnibus ſpeculum quodpiam cauſticum, quo claſſis Vitaliani ſuperata ſit, & ab Urbe diſpulſa. C) Cum enim inſtrumentum illud ſuum ſoli obverteret, radios in ſpeculo collectos, ſic in naves hoſtium reflectebat, ut horum vi continuo incenſæ, vectores una comburerent. Quod ante eum Archimedes Syracuſis factitaſſe memoratur. Cæterum ſapientioribus non abs re narratio iſthæc fabulam redolet, quod videatur fieri non poſſe, ut radii in unum collecti ad tantum reflectantur

A) Vitalianus hic Scytha natione, fuerat Dux Fœderatorum. De hoc Marcellinus, Evagrius, Cedrenus, Zonaras. B) Theophanes p. 110. C) Narrat eam rem Zonaras p. 44.

tur intervallum, quanto naves in mari fluctuantes a mœnibus disjungebantur. Aliter rem eandem apud Malalam Scriptorem iis temporibus proximiorem expoſitam invenias: Scribit is Proclum dediſſe Marino claſſis Duci pulveres quosdam, quos vivum ſulphur appellat, atque hi in naves inimicas jacti, ſolisque radiis tepefacti in flammas abibant exuſtis navibus. Quod longe credibilius, & facilius confieri potuit. A.C.

Vitalianus cum ſe deluſum intelligit, collecta rurſus militari manu 515
magnam rebus vaſtitatem infert, cædibus, & rapinis graſſatur, nec tam Religionis quod obtendebat, quam propriæ ambitionis, & prædæ ſtudio in omnes perbacchatur. A) Quoque Romanis ignominiam inureret majorem, ſingulos milites captivos ſingulis obolis divendit. Itaque Anaſtaſius turbis ſe aliquando his ut expediret, ſerio denique ut videri volebat rem aggreſſus Romano Pontifici per literas ſignificat paratum ſe in concordiam Religionis redire, modo inter eos convenire poſſet. Hormisdas Legatos ſuos Conſtantinopolim mittit, qui Imperatorem ad omnia paratum ſaltem in ſpeciem reperere facienda & tenenda, ob quæ ab Orthodoxis ſeceſſerat, excepto quod nollet Acacii nomen e ſacris tabulis eraſum; quod idcirco ab eo factum, ut Byzantini populi animos ſibi adjungeret Acacii memoriam retinere inſane cupientis. Legatis Romam reducibus ſuos item adjunxit Anaſtaſius; verum illi Eutychianæ ſtudere impietati manifeſto deprehenſi Roma faceſſere confeſtim juſſi ſunt. Imperator vero conciliato eum in modum partibus ſuis populo, ſui jam ſecurus in Vitalianum inſurgit, ob plurima, quæ per eam occaſionem Urbi intulerat damna, cunctis inviſum, eumque Magiſtri militiæ dignitate exutum in ordinem redigit; hoc obice amoto iterum graſſatur in Orthodoxos, ſuaque pro libidine Epiſcopos Urbibus imponit; id cum Alexandrinis quoque feciſſet, dato eis Dioſcoro juniore Æluri illius improbi nepote, adeo illa turbata eſt, ut templum ipſum cædibus reſpergeretur, & Calliopii Præfecti Auguſtalis filius, a furente populo necaretur. B) Exulceratum eapropter Anaſtaſii animum, ut placaret Dioſcorus, Byzantium profectus eſt, verum convitiis a populo appetitus pro honore, quem ſperabat, contemptum retulit, & placato utcunque Imperatore ad Urbem ſuam non tam recturus Eccleſiam, quam everſurus confeſtim rediit. In eadem Urbe Alexandrina ſub idem tempus multi viri, ac mulieres, pueri quoque a Dæmonibus male vexati, per noctes canum inſtar ululabant; quod illis ob rejectam Synodum Chalcedonenſem contingere vir quidam ſpecie horrifica apparens retulit.

Ab inſania hac retracturus Imperatorem Hormisdas Pontifex C) ut 517
nihil intentatum relinqueret, nova iterum legatione verſatilem illius animum pertentat, ſed hæc ut prior in ventos abiit; quin ſceleratiorem multo, quam ante idem Anaſtaſius ſe præbuit: Legatos cum nec muneribus, nec minis in ſuam pertrahere ſententiam potuiſſet, navi carioſæ, & fragili impoſitos, inter plurimas ærumnas, vitæque pericula Romam remiſit, additis inſuper atrocibus literis minarum plenis, & quibus ſibi auctoritatem in ipſum Pontificem proterve arrogabat. Ea re cognita, qui hæreſi ſtudebant, ferocius etiam quam antea recte ſentientes exagitare cæperunt; tum vero turbis, & factionibus miſceri omnia, apertumque Religionis inter viros Deo ſacros bellum eſſe; qua in difficultate temporum conſtantia multorum in Religione enituit; quando & multi ex Epiſcopis Dardaniæ, & Græciæ ad Romanum Pontificem a ſuis hæreſi infectis Præſulibus defecere, & qui ſe in ſolitudinem Ægyptiacam virtutis gratia receperant in publicum magno ardore erumpentes, a Chalcedonenſi Synodo ſtare ſe palam profeſſi ſunt, & populus Byzantinus impietati hæreticorum conſtanter obviam ivit. Maxime poſteaquam extincto Timotheo, invito licet Anaſtaſio, Joannem Cappadocem optime de rebus ſacris

A) Theophanes, & reliqui. B) Theophanes p. 111. C) Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Hormisdæ p. 18.

A. C. cris ſentientem Præſulem nactus eſt. Quodam autem die iisdem de cauſis ſeditio iterum in Imperatorem exarſit, omnibus antegreſſis atrocior, nec placari vi aut precibus ullis poterat exulceratus plebis furor. Tandem cum in circo multitudo congregata eſſet, Anaſtaſius coronam, & regia inſignia manu præferens, lachrymabili voce populum rogare cæpit, ut hæc Imperii inſignia a ſe ablata, daret cui vellet; ea re ad miſericordiam inflexus multitudinis animus turbare deſtitit. A)

518 Verum adfuit in pœnam ultor tot ſcelerum Deus, neque amplius Anaſtaſium ſuorum miſertus inſanire ſivit. Ferunt per ſomnum interitus ſui præmonitum fuiſſe; nam dum quieti indulgeret, viſus ſibi videre eſt hominem aſpectu terrifico, codicem manu geſtantem, ſcriptumque in eo ſuum nomen, ſibique dicentem: ecce ob perverſitatem fidei tuæ annos quatuordecim deleo. Triſtem illi vitæ exitum Macedonius quoque in exilio moriens, & cuidam a morte conſpectus prædixiſſe fertur, cum eum ad tribunal Numinis provocavit, ad reddendam perperam geſtorum rationem. Cum itaque XI. Aprilis die horrendo tonitru cœlum reboaret, multaque eſſet coruſcatio, pavidus Imperator dum de uno conclavi in aliud fugitat, de cœlo tactus, debitas tot malorum a ſe patratorum jam hic pœnas cæpit dependere. B) Vixit annos octoginta octo, ſeptem & viginti regnavit, inſuper menſes tres.

FL.

A) Evagrius lib. 3. Malalas p. 45. B) In hoc infelici Anaſtaſii exitu conſentiunt Zonaras, Cedrenus, Theophanes, Malalas nonnihil diverſus; ait enim Anaſtaſium ex morbo decubuiſſe, & dum tonitru horrendum eſſet conſternatum animam efflaſſe. Hujus Imperatoris opus erant muri longi adverſum barbaricas procurſiones ſexaginta millibus paſſuum ante Urbem a mari uno ad aliud producti longitudine milliarium quinquaginta; latitudine vero pedum viginti ut Suidas teſtatur p. 165. in voce Anaſtaſius.

FL. ANICIUS JUSTINUS.



EXtinctum in hunc modum ſine liberis Anaſtaſio A. C. lux tandem rebus turbatiſſimis affulſit, poſteaquam 518 Juſtinus mentis optimæ, ac Religionis in Deum integerrimæ, a Senatu populoque Imperator renunciatus eſt, genere Illyrius, A) ex humillima origine ad ſummum illum in orbe apicem eluctatus; namque ex armentario vel ſubulco primum miles gregarius, deinde vero per omnes militiæ gradus Præfectus Prætorio, ac denique Imperator effectus natalium obſcuritatem virtutis, ac geſtorum claritate obruit. Conjectus is in carcerem fuerat cum Juſtiniano nepote, aliisque viris nobilibus ab Anaſtaſio; a cæde tamen eidem inferenda deterritus erat Imperator; cui per ſomnum quidam apparens, ita locutus fertur: B) Juſtino & Juſtiniano ne quid mali feceris; nam uterque ſuo tempore Deo inſerviet. Accepit inſignia Imperialia cum conjuge ſua Lupicina, quam tamen elegantiori nomine populus Euphemiam vocavit; aut forte ipſe Juſtinus in honorem Euphemiæ Martyris in cujus æde Concilium illud Chalcedone celebratum erat, ut vel hac re populo palam faceret, quo eſſet in rectam fidem animo. Et certe nihil illi toto Imperii decurſu antiquius fuit, quam Religionem duorum ante ſe Imperatorum ſceleribus, & perfidia convulſam in integrum reponere, & infinitis in fidei negotio diſſidiis finem aliquando afferre, quod & magnam partem feliciter ab eo præſtitum.

Etſi autem bonis omnibus optatiſſima foret illa Juſtini electio, turbis tamen & ipſa carere non potuit; nec illum Imperii ambitum tam multorum cædes & exitia unquam reſtinxere. Amantius Eunuchus ſub Anaſtaſio palatii Præfectus, vim magnam pecuniæ Juſtino dederat in militem ſpargendam, quo Theocritus quispiam ejusdem Amantii amicus Imperator ab iis acclamaretur; verum milites accepta pecunia Theocritum averſati ipſummet Juſtinum Imperio digniſſimum judicavere. C) Amantius itaque ac Theocritus exarſere in Juſtinum, quaſi ille pecunias nomine ſuo militi largiendo, eorum ſpes everterit. Cum itaque novis

 rebus

A) Evagrius lib. 4. Marcellinus; hunc Thracem alii, alii Illyrium dicunt. B) Zonaras. C) Zonaras tamen p. 46. refert Juſtinum diſtributa militi pecunia ſuum negotium curaſſe.

A.C. rebus ſtuderent, perduellionis rei volente id populo capitali ſupplicio ple-
518 ctuntur. Confirmato hunc in modum ſibi Imperio Juſtinus ad Religionis vulnera tot locis inflicta, perſananda animum ſerio adjecit. Feſta luce magna cum pompa ædem ſacram ingreſſus, palam Concilii Chalcedonenſis defenſorem ſe profeſſus fuit, & plaudente univerſo populo, fauſtaque omnia Imperatori precante, Concilium in ſacras tabulas unde eraſum fuerat, cum Leonis Romani nomine, aliorumque, quorum memoria rectæ fidei cauſa abolita fuerat, relatum eſt. A) Eadem res ut eſſet firmior & Byzantii, & aliis quibusdam locis Conventus Epiſcoporum fieri voluit, in quibus Eutychiana impietas condemnata, cum Severo illo Antiocheni Sacerdotii invaſore, Xenaja Hierapoleos, aliisque ſceleſtis Epiſcopis, qui deinde in exilium diſpulſi melioribus locum reliquere.

519 Ut vero in plenam concordiam univerſa coaleſceret Eccleſia, omnisque diſſenſio ſtirpitus excinderetur; idem Imperator ab Hormisda Pontifice petivit Legatos Roma mitti, quibuscum Byzantii de re ſumma, & Religionis tranquillitate ſtabilienda ageretur. Miſſi ab eodem viri lectiſſimi magnoque gaudio & honore Byzantii accepti, non modo perfecerunt, ut rata haberentur ea, quæ jam contra Eutychianos decreta erant, ſed etiam ut Acacii e ſacris tabulis expungeretur nomen, nec illius modo, ſed aliorum quoque Præſulum, qui quamvis de Religione recte ſenſerint, ob nomen tamen Acacii non eraſum, quod Pontifices Romani perurgebant, ab eorum concordia disjuncti fuere. Atque his rite, ordineque perfectis tranquillitas, quæ tot annos Conſtantinopoli exularat, tandem Juſtino imperante reducta eſt. Proſcripti continuo Imperatorio edicto ſceleratæ Duces factionis, revocati ab exilio inſontes, facies ubique rerum alia, & felicior: unam ſi demas Urbem Alexandrinam, quæ cum eſſet ampliſſima, & ſuum ob Dioſcorum Synodo Chalcedonenſi infenſiſſima, ſua in amentia perſtitit, nec Imperator ob potentiam factioſæ Urbis quidquam durius in eam animadvertere auſus. Fuit ergo civitas hæc commune per ea tempora errorum domicilium, in quam ſe turbulenti Religionis hoſtes referebant; huc Severus, huc Joannes Halicarnaſſeus, huc Xenaias, aliique impii convolavere, nacti pro ſe nefaria Dioſcori, ac poſt eum Timothei, & Alexandrinorum ſtudia. Verum neque hic turbare & inſanire deſtiterunt, mota inter ſe quæſtione, an corpus Chriſti corruptioni fuerit obnoxium, an non? qua per multos tumultus agitata, tandem partes nova iterum factione ab invicem diſciſſæ ſunt; hæreſi multorum hydra capitum novos ſemper fœtus progerminante. B)

520 Vitalianus quoque, quem obtentu Religionis tutandæ arma adverſus Anaſtaſium arripuiſſe ſuperius relatum, incertum an a tumultuante populo, quod bello ſuperiore plurimis Byzantinos divexarit malis, C) an vero Imperatoris juſſu, ceu rerum novandarum ſtudio pravaque ambitione teneretur, tametſi Conſul in eum annum eſſet, interemptus eſt; unde conjicere pronum fuerit, eum cum Anaſtaſio belligerantem ambitioni, cupiditatique ſuæ magis velificatum eſſe, quam Religionis tranquillitati ex animo ſtuduiſſe. Privata etiam eſt id temporis Urbs Byzantina Præſule ſuo Joanne Cappadoce, cui illa ſecundum Imperatorem debuit plurimum, quod pax poſtliminio Religioni affulſerit; huic morte placida defuncto ſucceſſit Epiphanius, & ipſe mentis ac Religionis integerrimæ. Reddita Eccleſiis pace, non illico alteram quoque peſtem excindere potuit Juſtinus ut maxime vellet, inſanas nimirum circi factiones, quæ atrocius etiam, quam unquam alias inter ſe deſævierunt; namque Veneta factio in omnibus pene Urbibus caput efferre, alteramque Praſinam ubivis ſupprimere cæperat, ut adeo ipſis quoque Magiſtratibus ſe redderet formidabilem. Innumeræ ubique locorum cædes perpetratæ, malo ab Antiochena Urbe initium ſumente, ac per reliquas propagato; cædebantur

A) Theophanes & alii. B) Ex Liberato, Leontio, Petavius in Doctrina temporum lib. 13. C) Populi tumultu Theophanes, Evagrius juſſu Imperatoris interfectum ajunt.

tur a Venetis Praſini, cum ſibi obvii fierent, quin etiam in domos pri- A.C.
vatorum irrumpebant, ut jam pene nullus adverſæ factionis tutus conſi- 520
ſteret; nec cauſa hæc patrandi alia erat, quam quod ita inſanire liberet. Magiſtratus de tot cædibus vix jam movere quæſtionem audebat, adeo tum impune nefariis eſſe licuit: hanc cædendi inter ſe libidinem, ne inter barbaras quidem Gentes auditam, morbum quemdam animi, pœnæ loco immiſſum Scriptores ævi illius memorant, A) quæ res incredibilis foret omnino, niſi certa tunc viventium narratione firmaretur, ob ludorum pueriles pene factiones in tantam rabiem partes agi potuiſſe; ad compeſcendam horum licentiam intenderat quidem animum Juſtinus, ſed robuſtius hoc erat malum, quam ut ictu uno diſcinderetur, ac belli quoque inſtantis metus moram injecerat.

Evoluto enim jam dudum induciarum tempore, olim cum Anaſtaſio 522
initarum Perſæ bellum apparabant in Romanos; proſpecturus rebus ſuis Juſtinus, vicinos Hunnorum Reges muneribus ſibi adjungit, quos inter Zeligdes acceptis muneribus viginti armatorum millia ſubſidio miſſurum jurejurando receperat; Verum cum perinde miſſis muneribus Cabades quoque ejus animum pertentaſſet, ſuppetias illas Perſæ addixit, ſine mora adverſus Juſtinum ducendas. Perfidia hominis ſupra modum irritatus Imperator, ad Cabadem Legatos mittit queſtum de verſipelli Rege, ut videret qualem ſibi virum in ſocietatem adjunxiſſet. Vocatum ad ſe Rex Perſa Hunnum rogat, an munera a Juſtino accepiſſet? quod cum fidenter ille aſſeverat, Regem doli manifeſtum Cabades e veſtigio mandat interfici, miſſo exercitu, qui copias illius deleret, quod & factum continuo, cum Hunni quieti in caſtris agerent, nec Perſarum in ſe arma formidarent. Actum deinde de pace inter Perſam & Juſtinum. Petebat inter alia Cabades, uti Imperator Choſroen filium ex Aſpede ſorore genitum, quem etſi minorem ætate aliis, contra leges Perſicas ſucceſſorem deſtinabat, adoptaret in ſuum, ejusque ſe mortuo adverſum alios Curatorem ageret. B) Rejecit poſtulata Juſtinus ſuadente potiſſimum Proclo viro prudentiſſimo, qui conſilium hocce & indignum Romano Imperatore, & cumprimis noxium gravi oratione diſcuſſit. Infida deinde apud Perſam hac repulſa irritatum omnia, cui ad bellum denique inferendum aliæ quoque cauſæ non ita multo poſt extitere.

Tzatthus C) Laziorum Rex in Colchide Perſis ſubditus, deſertis eorum partibus Byzantium venit Chriſtianorum ut ſacra ſuſciperet; ingenti gaudio a Juſtino acceptus undis ſalutaribus abluitur; Regalibusque inſignibus & nomine ab eodem donatus ducta in conjugem Valeria una e nobiliſſimis ad ſua regreſſus eſt, populumque ſibi ſubjectum ad Chriſtianorum ſacra traduxit. Ægerrime factum tulit Cabades miſſis, qui de hoc apud Juſtinum quererentur; excuſavit factum Imperator Religionis obtentu, cui indulgere nullum foret crimen; nec tamen placavit iras Barbari bellum jam dudum & rapinas meditantis. Sed & alius per idem tempus Iberiæ in Aſia Rex, jam antea cum populo Chriſtiani nominis retinentiſſimus, cum eum Perſæ ad ritus barbaros cogerent, defectionem ab iis molitus Conſtantinopolim acceſſit, fines ſuos contra irruptionem Perſicam ſtrenue defenſurus. At vero cum Perſæ magno cum exercitu ulturi defectionem adeſſent, Rex ille liberis Nobilitateque omni ſecum aſſumpta, in Lazicam Regionem retroceſſit, occupatisque montium qua iter hoſti faciendum erat anguſtiis, ſic irruentium in ſe infregit conatum, ut ab eo exercitu nihil tum memorabile geſtum ſit; a Romanis quoque Ducibus Sitta, & Beliſſario prima adhuc juventa vivido direptionibus, & velitationibus magis, quam juſtis prœliis cum hoſte certatum eſt; quoadusque Juſtiniano in Imperium ſuffecto totis viribus bellum inter eos recrudeſceret.

A) μανίαν vocat Procopius. B) Procopius de bello Perſico p. 242. C) Chronicon Alexandrinum p. 264. Cedrenus, Zonaras.

A.C. 523 Juſtinus enim quietis ac Religionis in integrum reponendæ amantior, eo curas omnes applicuerat; A) edictis itaque Manichæorum præprimis nefandos exagitavit errores, cæſis qui inſolentiores erant, aut proſcriptis. Aliis pariter in fide diſſidentibus omni in Republica dignitate interdixit, quin etiam in militares Ordines recipi vetuit; non adnumeratis tamen Arianis, ne Theodoricum Italiæ tunc imperantem ejusdemque inſaniæ aſſertorem, in Pontificem & Catholicos incenderet. Manichæis ætas hæc ante alios funeſta extitit, nam a Cabade quoque Rege ingens illis tota Perſia illata eſt clades. B) Favebant illi Phatuarſæ Cabadis filio e Manichæorum diſciplina inſtituto, eundemque vivo adhuc patre regno potiri optabant; quin & polliciti Phatuarſæ ſunt daturos operam, ut parenti jam ſenectute effœto perſuadeant, quo regnum in eundem vivens transferat; ſi modo Manichæis fidem daret, ſe eorum doctrinam toto regno promoturum. Intellectis Cabades eorum votis & molitionibus, diem Phatuarſæ Regiis ornamentis inſigniendo edicit; convenere ad hunc magno numero ſuo cum Epiſcopo Manichæi, ſpe erroris ſui propagandi haud parum inflati; adſuere & Chriſtiani Perſæque alii, allocutus cunctos Cabades rogat, vellent ne uti abdicato regno, cui per ætatem moderando jam non eſſet, in Phatuarſam filium Imperium transferat; ſecederent in partem alteram, quibus hic animi ſenſus foret. Manichæi ſua ſpe arrecti cum illico in partem alteram diſceſſiſſent, Cabades dato militibus ſigno, ad id jam ante præmonitis omnes jubet interfici. Neque hi ſolum, ſed cuncti qui in regno Perſico deprehendi poterant eandem aut acerbiorem ſubiere fortunam vivi ignibus exuſti, facultatibus eorum in ærarium Regium illatis; ſicque tum cunctis in exitium fœdi erroris conſpirantibus dedere tot facinorum pœnas, quibus non ſemel in Catholicos diriſſime perbacchati fuerant.

Conſopitis utcunque quas diſſenſio in Religione creabat turbis, eas quoque vi omni compeſcere ſtuduit Juſtinus, quas inſanæ circi factiones per multas cædes edebant; miſſis in omnes Urbes edictis, quibus impiorum infringeret furorem, Magiſtratibusque animos adderet, quod cumprimis in Urbe Byzantina præſtitit, metu armorum, & ſuppliciorum eam in officio continere aggreſſus, in quam nihil antea indulgentia profecerat. Verum cum ſic ex æquo omnia ac ſapienter moderatur Juſtinus, Euphemiam conjugem tot recte factorum adjutricem amiſit, juſtis magnifice perſolutis.

524 Amplum quoque pietati ejusdem Imperatoris ſuppeditavere campum Urbes quædam per hæc tempora horrendis terræ motibus, eluvionibus & incendiis peſſumdatæ. Nam primum Anabarzus ſecundæ Ciliciæ Princeps civitas terræ motu pene tota concidit; quam inſtauratam Juſtinus de ſuo nomine Juſtinopolim dixit. Edeſſenam deinde civitatem perquam nobilem, Scirtus fluvius per medium ejus labens, tot alias commodorum & voluptatum occaſio, maris in modum exundans totam obruit. Aquis poſtea detumeſcentibus repertus in littore lapis eſt hoc verſu inſcriptus: Scirtus fluvius (quod idem ac ſaltator ſignificat) infelices civibus ſaltabit ſaltus. C) Hanc quoque multo auro miſſo reparavit Imperator. Sed clades Antiochenæ D) Urbis omnium extitit calamitoſiſſima; quæ tot ſeditionum ac hæreſum pœnas tandem Numini horribiles dependit; primum enim ignis in medio Urbis incertum unde exiſtens, bonam illius partem fœde depaſtus eſt; qui deinde per intervalla ſpatio ſex menſium furebat; his vero evolutis horrificus terræ motus totam ſuccuſſit Urbem, infinitæ hominum multitudini domus ſuæ pro ſepulchro erant; quodque ad exaggerandam Dei iram valebat, annum integrum tremor ille haud deſtitit Euphraſio demum ipſo Urbis Epiſcopo ruinis illis involuto. His auditis ad funus tantæ Urbis vehementer ingemuit Juſtinus,

A) Evagrius l. 4. c. 4. B) Theophanes p. 116. C) Zonaras p. 47. D) Nicephorus lib. 14. Evagrius.

nus, veſteque lugubri cum univerſo Senatu indutus, diu infauſtum illius exitum luxit; neve emortua jaceret penitus, Carinum Comitem da- A.C. 524
tis quinque auri centenariis, aliosque ex aliis vi magna pecuniarum data inſtaurandæ illius gratia miſit, qui collectis, quos fuga ſubduxerat, civibus eandem reparare aggreſſi ſunt: cui deinde e ruinis illis emergenti præfectus eſt a populo Epiſcopus Ephrem Comes Orientis, cujus opera in reparando plurimum enituit: itaque præmium tulit a civibus quo nihil habuere pretioſius Sacerdotium, viſus ad animos eorum curandos aptiſſimus, qui tam ſolerter corporibus proſpexerat; nec ſuam in ea re deſiderari paſſus eſt Ephrem operam, omnibus quæ tantum Præſulem ornare poterant decoribus conſpicuus.

Ad convellendos toto oriente errores, cum ſtrenue incumberet Ju- 525
ſtinus, tametſi abſtineret ab Arianis, non ſivit tamen ut templis quibusdam, quæ per nefas olim uſurparant, potirentur. Ea res Theodoricum A) Italiæ Regem in furorem egit: comminabatur is Joanni Romano Pontifici qui Hormisdæ ſucceſſor datus erat, omnia in Catholicos patraturum ſe in Italia, quæ in oriente adverſus Arianos Juſtinus deſignarit. Quin etiam compulit Joannem illum ut Byzantium ad Juſtinum proficiſceretur pro reponendis in integrum Arianis. Suſcepta in orientem profectione, Joannes magno populorum concurſu, pro dignitate ubivis locorum acceptus, pervenit ad Juſtinum univerſa Urbe in occurſum tanti Præſulis cereis accenſis obviam effuſa; nec prodigiis ingreſſus hic caruit, cœco etiam ab eodem Pontifice ſtupentibus circumſtantibus conſanato; ut ſic certius intelligeret populus ille toties a Romanis disjunctus, non ex vano illius in rebus ſacris poteſtatem ſibi arrogare Pontificem, cujus virtute prodigia ederet. Juſtinus ipſe maxima honoris ſignificatione ut Dei Vicarium accepit cum Epiphanio Byzantino Præſule, qui Joanni in throno Pontificali priorem in ſedendo B) locum ceſſit. Tum itaque concordia ſuperioribus annis inita, penitus confirmata eſt. Joannem confectis ex animi ſententia cunctis negotiis regreſſum in Italiam Theodoricus ad mortem uſque, quæ altero ſtatim anno contigit, in carcere detinuit; quod qui miſſus fuerat ad immunitatem Arianis in oriente procurandam, non ſolum auctor fuerit, ne templa iisdem redderentur, ſed ea manibus ipſe ſuis conſecrarit. Judicabat enim pius Pontifex ſatius eſſe quidvis a Tyranno perpeti Religionis gratia, quam tantam hoſtibus illius dari licentiam fines erroresque ſuos dilatandi. Verum Theodorico non diu licuit pro Arianis eſſe furioſo: cum enim Symachum, & Boetium vanis actus ſuſpicionibus, veluti reſtituendæ ſtuderent veteri Reipublicæ, crudeliter interemiſſet; cœnæ aſſidens pro piſcis, quod ſibi allatum fuerat, capite viſus ſibi videre eſt Symachi occiſi caput; qua re externatus, & horrore per totum corpus diffuſo correptus, haud diu poſt flens, ac mœrens ob facinus patratum extinguitur; poſteaquam regnaſſet annos quatuor ſupra triginta. Succeſſit illi ex filia Amalaſuntha nepos Athalaricus Eutharico patre progenitus, qui cum per ætatem regno præeſſe non poſſet, mater pro filio gubernacula regni capeſſivit, ac prudentius quam pro fœmina adminiſtravit. C)

Juſtinus ſenio gravis proſpecturus rebus Imperii, ne ſe mortuo pro 527
more ſcinderetur, D) Collegam adſciſcit Juſtinianum ſororis ſuæ filium, natum annos quadraginta quinque, probante id ac poſtulante Senatu populoque, ac quarto poſt eam rem geſtam menſe Kalendis Auguſti vivorum numero eximitur, per annos novem, ac menſem unum cum magna laude, Religionisque emolumento Orientem moderatus.

A) Anaſtaſius Bibliothecarius in vita S. hujus Joannis; ſed ait impetraſſe id eum a Juſtino, cujus gratia legationem ſuſcipere compulſus erat; contrarium Baronius ex ipſa Joannis Epiſtola. B) Theophanes p. 116. ait noluiſſe Joannem cum Epiphanio congredi, quoadusque primum in ſedendo locum obtinuiſſet; ex quo intelligi datur, aliquam hac ſuper re inter eos altercationem interveniſſe. C) Procopius de bello Gothico p. 3. D) Chronicon Alexandrinum p. 266. Marcellinus in Chronico.

EL. ANICIUS JUSTINIANUS.



A.C. 528 IUstinianus conceptas de ſe optimas ſpes rebus ipſis explere ſtuduit, nullo eorum prætermiſſo, quæ ſeu Religionis decus, ſeu Provinciarum commoda promoverent, ut ſi initiis media ac extrema reſpondiſſent, Imperatorum plerosque recte factorum gloria viciſſet. Ab initio ſtatim Imperio grave illum cum Perſis bellum implicuit. Ut ſubitas Perſarum in fines Romanos procurſiones elideret, in mandatis dederat Beliſſario uti ad limites utriusque Imperii munimentum quodpiam Mindone extrueret, futurum fræno populatoribus illis: hocce repagulo cohiberi impetus ſuos ægrius ferentes Perſæ violari opere illo inducias clamitant, ac cum nihilominus Romani inſtarent operi, eductis ſubito copiis nonnullam militum quæ ſibi obſtiterat, manum proterunt, munimentum ſolo æquant; ſic bellum ſub Juſtino incertis gliſcens motibus tandem in apertum prorupit incendium. Juſtinianus Beliſſario A) quem non ita pridem militiæ Magiſtrum renunciaverat, copias, & reliqua bello opportuna tradit; is recta ducit in fines Perſidis, exercitumque idoneo in loco collocat. Aderant non diu poſt & Perſæ, utque primum ad mutuum ventum eſt conſpectum, animi ad pugnam incenduntur: numero præſtabant Barbari, robore ac Duce potiſſimum Beliſſario Romani, qui millia ſecum quinque ac viginti adduxerat, cum Perozes Dux Perſicus haberet quadraginta. Poſt miſſas ultro citroque de pace literas cum mollire inſolentis Barbari animum non poſſet Beliſſarius, tandem cruenta acie decernitur. In hoc prælio cum diu anceps hæreret victoria, quam ſe in partem daret, nec parum Romanis crearet periculi ferocia, & numerus Perſarum, tandem providentia Beliſſarii in partes eorum inclinavit, qui equitum manipulos opportune in cornibus aciei collocatos in latus proruentis magno impetu hoſtis immiſerat, ſicque partem unam ab altera disjunxerat. Fugatus hoſtis cæſis octo ſuorum millibus; quo prælio ſi nihil aliud factum emolumenti, oſtenſum certe Perſis impune toties in Romanas ditiones graſſantibus, bellicam virtutem & gloriam quam a Majoribus acceperant Romani maximam, nondum penitus apud eos intercidiſſe. B) Sed & alia parte in Armenia, quo exercitum millium triginta Cabades expedierat, Duces Romani Sitta, & Dorotheus non improſpere rem geſſerunt, binis præliis fuſo ac fugato hoſte, caſtellisque aliquot eidem præreptis. Verum & aliud operæ pretii factum eſt ab eodem Sitta; quod Tzani Gens hactenus indomita, neque raro populationibus ſuis Imperii finibus formidanda, primum quidem armis, ac deinde humanitate, & liberalitate Ducis uſque adeo devicta eſt, ut non ſolum ad amicitiam ſe Romanorum adjungerent, ſed etiam Religionem Chriſtianam avide complecte-

A) Res geſtas Juſtiniani & bella contra Perſas, Vandalos, Gothos tribus voluminibus proſecutus eſt Procopius, qui illis ipſe interfuit datus Beliſſario Conſiliarius a Juſtiniano, e quo pleraque hæc de Juſtiniano in ſummam coacta: neque eo fideliorem eorum habere teſtem temporum poſſumus; qui procul ab adulandi ſtudio ſincere res geſtas enarrat, nec Beliſſario, & nec ipſi Juſtiniano parcere ſolitus. B) Procopius de bello Perſico a p. 246.

plecterentur, futuri deinceps aſſidui eorum in expeditionibus ſocii. Atque hoc demum eſt vincere, quos armis obſtantes fregeris, humanitate ac moderato imperio ſic erigere, ut rebellare deinceps non tam non poſſint, quam non velint. Poſt hæc geſta ultro citroque de pace actum fuit, ſed perfectum nihil, quod avaritia Cabadis ſpe auri a Juſtiniano emungendi negotium pacis infectum reddiderat. Circa hæc eadem tempora Ælurorum quoque Rex A) Græcis nomine ad Romanos ſe applicuit, profectus Byzantium, ac in Chriſtiana Religione inſtitutus. Regina quoque Saberorum Boarex dicta cum centum ſuorum millibus ad Juſtinianum tranſiit, poſtquam duos alios Hunnorum Reges, qui pro Perſis adverſus Romanos arma ceperant, profligaſſet, altero ex eis capto ac Byzantium miſſo, altero in acie cæſo. Denique Rex quoque Gordas dictus a mari Pontico profectus Byzantium ad Chriſtianorum ſacra tranſiit, tametſi poſtea ob eam rem a perduellibus ſubditis regno exutus. A. C. 528

Bellicis hiſce curis non ſic totum dederat animum Juſtinianus, ut non interea temporis ea quoque, quæ pacis erant, ſollicite curaret: nam & edictis quam plurimis augeſcentem in dies hominum improbitatem repreſſit, & leges tulit, ſecuturis etiam temporibus ſalutares; in eo tamen reprehendendus, quod dum omnia perperam facta emendare cupit, etiam in Religionis negotia falcem immiſerit, magis ſane quam Imperatori conveniebat, quæ præcipua procul dubio exitii illius cauſa fuit. Ut vero Jus Romanum, quod immenſa legum multitudine in vaſtam molem accreverat, ipſaque copia obruebantur Judices, ne ex æquo pronunciarent, meliorem in formam redigeret, delectis ad id negotium decemviris, qui rerum peritia præſtabant, Codicem legum concinnavit, qui juris & æqui in omnes ætates fons quidam eſſet. B) Uſus vero opera eſt potiſſimum Treboniani, ingenio & eruditione præcellentis, ſed qui pro libidine ſua figeret leges ac refigeret, & æquitati ſtuderet hactenus, ut aurum corraderet. Itemque Joannis Cappadocis qui nulla eruditione inſignis ſolo rerum uſu, & impietate valebat, plurimorum in facultates per nefas invadere ſolitus, & ambitione prætumidus, quæ res magnum deinde infortunium eidem conſcivit. Hi ergo erant Juris illius arbitri, moribus & factis longiſſime ab æquitate disjuncti, ſed enim aliud eſt leges bonas ferre, aliud ad earum præſcriptum vitam exigere. 530

Antiochena Urbs tot malis per annos ſuperiores quaſſata, novis rurſus terræ motibus in ruinam impelli cæpit; cum itaque auxilium tot malis unde ſolum poterant, e cœlo flagitant cives, per ſomnum cuidam dictum eſt, C) ut qui a ſuccuſſione illa immunes eſſe vellent, poſtibus ædium haſce voces inſcriberent: χρίστος μεθ' ἡμῶν στῆτω, Chriſtus nobiscum ſtate. Quod ubi factum, calamitas illa poſuit; novaque Urbi tot cladibus jactatæ facies eſt reddita.

Ut ſuperioris ignominiam cladis deleret Cabades, Alamundari potiſſimum Saraceni Principis pollicitatione erectus, novam adornat expeditionem in Euphrateſiam Romanæ ditionis Provinciam Duce Azaretha, eodemque Saraceno belli incentore expeditionis comite. Beliſſarius re audita, cum validis copiis Euphratem trajicit, hoſtemque adventu ſuo perculſum, ac recedentem in veſtigio ſequitur. Atque ille hoſtium contentus fuga, cum dubiam belli aleam pertimeſceret, conſerere manus nolebat, non tam victoriam quam victoriæ fructum quærere ſolitus: verum Duces & milites indignum fore rati, ſi fugiens hoſtis impune e ditione Romana pedem efferat, magnis clamoribus pugnam depoſcunt ſuperiori feroces victoria; dumque prudenter cunctatur, convitiis etiam in Beliſſarium non parcunt, qui hoſtem animo dejectum æquis viribus aggredi nollet, certamque e manibus avolare victoriam ſuſtineret. Hac neceſſitate 531

A) Theophanes p. 119. Reginam hanc Barezam vocat Cedrenus p. 290. Atque etiam in aliis nominibus propriis efferendis Græci hi Scriptores plurimum inter ſe diverſi ſunt. B) Chronicon Alexandrinum p. 267. Depingit horum ſcelera Procopius p. 270. C) Cedrenus p. 291.

A.C. 531 tate compulsus ne crimini aliquando sibi esset, quod hostes impune grassari in fines Imperii sivisset, aciem in hostem expedit: pugnatur strenue in multam diem. Erat inter socios Romanorum Arethas Princeps Saracenus, sua cum manu ad dextram collocatus, bifariam enim Arabes illi inter duo imperia dissecti erant, in hanc alam furiose invecti Persæ facile conjiciunt in fugam, neque citra proditionis suspicionem. Romani equites ea re consternati virtutisque ac ferociæ hesternæ immemores plerique fugam capessunt peditibus in acie relictis. Quod conspicatus Belisarius equo desilit, idem ut facerent jussis qui secum ex equitatu remanserant, & cum peditibus in cuneum collectis tergore ne circumveniri possent Euphrati objecto, inter acrem dimicationem, impetum hostilem ad serum diei perfert. Sub noctem Romani in naves recepti discessere, digredientibus quoque ad sua Persis, quibus victoria illa minime incruenta fuit, quod tum præprimis patuit, cum exercitus pro more Persico lustraretur. Solenne apud eos fuit, ut profecturi in expeditionem Regio in conspectu singillatim prætergredientes sagittam unam in corbem jacerent, & ab eadem reduces eodem inspectante Rege, prætergressi sagittam reciperent, quo sic certius eidem constaret, quot militum capite stetisset expeditio: cum itaque ab eo prælio multæ reliquæ fuissent sagittæ, ira incensus Cabades Azaretham ut ut victorem, nullo deinceps in honore habuit. A) Nihilo segnius nova adornata expeditione Persæ Martyropolim obsident, sed Cabadis brevi insecuta mors, & turbæ quæ Chosroen futurum post eum Regem manebant, & deinceps instituta a Justiniano in Vandalos expeditio pacem inter Romanos & Persas persuasere; quæ æquis quidem conditionibus inita, sed Chosrois cupiditate & fastu non semel ac iterum ut dicetur, turbata.

532 Reduce in Urbem Belisario ingens seditio & ad eam diem non audita Byzantium pene evertit. B) Prasini & Veneti de quorum factionibus, cædibus, furore, superius meminimus; dum in circo liberius quosdam ex administris Justiniani cavillantur, eorumque injurias exaggerant, ab Imperatore graviter increpiti, maxime Prasini, dein exulceratis jam animis jurgari inter se cæperunt eousque, ut furibundi Prasini omnes ex circo se proriperent relictis in eodem Venetis cum Imperatore. Non diu post factum, ut qui tumultibus compescendis præerant, quosdam de aurigantibus ob cædem patratam arreptos agerent in furcam, verum id conferta populi multitudo fieri prohibuit, quin furore accensa necem intulit apparitoribus. Ea re visa Prasini aliunde in Imperatorem ira æstuantes jungunt se Venetis, & in totam Urbem nullo prohibere auso tempestatem effundunt; insanire itaque incondita plebs, ignem tectis injicere, rapere eorum domos qui sibi invisi erant, cædes quaquaversum fieri, quibus rebus misere deformata est civitas, ipsaque Sophiæ ædes in cineres abiit: pro tessera illis fuit vox νίκα vince, quo etiam nomine seditio illa deinceps fuit appellata. Ad hanc compescendam submissi Heruli qui Justiniano militabant, auxere potius plebis furorem; dum enim acriter cum plebe confligunt, Sacerdotes quoque pugnæ dirimendæ accurrentes sine discrimine cædunt, ea re visa plebis furor rejectis Herulis in immensum accrevit. Cum in quintum jam diem teneret perturbatio, Imperator sua tumultuantes præsentia compositurus ex editiore loco in circo se visendum populo præbet, sed convitiis ac maledictis proscinditur. Clausus post hæc in palatio consilia cum suis agitabat, jamque trepidus fugæ se mandasset, nisi Theodoræ conjugis suæ mulieris supra modum ambitiosæ retentus esset generositate, quæ dicebat satius esse perire, quam Imperio decedere. c) Ut autem furenti populo concederet aliquid Justinianus

A) Hæc quoque pluribus paginis Procopius. B) Hunc populi tumultum fuse describunt præter Procopium a p. 269. de bello Persico, Chronicon Alexandrinum p. 269. & Theophanes p. 123. in quo etiam videas modum quo factiones in circo acclamabant, & Imperator iisdem dabat responsa. C) Extat dictum ejus supra modum ambitiosum apud Procopium, & Theophanem: καλὸν ἐντάφιον ἡ βασιλεία ἐστὶ: ut si dicas: pulchrum sepulchrale linteum est regnum.

nianus Joannem illum Cappadocem & Trebonianum quæstorem aliosque dignitatibus exuit, in quos præcipue ardebant multitudinis odia: sed illa ne sic quidem mitigata Hypatium Anastasii ex sorore nepotem invitum ac reluctantem acclamat Imperatorem, torque aureo in locum diadematis, quo carebant, capiti illius impositio. Sic itaque ornatum insana multitudo non ad profligandum cum suis Justinianum exitium in horas operientem, sed in circum ad spectandos ludos deducit in throno regio collocatum. Hic dum promiscua & confertissima plebs ludos intento animo, ceu omnia tranquilla essent, aspectat, Belisarius cum fortissima militum manu, e palatio ubi cum Imperatore latebat, erumpens, & in circum progressus inermem multitudinem passim ut quisque se obvium dabat, cædit. Alia parte Narses Eunuchus A) pecuniis complures e factione Veneta in partem tractos, cum Hypatianis committit; hauritur ingens populi vis ferro; cum nec defendere se supra modum conferti possent, nec effugiendi haberent spatium. Hypatius ipse e throno detractus, ac altero die cum Pompejo cæsus projectis in mare cadaveribus, bona eorum, reliquorumque Senatorii ordinis, quos turbo ille involverat in ærarium Principis redacta: sic finem accepit tumultus ille, quo nullum ferociorem magisque miserandum Constantinopolis vidit; nam in eo ad triginta & amplius hominum millia B) interiisse memorantur. C) Post hoc Joannem Cappadocem, ac Trebonianum tametsi alia omnia promeritos in Magistratus suos reposuit Imperator, miseram Urbis faciem instaurare aggressus. A.C. 532

Ante alia ad novam Sophiæ ædem in locum prioris e fundamento quam posset magnificentissime educendam curas intendit. Et sane eduxit quinquennio molem cui parem vix orbis terrarum aliquando aspexit; si forte Salomoneum illud excipias; quamquam & huic opus suum antetulerit Justinianus, ut erat gloriæ nominisque post se relinquendi cupientissimus: D) Nam & Salomonis illic statuam collocarat, specie lachrymantis, ac crinem vellentis, quod in ædificando victus esset; & ipse opus contemplatus dicebat: νενίκηκά σε Σάλομον vici te Salomon: totius Imperii opes liberaliter in ædificium impensæ, in quod detracto interiori ornatu ter millies & bis centies centum auri libræ collatæ sunt, pecunia cunctis populis in eam rem imperata; sed illud per hanc occasionem funestum Imperio evenit, quod Imperator stipendia eorum qui e publico alebantur, ob traditas publice literas in ædificium Magistris abrogatis contulerit, sicque extinctis penitus bonis artibus barbaries & insciția in orbem invasit; quod certe non erat aliud, quam altera manu domum Dei extruere, altera demoliri.

Compressis in hunc modum domesticis hostibus & Urbe ordinata, 533
ad exterum in Vandalos bellum animum adjecit Justinianus, cujus origo hæc erat: Præerat Vandalis in Africa Hildericus placidissimo vir animo nepos Genserici, atque Hunerici filius quietis quam belli contra ingenium Vandalorum amantior; qui & cum Romanis colebat amicitiam & res Catholicorum in pace sinebat. E) Non parum ea res ferocibus Vandalorum animis displicebat, maxime Gilimeri, eadem stirpe progenito, & Regiam dignitatem summis apud suos votis ambienti. Crebris itaque in Hildericum convitiis criminando ceu Vandalos prodere Romanis vellet, effecit tandem Gilimer, ut potior in se popularium pars inclinaret; quibus fretus sibi regnum asserit, Hilderico carceri mancipato. Actum est primum per literas a Justiniano pro Rege sibi privatim jam antea noto, & amico; sed ferocius erat Gilimeri ingenium, quam ut Imperatoriis minis tam longe positi perterrefieret; literis itaque cum acerbioribus respondisset, iram in se Justiniani concitavit; & vindicare tot clades a Vandalis quondam illatas Africamque tot annorum jugo pressam, Barbaro eripere

O ani-

A) Chronicon Alexandrinum. B) Tot millia Procopius, at Theophanes triginta quinque millia numerat. C) Marcellinus Hypatii, & Pompeji ambitione commotam seditionem tradit, sed Procopio præsenti fides potior. D) Auctor originum C. P. E) Fusissime ista Procopius duobus libris de bello Vandalico.

A.C. 533 animus erat. Cuncta proinde in futuram expeditionem ſummo ſtudio apparantur. Vir quidam religioſior admonuiſſe fertur Imperatorem, uti fidenter rem aggrederetur, futurum enim Divina ope ut Vandali Africa excidant. Commodavit & illud non parum expeditioni huic, quod Tripolis antea Vandalis ſubjecta Pudentiano quodam a partibus eorum deficiente, ad Juſtinianum reſpexerit; Godas vero quidam Gothus genere Sardiniæ moderandæ a Gilimere præfectus, Tyrannide arrepta in ſocietatem belli Romanos vocarit. Impoſitis proinde in claſſem equitum quinque, peditum decem millibus, præter maximum vectorum numerum, claſſis Duce Beliſſario cum ei prius Epiphanius Præſul Byzantinus in portu bene precatus eſſet, in Africam navigavit.

Magno igitur apparatu diverſis in locis ſubſiſtendo navigatum eſt; non tamen citra gravia quædam incommoda, nam & panis avaritia Joannis Cappadocis non ſatis excoctus, & aquæ in navigiis putiſcentes moleſtiam creaverant, quibus tamen providentia Beliſſarii celeriter proſpectum eſt. In Siciliam ubi perventum, Beliſſarius certis edoctus nunciis Gilimerem ſui ſecurum agere, neque quidquam adhuc de bello adverſum ſe ſuſcepto reſciſſe, recta in Africam curſum contendit, & tertio poſt menſe quam Byzantio diſceſſerat ad locum Caput breve dictum excenſionem facit. Ut Afrorum ſibi devinciret animos, militum ſevere coercuit rapinas, nihilque niſi præſenti pecunia redemptum ab incolis accipiebat; primo Syllenem propter mare ſitam Urbem nemine reſiſtente occupat, Adrumetum, deinde Leptin, aliaque loca plurima, quippe Urbes Africæ mœnibus nudarant Vandali, ne forte incolis aliquando rebellare volentibus perfugio eſſent; quo factum, ut illis poſtea acie victis nullum ad reſiſtendum ſupereſſet munimentum, ſed ab unius eventu prælii, aut alterius, res ſumma penderet. Beliſſarius viam Carthaginem verſus pone maris littus legebat claſſe exercitum ſubſequente. Joannem Præfectum ſibi in paucis fidum, cum trecentis Scutariis a fronte præmittit, a latere ſiniſtro Maſſagetas jubet latius divagari, ne inproviſo ab hoſte peteretur, ipſe cum robore exercitus lentis paſſibus ſubſequitur. Gilimer ubi hoſtes fines ſuos audit ingreſſos, collecto apud Hermionem exercitu, ad fratrem ſuum Amatan Carthaginem literas dat, ut Hildericum reliquosque in carcere detentos confeſtim enecet, ipſe vero collecta quanta maxima poſſet manu Romanis a fronte occurrat; idem ut a latere ſiniſtro faceret, expedit Gibamundum ſuum ex fratre nepotem cum bis mille Vandalis, cum reliquo exercitu Romanos a tergo inſequitur, eo conſilio, uti eodem tempore ex omni parte hoſtem adoriretur, & opprimeret.

Et erat conſilium illius optime in perniciem hoſtis adornatum, niſi volente id ob tot ſcelera Vandalorum Numine, fortuito everſum eſſet. Namque Amatas cæſo prius ut juſſus erat in carcere Hilderico, paucis Vandalorum ſecum aſſumptis, reliquis vero actutum juſſis ſubſequi, in Joannis turmam nec opinato delatus, poſtquam rem aliquantiſper ſtrenue geſſiſſet ab eodem cæſus eſt; qui cum eo erant, fuga inita tantum reliquis gregatim & ſparſim ſequentibus injecere terrorem ignaris quanta militum manus Joanni eſſet, ut præcipiti tumultu pedem in Urbem referrent; Joannes ingenti ſtrage edita adusque Carthaginis portas fugientes eſt inſecutus. Nihilo felicius res ad ſiniſtram geſta a Vandalis; nam Gibamundus in Maſſagetarum turmas incidens conſerto cum iisdem prælio, ſe, ſuosque perdidit. Inſtabat interea Romanis a tergo cum valido equitatu Gilimer, magnamque trepidationem injecerat. Beliſſarius communitis ex tempore caſtris, & peditatu impedimentisque illic relictis cum equitibus hoſti occurrit; namque ex equis tantum dimicabant Vandali. Primæ cohortes in Gilimerem impetu facto fuſæ ac fugatæ ad Beliſſarium trepide recurrunt; & ſi inſecutus fuiſſet Vandalus eo terrore perculſos facile devicerat. Verum dum ad Decimum A) delatus fratris Ama-

A) Locus quidam non longe Carthagine anguſto & difficili tranſitu.

Amatæ recens occiſi cadavere invento vanis indulget lachrymis eumque tumulat; ſpatium dedit Romanis colligendi ſui, quos adhortatus Beliſſarius valido impetu in hoſtem non amplius eo die pugnam expectantem invehitur. Non ſuſtinuere diu Romanum incompoſiti ad pugnam Vandali, ſed fuſi quaquaverſum, in Numidiam curſum contendere. Nox cædi & prælio finem fecit. Die altero Carthaginem verſus itum eſt, nullis mœnibus, nullo præſidio aut apparatu ad reſiſtendum inſtructam. Nox una in ſuburbio tranſacta. Poſtridie nemine reſiſtente ingreſſus Beliſſarius palatium obtinet, ac in ſolio Gilimeris conſidet. Hæc vero Urbis occupatio ea tranquillitate peracta eſt, ut ſe victam pene non ſentiret. Mercatorum orientalium præcipua fuit lætitia, quos in carcerem compactos Gilimer neci deſtinarat, quaſi per illos Imperatorius hic exercitus evocatus foret. Illi igitur, civesque alii velut in libertatem vendicati diem illum lætum habuere; at Vandali in templa refugientes iram permetuebant victoris; qui tamen leniter habitos omnes in fidem citra nocumentum accepit; mox ad Carthaginis muros inſtaurandos vires contulit, opere mira celeritate intra dies paucos perfecto. Tuncque impletum agnovere Afri vaticinium illlud apud Majores ſuos jactatum; dum Genſericus victo Bonifacio primus eam Provinciam obtinuiſſet: ὡς τὸ γάμμα διόξει τὸ ϵῆτα, καὶ πάλιν τὸ ϵῆτα διόξει τὸ γάμμα. G. fugabit B. ac rurſus a B. fugabitur G. Fugandum nempe a Genſerico Bonifacium, ſed rurſus Gilimerem a Beliſſario.

A.C. 533

Etſi autem regni Sede privatus Gilimer, nondum tamen omnem abjecerat recuperandi amiſſa ſpem, quin & aggreſtes ſtatuto in caput cujusvis Romani pretio ad cædendum conduxit, & ipſe copias undique ad tentandam belli aleam contrahebat, accitis etiam iis, quos frater ſuus Tzazo antequam in eum hæc tempeſtas belli intonuiſſet in Sardiniam ad Godam Tyrannum illinc exterminandum duxerat; & feliciter rem geſſerat Tzazo occiſo perduelli Goda, quique illi adhæſerant, ignarus omnium, quæ tunc in Africa gerebantur. Eum victoria exultantem triſtibus admonet literis Gilimer de amiſſo regno, utque mora omni poſita ad illud recuperandum e Sardinia advolet; quod ille executus celerrime ſuas copias Regiis adjunxit. Fratres ut mutuum venere ad conſpectum e tam ſubita fortunæ commutatione vix animum a mœrore recipiunt, ſpe tamen utcunque erecti meliorum, una Carthaginem verſus exercitum promovent; ſed cum nec hoſtis prodiret in apertum, nec Urbem probe communitam aggredi poſſent, interſepto per diverſa loca in eam aditu obſidere parant. Beliſſarius etſi inteſtinis laboraret diſſenſionibus exercitus, nonnullique ex Hunnis, & Maſſagetis proditionis ſuſpecti eſſent, tamen non diutius in Urbe hærendum ratus exercitum in hoſtem educit, conſerto equeſtri prælio amiſſis Vandali octingentis, & in his Tzazone Regis fratre, in caſtra ubi opes plurimas, liberosque, ac conjuges habebant ſeſe fuga referunt. Territis inſtandum ratus Beliſſarius univerſas in caſtra inimica copias promovet; quod eminus conſpicatus Gilimer, & de rei ſumma deſperans; clam ſe fuga ſubducit: hac cognita, Romanisque gradum accelerantibus confuſa multitudo incompoſite caſtris effunditur, quo ſors cuique dabat. Caſtra ſub veſperum a Beliſſario occupata, nec deinde cædendi, & capiendi finis ea nocte fuit. In his opulentiſſima reperta eſt præda, tot annorum victoriis e Romano orbe per Vandalos collecta. Captivi perbenigne habiti, ſupplicibus, & ad templa refugientibus parſum; ſicque eo die in Africa debellatum fuit, poſtquam ea Vandalis per annos nonaginta quinque paruiſſet, tanto labore quondam occupata, nunc vero intra trimeſtre fœde amiſſa. Gilimer continuata aliquot dierum fuga in editum quempiam locum Papuam dictum in finibus Numidiæ ſe recepit, præruptum undique, & qui præter unam famem nullum hoſtem formidaret. Eo Beliſſarius Pharam Erulorum Ducem deſtinat, qui Regem ad radices montis, ne qua elabi poſſet, obſervabat.

A. C. Ipſe vero Hipponem Regium exinde progreſſus, Urbem in poteſtatem ac-
533 cipit; hicque offendit Bonifacium Gilimeris ſcribam, cui ſuos Rex theſauros crediderat ad incerta belli in Hiſpaniam, aut quovis alio transferendos. Verum ille ſeu vento reflante, ſeu magis perfidia detinente, Hippone fugam adornare haud valuit; ſic ingens illa Vandalorum Regum gaza in manus Romani Ducis venit, quam tamen occaſione uſus, non parum ſcriba ille depeculatus erat. Per idem tempus Sardinia, & Corſica a Cyrillo Juſtiniani partibus adjuncta fuit, profligato jam penitus hoſte veluti per otium ſpolia legente Romano Provincias, Urbesque prædæ relictas. Deliteſcebat interea in monte Papua ſuis cum conſanguineis Gilimer, & tametſi inopia rerum undique premeretur, nihil de animi ferocia remittebat; quin Pharam cum ſuis in jugum inſilientem magna cum ſtrage repulit. Sed cum res illius in dies magis anguſtæ eſſent, nullaque ex parte ſpei affulgeret quidquam; maxime vero commiſeratione puerorum, quos e ſua cognatione habebat, fractus, eo enim redacti erant calamitatis, ut corpora eorum præ illuvie verminarent, & pro pauxillo pulmenti invicem colluctarentur, Rex in eas miſerias a fortuna detruſus captivum ſe Pharæ tradit poſt aliquot obſidionis menſes ad Beliſſarium, atque illinc ad Imperatorem ducendum. Prius tamen quam id faceret ab eodem Phara panem unum, ſpongiam, & cytharam mitti petierat. Primum quidem quod ex quo locum illum conſcenderat panis a ſe viſus non eſſet, alterum quod oculorum ejus alter illuvie exaſperatus intumuiſſet; poſtremum vero ut compoſito ad cytharam carmine de infelicitate ſua modularetur, erat enim muſicæ apprime gnarus; ſic brevi admodum tempore, e media rerum affluentia, luxuque, cum id ne quidem in mentem ei venire potuiſſet, ad infimam ſortem delapſus Gilimer docuit non eſſe diuturnam in ſcelere felicitatem. Ductus Carthaginem cum gaudio ſuſcipitur a Beliſſario, in cujus conſpectu effuſe riſit, ſive alienata præ rei inſolentia mente, ſive quod res humanas tam inſtabiles expertus non niſi riſu dignas æſtimaret.

534 His omnibus e ſententia mira celeritate, ac felicitate confectis, non mediocrem in ſe invidiam Ducum reliquorum concivit Beliſſarius, delatus apud Juſtinianum Tyrannidis affectatæ; ejus itaque criminationis delendæ gratia, ſimul ut Regem, ſpoliaque regni Vandalici Imperatori repræſentaret, claſſem Carthagine conſcendit, relicto in Africa magnam partem exercitu, Provinciaque Salomoni uni e Ducibus demandata, ut eam adverſus Maurorum incurſiones defenderet, qui rupto quod cum Romanis non diu antea icerant, fœdere, bellum, & rapinas minitabantur; ſecundisque uſus ventis Byzantium pervenit. Incredibili Imperatoris, totiusque Urbis lætitia acceptus, egit magnificentiſſimum pro veteri Romanorum more, & jam dudum deſueto triumphum, & idcirco avidiſſime ab omnibus ſpectatum. Profectus eſt a domo ſua uſque in circum pedes cum captivo Rege, & Vandalis, & immenſa auri rerumque pretioſarum ſupellectile, in qua etiam templi Salomonici fuere vaſa, quondam a Tito Romam lata, & illinc a Vandalis direpta, quæ omnia Juſtiniano in throno conſidenti ſpectante innumerabili multitudine magnifice præſentavit. Gilimer tantam populi frequentiam, Imperatorisque gloriam contuitus altos ducens gemitus unum illud iterabat: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ante ſolium prociduus Imperatorem revereri compulſus eſt, quod una cum Beliſſario præſtitit. Exin honeſte habitus; aſſignati ei in Galatia fundi, ex quibus ſuis cum Vandalis laute viveret; inſuper Patriciatus dignitate ornare illum cupiebat Imperator, ſed quod Ariana labe exui nollet, id honoris indeptus non fuit. Beliſſarius vero Conſul in ſequentem annum renunciatus, inito eo Magiſtratu, in populum belli manubias Vandalici diſperſit, purgatus omni ſuſpicione, ſicque alterum, eumque magnificentiſſimum de invidia quoque ipſa egit triumphum.

At

At Salomoni Carthagine relicto ingens faceſſivere negotium Mauri, A. C.
qui ſub quatuor Ducibus bellum jam aperte gerebant, cæſis etiam ali- 534
quot Romanorum cohortibus, qui prædas prohibebant, Hos igitur univerſo ille educto exercitu ad Mammam poſitos offendit. Mauri e more ſuo camelorum denſatis ordinibus pro vallo uſi, in aciem ſe componunt; quæ ſpecies inſolita, non parum turbavit Romanos, quorum equi camelorum fremitu, & aſpectu efferati retractando ſe efferebant, ſeſſoribus paſſim excuſſis; itaque Salomon in pedes cum ſuis deſiliens facta impreſſione, cæſisque camelis viam ad hoſtem aperit, brevique perturbatum in fugam agit, cæſis eorum millibus omnino decem; atque ita præda dives, & ovans Carthaginem regreditur. Sed hac cæde efferati magis Mauri, quam edomiti, ingentes undique brevi copias contrahunt, & montana Regionis illius obſident, expertum in plano hoſtile robur reveriti. Vix quietis nactus aliquid Salomon rurſus in eosdem ducere habuit neceſſe; reperit eos ad latus montis Bargaonis loci ſitu, quam virtutis conſcientia ſecuriores, quos cum apertum in prælium detrahere non poſſet Salomon, aliud capit conſilium. Per averſam montis partem per tenebras ſummo ſilentio Theodorum Vigilum Præfectum cum mille peditibus eniti jubet in clivum, ipſe altero mane crepera adhuc luce ad radicem montis aciem promovet. Mauri primum quidem pugnæ ſeſe accingunt, verum ubi jam plena die denſum haſtatorum agmen in montis faſtigio dorſis eorum objecto, a fronte vero explicatam aciem adverſum ſe tendere conſpiciunt; re inopinata conturbati ne tentata quidem pugna in alterum montis latus feruntur. Erat in illud latus montis aſcenſus acclivis, ſed in præcipitem quamdam vallem deſinebat; hic igitur dum pro ſe quisque gradum accelerant, paſſim cum equis viri in vallem ruunt, neque referre pedem licebat iis, qui ad foſſæ marginem conſiſtebant, quod inſtarent a tergo reliqui ignari præcipitii illius, & cladis ſociorum, ſicque ingens hominum vis in vallem præcipitata quoad oppleto cadaveribus hiatu, reliquis effugium daretur; nec ſuis interea partibus deerat Romanus miles. Inaudita pene clade, ad quinquaginta Maurorum millia ea die periere, cum e parte adverſa ne unus quidem deſideratus eſſet. Exercitus præda ingenti dives Carthaginem repetiit. A) In eum modum Juſtiniano in Africa hactenus omnia e ſententia ceſſerunt; nec tam militum virtute, quam ſummo Numinis beneficio triumphare viſus.

Atque hiſce victoriis tanta felicitate partis, ut non tam ad pugnandum, quam ad perſequendos, cædendosque hoſtes exercitus ille in Africam veniſſe videretur; remunerari fors voluerit Deus curas Juſtiniani ſub initia Religioni ab hæreſibus perpurgandæ impenſas; felix ſi conjugem Religione parem, moribusque Imperatrice dignis nactus eſſet! verum Theodora præter multa alia vitia, quibus tantam dedecorabat Majeſtatem, virus quoque Eutychianum clam animo fovebat; adque illud proferendum, ac ſpargendum late animum intenderat. Defuncto enim Epiphanio ſucceſſorem dedit Anthimum Præſulem Trapezuntinum, hominem intus, & in cute Eutychianum, licet exterius Catholici ſpeciem præferret. Atque hæc conniventia Juſtiniani erga conjugem plurimis deinde malis ipſumque, Imperiumque omne involvit. Erat autem Theodora, quam elegans vultu, tam moribus diſtortis; quam e meretricio quæſtu ad Solium uſque eluctatam ſcribit Procopius; B) ubi mulier ſceleribus a tenero inſueta liberum nacta quidvis audendi campum, in omnia ſe vitia, omnemque Tyrannidem effuderit; cum mariti animum, ceu hamo pulchritudine ſua ſic captum teneret; ut nullis ejus molitionibus, quantumvis iniquiſſimis obvium ſe daret. Quin & ipſe ſive illius conſuetudine, ſive ſuapte natura depravatus ſenſim in deteriora præcipitarit. Horror eſt legere, quæ idem auctor in arcana ſua hiſtoria de utriuſque vitiis

A) Hæc quoque ſed diffuſe Procopius in bello Vandalico, cui interfuit. B) In arcana Hiſtoria p. 297.

A.C. diffuſe narrat; temetſi ab eodem Juſtiniano ad honores provectus ampliſ-
534 ſimos, nullam criminari volentis, vel animi male exulcerati ſpeciem præ-
ſeferat; quæ certe ſi vera ſunt, plerosque ante ſe Imperatorum ſua cum
Theodora improbitate Juſtinianus vicerit. A) Utcunque hæc ſe habeant,
ea profecto, quæ in Religionem deinceps ab iis admiſſa ſunt, merito quis-
que ſanæ mentis deteſtetur. Adeo rara avis Princeps omnibus numeris
abſolutus, qui dignitatem tantam & nomine, & virtutibus expleat; qui
quidem fortunam ad tempus ſibi obſequentem habere poteſt, ſolidam ve-
ro ad poſteros gloriam, & laudem transmittere, niſi virtutum præſidio
fultus omnium, non poteſt. Ad peſtem illam Anthimum, Byzantio ex-
turbandam Agapetus Pontifex Roma ad Juſtinianum venit, & uſus po-
puli in eum odio, fruſtra obſtrepente Theodora, quin & Imperatore mi-
nis ſemet opponente effecit denique, ut Anthimus expelleretur; hancque
nobilem conſecutus victoriam e vivis ibidem abſceſſit. B)

535 Vix annum Conſulatus Beliſſarius exegerat, cum altera illi demanda-
tur in Siciliam expeditio ad bellum faciendum, quod ex ejusmodi initiis
exſtitit: Theodorico Italiæ Rege fatis decedente, Amalaſuntha ejus filia
pro Athalarico filio regebat Italiam; cupiebat illa filium literis, omnique
humanitate imbui, qua valebat prudentia; ſed prohibita eſt, ne id face-
ret a Principibus Gothis, quod dicerent ejusmodi educatione molliri ani-
mum; nec ad bella fore idoneum; exemplo Theodorici Regis, qui Go-
thorum filios literis imbui vetuerat, dicere ſolitus, nunquam eos ferri
aciem intrepide conſpecturos, quos præceptorum aliquando ferulæ per-
celluiſſent. Itaque Athalaricus ejusmodi liber fræno cum æqualibus in
omnia vitia provolutus nullam bonæ frugis ſpem reliquam fecerat. Ad-
hæc cum Amalaſuntha juſti, & æqui tenax Gothorum in ſubditos Italos
injurias acriter prohiberet, offenſi ea re Gothi, exitium eidem clancula-
riis coitionibus parabant. Itaque cum nihil jam ſibi tutum in Italia vi-
deret Amalaſuntha, cum Juſtiniano clam agere cæpit de tradenda in ma-
nus ejus Italia; ſibi ut interim liceret in honorata quiete, quod vitæ ſu-
pererat, in oriente tranſigere. Hæc dum per internuncios geruntur, A-
thalaricus lenta tabe, quam ex frequenti crapula contraxerat, exæſus in-
teriit. C) Erat inter præcipuos Gothorum Theodatus quidam e ſorore
Theodorici progenitus, cujus magna erat per Tuſciam potentia, ubi
fundos poſſederat locupletes, tenuiorum oppreſſionibus multum dilatatos;
avaritia quippe animum illius totum ſibi vendicarat, cætera imbellem,
rudem militiæ, ſed Philoſophiæ non inexpertum. Cum itaque defuncto
Athalarico male ſibi a Gothis, & ab hoc Theodato Amalaſuntha metue-
ret, quos etſi juſte, ſevere tamen a rapinis coercebat, ſeditionesque in
ſe commotas morte nonnullorum reſtinxerat, confecto necdum cum Ju-
ſtiniano negotio conſilium aliud cæpit. Hunc Theodatum e conſangui-
nitate Regia proximum ad connubium, & ſceptrum vocat, rata tanto
præmio illum penitus ſibi adjungendum, ſeque a Procerum inſidiis tutam
præſtitum iri. Arripuit quidem avidiſſime oblatam regni ſpem Theoda-
tus, ſed eo potitus ſumma ingrati animi labe Reginam carceri mancipat;
inimicorumque ejus hortatu D) necari curat, magno totius Italiæ dolo-
re, quam illa ſapienter juxta ac moderate adminiſtrarat. Legati a Juſti-
niano ad Amalaſuntham ejus ſortis ignaro miſſi, cum eam interemptam
eſſe reſciſſent, bellum continuo Theodato denunciant: ea denunciatione
ut erat natura timidiſſimus, ſupra modum perculſus Theodatus, excuſare
vole-

A) Non deſunt tamen inter quos Alciatus, qui Juſtinianum a Procopii criminationibus vindi-
cent, & certe ipſo ſcribendi modo ſuſpicionem maledicentiæ non penitus effugit Procopius. Theophanes quoque p. 126. laudat Theodoram a munificentia in res ſacras. B) Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita miſſum ait a Theodato Rege Gothico, ut placaret Juſtinianum ſibi ob cædem Amalaſunthæ perinfenſum. C) Hoc quoque bellum Gothi-
cum quatuor libris proſecutus eſt Procopius. D) Theodora Imperatrice agente occiſam eſſe Reginam a Theodato in arcana Hiſtoria auctor eſt Procopius cum vereretur, ne illam tot dotibus præſignem, ſibi Juſtinianus anteferret p. 311.

volebat cædem, quaſi ſe neſciente & invito a propinquis eorum, quos A.C.
Regina necaverat illatam. Verum res apertior erat, quam ut celari poſſet. 535
His Imperator auditis ad bellum Gothis inferendum geminos emittit exer-
citus: alterum in Siciliam Duce Beliſſario; alterum in Dalmatiam Duce
Mundo; inſuper Francos in belli ſocietatem invitat. In Dalmatia Salona
victis acie Gothis capitur; in Sicilia cunctæ Urbes nec quidem defenſæ,
præter unam Panormum in poteſtatem veniunt, quæ tamen etiam ad-
mota vi, brevi cecidit. Fama earum rerum Theodato homini ignavo,
& ad omnem auram mobili tantos incuſſit metus, ut protinus de traden-
da Juſtiniano certis conditionibus Italia agere cum Legatis occæperit.
Verum poſteaquam inaudiſſet a Gothico exercitu Mundum, & Mauricium
Romanos Duces cæſos, Salonamque recuperatam, reſumpto ſpiritu con-
ſueta ſibi perfidia Legatos carceri mancipat, omnique tractatui cum Ju-
ſtiniano renunciat. Conſtantinus ſtabuli Comes Byzantio miſſus, brevi
Salonas, reliquaque recipit, diffugientibus in alias oras Gothis, quod re-
ſiſtendo non eſſent.

Beliſſarium a Sicilia avocarat inter hæc ſeditio militaris in Africa
exorta; ubi Stozas unus quondam ſatellitum Beliſſarii, conjuratione cum
militibus contra Salomonem inita negotium ingens faceſſiverat, quo ipſe
Salomon fuga ſibi conſulere neceſſe habuit. Milites enim ejectis ex Afri-
ca Vandalis conjuges eorum relictas paſſim ſibi adjunxerant, occupatis eo-
rum agris, nec eo nomine quidquam tribui pendere Imperio volebant,
quin multi uxorum blandimentis dementati, ad inſaniam Arii deflexerant;
cum itaque Salomon nec fraudari ærarium vectigalibus vellet, nec tem-
pla Arianis patere, inita conjuratione milites arma in Principem capiunt.
His auditis, advolavit confeſtim in Africam Beliſſarius, & conſueta ſibi
uſus fortuna Stozam prælio frangit, rebusque Carthagine utcunque com-
poſitis ad exercitum in Siciliam revolat. Perduellem illum rurſus viri-
bus auctum Germanus a Juſtiniano miſſus cum ſeditioſis devicit, ſed ii
ad Mauros refugientes horum iterum arma commovent, nec deinceps
longo tempore quietis licuit eſſe Afris, perpetua hoſtium incurſione diſcer-
ptis, ſicque exhauſta incolis Provincia illa, ad paucos, egentesque rediit.

Beliſſarius Sicilia potitus bellum in Italiam transfert, & per Brutios 537
profectus Neapolim obſidet. Perhumane primum cives de tradenda Ur-
be, mutandoque barbaro Dominio appellat, tranquilla omnia, & libera
pollicitus; & inclinaverant in eam rem civium animi, ſed poſtea a Go-
this magno illic numero commorantibus, aliisque quibusdam perverſi,
obſtinatis reſiſtere animis, & obſidionis mala tolerare pergebant. Cum
nulla affulgeret capiendæ Urbis tam amplæ, & numeroſæ ſpes, jamque
de ſolvenda obſidione cogitat Beliſſarius, gregarius quidam aquæ ductum
introgreſſus cum aqua a Romanis jam ante averſa fuiſſet, deprehendit
longo ſpatio expeditum illac in Urbem eſſe aditum, nec niſi propius Ur-
bis muros lapidem obſtare unum, qui quidem aquæ tranſitum dare poſ-
ſet, ſed armato homini negaret. Id cum Dux reſciſſet, miſſis, qui foramen
lentis ictibus ne poſſent exaudiri, amplius redderent, perfecit denique ut
viro armato ingreſſus pateret. Nocte igitur concubia ducentos ex auda-
ciſſimis per canalem illum in Urbem immittit; qui ægre in mediam elu-
ctati nihil perſentiſcentibus etiamnum hoſtibus illam murorum partem
occupant, pro qua foris vigilabat Beliſſarius, cæſisque cuſtodibus, ſocios
per pinnas murorum in Urbem accipiunt. Tum vero miſerrima Urbis c-
ptæ facies; cædi paſſim a furente milite cives; res, ac homines præda fieri,
ne Sacris quidem locis parci; quoaduſque Beliſſarius miſeratione motus,
cædes, ac rapinam inhibuit; civesque libertati redditos A) in ditionem
accepit octingentis ſolum Gothis in liberali cuſtodia detentis.

Gothi

A) Commendat Beliſſarii in cives humanitatem Procopius, contra Theophanes, & Anaſtaſius Bibliothecarius crudelitatis arguunt ob exciſam Urbem; non video tamen cur Procopio præſenti, & minime res geſtas Beliſſarii palpare ſolito neganda ſit fides.

A.C. 537 Gothi reliqui circum Romam positi cum prolabi ignavia Theodati res suas vident, suspicati ab eodem Justiniano se proditos, ut quietam ipsis, & honoratam apud eum vitam agere liceat, communi consilio Regatæ habito, Vitigen sibi præficiunt virum loco natum obscuro, sed bellicis facinoribus nominis celebritatem adeptum : hic continuo ad necandum Theodatum Opiarin expedit, privatim eidem infestissimum, qui cupide ea vindicandi sui occasione arrepta fugientem Ravennam assecutus, terræ allisum ferro transadigit; ita Theodatus parto per scelus regno nec diu, nec feliciter potitus est. At Vitigis Rex bello apparando strenuam dat operam, Reges Francorum in societatem armorum sollicitat, in Dalmatiam magnum expedit exercitum, Ducibus Asinario, & Ulisago; ipse vero ingentes Ravennam undecunque copias contrahit. Belisarius contra capta Neapoli magnis itineribus Romam adproperat, eaque diffugientibus inde Gothis citra vim potitur. Cum vero non tantum ei adesset copiarum, ut aperto Marte congredi cum Vitige auderet, quoadusque suppetiæ a Justiniano ex oriente missæ forent, ad ferendam Romæ obsidionem necessaria omnia apparat; Fatigatis enim per eam Gothis, ac absumptis, supervenire postea cum novo milite, ac bellum feliciter conficere speraverat. Interea vero dum Vitigis adventat, Spoleto, Narnia, Perusio, per suos Duces potitur. Adfuit tandem cum exercitu Rex Vitigis ducens secum qua peditum, qua equitum ad centum sexaginta quinque millia, Romamque inter crebras velitationes obsidet.

538 In hac certe obsidione, si unquam alias nosse datum est, quid Ducis unius præstans scientia militaris, & solertia possit, nam tametsi rebus omnibus superior Gothicus foret exercitus, & Belisarium tam inopia rei frumentariæ, quam civium desperatio, ac etiam propugnantium in tam vasto murorum ambitu paucitas premeret, has tamen consilio difficultates perrupit omnes, obsidionemque annum unum, & dies novem pertulit, tot cladibus affectis interea Gothis, ut e tanto numero ad paucos redacti, & pene consumpti, ad extremum solvere obsidionem cogerentur, & maxima Italiæ parte decedere. Cum sibi a fame hoste omnium atrocissimo metueret, ab inutili turba Romam liberat, per varia Italiæ loca sparsa; qui arma e civibus ferre poterant, vel invitos ad mœnia defensanda compellit; Ostia urbeculam ad mare opportunam militari præsidio communit, unde adverso Tyberi annona subvectari posset; crebrisque, ac fere quotidianis procursionibus hostem lacessit, cum peritissimos sagittandi haberet equites, qui Gothos ejus artis ignaros, nec nisi cominus hastis, & gladiis rem gerere assuetos, sternebant facile, & periculo ingruente in Urbem celerrime refugiebant; ad hæc astu militari non semel adusque mœnia pertractos improviso effusus portis, agebat in fugam, & necabat; arietes, reliquasque machinas mœnibus admotas arte multiplici inutiles reddebat; sic totus ille annus inter continuas dimicationes evolutus; quarum majores septuaginta circiter extitere; A) sed binis potissimum præliis memorabilis Gothis clades illata. Primum quidem dum partem murorum infirmissimam rati aggrederentur, ad quam erat alius quoque murus exterior cum priori spatium capiens, quod vivarium erat ferarum ad circensia spectacula asservari solitarum, Hoc si potiretur loco hostis, sperarat levi opera muros se machinis subversurum: Itaque non repugnante multum Belisario murum illum exteriorem vivarii sepimentum facile Gothi occupant, ac confertissimi in illud infunduntur, eodem impetu alterum quoque murum ut rebantur, occupaturi; sed enim Belisarius lectissimum militem ad geminas, quæ in proximo erant, portas dispositum, in confertos hostes a lateribus emittit; & loci angustiis, & improviso hostis procursu confusi Gothi pedem referunt, cumque densati, & incomposiri essent, ipsa multitudine cædi patuerunt. Eodem tempore ad portam Salariam, quam altera Gothorum pars

A) Minutatim hæc omnia apud Procopium descripta invenias a p. 32.

pars premebat, effusus miles obstantes proterit, & utrinque ad usque A.C.
castra remotius posita, turbatissime recedentem hostem Belisarius insequi- 538
tur, uno ut illo die triginta Gothorum millia desiderata dicerentur. Altera clades tum illata est, cum anno jam evoluto pertæsi diuturnæ moræ recederent Gothi ad pauca millia e tantis redacti. Nam ut partem dimidiam exercitus hostilis pontem Milvium transgressam vidit Belisarius, eductis ex Urbe copiis, alteram cis Tyberim adhuc positam, vi magna adoritur; restitere quidem ad primum Gothi impetum, at cum pro se quisque pontem celerrime transgredi festinat, suborta ut pronum fuit confusione, ingens eorum est edita cædes, multi quoque e ponte in Tyberim acti præcipites. Atque ita præter ignominiam, cladem quoque maximam ex ea obsidione retulere Gothi, solo fere Belisarii consilio, & virtute fracti. Quippe eorum exercitum non hostilis modo gladius, sed etiam fames, subsecutaque exin lues magnam partem absumpserat. Obsessus enim Belisarius acceptis Byzantio subsidiariis cohortibus tria, quatuorve equitum millia in loca non longe Roma posita dispescuerat, qui Urbes illas ex tempore communirent, ac illinc quaquaversum procursantes vias haberent infestas; erant autem milites illi Massagetæ potissimum, & Hunni, qui equorum celeritate, ac sagittandi dexteritate usi, impedimento erant, ne copiosa ad tantum exercitum annona comportari posset; qua arte factum, ut famis incommoda ferrent Gothi, nec tam obsiderent Romanum, quam ab eodem obsiderentur, cui non æque pronum erat, commeatum præpedire e mari adverso Tyberi, aut via breviore subvectari solitum.

Obsidionis tempore nonnulla memoratu digna evenere; illud non sine aperto Divi Petri in Urbem suam favore factum, quod muri pars quædam admodum debilis, & occupatu perfacilis, quam cives in Divi illius tutela sitam esse affirmabant, cum nec defensores haberet, a Gothis ne tentata quidem fuerit. Sed & Templa DD. Petri, & Pauli extra Urbem posita adeo illæsa permansere ab iisdem Barbaris, licet Ario ad insaniam addictis, ut ne quidem impedimento forent Sacerdotibus, quo minus illic solenni pro more Sacra obirent. Jani Templum, quod devicta Romæ superstitione occlusum semper manserat, durante obsidione nonnulli per tenebras reserare adniti sunt veteri insanientes superstitione, quasi hoc facto melior Urbem fortuna revisseret; sed fores vi nulla dimoveri potuere; valvæ non bene inter se cohærentes, indicio fuerunt tentatam, sed non perfectam rem fuisse. Ad extremum inter omnia, quæ a Belisario cum laude Romæ id temporis gesta sunt, illud solum justissimam meretur reprehensionem, quod Sylverium Pontificem Romanum quibusdam actus suspicionibus, ceu Gothis clam faventem in exilium ejecerit, A) substituto eidem Vigilio. Quamquam reapse prætextus is solum fuit, quo Romanis illuderet Belisarius; vera autem causa, quod cum Theodora Anthimi sui restitutionem a Sylverio impetrare non posset, Vigilium id sibi privatim pollicitum suffici eidem demandarit; insuper Belisarius auro a Vigilio corruptus nefariis heræ mandatis cupide morem gesserit; quo procul dubio factum, ut fortunam hactenus semper propitiam Dux ille sæpe inimicam deinceps expertus sit, cum maxima Italiæ totius pernicie; adeo rarus in bello Dux, qui perinde norit cupiditatibus imperare suis, ut hostem debellare.

Roma liberata, loca quædam munitiora Urbinum, Anconam, Auxi- 539
mum, Romani expugnant, Vitiges contra Ariminum præsidio munitum oppugnare adoritur, strenue defensum a Joanne loci Præfecto. Interim Romani copiis aucti, quas Narses gazæ Imperatoriæ Præfectus, Spado quidem, sed in rebus gerendis supra naturam suam fortis, ac strenuus ad septem millia secum adduxerat, obsessis succurrere non dubitant, aper-

P toque

A) Marcellinus in Chronico, & Anastasius in vita Sylverii, nam Procopius, ob proditionem, quam machinatus esset Sylverius, in exilium ejectum narrat p. 47.

A.C. toque cum Gothis Marte confligere; verum illi ſola adventus Beliſſarii
539 fama conterriti, relictis maximam partem impedimentis, quin ægris etiam, trepide e caſtris ſemet effudere; tantum apud animos terrore percitos concepta de Duce potuit opinio. Suborta deinde inter Narſetem, & Beliſſarium diſcordia rem Romanam tantum non evertit, dum alter alteri parere recuſat. Verum eam diſſenſionem ſummum diſcrimen, in quod Mediolanum princeps Italiæ civitas adductum erat, aliquantum conſopivit, ac Imperator re intellecta, revocato Byzantium Narſete penitus extinxit. Venerant Mediolano e primis civibus, ſoluta obſidione ad Beliſſarium petitum auxilia contra Gothos, a quorum partibus ultronei ſe ad Juſtinianum adjunxerant. Votis eorum facturus ſatis, Duce Mundila mille equites eo expedit Beliſſarius, qui Urbem illam, & loca circum munita præſidio tenerent. Vitigis hac Ligurum defectione ſupra modum percitus, exercitum continuo illuc mittit Duce Uraia ſororis ſuæ filio, cui ſe adjunxerant millia Burgundionum decem, a Theodeberto Francorum Rege ſubmiſſi; nam tametſi fœdus ipſi cum Juſtiniano eſſet, clam tamen ſtudebat Gothis, factumque excuſavit, velut ſi invito ſe Burgundiones Gothis ſuppetias tuliſſent. Hic ergo exercitus ſine mora Mediolanum advolat, cum civibus nec quidem integrum fuiſſet de commeatu tantæ multitudini in tempore proſpicere. Beliſſarius metuens id, quod erat, ne fame preſſa civitas cito in manus Gothorum delaberetur, datura acerbas defectionis ſuæ hoſti tot cladibus exulcerato pœnas, Martinum, & Uliarin Duces feſtinato illuc cum exercitu mittit ad ſolvendam obſidionem. Verum illi cum ad tranſitum Padi fluminis cunctantur, ac majores præſtolando copias per inertiam diem ex die ducunt, Mediolanenſes extrema fame adacti deditionem fecere. Ac præſidium quidem militare a Gothis illæſum in cuſtodia manſit, Urbs vero funditus verſa, cives ad internecionem deleti, crudeli laniena trecenta miſerorum civium millia hauſta periere, cum pueris, ac fœminis, non adnumeratis iis, quas Burgundionibus captivas in pretium navatæ per eos operæ Gothi donaverunt. Ita nobiliſſimæ civitatis breve admodum e libertate obtenta gaudium ingenti hac ruina obtritum eſt. Magna per hæc bella reliquæ quoque Italiæ vaſtitas illata, non tam a ferro hoſtili, quam fame atrociſſima propter agros in tantis tumultibus incultos; multi humanis vitam tolerabant carnibus; mulieres binæ in quodam diverſorio viros ſeptemdecim hoſpitio acceptos devorarunt; in ſolo agro Piceno, quo ſe magna agreſtium multitudo intulerat ſpe facilioris ob maris opportunitatem commeatus, ad quinquaginta mortalium millia fame enecta memorantur.

540 Vitigis audito Beliſſarii ad obſidendam Ravennam apparatu, ingenti correptus metu auxilia undelibet circumſpicit: Longobardos ſed fruſtra in ſocietatem ſollicitat; ad Choſroen etiam Perſiæ dominantem Legatos mittit, qui illum ad bellum Juſtiniano faciendum inſtigarent, & melius hac parte promovit; nam Perſæ ditiones Romanas incurſare ſoliti, facile prædæ aviditate in ſententiam inclinarunt; nec ullis Legationibus eorum reprimi potuit avaritia. Choſroes A) itaque tam invidia rerum a Juſtiniano geſtarum ſtimulatus, quam illectus Legatione Gothica, ac etiam Armeniorum, qui id temporis ſeceſſione a Romanis facta redire ad obſequium detractabant, arma propere arripit, ac obſiſtente nemine per florentiſſimas orientis Provincias impune graſſatus, Urbes captivas miſerum defœdat. Primum Urbem Suram dolo occupatam excindit, tametſi impunitatem civibus antea pollicitus; Hieropolitanos pecunia mulctat, locaque alia minoris nominis occupat plurima, ac denique ad ipſius Antiochiæ muros exercitum applicat. Numeroſiſſima ad mare Urbs ridebat primum conatus Barbari, jactisque in Choſroen propter muros obequitantem convitiis, furorem ſpernebat; verum ultimo brevi exitio dicacitatem ſuam

A) Idem Procopius de bello Perſico. Antiochia incenſa poſtea a Juſtiniano eſt reſtituta priſtino decori.

ſuam luit; nam rerum bellicarum inſolens multitudo cum nec machinas A.C.
bellicas quo minus ad murum applicarentur, impedire noſſet, nec erum- 540
pendo hoſtem laceſſere auderet, inſuper quo neſcio caſu, pars propugnatorum corruente tabulato ingenti e muris fragore præceps ageretur, reliqui conterriti ſpatium dedere Perſis, ut muris ſuccederent, ſe ſeque in Urbem infunderent. Reſtitere quidem acriter, ut in ultimo diſcrimine depugnando civium nonnulli, ſed cum ingenti facta rerum perturbatione, plebs diffugere per adverſas portas parat, ipſa multitudine impedita, cædi, & prædæ patuit. Egeſtis civium opibus, ac Templorum theſauris totam incendit Urbem Choſroes, plurimis mortalium millibus in captivitatem ductis, e quibus aliam poſtea in Perſide Antiochiam condidit. Atque ita levis ille, totiesque Deo perduellis populus dicacitatis ſuæ, aliorumque ſcelerum pœnas atroces dedit. Actum poſtea inter Principes de pace, convenitque inter illos, uti Choſroes in præſentiarum novem millia pondo auri ab Imperatore acciperet, quinquaginta autem in annos ſingulos. Digreſſus exin Seleuciam eſt Perſa, ac etiam Apameam, ubi a civibus exitium metuentibus ultro ſuſceptus, equidem nocumenti nihil attulit, ſed direptis Templi theſauris, auri etiam non nihil ab iis emunxit. Edeſſam dum cogitat, vi quadam Divina repreſſus abſtinere cogitur, nam ſemel ac iterum dum illo exercitum ducit, viarum actus ambage in eundem, unde diſceſſerat, locum revertit; cumque jam propius Urbem conſiſteret, intumeſcente mala, attingere eam auſus non eſt. A) Denique oppugnata in regreſſu Urbe Dara cum fruſtra id inceptum fuiſſet, reſiſtentibus ſupra modum civibus, accepto ab iis auro exercitum tot ſpoliis gravem in Perſidem reduxit.

Haud minorem parte alia cladem accepit Juſtinianus, namque Hunni Iſtrum transgreſſi ingentem Thraciæ, Græciæ, ac Illyrico vaſtitatem intulerunt, cum nemo eorum obſiſteret conatibus; miraque pernicitate omnia percurſarent; quin etiam quod adhuc factum non erat, præda non contenti ad triginta munitas Urbes vi illata occuparunt; ac denique ad uſque Conſtantinopolis muros progreſſi, abactis in ſervitutem centum viginti hominum millibus in patriam, ſed iterum redituri, commigrarunt.

Juſtinianus ubi tantis tempeſtatibus miſceri omnia videt, nec pactis 541
conventis modo initis ſtetiſſe Perſam, qui Urbes in reditu ditionis ſuæ oppugnaſſet, ad unum Imperii ſui columen Beliſſarium reſpexit, quove eum Italia facilius detraheret, Legatos de pace acturos eo mittit. Interea non ceſſabat Beliſſarius ab Urbibus Gothorum oppugnandis; qui ad Alpes Cotias incolebant, ultro ſemet dedidere; Fæſulas vis admota hoſti eripuit. Vitiges vero Ravennæ incluſus eandem in dies fortunam metuebat. Equidem Uraias intellecto Ravennæ diſcrimine, contractis ad Ticinum copiis pergebat auxiliari; ſed ab altero Romanorum exercitu id perfectum dare prohibitus eſt, Ducibus Martino & Joanne ſibi objectis. Interim dum ſic duo exercitus non magno ab invicem intervallo disjuncti deſident, Theodebertus Francorum Rex attritas utriusque partis bello tam diuturno vires intelligens, ſupervenire utrisque voluit, atque inter duos litigantes Italiæ potiri. Ingreſſus cum centum armatorum millibus, primum quidem a vi abſtinet, quo ſibi tutum redderet Padi trajectum; hunc vero libere transgreſſi, exiſtimantibus Gothis venire ſibi auxilio, ac mire lætis, infeſta Franci arma inferunt; atque Gothi ad conſpectum tantæ multitudinis ſibi contra quam rebantur inimicæ externati, protinus fugam per ipſa adeo Romanorum caſtra, tumultu maximo Ravennam verſus arripiunt. Romani rei totius ignari, ac rati a Beliſſario de improviſo ſuperveniente fugatum hoſtem, aciem expediunt, eidem ſemet conjuncturi; Verum Franci in hos quoque hoſtiliter irruentes, gravi clade affectos in fugam præcipitant, ac utrisque caſtris potiuntur. Et facile Italia tota bellis hiſce pene diſcerpta potiti eſſent, niſi tantum

A) Procopius de bello Perſico p. 301.

A.C. 541 exercitum brevi commeatus inopia in tanta locorum & rerum ſolitudine ſic preſſiſſet, ut morbis in caſtra ingruentibus vis multa militum extingueretur, & fere tertia exercitus pars interiret. Ea re irritati Franci urgebant reditum, inſuper Beliſſarius per literas violatæ contra quam promiſerat fidei, Regem admonuit; itaque Theodebertus non tam quod nocere Romanis nollet, quam quod non poſſet, in Franciam rediit, nullo alio operæ pretio, quam quod palam feciſſet, quo eſſet in utrosque animo, & quantum fidei ab utrisque habendum ſibi foret.

Beliſſarius occupatis plerisque omnibus cis Padum Gothicis munitionibus ad Ravennam Regni ſedem, ubi Vitigis cum Principibus Gothis omnique theſauro incluſus erat occupandam, animum ſerio intendit, id quo præſtaret facilius, exercitum varia in loca diſpeſcit ad præcludendum undique commeatum. Sed cum res Gothicæ in ſummas jam anguſtias adductæ forent, brevique debellatum putaret Beliſſarius, advenere Byzantio Legati, qui conditiones a Juſtiniano Vitigi perferebant; earum princeps fuit, ut Italia cis Padum omni decederent Gothi, reliqua ſibi retenta, deinde ut gazæ Regiæ pars altera Vitigi remaneret, altera ad Juſtinianum perferretur; quæ aliaque Vitigis cupidiſſime amplexus eſt; verum contra obnitebatur Beliſſarius, nec adduci potuit, ut conditionibus ſubſcriberet, quod plenam de Gothis victoriam, ipſumque Regem de manu ſibi eripi cerneret. Gothi cum ſuſpectas haberent Imperatoris pollicitationes, nolente pactis ſubſcribere Beliſſario, atque ex Italia Byzantium deportari metuerent, fame graviſſima Ravennæ eos conficiente, conſilium aliud ex re nata capiunt, ut abdicato Vitige ſibi ob infelicitatem non parum jam exoſo ad Beliſſarium ipſum regni Gothici gubernacula deferant, rati ambitione in transverſa actum, remanſurum in Italia, ſicque Gothicæ gentis Imperium illic confirmatum iri. Id conſilium cum ad Vitigis quoque aures permanaſſet, haud ægre ferebat, regno cujus eum tædere cæpit, exui, modo illud penes Gothicam gentem remaneret, in talem ac tantum virum, ut erat Beliſſarius, translatum. Confeſtim nuncios ad eum expediunt, qui clam de regno accipiendo communi nomine eundem appellarent. Ille prima ſpecie maximam præſefert regni cupiditatem, eaque re incautis imponit; cum enim moram dira fames non pateretur, urgent uti continuo Ravennam, ad eam dignitatem capeſſendam adproperet, quod ille pollicitus, brevi cum exercitu Ravennæ adeſt, & ceu ejusdem adhuc animi, Vitigen quidem in honeſta cuſtodiâ cum Principibus Gothis habet, reliquos in ſuum quemque agrum libere abire ſinit. Poſtquam ea res cæteris qui munita adhuc obtinebant loca Gothis innotuiſſet, rati nunquam eam regni adipiſcendi occaſionem a Beliſſario repudiandam, ſeſe illi cupide tradunt; ac veluti novo Rege lætantur. At ille nunquam hoc erat in Juſtinianum animo, ut Tyrannidem, a qua ſemper abhorrebat, arriperet; verum cum ad bellum Perſis inferendum inſtanter in orientem revocatur, paratis ad iter navibus, Italiaque utcunque ordinata, nec opinato Vitigin Regem cum plerisque Principibus Gothis, gazaque omni Regia Conſtantinopolim abducit. Id vero Gothis, qui Urbes trans Padum obtinebant cum præter ſpem cecidiſſet, pœnitentia rerum a ſe geſtarum ducti; neque ſe penitus Juſtiniano credere volentes, Ildibadum ſibi Regem creant, virum ad res gerendas idoneum, cum eam dignitatem Uraias Vitigis ex ſorore nepos recuſaret, atque ipſe ut in Ildibadum deferretur, Gothis auctor foret. Hunc initio vix mille ſecuti; verum audita viri virtus, præliumque quod cum quibusdam Juſtiniani copiis proſperum fecerat, plurimos omni ex parte accivit, ut inſtaurando rurſus bello, recuperandæque Italiæ par futurus videretur. Et vero Ducum, qui cum exercitu Romano remanſerant, incredibili avaritia atque diſcordia factum, ut res deinceps Juſtiniani in Italia defluerent, Gothicæ erigerentur.

Beliſ-

Beliſſarium Byzantium reducem, etſi omnis civitas maximo recepe- A.C.
rit gaudio, Imperator tamen nec ei triumphum, ut prius capto Gilime- 542
re, nec manubias in populum ſpargendas dedit, ſeu quod gloriæ invideret illius, ſive quod vereretur, ne rebus proſperis ſupra modum elatus Imperium affectaret. Sed neque contra Perſam miſſus, memorabile quidpiam Dux idem geſſit, neque in Italiam poſtea redux, priſtinam remereri fortunam valuit, tametſi opibus per bella partis & gloria ſic Byzantii frueretur, ut nemo magis. Admiſſum abs dubio in Sylverium facinus, ſecundum rerum illius in bello curſum interruperit; qui Pontifex ante biennium in Palmaria inſula A) diem extremum ſancte clauſit; cujus in locum intruſus antea pecuniis Vigilius, graviorum metu malorum a populo, Cleroque Romano acceptus, ultro pro vero agnoſci cæpit. In Vigilio tamen non eum invenit Theodora, quem ſperarat; nam ubi ex vero Pontifex fuit, immutato quaſi Divinitus animo, nec Anthimum in locum, unde improbitate exciderat ſua, reponi paſſus eſt, nec aliud quidpiam innovari, tametſi obnixe id contenderet Theodora, B) ipſeque Imperator rerum procurationi ſacrarum, quam adminiſtrando inter tot bella Imperio, contra quam decebat, intentior.

Choſroes intermiſſum aliquantiſper bellum, dum de eo componendo 543
ageretur, reſumit iterum, & evocantibus illum in fines ſuos Laziis, illuc cum exercitu accurrit; horum Reges Imperatori fœdere adjuncti erant, ab eoque regni inſignia capeſſere ſoliti; ſed Præfectorum avaritia adeo tunc eos alienaverat, ut Barbaro parere, quam Romanorum fœderati eſſe mallent. Urbem hi quandam prope mare exædificarunt, quam Petram dixere, hinc illi Laziorum fortunas miſere divexabant; neque inferri mercium aliquid in regionem patiebantur; verum ipſi præemptas quod avaritia dictaſſet, pretio divendebant; his irritati injuriis, ad Choſroen Lazii recurrere oblata in bello ſocietate; nec multis opus fuit machinis ad expugnandum Regis animum Provinciis Juſtiniani inhiantem. Expeditionem itaque adornat; ac vi ad Urbem Petram admota etſi non parva ſub initium ſuorum clade loco potitur. Beliſſarius quo ab incepto revocaret Perſam, fines cum exercitu illius ingreſſus, terrorem late circumtulit; ſed cum hoſtis obviam ſe non daret; exercitusque ille febribus afflictaretur, non alio facto operæ pretio, quam quod Caſtellum Siſauranum expugnaſſet, Byzantium revertitur. Adfuit audita hac procurſione ex Lazica Choſroes, at nullo jam reperto in finibus hoſte quietem egit.

In Italia res erant longe turbatiſſimæ: Ildibadus, aliis Theodebaldus, conjugis querelis ſuæ impulſus, quæ ſe licet Reginam ab uxore Uraiæ opibus bello partis prætumida contemni ferebat ægrius, Uraiam per ſuos de medio tollit, quo facinore patrato multorum ab eo animi alienati, etſi cætera regno dignus judicaretur; nec impunita hæc diu cædes remanſit; inter convivandum a quodam ſatellitum per cognatos Uraiæ ad hoc conducto ictus graviter vitam & regnum perdidit; hoc poſtea in Eraricum cæteris potentiorem translatum eſt, ſed cum is impar gerendis bellis videretur, brevi Gothorum plerique ad Totilam Ildibadi ex fratre nepotem Tarviſii Præfectum reſpexere; utque regno potiri poſſet, Eraricum de medio tollunt. Totilas vero Rex effectus virum ſe maxime ſtrenuum præbuit, & pene jam fractas Gothorum in Italia res in integrum reſtituit. Duces quod per otium & diſcordiam deſiderent, aliaque omnia quam bellum haberent curæ, a Juſtiniano graviter increpiti contractis ſuorum millibus duodecim, Ductoribus præcipuis Conſtantino & Alexandro, Veronam proditione occcupaturi accedunt; & bene fraus ceſſerat, quippe inſcientibus Gothis a proditore in Urbem delecti e toto exercitu milites inducti, eandem occuparant, Barbaris per adverſam portam in vicinum collem trepide refugientibus; at mane facto cum & exiguo milites numero, & caſtra longe poſita e monte conſpicantur, (Duces quippe di-

A) Anaſtaſius in vita ejus. B) Baronius ex ipſis literis Vigilii ad Juſtinianum.

A.C. ſcordes de præda inter ſe Veronenſi dividenda diu litigabant) reſumptis
543 animis e colle per eandem qua exceſſerant portam, in Urbem infuſi militem ad prædas verſum trucidant, ac rurſus Verona potiti, & hiantem Ducum avaritiam deluſere, & delectos quos intus nacti erant milites ad unum conciderunt. Totilas poſt hæc educto exercitu licet permodico pugnam cum Romanis conſerit; ſed enim aberat cor exercitus Beliſſarius: fervente pugna viſi eminus trecenti Barbari ex latere adventantes in fœdam conjecere Romanos fugam, ratos ſubſidiarias Gothis affluxiſſe copias; ſigna plurima amiſſa, depreſſæ Juſtiniani partes, & Gothorum ſublatæ, ludente veluti fortuna, & jam his, jam vero illis favorem ſuum oſtentante, neutris penitus indulgente. Florentiam poſt hæc obſedit Totilas, ſed audito hoſtis adventu obſidionem ſolvit; inſecuti recedentes Romani aciem iterum conſerunt, ſed iterum victi ac fugati; quæ fuga hoc fuit turpior, quod non inferiores, verum pugna ſuperiores eam capeſſiverint; ſolo rumore per exercitum didito, quod Joannes unus e primis Ducibus mortem oppetiviſſet, conſternati, qui tamen falſus extitit, cum eorum immixtus numero Joannes quoque effugerit; tuncque intellectum, quam incerta eſſet belli fortuna, quam minima quandoque rumoris aura loco dimovere queat. Totilæ ab his rebus geſtis magnum ubivis nomen eſſe, confluere ad illum undique Gothi; Itali quoque exhauſti prædis & avaritia Ducum orientalium, ad veteres dominos reſpectare; prolabi ſenſim res Juſtiniani in Italia; quibus victoriis hoc magis profecit Totilas, quod mira eas humanitate condiret; & ab agendis prædis cohibendo militem, & victis benigne indulgendo, & captivas Urbes manſuete tractando; quibus rebus ſenſim malorum, quæ olim Itali a Gothis perpeſſi erant memoriam abolere cæpit. A)

544 In oriente nihilo fortunatior erat Juſtinianus, Choſroes novam in fines Romanos ſuſcepit expeditionem, Hieroſolymam ipſam tentaturus, quod & theſauri Templi illius opulentiſſimi, & ſoli ipſius incolarumque opes Perſas ad prædam invitarent. Sergiopolim ex itinere tentat, ſed ea infecta oppugnatione populabundus ingenti cum exercitu formidinem quaquaverſum ſpargit; his conterriti Duces Romani ad munitas tantummodo Urbes defenſandas animum adjecere, rati Perſicas haſce copias omnino inſuperabiles. His intellectis Beliſſarius citatis equis Byzantio advolat, copias undique in apertum contrahit, & magis nominis ſui fama, quam exercitus magnitudine Choſroen perterret. Abandanem itaque Rex Perſa allegat, ſpecie conquerentis de non ſervatis a Juſtiniano promiſſis ſibi antea factis, re vero ipſa ut Beliſſarii perluſtraret exercitum, qualis quantusve eſſet. Beliſſarius cum non magnas haberet copias, fraude deludendum ratus Barbarum, ſex non amplius militum millibus ſecum aſſumptis, qui mole corporum habituque militari cæteros antecellebant e diverſiſſimis nationibus, quibuscum bella antea geſſerat, velut ſi venatum prodiiſſet, longe a caſtris Legato Perſico occurrit, fixoque ex tempore tentorio querelis Choſrois animo erecto, & ne minimum timoris indicium prodente aures dedit. Legatus & Ducis magnanimitate obſtupefactus, & ſpecie illa virorum e tot Gentibus militarium permotus, cum ex iis magnitudinem, roburque exercitus reliqui conjectaret, redux auctor Regi eſſe cæpit, ut quantocius in Perſidem remigraret; ſecus futurum, ut ſe, exercitumque in diſcrimen conjiciat, tot munitis Romanorum Urbibus circumſeptus, objecto inſuper tanto exercitu, eo Duce, in quo ornando virtus, & fortuna conſpiraſſent. Atque hiſce obſecutus Choſroes feſtinus exercitum in orientem reduxit. Ea re geſta majorem pene quam devictis duobus antea Regibus, Beliſſarius ſibi gloriam comparavit, quod citra militis Romani jacturam tantam perniciem non ferro, ſed conſilio e finibus Imperii diſpuliſſet. Miſſus poſt hæc a Juſtiniano in Italiam eſt, ut collapſas illic Ducum ignavia res in integrum reponeret.

A) Fuſiſſime hæc omnia Procopius a p. 113. de bello Gothico.

neret. Sed ille in Italiam redux non eandem fortunam habuit ſibi ob- A.C.
viam, quæ illum primo adventantem exceperat. Miſerabilis erat per id 544
tempus Byzantii facies, ſæva lue homines depaſcente adeo, ut trium ſpatio menſium duo perſæpe millia funerum eodem die efferrentur, quod malum orbe fere univerſo pervagatum, maximam regionibus ſolitudinem invexit. Utque certius eſſet, luem hanc pœnæ loco perditis mortalibus a Deo immiſſam, ſpectris quoque & Dæmonum imaginibus infeſtabantur, quorum aſpectu lymphati brevi mortem oppetebant; quod vero ea calamitas non diutius quam menſes tres Byzantii tenuerit, Divæ Virgini & Matri, acceptum tulere cives, quam ob cauſam inſtitutum fuerit feſtum illud altero Februarii die, quod Græci ὑπαπάντη vocant. A)

Cum pari laborarent infortunio Perſæ, inſuper Choſroes a filio ipſe ſuo male metueret, egit per Nabadem Ducem ſuum, uti Legati de pace acturi Byzantio ad ſe mitterentur, ſed miſſos morbus ab itinere retardavit. Interea cum intelligeret Juſtinianus res Perſicas lue, & diſcordia domeſtica afflictas, Regemque ipſum cum exercitu metu peſtilentiæ in extrema Aſſyriæ receſſiſſe, dat in mandatis Ducibus, ut primo quoque tempore contractis quas poſſent copiis, in Perſidem irrumpant, ulturi clades impune toties Imperio illatas. Parent illi, & collecto millium triginta exercitu in hoſtem ducunt, rati nullum illic, qui inceptis obſiſteret reperturos. Martinus, Juſtus, Narſes, Valerianus, aliique Duces cum ſuis quique copiis rem fortiter aggreſſi fuerant; ſed quod nullus eſſet ſummo cum imperio exercitui præfectus, & copiis, & animis inter ſe diviſi Duces rem incompoſite, ac prorſus infeliciter geſſere. Namque facta populatione in interiora Perſidis ingreſſi intellecto Nabadem cum exercitu, etſi numero longe inferiore adverſum ſe properare, re improviſa perturbati, contractis ut poterant copiis, tumultuarie aciem conſtruunt, Perſasque idoneo in loco poſitos & inſidiis opportuno aggrediuntur; ac primo quidem impetu loco movere hoſtem; verum Narſete gravi vulnere affecto, cum Perſæ in inſidiis locati in adverſa latera incurrunt, tanta ſubito exorta eſt animorum conſternatio, ut virtutis omnis immemores confuſiſſime Duces juxta ac milites ut quisque poterat, effugerent; plurimi in locorum anguſtiis conciſi; & tametſi fugientibus non inſtarent Perſæ inſidias ſubveriti, tamen Romani equites non prius a fuga deſtiterunt, aſſiduis equos ictibus impellendo, quam illi præ nimia feſtinatione corruerent. Præter ignominiam clades quanta non alias accepta a Romanis; quos duæ res ad perniciem magnorum exercituum ſuopte ingenio comparatæ prodidere, Ducum diſcordia, & nimia in hoſtico confidentia.

In Italia Totilas in dies valentior, & celebratior, compluribus Urbi- 545
bus in poteſtatem acceptis, Neapolim ipſam arcta premit obſidione. Ad eam depellendam advenerat, Byzantio Maximinus Prætorio Præfectus, ac Demetrius cum claſſe; & prior quidem in Sicilia conſtitit, Gothorum metu, Italiam attingere non auſus; alter dum auxilia annonamque inferre Neapolim parat, atroci tempeſtate jactatus in littus ejicitur ab hoſtibus obſeſſum; ab his igitur claſſis direpta, Demetrius ipſe captus, & vinctus pro muris Neapolitanis ſiſtitur ſuaſurus deditionem civibus, ab omni jam ſpe auxilii deſertis; quod & facile præſtitit, fame ad perſuadendum maxime idonea multo acrius cives adurgente. In manus itaque Totilæ venit Neapolis, qui tamen mira humanitate in cives uſus, militum licentiam ſuorum ſevere admodum coercuit, qua re deſiderium ſui reliquis quoque injecit Italis, orientalium avaritiam & libidines jam nimium pertæſis.

Perlatus in Italiam Beliſſarius, magnos quidem animos, ſed impares his copias ſecum advexit, tantisque Barbarorum viribus, & ſucceſſibus multum inferiores; quæ millium quatuor numerum non multum excedebant.

A) Theophanes in Chronographia p. 150.

A.C. debant. Ejus rei conſcius Totilas, reliquos in munitis Urbibus ſe con-
545 tinentes, diviſo in plures partes exercitu obſidet, Hydruntum quidem opera Valentini Ducis eo cum copiis a Beliſſario miſſi ſervatum eſt, reliquæ a Gothis occupatæ, Duci Romano & fortuna, & miles ad rem bene gerendam defuere. Ab his geſtis Romam ipſam obſidione cingit, eodemque tempore Placentiam Totilas; ac præſidium Romæ impoſitum, cum eruptionem in Gothos tentaſſet, pertractum in inſidias magnam partem concidit; unde res in extremam adducta deſperationem. Cum mederi tot malis incluſus Ravennæ Beliſſarius non poſſet, relicta Italia Epidamium in Dalmatiam ſe confert, novas illic copias ab Imperatore expectaturus. At Vigilius Pontifex tum in Sicilia caſum Urbis Romæ operiens, deque ea vehementer ſolicitus, naves frumentarias adverſo Tyberi in eam invehendas miſerat; verum illæ a Gothis occupatæ, his gaudium, illis deſperationem attulere. Vectores a Gothis cæſi ad unum, præter Epiſcopum Valentinum; qui ad Totilam adductus cum videretur non ſatis apte ad interrogata reſpondere, mendacioque res Romanas tegere velle, Rex indignatione correptus manibus miſerum mutilari præcepit.

546 Parte altera inquies Choſrois animus in bella iterum rapiebatur, quod ille non tam Imperatori, quam Chriſtianorum Deo illaturus ſuſceperat. Quod enim audiret dici a Chriſtianis, Edeſſam Urbem nobiliſſimam expugnari a ſe non potuiſſe, nec porro expugnandam, quod in ea aſſervaretur imago Chriſti in linteo Divina expreſſa manu, & ab eodem olim Abgaro Edeſſenorum Principi miſſa, ira, & tumore inflatus validum eo adducit exercitum, Urbemque omni machinarum genere quatere aggreditur. Perturbati rei inſolentia Edeſſeni, de pace Regem appellant, ſed cum is conditiones ferret nimium crudeles & intolerandas, ad defenſionem pro virili accinguntur; ac primum aggerem a Perſis prope murum extructum igni corrumpunt; accedentes iterum ac ſæpius ad muros grandi ſtrage depellunt, conſertis denique non ſemel cum hoſte manibus ſuperiores exiſtunt; quibus rebus infracti Perſæ languidius rem gerere cæperunt, & Choſroes adventante in caſtra Juſtiniani Legato de induciis egit. Itaque acceptis ab Edeſſa quingentis auri libris, inducias in quinquennium cum Romano ſanxit, & cum ei ab Imperatore bis mille auri pondo perſoluta fuiſſent, in fines proprios exercitum dedecoris, quam auri plenior reduxit.

Sed omnium miſerrima erat Africæ Provinciæ conditio, in qua perpetua erant cum Mauris bella, omnia rapinis, & ferro corrumpentibus, qui etſi ſæpe victi, plus tamen inferebant damni, quam accipiebant; cæſi ſæpius a Salomone Præfecto, tandem fuſo ejus exercitu raptisque ſignis eundem interimunt. Stozas quoque cum perduelli militum manu & a Mauris adjutus negotium faceſſere non deſiſtebat; qui tamen prælio iterum, ac ſæpe fractus, vita quoque a Joanne uno ex Ducibus exutus periit. Quamquam & ipſe Joannes in eodem prælio vulnere a militibus Stozæ gravi affectus, breve e victoria gaudium habuit. Inimiciſſimi hi duo inter ſe erant, quare audito alter alterius caſu & vulnere, in gaudio ſane crudeli vitam poſuerunt. Ariobindum ad res in Africa componendas ſumma cum poteſtate miſit Juſtinianus, ſed is ignaviſſimus, & belli rudis, qui ne contueri quidem arma ſine formidine poſſet, prævalentibus undique Mauris, in odia militum incurrit, quæ Gontharis unius e Ducibus ambitio non parum ventilarat. Is itaque traducto in partes milite Tyrannidem arripit, & Ariobindum e templo extractum, tametſi jusjurandum dediſſet, nihil ei in vita nociturum, enecat. Perierat tota hoc modo Juſtiniano Africa, niſi Artabanes cum quibusdam aliis Tyrannidis illius impatientes inito inter ſe conſilio Gontharin inter convivandum, e medio ſuſtuliſſent; ſicque Africa Provincia Imperatori ſervata eſt, tot tamen cædibus ac tumultibus exinanita, ut non tam Provincia eſſet, quam ſolitudo.

Adju-

Adjutus demum aliqua copiarum parte Beliſſarius in portum Roma- A.C.
num cum claſſe proficiſcitur, ut Urbi ad extrema redactæ commeatu & 547
viris ſubſidio foret; eo quippe jam miſeriarum devenere obſeſſi, ut urticis, ejusquemodi abſurdiſſimis eſcis veſcerentur, tametſi perpauci jam e civibus reliqui eſſent, dilapſis quo ſors quemque tulerat aliis; militum trina adhuc ſupererant millia, ſed qui deſperatione acti præcipites, nihil eorum agerent, quæ ſtrenuos addecebat, ipſas etiam murorum vigilias ceu abſente procul hoſte negligentiſſime obeundo; quod culpa potiſſimum Præfecti Beſſæ factum; qui mercatui congerendoque auro plus, quam rei bellicæ intentus, nullas experientis probique Ducis partes explevit; cum enim in horrea publica frumentum condidiſſet, Romanis ad extrema omnia adactis, tam caro divendebat, ut brevi omni quod penes eos fuit auro emuncto, Senatoribus quoque ipſis res ad mendicitatem reciderent. In tanta rerum difficultate nihil non egit Beliſſarius quo Romam ſervaret: ſubibat adverſo cum claſſe Tyberi commeatum illaturus, arcentibns licet omni machinarum genere aditum Barbaris; & feliciter perruperat obices omnes, niſi inopinatus quidam caſus in medio victoriæ curſu incæptum illud evertiſſet. Reliquerat Iſacium in cuſtodia portus, ubi conjugem Antoninam, opes, & reliqua bello opportuna habebat; is vero temeraria audacia contra quam juſſus fuerat, in partem alteram hoſtilium caſtrorum procurrens, dum prædis avidus inhiat, præda fit, cæſis militum nonnullis. Ejus caſum dum ex trepide accurrente nuncio diſcit Beliſſarius, re non bene intellecta actum ratus de portu, deque rei ſumma, celerrime cum claſſe ad eundem recurrit, oppreſſurus in ipſa victoria, & præda hoſtem; quem tamen illic nullum omnino invenit. Ejus incæpti fruſtratio tantum Duci dolorem attulit, ut febre correptus langueret diu, nec deinceps in levanda Urbe quidquam tentaretur. Pelagius Romæ Diaconus opibus affluens liberalitate quanta poterat, civium ſublevabat inopiam. Miſſus ad Regem Totilam egit de induciis in aliquot dies pangendis ea conditione, ut ſi ad præſtitutum diem auxilia non adeſſent, deditio fieret. Sed Rex in eam induci nequaquam valuit, victoriæ inhians, diuturnæque obſidionis pertæſus. Iſauri quorum cuſtodiæ certa murorum pars credita erat, tot miſeriarum impatientes, clam inter ſe de hoſte inducendo collocuti Totilam adeunt, ſi milites ſibi darentur, per quietem nocturnam Romam prodituros polliciti; auditi perlibenter ſunt, ſed tamen hæſere ancipites diu Barbari fraudem ſubveriti, nec tanto ſe diſcrimini committere auſi; tandem audentiores nonnulli qua parte Iſauri illi excubabant, ſuggreſſi, occupatis portis commilitones in Urbem accipiunt. Tanta vero fuit in excubando ſocordia, ut non prius rem animadverterent Romani, quam milite Gothico plena omnia, & tumultu eſſent. Hoc vero exciti, tectique tenebris per averſas Urbis portas omnes cum Beſſa fugam ineunt, remanentibus ſolum civibus, qui tamen ad eam redacti erant paucitatem, vix ut quingentos excederent. Totilas reliquiis illis benigne ignovit, tam egentibus, ut nobiliſſimi quique precario a Gothis & oſtiatim cibaria acciperent, cum eorum opes antea a Præfecto corraſæ, jam omnes in Totilæ manus recidiſſent. Eo calamitatis proruit, Urbs quondam Orbis domina. Eam vero funditus vertere animum induxerat Totilas; ſed a Beliſſario per literas, aliisque ab ea mente deductus diruta murorum parte Senatoribusque ac civibus aliorſum amandatis, Urbem penitus vacuam liquit; ad alias quæ Romano etiamnum parebant occupandas cum exercitu digreſſus. Minutioribus quibusdam potiti oppidis Ravennam ipſam aggredi ſtatuunt Gothi. Verum abſentibus iis Beliſſarius conſilium capit, quam primo obtutu inſanum, tam deinde eventu ipſo opportunum ac ſapiens, inſtaurandi deſertam Romam refectisque muris præſidium in ea collocandi. Et vero contractis omnibus quas habebat, copiis Romam contendit; collectisque in unum quos nanciſci poterat civibus, ac aliis, labem illam mu-

A.C. 547 rorum brevi admodum tempore ſarcit, cum id ne in mentem quidem Totilæ venire poterat. Adfuit non longe poſt Totilas cum exercitu, ſed a Beliſſario conſueta fortitudine & conſtantia repreſſus, Urbem in qua occupanda tantum virorum, æris, ac temporis prodegerat tam facile manibus ſuis præreptam indoluit; idque non ſine convitiis Gothorum acervatim in eum propterea congeſtis, quibus ſolenne erat, quod & hodie plerumque videas, ex eventu tantum de ſapientia conſilii ſententiam ferre.

Interea dum res belli Juſtiniano in Italia collabaſcunt defectu ſubſidiorum, quæ primo quoque tempore mitti oportuerat, idem Imperator a Republica ad Religionis negotia animum avocabat, iis magis, quam pro muneris ratione intentus. Nam cum revocare in concordiam cunctos ſperat, & ad minimos etiam controverſiarum apices excutiendos curioſius, quam cautius ſemet ingerit, in maximam perturbationem id quoque quod ſani adhuc reliquum fuerat, conjecit. Dum enim Theodoro Cæſarienſi totus auſcultat, evocavit Roma Vigilium Pontificem in Sicilia jam anno proximo ſuperiore commoratum, ut ſubortum de tribus capitulis celebre id temporis diſſidium auctoritate ſua dirimeret. Is autem fuit controverſiæ ſtatus: Theodorum Mopſueſthenum, Ibam Edeſſenum, Theodoretum Cypri Epiſcopos, tametſi illi non pauca prius pro Neſtorio egiſſent, ac ſcripſiſſent, poſtea tamen recantato errore Concilium Chalcedonenſe recepit, laudavitque. Theodorus itaque Cæſarienſis ſuggeſſerat Juſtiniano ſubſcripturos plerosque omnes Concilii Chalcedonenſis Decretis, atque adeo omne ſublatum iri in oriente diſſidium, ſi modo tria illa capita de Præſulibus aperte hæreticis ex eorum numero expungerentur; quod conſilio factum non alio, quam ut abolitis his, Concilii ipſius auctoritas infringeretur, ſicque facilius adverſus illud Eutychiani triumpharent. Id cum probe tenerent quibus pura in Religione mens erat, Imperatori acriter in ea re obluctabantur. A) Vigilius ejus rei gratia Byzantium accitus, & acceptus magnifice, fluctuabat incertus metuque conterritus, ne ſi ſententiam pro alterutra parte ferret, novo iterum diſſidio fatiſceret Eccleſia; ſuſpendit itaque tantiſper ſententiam, negotiumque omne in futurum Concilium rejecit, data de ea re ſentiendi cuivis ut collibitum eſſet, libertate. Contentio enim illa de viris ſolum probandis aut improbandis fuit, non vero unum aliquod e fidei capitibus contingebat, arbitrarium proinde videbatur de ea re ſentire. Hæc Vigilii ſententia magnam eidem conflavit invidiam; ut non pauci ceu hæreſi faventem Eutychianæ averſarentur, cum tamen huic infeſtiſſimus, eodem Byzantii anno in Theodoram Auguſtam ſententiam tulerit, cœtuque ei fidelium interdixerit, cum illa pro reſtitutione Anthimi aperte hæretici modis omnibus inſaniret.

548 In Italia Totilas Roma fruſtratus Peruſium obſedit, multisque levioribus certaminibus inter Gothos & Romanos, in Calabria dimicatum. Nam Joannes Ducum alter Capuam, ubi Senatores Romani in cuſtodia Gothorum erant aggreſſus, in poteſtatem redegit, diſpulſis qui ſubſidio accurrerant Gothis; ulturus rem Totilas itinere per ambages facto, noctu de improviſo in Joannis caſtra irruit; fugaque dilapſis omnibus diripuit. Beliſſarius vero Tarentum profectus auxiliares ut reciperet copias bellum de integro contractis in unum copiis geſturus, ventis prohibitus eſt, quo minus Tarentum applicaret, Crotonem itaque venit; ipſeque cum peditatu, & impedimentis illic conſiſtens, equitatum ad anguſtias montium expedit, quo facilius & commeatum parare, & hoſtem earum aditu regionum arcere poſſet. Equeſtis hæc militia numero non magno ſtrenue tamen rem geſſit, Gothis qui in eam regionem irrupturi erant multa cæde profligatis. Verum abſente Beliſſario, dum licentius ad prædandum divagantur, ſolutiusque veluti hoſte longius poſito agunt, ſpa-

A) Meminit quidem hujus Vigilii Byzantium adventus Procopius, ſed hæc in Scriptoribus rerum Eccleſiaſticarum videnda, & in actis Conciliorum, vide Baronium ad hæc tempora.

ſpatium dedere Totilæ, ut his cognitis, adverſus eos duceret. Itaque A. C. imparatos ac palantes aggreſſus cædit; paucis fuga ſaluti fuit. Eo infortunio 548 accepto Beliſſarius vehementer infremit, metuque ingruentis jam jam hoſtis perculſus, trepide naves conſcendit cum ſuis; inque Siciliam enavigat. Uſque adeo Ducem antea feliciſſimum fortuna abjecerat. At Totilas ea victoria lætus Ruſcianum quoque locum prævalidum lenta fatigare obſidione aggreditur. Cum majoribus ad bellum in Italia gerendum copiis opus haberet Beliſſarius, Antoninam A) conjugem Byzantium mittit petitum ſuppetias, acturamque de ea re apud Theodoram Imperatricem; cui chara in primis erat, licet cætera mulier impudens, & ſceleribus contaminata, ut facilius morum ſimilitudine inter eas conveniebat. At enim Byzantium veniens, non amplius in vivis reperit Theodoram, hæreſi ſuæ, pravisque adverſus Vigilium molitionibus miſere immortuam. Urgebat interea Ruſcianum Totilas, & jam deditio fieri cæpta erat, cum præſidiarii viſa eminus Beliſſarii claſſe in ſpem arrecti pacta conventa reſcindunt; Romani a Gothis magno numero accurrentibus excenſionem facere prohibentur, ac denique præſidiarii deſperatione acti Gothis ſe tradunt; in quos tamen nihil actum durius, niſi quod Chalazeres quidam auctor inconſtantiæ illius præcipuus, atroci a Rege ſupplicio addictus ſit.

Antonina cum Beliſſarium per quinquennium jam in Italia magno 549 nominis ſui diſpendio nullas in bello progreſſiones facere videret, egit precibus apud Imperatorem, uti maritum ab Italia deduceret, quod ille hoc libentius præſtitit, quod viro ejusmodi in oriente opus haberet, ſive ob gliſcens iterum in Perſide bellum nunquam penitus reſtinctum, unde plus impendebat periculi; ſeu propter enatam domi conjurationem: namque Artabanus qui Africam Juſtiniano ſervarat, cum Arſace, & Chanarange in caput Principis conjuraverant Germanum ejus ex fratre nepotem in locum ſuffecturi; verum cum rem Juſtino Germani filio detexiſſent, isque Patri; alienus ab hoc ſcelere Germanus, per Marcellum clandeſtina hæc conſilia Juſtiniano enunciavit: conjurati comprehenſi carcerique mancipati ſunt, non ſine periculo Germani, in ſuſpicionem adducti, niſi per Marcellum defenſus eſſet. Non tamen gravius aliquid in conjuratos ab Imperatore decretum. Simili indulgentia uſus erat jam antea erga Joannnem Cappadocem Prætorio Præfectum; qui cum omnia Imperii negotia, arbitratu ſuo, ſusque deque vertit, tandem Theodoræ ac Antoninæ fraudibus, hominem perdere cupientium inductus machinari cæpit Juſtiniano cædem, ut Imperio ipſe potiretur, ſibi a Vatibus prænunciato. B) Verum in ipſa molitione liquido deprehenſus, exutusque dignitate, Sacerdotio quamvis invitus initiatus eſt. Cum vero Cyzici degens cædis Epiſcopo Urbis illatæ reus ageretur, onuſtus vinculis ad ludibrium circumductus fuit, & ſtipem ab obviis petere coactus. Tanta tamen in homine fuit dementia, ut nunquam conſequendi ſpem Imperii abjiceret; quin in ea poſitus calamitate Alexandrinos Legatos ſibi obvios admonuit, ut pecuniam Imperio debitam Urbs penderet; mortua demum Theodora revocatus Byzantium hic vitæ reliquum egit, eadem ſpe ſemper inſaniens quod ſibi a Vatibus prænunciatum eſſet Auguſti aliquando habitu induendum. Ejus tamen vaticinii ridiculus fuit exitus; nam cum Sacerdotio initiaretur, deeſſetque amiculum Sacerdotale, ex tempore illud a quopiam Sacerdote cui nomen Auguſto erat, arreptum, & Cappadoci impoſitum fuit, ſicque vaticinium impleri viſum.

Totilas negata ſibi a Francorum Rege in conjugem filia, quod Ro- 550 mam oſcitantia ſua amiſiſſet, neque regni caput obtineret ſui, irritatus copias omnes Urbi admovet; inerant ter mille milites a Beliſſario illic cum Duce Diogene collocati; atque illi initio rem ſtrenue, ac ſat proſpere geſſere, ut opinione difficilior accideret obſidio; ſed proditione rurſus

A) Hujus quoque ſcelera in arcana ſua hiſtoria depingit Procopius. B) Multis de hoc Joanne Procopius de bello Perſico p. 274.

A.C. Isaurorum Urbs ab hoste occupata, in qua milites magnam partem con-
550 cisi, refugientibus tamen ad Ecclesiam data venia, cives servati, quin & Senatores in Urbem acciti, nec benigne modo Rex Romam habuit, sed novis etiam ædificiis ornare illam tot bellis afflictam aggressus est. Captum exin Tarentum, Ariminum, locaque alia, atque etiam Centumcellæ obsideri cæptæ. Verus autem Dux Romanus collecta suorum manu, Gothos in Piceno agro positos adortus, cladem accepit, cum plus vellet, quam vires jam afflictæ sinerent. Ut incommodis tantis mederetur Imperator, neve Italia penitus excideret, tot annorum bellis & impensis quæsita, exercitum parat, & classem Byzantii luculentam; sed cum in ea mittenda moras nectit, jamque hunc, jam illum incertus consilii exercitui præficere parat, plusque examinandis controversis in Religione quæstionibus, quam bello intendit, res Gothicæ in Italia in dies magis corroboratæ. Siciliam quippe hoc anno ingressi Gothi fere omnem igne, & ferro evastarunt. Rhegium occupavere, maximis corrasis opibus ad sua tutanda regressi. Aliud quoque incommodum ab hoste Barbaro in Thracia acceptum. Sclavi enim ab Istro ter mille non amplius profecti, ingentem Romanis cladem intulere; obvia quæque mira fortitudine proterendo, numerosos quantumvis exercitus fœdam in fugam conjecere, expugnavere Urbes, multis mortalium millibus in servitutem actis; in una Urbe Toparo dicta, quam elicitis in apertum per fraudem armatis civibus, & a regressu intercluſis occuparant, ad quindena virorum millia interemerunt, imbelli multitudine pecudum ritu abducta.

551 Siciliam vindicaturus Imperator eo classem Duce Artabano in gratiam restituto mittit, cum alteram jam Duce Liberio expediviſſet; sed hæc a tempestate aut interiit, aut alio quam in Siciliam est appulsa: terrestres vero copias tradit Germano suo e fratre nepoti, viro strenuo, quique sibi in Africa, & Thracia magnum bello nomen paraverat. Habuit is in matrimonio Matasuntham Amalasunthæ filiam, qua re in spem adducti erant Romani, simul metu, simul Regii sanguinis reverentia Gothos in partem transituros. Hoc apparatu additi militibus animi, etiam illis, qui in Italia in Urbibus obsessis extreme laborabant. Et strenue ad rem incubuit Germanus collectis ingentibus undique copiis, nec parva Totilæ solicitudo injecta; verum insecuta brevi Germani mors tantarum expectationem rerum momento interrupit. Quin & altera Sclavorum irruptio adusque extimos Byzantii muros moram Italicæ injecit expeditioni. Adversum hos missus ingens exercitus Constantiano, aliisque Ducibus victus, fugatusque est; Sclavorum partem deinde cum præda revertentem insecutus Justiniani exercitus cecidit, magno captivorum numero in libertatem asserto. In eum modum regnante Justiniano turbis omnia, & tempestatibus fuere involuta, dumque Romani foris longe domo bella gererent, ne suis quidem tutandis erant, perpetuis Barbarorum incursionibus fœdum in modum divexati.

Induciæ quoque quinquennales cum Persis initæ jam propius exitum violatæ sunt; missus a Chosroe in Lazicam exercitus ad eam penitus subjugandam, ut hac occupata viam pararet sibi ad Byzantium ipsum occupandum, quando ea parte non transmisso mari duci exercitus in Europam poterat. Rex Lazicæ Gubazes Justiniano amicus cum Dagisthæo copiarum Imperialium iis in regionibus Duce accurrunt obstituri conatibus Persarum, & alterum eorum exercitum, qui Regem anteceſſerat, adoriuntur; principio quidem equites Lazii temere in hostem invecti reprimuntur, sed regressi ad peditatum, exemploque Ducum ex equis desilientes pedibus dimicant, ac densum in hostem sagittarum imbrem effundunt; quarum una forte in Persicum Ducem delata eum interemit. Persæ Ducis casu consternati aguntur in fugam, castris, ac impedimentis exuti; ea re audita, alter quoque Persicus exercitus pedem Lazica retulit. Petra munimentum celebre a Persis antea occupatum obsideri, deinde cæpit

pit a Romanis Duce Bessa, cujus avaritia Romam perdiderat. Suffectus A.C.
is erat Dagisthæo a Laziis accusato apud Justinianum, ceu res suas Per- 551
sis proderet. Strenue propugnabant Urbem Persæ tametsi acerrime pressi; ad extremum fortitudine maxime Bessæ Ducis superiorem ignominiam abolere volentis fracti, in arcem refugiunt, & obstinatis in mortem animis eam secum ipsis concremant. Bessas in Urbem ingressus eam, & commeatu, & aqua abundantem reperit, licet antea canalem quo devehi in Urbem aqua poterat, incidisset. Namque Chosroes cum solius aquæ penuria expugnari posse locum cerneret, hac usus est arte: tripartito aquæ ductum dispescuit, egesta profunde humo canalem abdidit, ac eidem terra consepulto superposuit alterum, huic similiter tertium. Romani cum supremum incidissent, per inferiores aqua in Urbem influebat; edocti rem a perfugis etiam alterum incidere, nihil de tertio suspicati, sic Urbi aqua nunquam defuit, quod satis admirari Urbe capta nequibant. Ea victoria male usus Bessas, dum consueta sibi avaritia pecuniis corradendis per Provinciam discurrit, corrupit negotium: Persæ Duce Mermeroe ingrediuntur Lazicam diffugiente præ metu Romano, aliquot arces expugnant, plurima regionis parte potiuntur; tandem Justinianus quinquennales iterum inducias præsenti pecunia emere cogitur datis viginti sex auri centenariis, frementibus præ indignatione Byzantii plerisque, qui ea nundinatione non tam pacem redimi, quam Imperium, & libertatem vendi intelligebant; dolebatque eis, qui in occidente tot bella fortiter gesserant, in oriente Persarum esse tributarios.

Institutam in Gothos expeditionem resumpturus Imperator universis 552
quas in oriente maximas collegerat, copiis Narsetem præficit semivirum quidem, sed in rebus gerendis animi magnitudine, arte bellandi, solertia, providentia supra magnos Duces magnum, & illustrem. Joanni vero Vitaliani ex sorore nepoti classis commissa. Ac primum Joannes ad Anconam obsidione liberandam animum applicat, inopia commeatus propediem in manum hostis venturam; oppositere suam huic Gothi classem e navibus septem ac quadraginta conflatam; atrox ac diuturnum navale prælium inter eos extitit; tandem Gothi in hac arte pugnandi rudes, & terrestribus tantum præliis insuefacti vincuntur magna clade, navibus non nisi undecim fuga lapsis, reliquæ mersæ, aut captæ. Ad Anconam, qui in castris remanserant audita hac clade animis concidunt, & fuga turbatissima elati castra cæteraque hosti relinquunt; qua victoria compressi fuere elati e tot successibus Gothorum animi, majorumque expectatione, & metu malorum completi. Siniſtra quoque in Sicilia iis erat fortuna; Artabano cum altera classe circumvolitante, locaque omnia in potestatem redigente. Melius rem gessere in Corsica, & Sardinia; quas Insulas Totilas misso exercitu, ne defensas quidem sibi adjecerat. Accurrerat equidem Joannes alter Africæ Præfectus subsidio cum classe, verum dum Calarin obsidet, admota Urbi pars militum nec opinato hostium ex Urbe procursu conciditur; quamobrem necesse habuit Joannes remigrare in Provinciam, ut refectis illic copiis rursus anno sequente bellum in eas Insulas portaret.

Alternante sic in Italia fortuna, fœda iterum clades Imperio a Sclavis illata; qui Provincias percursando cædem tantam effecerant, ut passim viæ cadaveribus sternerentur, adhæc ingens hominum vis in servitutem ducta. Insecuti quidem eos fuere Germani filii Justinus, & Justinianus, sed copiis inferiores, nusquam cum iis venire in dimicationem audebant. Ita dum foris ingentia molitur, & cogitat Imperator, domesticam prohibere calamitatem non valuit. Quod indubie pœnæ loco ei a Deo immissum; ut qui indignis plane modis eodem hoc tempore Vigilium ob tumultus non dum etiam consopitos Byzantii commorantem, divexabat. Convenerat inter Pontificem, ac Imperatorem ut lis de tribus illis capitulis tantisper suspenderetur, dum in Universali Præsulum

A.C. Conventu judicium de re tota fieret; verum Juſtinianus inſtinctu Cæ-
552 ſarienſis Theodori publice affixit edictum adverſum tria capitula. Inique ferens Vigilius, nec ſuo ſtetiſſe Imperatorem promiſſo, inſuper falcem in meſſem alienam intromiſiſſe, ſeſe acriter opponit; ea re irritatus Imperator ſatellites comprehendendo Pontifici ſubmittit, ille fuga lapſus, primum ad Divi Petri, deinde ad Sanctæ Euphemiæ perfugium quærit. a) Juſtinianus facinoris iniquitate apud ſe perpenſa animo in melius commutato, allegatis ad eum viris honoratiſſimis in Urbem perhumane invitat; nolebat invitationi parere Vigilius prius, quam edictum refigeretur. Morem geſſit Imperator, nec in ea quidpiam re moveri amplius voluit, quoad Conventus Epiſcoporum fieret. Theodorus quoque Cappadox turbarum auctor petita a Vigilio venia in gratiam ab eodem receptus, quod & a Mena Byzantino, reliquisque in oriente Præſulibus factum. Ut vero Barbarorum præpediret incurſus Juſtinianus eos inter ſe commiſit; cum enim Gæpides inter, & Longobardos bellum enatum eſſet (utrique hi ad Iſtrum eo tempore incolebant) & his, & illis ſuum oſtentabat favorem, quod tamen Gæpidæ Sclavos Iſtrum transgredi paſſi fuiſſent, Longobardis auxilia ſubmiſit; a quibus Gæpidæ profligati. Hunnorum quoque Principes ab eo invicem commiſſi parum ſolicito utri vincerent, dum utrique a vaſtitate Provinciis inferenda abſtinerent.

553 Narſes interea ingentes faciebat ad bellum in Italia inſtaurandum apparatus, copiis ex Oriente, Illyrico, Thracia magno numero confectis; aderant, & Longabardorum auxiliarium quinque millia a Rege Auduino adjuncta, aderant Hunni, Heruli, Perſæ, aliique Barbari quam plurimi, quos ſecum in Italiam trahebat Narſes; ſed cum jam in agrum Venetum eſſet perventum, negato a Francis per eas oras dominantibus tranſitu, Gothisque Veronam, & alia loca obtinentibus, in magnam conjectus eſt ſolicitudinem; e qua deinde conſilio Valeriani locorum gnari ſeſe expedivit. Ductus per oram maritimam, quæ Romanis adhuc parebat exercitus, ſequente pone in mari magno ſcapharum, & navigiorum numero, ut conſtructis ex tempore pontibus occurrentia crebro flumina illac ſe in mare effundentia exercitus tuto transmitteret; eoque modo Ravennam univerſi feliciter attigere. Hic dies aliquot corporibus e via difficili reficiendis dati; poſt quos Ariminum verſus promota caſtra cæſo Usdrila Duce, qui ad tranſitum fluminis Rubiconis ſeſe objecerat. Totilas contra collectum, & ipſe ad Romam exercitum per totam Tuſciam ad Apenninum uſque traducit, caſtra metatus ad vicum Teganes dictum. Inſequitur hoſtem Narſes, nec longo conſidet intervallo ad locum, qui Buſta Gallica audiebat, victoria per Camillum olim de Gallis relata celebratum. Conventum deinde inter Duces utriusque partis, ut octiduo tranſacto de re ſumma, Italiæque dominatu prælio decernerent. Verum antevertit tempus hoc Totilas imparatos aggreſſurum ſe ratus; nec tamen fefellit Narſetem ad omnia circumſpectum, Dei tamen magis, ac Deiparæ, quam ſingulari religione colebat, auxilio confiſum. Explicatur itaque exercitus utrinque; tumulus in medio erat prælio valde opportunus, quem cum priores Romani occupaſſent fruſtra Gothi indidem eos dejicere adniſi ſunt. Diu mutuo in conſpectu ſtetere acies, cum in caſtris Totilæ expectarentur adhuc bis mille equites. Obequitabant interim Duces, ſuisque ad prælium addebant animos; Totilas in primis regio ornatu equitandique peritia præſignis, omnium in ſe oculos rapuerat. Ubi multa dies mutuo in conſpectu extracta, reducit ſuos in caſtra Totilas, jubetque curare corpora; ac mox duobus illis millibus in caſtra receptis præpropere aciem in campo explicat ratus imparato ſe hoſti ſuperventurum. Verum Narſes militem in officio, & ordinibus tenuerat. Ad perniciem Gothorum illud plurimum fecit, quod Totilas equites ante peditatum locaverit, eo conſilio, ut ſi forte fracto impetu rejicerentur ab hoſte, pateret receptus ad peditatum,

a) Videndus de his Baronius ad hunc annum; meminit Theophanes quoque p. 152.

tatum, conjunctisque iterum viribus de integro prælium reſumerent. Sed A.C.
contra quam putarat, accidit: equitatus quippe ſagittariorum maxime 553
peditum, & equitum multitudine una proruente cum cæde rejectus incuſſa gravi formidine confuſiſſime retroceſſit peditatu tantum non oppreſſo. In ea rerum perturbatione non de inſtaurandis ordinibus, ſed de fuga ineunda a Gothis cogitatum; itaque certamen breve extitit, præcipiti in occaſum die univerſi in fugam ſe effundunt Gothi, in qua cæſi ad ſex millia; Rex ipſe per tenebras cum paucis fugitans a quibusdam Barbaris Narſeti militantibus lancea transverberatur, quo vulnere accepto ægre fuga elatus cum Capſas perveniſſet, diem ſuum ex vulnere obiit, poſtquam Gothis undecim annos cum laude præfuiſſet; ſicque unius prælii eventu haud ſatis prudenter præcipitati, & ſuperiorem ſuam gloriam, & rem Gothicam penitus afflixit. Hac victoria potito Narſeti prona erant omnia: capit Narniam, Spoletum, ac Peruſium, ipſaque Roma poſt brevem oppugnationem potitur, paucis qui in ea remanſerant Gothis deditionem e mole Hadriani facientibus. Longobardi quod barbara feritate in Italos deſævirent, pecunia donati redire in patriam juſſi ſunt. At Gothi tanta licet clade fracti, non tamen animum deſpondent; ſed trans Padum Ticinum collecti Regem creant Tejam virum ſtrenuiſſimum, omniaque bello neceſſaria diligenter apparant, invitatis etiam in belli ſocietatem Francis; verum illi commodo tantum ſuo pugnare aſſueti, quod nondum penitus attritos viderent Gothos neutri partium in præſentiarum ſtudebant. Miſerrima omnium inter hæc fuit Romæ veteris conditio; quæ & a Barbaris, quorum maxima erat Narſeti copia, pro hoſte habita, & a Gothis ut perfida acerbiſſime tractata eſt, & regnator ille quondam populus pene de integro deletus. Senatorum plerosque per agrum Campanum in locis munitis attinebant Gothi, capta vero a Narſete Roma cum nonnulli eorum in Urbem refugiſſent, efferati ea re cuſtodes plurimos ex reliquis interemere; trecentos adhæc nobiliſſimos adoleſcentes Romanos ſpecie aulicorum, re vero ipſa obſidum loco penes ſe habuerat Totilas, ac in bellum profectus trans Padum reliquerat, quos Tejas nactus ad unum crudeliter interemit; ita ſeu vincerent, ſeu vincerentur Romani, peribat Roma, fato quodam urgente, & a ſumma gloria ad extremam calamitatem eam Urbem præcipitante.

Refectis Tejas copiis in Campaniam longa viarum ambage proficiſcitur, ut oppoſitas hoſtium ſtationes declinaret; neque prius animadverſus ab illis eſt, quam toto cum exercitu in ea regione conſiſteret. Cognita re Narſes contractis in unum copiis eodem proficiſcitur; & uterque exercitus ad radices montis Veſuvii prope Urbem Muceriam conſiſtit. Utrosque fluvius dirimebat Draco, qui vado quidem transmitti poterat, ſed prealtæ obſtabant ripæ, quo minus inter ſe committerentur acies, crebris tantum miſſilibus utrinque pugnatum, ſicque bini menſes mutuo in conſpectu fluxere. Gothus quidam prodita Romanis univerſa claſſe populares ſuos in deſperationem conjecit; annona enim non amplius ut factum adhuc fuerat, navibus advectari potuit exercitui. Igitur rei cibariæ inopia preſſi in montem proximum Lactis nuncupatum confugiunt; verum invaleſcente illic fame damnato eo conſilio deſperatis in pugnam animis nec opinantibus Romanis proruunt; geſta res diu confuſe ab his, donec tandem compoſitis utcunque ordinibus prælio ſi unquam alias atroci, ac memorabili decertatum fuit, Gothis ut in extrema deſperatione fortiſſime dimicantibus; Romanis vero recentis memoria victoriæ, pudoreque ne multi a paucis vincerentur, in acie detentis. In hoc conflictu Tejæ Regis virtus cumprimis eluxit; qui pro fronte exercitus ſui contorta in ſe hoſtium tela fortiſſime clypeo excipiebat, & ut quisque ſe hoſtium dabat obvium, ſternebat; nec unquam moveri loco Rex potuit, mutatis interdum clypeis, qui haſtilibus transfixi, & graves erant. Cum diei pars maxima pugnando abſumpta eſſet, tandem Rex dum clypeum

ab

A.C. ab armigero alium ſumit, haſtili transverberatus in veſtigio occumbit.
553 Neque tamen hac re conſternati Gothi pedem retulere, ſed obſtinatiſſimo utrinque certamine aduſque noctem dimicatio protracta. Vix dieſcebat, mutuam iterum ad cædem procurrunt exercitus, nec a prælio certi utrique aut perire, aut vincere, ante diei exitum remittunt. Ingens utrinque hominum, ac pecudum ſtrages facta. Ubi dies tertius ab inito conflictu illuxit, præcipui Gothorum conſilio inter ſe inito ad Narſetem Legatum mittunt, in extremo jam diſcrimine poſitos ſe, & urgente fato pene exhauſtos libenter compoſita pace, Romanis Italia deceſſuros, dummodo ſuis cum rebus, quas in munitioribus repoſuerant locis diſcedere, ac nemini obnoxios moribus, legibusque ſuis vivere liceat. Conſultatum diu a Narſete, & Ducibus quid huic petitioni eſſet deferendum; tandem hortatu Joannis cum deſperatis plenam eſſe periculi dimicationem dictitantis, conditionem accepit Narſes; Gothorum pars in agros, Urbesque ſuas, pars alio, quo ſors dabat commigravit; mille viri Indultho Duce in regionem transpadanam profecti, alia omnia, quam pacem animo agitare viſi. Ab hoc prælio res Gothicæ in Italia penitus proſtratæ ſunt, poſteaquam octodecim ipſos annos pro illius dominatu varia fortuna cum Juſtiniano dimicaſſent. A)

Eodem quo hæc in Italia gerebantur tempore habita eſt Conſtantinopoli quinta Synodus in cauſa trium capitulorum; B) frequentes convenere ex oriente Epiſcopi; ſed Vigilius intereſſe noluit, quod occidentales non adveniſſent. Damnati Ibas, Theodoretus, & Theodorus Mopſueſthenus; in Origenis quoque errores rurſum in oriente repullulantes prolata eſt ſententia, reclamantibus quoad priorem partem occidentalibus, ipſoque, qui aderat Vigilio; ob quod ille peſſime habitus, funeque in collum obtorto turpiter tractus, ab Imperatore in exilium ejectus eſt. Egere Romani apud Narſetem in Italia, uti ſuam pro Pontifice apud Juſtinianum auctoritatem, & preces interponeret; quod & fecit vir eximiæ in Deum Religionis; Pontifex exilio liberatus, ne Oriens ab Occidente irreparabili damno ſcinderetur, Concilium approbavit, ratus tres illos viros, quorum ſcriptis aperte hæreſis Neſtorii inſperſa erat, citra Concilii Chalcedonenſis contumeliam damnari potuiſſe, quidquid de eo eſſet, an illi deinde ad frugem regreſſi in ſinu Eccleſiæ deceſſerint. Dum in itinere Vigilius eſt, diem ſupremum in Sicilia obiit, turbatiſſimo potitus Pontificatu; & experiundo edoctus magnas dignitates ſcelere emptas emptoribus cumprimis ſuis fatales eſſe.

555 Compoſita Gothi utcunque cum Romanis pace, alii quidem ſub Romana ditione, agros, & Urbes colebant, alii in oram maritimam ad Venetos profecti; qui trans Padum ſeſe receperant nihil etiamnum quieti animo molientes, clam Legatos ad Francorum Regem Theodebaldum mittunt, & quando acciſæ jam penitus res ſuæ eſſent, multa prædæ, & pecuniarum pollicitatione ad ferendas ſuppetias multimodis exorant. Rex quod & corpore ægro eſſet, & bellorum inexpertus, preces eorum reſpuit; verum Leutharis, & Bucellinus, qui Regis vice regnum moderabantur, magni, & præpotentes apud Francos, vel invito Rege belli ſocietatem ineunt, exercitumque qua ex Francis, qua vero ex Alemannis millium duorum & ſeptuaginta in Italiam ducunt. His rebus Narſes cognitis nonnullas, quæ adhuc reſiſtebant in Tuſcia Urbes in poteſtatem redigere primo quoque tempore laborabat, ut munitis undique excluſus locis receptum, ſi vinceretur hoſtis, ne haberet. Cumæ Urbs ad mare edito loco ſita multum faceſſiverat negotii; ubi cum pecuniis regiis Aligernus

A) Atque hic deſinit hiſtoria Procopii de bello Gothico, quem excipit Agathias Scriptor locuples, qui ſub idem tempus vixit. In extremo hoc Gothorum cum Romanis actu nonnihil diverſus eſt Agathias a Procopio; ait enim cæſos prælio Gothos in ſiticuloſa quædam loca refugiſſe, preſſosque graviter ea conditione pacem iniviſſe, ut Juſtiniano dehinc ſubeſſent. Ex iis tamen, quæ conſecuta ſunt, videtur Procopii narratio verior.
B) Acta hujus Concilii.

gernus fratrum Tejæ minimus locum fortiter defendebat viribus tantis A.C.
præditus, ut contorta ſagitta hoſtem per loricam ferream transverberaret; 555
neque Narſetis ſive induſtria, ſive fortitudo in eo debellando quidquam profecit. Relicta igitur hic exercitus parte Florentia, Centumcellæ, Volaterræ ultro venientem recepere; obſtabant Lucani, jam antea datis obſidibus Urbem traditurus polliciti, ni intra dies triginta ſubſidium afforet. His vero elapſis cum Francos approperare rumor eſſet, ſpe rerum erecti meliorum, dedere Urbem renuebant. Eos Narſes ut perterrefaceret, obſides pro muris in patenti collocat, nique ſe ex pacto dedere velint, mortem illis continuo illaturum comminatur; cum reſtitant dubii cives, imperat Lictoribus cædem fieri; erant autem depacti penes unumquemque pali, & ſubtus protenſus pannus, ſic ut collo tenus obſides eminerent; illi igitur jam ante a Narſete inſtructi ictum gladio in palos impingunt, obſides ex compoſito in terram proruunt. Oppidani rati omnes cæſos ingentem tollunt ejulatum, Narſetemque maledictis inceſſunt; ille cives alloquitur, excuſat factum, cædem non a ſe, ſed a perfidia civium illatam; cæterum ſi vel jam ab hac reſipiſcant, vivos ſe illis obſides daturum. Cum incredibilia dicere videretur, promittunt ocyus deditionem, remittuntur in Urbem obſides; remque ordine ut geſta erat, recenſent; nec tamen vel hac emolliti indulgentia cives deditionem faciunt; admota vis iterum perfidis; cumque acrius premuntur, virique illi obſides circumeundo, Narſetisque laudes efferendo deditionem ſuadent, Urbs denique Narſeti traditur. Aligernus quoque cum videret, non fore e re ſua Francos Italia potiri; ultro clavibus Cumæ ad Narſetem delatis ad amicitiam ſe Romanam applicuit. Appropinquabant interea magna mole Franci poſitis ad Parmam caſtris, quibus ceu vindicibus ſuis, ſeque, & ſua Gothi cupide tradebant. Ad eorum adventum ſi præpediri non poſſet, qua tamen poſſet impediendum, miſerat Narſes Joannem cum valida Romanorum manu, & Herulorum Duce Fulcari; ſed Heruli inſidiis ab hoſte circumventi cum Duce ſuo cæduntur, reliqui fuga elati adventare Francos, jamque in proximo eſſe renunciant. Sub idem pene tempus inſigne fortitudinis, & prudentiæ ſpecimen Narſes edidit; Ariminum enim ordinandis illic rebus profectus, cum duo Francorum millia populandi cauſa, qua peditum, qua equitum eo veniſſent, cum trecentis non amplius Urbe egreſſus ſimulando fugam e ſylvis quo ſe receperant, in apertum pellectos, dum incompoſite inſequuntur, reflexis ſubito habenis non modo ſuperavit, verum etiam magnam partem cecidit. A)

Egit deinde hyemem tota ea Francorum multitudo per Italiam ſparſa, quidquid miſeris aggreſtibus fortuna in tot bellis reliqui fecerat, acerbe diripiens; & Alemanni Francis permiſti, quod a Religione Chriſtiana alieni eſſent, ne ſacris quidem pepercere vaſis, ingenti ex his præda divites. Atque Leutharis hac expletus, nequaquam experiri porro belli aleam ſuis cum copiis voluit, ſed mutato conſilio in patriam reverti, ad quod faciendum Bucellino quoque fratri auctor fuerat; verum hic Gothos deſerere omnino noluit, ſpe arrectus fore, ut quemadmodum in promiſſis habebat, devicto Narſete Rex Gothorum fieret. Leutharis igitur cum parte una exercitus, & theſauris in Venetum agrum id tempus Franco ſubditum, adornavit reditum, cui tamen ex itinere non modica prædæ pars excuſſa. Nam præcurſores trium millium ab eodem explorandi hoſtis gratia miſſi, inſidiisque ab Artabane appetiti infortunium acceperant. Metu majorum copiarum ſibi ingruentium externatus Leutharis exercitus, ſubito extra caſtra ſe in aciem componit; at captivi, quorum magnus erat numerus arrepta hac opportunitate ſe in libertatem vendicant, nec modicam prædæ partem caſtris eripiunt. Cum hoſtis appareret nullus, regreſſi in caſtra Franci indigniſſime ferunt tantum ſibi prædæ excidiſſe, ne tamen gravius vapularent, in Venetam Provinciam

A) Hæc & quæ conſequuntur ex Agathia in ſummam redacta a p. 10.

A. C. 555 conceſſere; quo ubi perventum, morbis paſſim ſterni cæpit exercitus, tabida lues omnes deſpaſcere, uſque adeo, ut brevi nemo unus e tantis copiis ſupereſſet. Leutharis vero, qui ſe Ducem tot ſacrilegiis dederat, majorem commeritus pœnam, inſania quapiam, & furore correptus ſuas ipſe mandens carnes, ac dilanians miſere interiit.

At vero Bucellinus ſuo cum exercitu quando & hic morbis divexari cæperat, quamprimum de re ſumma cum Narſete decernere cupiens Romam verſus adproperat. Erant illi in exercitu triginta armatorum millia, cum Narſeti non amplius millibus octodecim eſſent. Non diu ut caſtra cominus fuere a pugna temperatum; dum enim Chanaranges juſſu Narſetis commeatum a caſtris Francicis modis omnibus arcere ſatagit, captis aut incenſis aliquot curribus, lignea etiam turri ad pontium fines in cineres redacta, efferatis ea re hoſtes animis in aciem prodeunt; nec Romani ſuis defuere partibus, tametſi ad ſeditionem ſpectarent Heruli, nec mandatis parere vellent, quod Narſetis imperio horum unus aliquis ob necem injuſte ſervo illatam cæſus eſſet; quibus tamen utcunque placatis aciem explicat Narſes relicta in medio vacuitate, quam Heruli ſerius adventantes expleturi erant. At Bucellinus in cuneum totum diſponit exercitum; ſolito animorum ardore procurrunt in hoſtem Franci; viſoque in medio hiatu propere eo infunduntur, ceu perruptis Romanorum ordinibus certam prehenſuri victoriam, caſtraque eorum ocyus direpturi. Narſes contractis ſubito cornibus irruentes ex utroque latere premit, & accurrentibus ad locum ſibi a Duce attributum Herulis, a fronte quoque hoſtibus acriter obſiſtitur. Circumventi hunc in modum Franci cum undique paterent ictibus, cæduntur plurimi, brevique fracto impetu a pugna remittunt; occumbunt in fuga plerique, quod Franci ut plurimum pedites pugnarent; reliqui in flumen ruunt præcipites, totusque ille exercitus occidione occiditur, ut adeo e tanta multitudine viri non niſi quinque tantæ cladis nuncii effugerint. Reſtabant adhuc collecta ſeptem Gothorum millia Francis militantium, qui pugnæ non aderant; his cum nusquam tuto liceret conſiſtere, in munitiſſimum quemdam locum Capſas dictum confugere; verum & hic obſidione preſſi cum Ducem quoque ſuum Regnarem ictu ſagittæ perdidiſſent, proſtratis penitus rebus ſuis victoris ſe arbitrio dediderunt. In quos nihil equidem ille gravius animadvertit, ſed ne iterum quod adhuc fecerant, rebellare poſſent, omnes Byzantium operam in bellis Juſtiniano navaturos transmiſit. Atque ita demum Italiæ a Gothis, & Francis conquieſcere licuit, poſt inſignes has victorias pietate, & prudentia Narſetis magis, quam aut militum robore, aut Juſtiniani providentia partas.

In oriente nondum induciæ cum Perſis initæ effluxerant, adverſum quas peccaturum ſe non exiſtimavit Choſroes, ſi cum Colchis Romanorum ſociis belligeraret, a finibus modo Imperii, & Syria abſtineret exercitum. Miſit igitur rurſus Duce Mermeroe cumprimis ſtrenuo exercitum in Lazicam; ubi copiæ erant Juſtiniani ſub Ducibus Beſſa, Juſtino, A) Buze, & Martino, quorum poſtremus fines regionis obſervandos ſibi ſumpſerat, ut per anguſtias tranſitum vetaret Perſis. Et is quidem rem ſtrenue procurabat obſtructo multa materia aditu, ac militari manu obſepto. Cum perrumpere nequiret Mermeroes, dolum comminiſcitur: diu iisdem in locis ſubſiſtit cum exercitu, languore correptum ſe ſimulat, ac paucos poſt dies morte extinctum, idque tanta ſolertia ut ne intimis quidem familiaribus fraus pateret; ſeque interim in tugurio quopiam occultat. Didito per caſtra rumore, certisque nunciis ad Romanos perlato, cum illi Perſicum exercitum Duce tanto orbatum nil jam hoſtile tentaturum, ſed regreſſurum continuo in fines ſuos arbitrantur, ſimul tædio diuturni laboris, & vigiliarum fracti ad remiſſionem, & otium animum

A) Juſtinus hic fuit Germani filius Juſtiniani Imperatoris ex fratre nepos, ut eſt apud Agathiam p. 40. diverſus a Juſtino, qui poſtea imperavit.

mum referunt; non ſtatas obeunt excubias, non aliquid eorum, quæ belli uſus poſceret, faciunt, ſed vicatim diſpalati ſomno aut prædis indulgent; inter hæc Mermeroes ſubito ſe exercitui incolumem ſiſtit, agreſſusque viarum anguſtias vix animadvertentibus Romanis in regionem cum exercitu ſe infundit; perculſi illi re improviſa, ipſo etiam munimento, quod illic habebant, relicto ad reliquum exercitum profugiunt; inſtat perterritis Mermeroes, & continuatis itineribus ad exercitum Romanum gradum feſtinus adurget; nec prius fere hoſtem ingreſſum Beſſa, reliquique Duces intellexere, quam ille in veſtigio inſtaret; itaque tanta omnibus formido injecta eſt, ut nihil de prælio, omnes de fuga ſoliciti eſſent, nec ab ea ante diei exitum temperarent. Mermeroes occupatis impedimentis, & rebus e ſententia conſtitutis, ac præſidio, quod illic Perſæ habebant, Onogori commeatu, militibusque oppleto, ne annona exercitum deficeret, trajecto fluvio Phaſide in fines Perſicos abſceſſit; neque diu poſt non amplius ficte diem ſuum obiit; Dux bello inclytus, & tametſi pedibus captus eſſet, nec in equum poſſet eniti, lectica tamen per exercitum circumlatus gerebat bella, non manu quod militis, ſed animo, quod Ducis, hoſtibus formidandus. A) A. C. 555

Gubazes Colchorum ſive Laziorum Rex indigniſſime ferens ſocordia Ducum patefactum Perſis in regionem aditum, eamque impune evaſtatam, Duces apud Imperatorem graviter incuſat, ut qui nec in officio continere norint militem, nec quæ tempori opportuna eſſent conſulere, nec ubi ad manus ventum, rem fortiter gerere; in primis vero hæc accuſatio Martinum, & Beſſam, ac Quæſtorem Ruſticum ſpectabat, quorum maxime vitio factum, ut res improſpere cederent. Illi veriti difficilem ſibi perperam geſtorum fore apud Juſtinianum expurgationem, ſimul odio in hominem inflammati, quod hæc eadem coram, & in os frequenter iis objectaret, interficiendi Regis conſilium capiunt, allegato Joanne Ruſtici fratre ad Imperatorem, ut eum proditionis hoſtibus factæ incuſaret; ſimul innueret ad cauſam dicendam non ſtiturum ſe Gubazem, ſed armis defenſurum violentiam. Juſtinianus dat in mandatis, ut Regem ocyus Byzantium arceſſant, ſin ire reluctetur, per vim eo adducant de objecto crimine ſemet purgaturum. At Duces occaſione arrepta Regem adeunt, obviumque cum paucis factum convitiis ceu proditorem onerant; repoſuit ille vicem, comminatus non ſecuturum ſe eos in prælium, niſi quæ per ſocordiam peccaverant, virtute emendarent; arrepta hac voce Ruſticus, & Joannes ut ſi ea proditionem aperte indicaſſet, Regem equo deturbatum interimunt, percharum ſubditis, juſtique & æqui tenacem. Indigniſſime cædem hanc tulere Lazii, animisque ab Imperatore averſis novis conſiliis ſtudebant. Duces eo patrato ſcelere, ut egregio quopiam facinore illud obruerent, ac Juſtiniani demererentur animum contractis undique copiis exercitum ſane magnum millium quinquaginta conflant, & ad Onogorim expugnandam vires omnes intendunt. Perſæ tribus non plures millibus ſuppetias obſeſſis laturi adventabant, quem numerum cum fama majorem feciſſet, Duces primum in varias diſtracti ſententias, decrevere demum expugnandam prius arcem, quam hoſti iretur obviam; ſexcentos tamen explorandi cauſa ad fines præmittunt. Hi nec opinato in Perſas delati manum conſerunt; Perſæ univerſum adeſſe rati exercitum, pedem referunt. At vero paucitate hoſtis cognita obverſis frontibus inſequentes facile disjiciunt, nec a perſequendis iis aduſque caſtra remittunt. Sub idem plane tempus impreſſio ex omni parte in Onogorim a Romanis fiebat; quo in opere cum ardenter ſatagunt, ſuos eminus fugientes contuiti, inſtare vero tergis Perſas, ipſi quoque ab ea oppugnatione fuga præcipiti in caſtra ſeſe referunt, rati majores adeſſe hoſtium copias; urgentibus vero gradum Perſis, ſimul aliis ex præſidio erumpentibus caſtra quoque ipſa tumultu completa,

A) Agathias a p. 39.

A.C. universusque ille exercitus a paucis hostibus in fugam conjectus. Et
555 equites quidem celeritate lethum prævertere; contra pedites cum fluvius ponte esset transmittendus, partim cæde, partim undis sorbentur. Luculenta eo die a paucis Persarum millibus de tanto exercitu relata est victoria, Numine cædem innocui Regis acriter vindicante. Lazii post hæc coitiones inter se faciunt, fluctuantque ancipites tanta appetiti injuria, an desertis Justiniani partibus ad Persam semet aggregarent; vicit eorum sententia, qui manendum in fide existimabant, nec Religionem Christianam barbarica societate contaminandam. Legatos itaque ad Imperatorem mittunt questum de cæde Regis, vindictamque exposcendam. Missus e primis Senatoribus Athanasius; qui causam cognosceret, sententiamque capitis in reos ferret. Capti Rusticus, & Joannes præcipui cædis auctores, & capitali supplicio addicti. In Martinum etsi ab ea suspicione non immunem, quæstio exercita non est, quod summus esset copiarum Dux, rerum bellicarum gnarus admodum, charusque militi.

556 Interea adfuit e Persia Nachorangan cum millibus sexaginta: Romani Duce Martino in unum coeunt, sed cum copiis multo essent inferiores decernere aperto Marte non audent. Cuncti igitur in Urbem Phasidem propter mare sitam, quo Persicus contendebat exercitus, sese includunt. Sperabat Nachorangan facile locum in manus venturum, quod munitio illa magnam partem e materia esset ad incendium faciendum opportuna; itaque non longe ab Urbe castra metatur. Martinus ut militi animos adderet, literas comminiscitur ab Imperatore datas, alterum subsidio mitti exercitum, brevique iis in locis affuturum. Valuit fraus: rumor enim hic ad hostem quoque perlatus, & animos militi erexit, & injecit Persis solicitudinem. Altero die corona Urbs cingitur, explicant aciem Persæ, machinas, variaque expugnandis Urbibus instrumenta admovent, animisque incitatis densum sagittarum imbrem in Urbem effundunt; nec minor in Romanis ad resistendum alacritas; quibus res plane improvisa victoriam peperit. Justinus bene mane quinque millium equitum agmine comitatus in vicinum Urbi templum magna religione cultum, precandi Numinis gratia excesserat, ignarus plane hostilis consilii, & impressionis in eum diem constitutæ. Persolutis vero precibus cum pedem refert in Urbem, clamore, & fremitu militari exauditis, id quod res erat suspicatus, disposita acie Urbem versus adproperat; ignari Persæ quis ille vel undenam esset equitatus, & suspicati eum ipsum, quem rumor distulerat subsidio adventurum, metu percelluntur; explicatis Justinus ordinibus, quo speciem justi exercitus præferret, in equitatum Barbaricum intentis animis eventum impressionis expectantem impetum facit, nec difficiliter imparatos loco propellit; iis laborantibus dum alii propius muros positi effuse subsidio accurrunt, periculum, & metum augent, quod viderentur ii etiam profligati jam fugere, qui pone Urbem constiterant. Oritur ingens apud Persas perturbatio incertos fugerent ne, an pugnarent; Romani magno numero ex Urbe prorumpentes alteram quoque Persarum alam, quæ immota adhuc manebat aggressi, ingentem edunt apud animos tam subita rei commutatione attonitos stragem, neque prius absistunt, quam cæsis hostium millibus decem, universos effusa fuga in castra pedem referre cogerent. Substitit iis in castris dies aliquot Nachorangan; sed cum hyems pro foribus esset, neque clade tanta mulctatus feliciorem speraret alterius certaminis eventum, exercitum, quem plenus fastu, & contemptu hostis adduxerat, plenus dedecoris reduxit. Martinus etsi re bene gesta ob cædem tamen Regis Laziorum a qua se penitus expurgare non poterat, Præfectura semet abdicare coactus est.

557 Chosroes indignissime eam suorum cædem ferens, tanta exarsit in Nachorangan ira, ut eum & excœcari, & cute prius detracta crudeliter interimi jusserit. Ab exercitu Justiniani populi quidam iis in regionibus, quod a Romanis defecissent perdomiti sese imperio reddiderunt; quos inter

inter fuere Marmeziani ob cædem Legatis illatam sibi male metuentes, A.C.
itemque Tzani, fidi cætera, sed militum licentia, ac Præfectorum avari- 557
tia exulcerati. Persa misso Byzantium Legato agere rursus de integranda pace cæpit; conventumque inter Principes, ut quæ utraque Gens in Lazica obtineret, possidere tuto pergeret, interea vero ab armis cessatio esset, quoad plena, ac firma pax inter utrosque coalesceret. Quies itaque ab exteris fuit bellis, sed quam oppido perturbavit missa a Deo ultio vindicandis Byzantinorum sceleribus toties castigatis, emendatis nunquam. Ingens quippe terræ motus magnam Urbis partem labefactavit, multi domorum ruinis consepulti, Templa succussa, ipsumque Sophiæ nova eguit instauratione, quod magnificentissime ab Imperatore præstitum. Vix etiam hoc malum finem accepit, adfuit e vestigio aliud, gravis iterum lues Urbem universam afflixit; quæ res perpulit cives, ut ferventius Deum exorarent, mores perditos componerent in melius; sed non diuturni hic metus magister officii fuit; nam hisce cladibus averuncatis rediit ad ingenium civitas, pessimæque corruptelæ, ac infandæ regnabant libidines; quas etsi severissimis animadverteret suppliciis, nunquam tamen stirpitus excindere potuit Justinianus, severus in alienis criminibus vindicandis, sed non suis, & avaritia, & libidinibus si Procopio fides, supra alios contaminatus. Nec mirum suppliciis infligendis non emendasse, quod exemplo ipse suo non correxerat.

Novam igitur insanientibus plagam inflixit Deus. Cotriguri Gens 558
Hunnica Duce Zamerga Istrum hyeme constrictum transmittunt, & tripartito divisi, pars Græciam ingrediuntur, pars in Thraciam Chersonesum, pars cum Zamerga recta Byzantium contendunt, infandis qua progrederentur, editis cædibus, vestigiisque crudelitatis & libidinum relictis. A) Qui Byzantium accurrerant, etsi non plures essent septem millibus, tantum Urbi deliciis jam enervatæ terrorem injecere, ut tota in tumultu esset, velut jam jam hostili ferro haurienda. Cum nemini adversus eos prodire animus foret, dat negotium Imperator Belisario capulari jam seni, & pridem arma loricamque desueto. E tanta Urbe non nisi trecenti scutati Belisarium consectati fuere, reliqua multitudo visendi magis, quam pugnandi gratia prodiit. Castra primum prope Urbem collocat, extructi crebri ignes speciem magni exercitus fecere. Die altero copias aggrestium eo confugientium numero non nihil auctas in hostem ducit, utque duo equitum millia a reliquo corpore disjuncta vidit, parte copiarum in sylvis abdita e latere in hostem invehitur; acerrima exoritur dimicatio, Belisario inprimis rem fortiter gerente, nec paucis manu illius enectis, valido simul clamore elato erumpunt reliqui ex insidiis, hostemque perturbatum agunt in fugam. Hac clade accepta extra muros longos Hunni excedunt. Neque tamen fugientibus institere Romani, quod Justinianus Belisarium incertum invidia an metu stimulatus, in Urbem revocarit, quem cuncta civitas ceu Imperii, suique conservatorem laudibus in cœlum ferebat. Cum vero vastare Thraciam non desinerent Barbari, tandem captivis multo ære redemptis, magnaque ab Imperatore donati pecunia trajecto Istro domos petierunt; postquam & illi, qui Chersonesum oppugnabant non parva clade a propugnatoribus affecti, & qui in Græciam abierant, ne porro pergerent, & montium & virorum objectu prohibiti in castra revertissent. Fremebant interea nec immerito in Imperatorem Byzantini, quod hostes, quos internecione deleri oportuerat ob tot patrata in miseros facinora, auro insuper donatos ceu re bene gesta remiserit. Sed enim procumbebant in deterius Romanæ res, quantumque Imperio ac terris accreverat Justinianus, tantum copia militum & virtute minuebatur, quod pecuniæ in res inanes exoletos & mimos profunderentur, & populi tot cladibus exhausti, repræsentando quod debebant, tributo non satis essent; Duces vero co-

A) Has quoque Hunnorum grassationes fuse persequitur Agathias a p. 108.

A. C. piarum indulgentia in ſe Imperatoris abuſi, ad corradendum aurum, ani-
558 mique remiſſionem a bellicis laboribus ſeſe transferrent. Quamobrem Imperator viribus diffiſus ſuis, ſicubi bellum repens gliſceret, metu perterritus, largitionibus & auro redimere ſtudebat pacem, animo ſub extremum ſenium a bellis jam penitus alieno. Atque hac quidem vice res illi ſat proſpere ceſſerat: perſoluto enim Hunnis Cotriguris auro, illico ad Sandlichum Hunnorum Cotrigurorum Principem ſibi fœdere junctum, cui quot annis aurum mittere conſueverat, literas dedit, quibus ſignificabat, Cotriguros non aliam ob cauſam ſibi bellum intuliſſe, quam quod cum Sandlicho amicitiam coleret, auroque eum donaret, ſimili cupiditate pellectos; itaque ad vexationem illam amoliendam coactum fuiſſe aurum, quod Sandlicho antea dabatur, Zamergæ numerare; nunc ſi vir eſſet, iret ultum injuriam utrique communem, ſin minus, viri imbellis & timidi renunciaturum ſe amicitiæ, & Cotriguris fœdere conjungendum. Ea re extimulatus Sandlichus copias colligit, aggreſſusque reduces in patriam Cotriguros nihil tale metuentes, prædis & auro exuit; victi Cotriguri reparato exercitu vicem reponere parant, efferatisque mutuam in cædem animis multos annos bellum geritur, quoaduſque Hunni illi mutuis attriti cladibus ac pene conſumpti ſunt, ut non multo poſt ne nomen quidem eorum iis in locis ſupereſſet. Atque ita utraque Gens Romanis ſolis pugnavit, vicit, periit; Imperatoris aſtu, quo nullum illi felicius, & magis e re Romana ceſſit. A)

560 Ingraveſcenti jam per ætatem Imperatori Imperii quoque cura minor fuit; hinc & a bellis ceſſatum eſt, & ſeditionibus non paucis Byzantium laboravit; nec factiones circi digladiari inter ſe, & furere deſiſtebant, non civium, ſed hoſtium in morem inter ſe diſtracti, quorum amentiæ fruſtra Magiſtratus ivere obviam. B) Cum enim Imperator Venetæ factioni contra Praſinam plus æquo ſtudet, factum ea re eſt, ut atrocius inter ſe depugnarent, illorumque impunita manerent ſcelera. Per idem tempus cum Juſtinianus afflicta eſſet valetudine ſparſum in vulgus eſt, eum e vivis ceſſiſſe; quo rumore tanta eſt populi exorta ſeditio, ut ſi ab hoſte Barbaro Urbs eſſet occupata infima plebe in fortunas ditiorum invadente, Urbemque ac forum diripiente. Quæ ſeditio non ante poſuit, quam luminibus ubivis accenſis, ſignificaretur gratias pro ſalute Imperatori reddita agendas. Relevatus autem morbo dicitur, poſteaquam eidem ſacra lipſana Martyrum quatuor militum reverenter fuere applicita.

561 Sed gravior caſus extremo jam in ſenio Imperatorem pene evertit. Conjuratio videlicet ad eum ſub tempus cœnæ interimendum inita a ſceleſtis quibusdam, Ablabio Exmonetario, Marcello Argentario, Sergio; ſed cum imprudenter id conſilium aliis aperiunt, in ipſo ſcelere deprehenſi, gladium ſub veſte in palatio gerere animadverſi ſunt; & Ablabius quidem ſeipſum protinus interemit, Sergius vero comprehenſus invidorum admonitu, Beliſſarii clariſſimi Ducis, jamque in exttema ætate poſiti nomen detulit. Comprehenſus itaque Beliſſarius, fortunisque exutus; quem a ſumma nominis claritate ad extremam delapſum eſſe calamitatem, oculisque erutis ſtipem ab obviis emendicaſſe nonnulli memorant, verbis hujuſcemodi: date ſtipem Beliſſario, quem fortuna clarum fecit, excœcavit invidia. Verum hæc conficta ad exaggerandam fortunæ viciſſitudinem, lamentabilesque magnorum virorum exitus jure videri poſſunt. Apud Agathiam ejuſce temporis Hiſtoricum magnum de re tanta ſilentium. Procopius nihil de ea re meminit; & tametſi ſuam ad hæc tempora non deduxerit hiſtoriam, ſcripſit tamen poſtea arcanam aliam de Juſtiniani, Theodoræ, Antoninæ uxoris Beliſſarii criminibus, in qua ne Beliſſario quidem parcit; ſed tamen nec illic infortunii hujus veſtigium aliquod, quod certe omiſſurus non erat, cum hoc ipſo tempore idem ille Procopius

A) Atque hic ſuam Agathias terminat hiſtoriam. B) Theophanes p. 158. Cedrenus.

pius Urbis Præfectus fuerit, ejusque curæ commiſſum, A) ut de conjura- A. C.
tione illa cognoſceret. Atque hoc eodem anno Procopius dignitate ſua 561
excidit; quo tempore credibile eſt illum ſcripſiſſe arcanam illam hiſtoriam tot criminationibus in Juſtinianum plenam; in qua certe rem tantam ſilentio non præteriviſſet; cum alterius Joannis Cappadocis ſimile infortunium accurate, ſemel ac iterum renarret. Crediderim Cappadocem hunc cum Beliſſario nonnullos confudiſſe; qui reipſa e maxima fortuna ad infimam decidit; ſed cujus calamitati nemo indoluit, ob vitam hominis ſceleribus coopertam. Theophanes Beliſſarium cuſtodiæ quidem datum, at brevi in priſtinam dignitatem, & facultates ſcribit repoſitum: Glycas, Zonaras, de cuſtodia meminerunt, non vero reſtitutionis. Illud certum, ſi quem alium, Beliſſarium certe ab invidis æmulisque per omnem vitam plurimum pertuliſſe, fortunamque ipſius cum invidia fuiſſe exæquatam. Atque idem non longe poſt eodem quo Imperator anno, in vivis eſſe deſiit; ſtrenuus ſi quis alius in bello Dux, cui nec virtus, nec fortuna defuit, ad res multo majores gerendas, penitusque vindicandum a Barbaris Imperium, ni livor obicem jeciſſet.

Juſtinianus ne in extremo quidem ſenio a controverſis in Religio- 563
ne quæſtionibus excutiendis remittebat; noctes quandoque integras audiendis qui de ea re diſſertabant, Epiſcopis tribuere ſolitus, quæ levitas magis, quam pietas in cauſa fuit, quod in errores ſubinde impingeret, dum ſuo ingenio & arbitrio rem ſtudet componere, quod abs dubie ultimam ei perniciem accerſivit. Quæſtionem enim de corruptibili & incorruptibili Alexandriæ non ita pridem exortam, dum attentius diſcutit, ſuoque unius judicio ponderat, in errorem τῶν ἀφθαρδοκίτων prolapſus eſt. Ajebant hi Servatorem noſtrum natura quidem fuiſſe hominem, quæ tamen omnium quibus homines afflictamur, miſeriarum expers fuerit, nullisque penitus animi commotionibus obnoxia; quodque deterius erat, errorem hunc ſuum publico firmare edicto, B) ac orbe toto propagare animum induxit. Cum ab ea abhorrerent opinione Præſulum plerique, exiliis ac fortunarum direptione ſævire in eos cæpit. Inter primos impetum hunc Eutychius Præſul Byzantii excepit; qui Menæ ſucceſſerat, ſanctimonia morum inclytus, talique fortuna plane indignus; actus per varia loca in exilium, tandem Amaſeæ in Ponto, in aſceterio quodam a ſe ædificato conquievit, ejusdem ſemper animi, certusque mori prius, quam iniquis Imperatoris juſſionibus morem gerere. In ejus locum ſuffectus Joannes quidam cognomento Scholaſticus, ſede tam ſublimi indignus, nec arte alia quam adulandi præſtans.

Dum totus in errore ſuo differendo ac firmando eſt Juſtinianus, ex- 565
pletis in Imperio annis triginta octo, ſeptem menſibus, diebusque tredecim, ſubita morte extinguitur undecimo Novembris die non citra apertam Numinis vindictam; cum ipſo eo tempore de proturbandis in exilium, qui conatibus hiſce obſtabant, Epiſcopis ageret. Vir erat maximis a natura dotibus inſtructus, ſed iis ad unius ſui gloriam non Imperii ſalutem uti viſus: hinc magnis eo imperante cladibus orbis terrarum concuſſus eſt, & multa ſui parte actus in ſolitudinem, cum gloriæ illectus cupiditate res maxime arduas moliretur, parvi pendens ſeu Præfectorum avaritia, ac licentia militari perirent Provinciæ, ſive Barbarorum direptionibus aſſiduis viſcera ipſa Imperii ſcinderentur, dummodo longe & trans maria nomen & Imperium prolataret. Hac eadem factum cupiditate, ut Urbibus a ſe extructis aut inſtauratis, ac etiam ædificiis nomen imponeret ſuum, octodecimque minimum Urbes præter complura ædificia illius de nomine dicerentur. Conſulatus etiam dignitatem primus omnium penitus ſuſtulit, utque anni ſuo inſignirentur nomine, Conſulatum Imperatoriæ adhærere dignitati perpetuum voluit. Immodico etiam elatus faſtu plurimarum nomina Gentium titulis adnumeravit ſuis, quarum

A) Theophanes p. 181. B) Evagrius ait edictum non fuiſſe promulgatum.

A. C. 565 rum aliquas nè contigerat quidem, cum ſe Iſauricum, Gothicum, Vandalicum, Francicum, Perſicum; &c. appellitaret, qua re etiam invidiam Principum aliorum incurrit, maxime Perſæ Choſrois, qui tot damnis regnante Juſtiniano orientem complevit; & Theodeberti Franci, quo fors factum, ut ille Gothorum ſe bellis implicaret. Leges ipſæ a Juſtiniano compilatæ non aliud ſpectabant, quam ut hoc pacto nomen propagaret ſuum, illasque ad quæſtum, & avaritiam referret, cum omnia non apud Præfectos modo, ſed etiam in aula eſſent venalia. Denique eo etiam proruit dementiæ, ut de negotio Religionis, etſi literarum rudis A) ſententiam ferre vellet, & ſuo unius arbitratu regere omnia & adminiſtrare. Itaque Juſtinianus ille etſi fines Imperii ſic protulerit, ut nemo ante illum, qui Byzantii imperarunt magis, ſic tamen ut nemo ante ipſum exhauſit, ac pene exinanivit. Pecuniis quippe opus habebat maximis non ſolum ad bella tam longe gerenda, quæ rapinis magis militum, quam ære Imperatorio ſuſtentabantur, ſed etiam ad barbararum Gentium procurſiones redimendas, quos tamen hac indulgentia proritavit magis, quam repreſſit. Illud demum de Juſtiniano jure dixeris, in ejus vita, ac rebus geſtis nihil moderatum, ac medium fuiſſe: ex obſcuriſſimo genere, gloriæ, & nominis extitiſſe cupidiſſimum; Imperii fines maxime protuliſſe; ſed illud tantum non evertiſſe; maximas hoſtibus clades invexiſſe; ſed quandoque majores accepiſſe; Religionis negotia præ reliquis curæ habuiſſe, ſed curioſitate nimia corrupiſſe. Verbo fuit Juſtinianus ex iis, qui animum ſortiti præſtantem, cum ex humili in altum provehuntur, quaſi vertigine acti ſui ipſorum, quam maxime impotentes exiſtunt. B)

FL. JUSTINUS JUNIOR.



566 IN locum Juſtiniani omnium conſenſione ſuffectus eſt Juſtinus natione Thrax Juſtiniani ex ſorore Vigilantia nepos, Dulciſſimi filius. Cujus conjunx erat Sophia Theodoræ item Auguſtæ neptis. Initio optimum ſe Principem, rectèque de Fide ſentientem præbuit; exactionibus nimium jam exaggeratis modum poſuit; æs alienum Juſtiniani magnum diſſolvit, congregatos ad res fidei examinandas Præſules Byzantio ad ſua remigrare ſivit, addito præcepto, nequid in Religione innovatum irent; inſuper Photynum Beliſſarii privignum in orientem allegavit, ut diſſidiis in Religione ſopitis animorum concordiam reveheret. Potentiorum in tenuiores injuriæ ſupra modum per hæc tempora Byzantii accreverant; illi enim ſub Juſtiniano rapere, & miſeros emungere aſſue-

A) Suidas illum literarum penitus rudem: & ἀναλφάβητον fuiſſe prodidit, quanquam non deſint, qui errorem irrepſiſſe, & loco Ιωστῖνος, Ιωστινιανὸς ſcriptum apud Suidam contendant, Juſtinum enim ſeniorem adeo rudem fuiſſe tradit Procopius in arcana Hiſtoria p. 292. ut ne ſuum quidem nomen legere noſſet. B) Hæc colligimus partim ex Hiſtoria Procopii arcana, partim ex Theophane, Zonara, &c. partim ex rebus illius geſtis, & hactenus narratis.

aſſueti, id citra metum, ac veluti rem conſuetudine inductam factitabant. A. C.
Quodam die in publicum prodiens Imperator turbam miſerorum habuit 566
obviam, quæ implorata æquitate potentium injurias lamentabatur: gravi ac ſevera oratione admonuit Juſtinus Senatum, ut ſe ab injuriis inferendis temperarent; ſed verba fecit, quæ apud timere neſcios, nihil promoverant. A) Cum iterum in publicum prodiiſſet, eadem exhauſta malis turba apparuit; itaque ira incenſus Imperator graviter in Proceres invehitur: ſi abſtinere ab injuriis nollent, alium ſibi deligerent Imperatorem, neque enim injuſtis, & raptoribus imperare ſe velle; quo dicto unus aliquis Procerum Imperatori ſe ſtitit, perfecturum pollicitus, ut nemo Byzantii impune injuriam acciperet, ſi ſe Urbis Præfectum Imperator conſtituat; ſeque capitis ſui periculo obſtringit, ſi vel unus ejusmodi ſceleris reus commeritam pœnam effugerit. Atque hic confeſtim Præfectus Urbis a Juſtino renunciatus gnaviter ſuo munere fungi cæpit; vidua quæpiam a Magiſtro militum primi nominis injuriis appetita, ad Præfectum cauſam defert; remittit ille mulierem, ut in judicium Magiſtrum arceſſat; ille non modo non ſequitur, ſed male etiam verberibus cæſam remittit; neque miſſis a Præfecto nunciis morem gerit, tanta jam ſcelerum confidentia animos potentiorum occuparat. Eodem quo judicium exercebatur tempore, Magiſter ille militum vocatus menſæ Imperatoriæ conviva accubuerat; adeſt Præfectus quoque Urbis, cauſaque ob quam veniſſet Imperatori expoſita, Magiſtrum militiæ a menſa abſtrahit; aſino impoſitum vicis nobilioribus per ludibrium circumducit, ac facultatibus mulctat, mulieri quæ damnum acceperat, attributis. Eo facto metu perculſi Optimates abſtinuere ab injuriis inferendis; nec multos poſt dies egreſſus in publicum Imperator, nihil amplius querelarum audiit; quo mire lætus Præfecturam homini in perpetuum affirmavit. Egregiam in prohibendis injuriis, inopibusque ſublevandis nactus eſt ſociam conjugem ſuam Juſtinus: cum enim illa intelligeret exaggeratis nimium uſuris tenuiores a creditoribus opprimi, his ad ſe accitis imperavit Sophia, uti ſyngraphas debitorum exhiberent; quibus omnibus de ſuo debitum æs repræſentavit, ſyngraphas vero & pignora reddidit debitoribus, quo ſibi nomen magnum, amoresque Byzantinæ plebis conciliavit. Atque hæc quidem laude digniſſima erant in Juſtino, ſed hæ virtutes magnis admixtæ erant vitiis, namque & luxu immodico diffluebat, B) & corradendæ gratia pecuniæ, non publica modo munia, ſed & Sacerdotia venum exponebat; & leges quaspiam ob officio hominis Chriſtiani alienas promulgavit, qualis illa fuerat, qua conjugium mutuo utriusque partis conſenſu diſſolvi poſſe ſanciverat. Egregium videlicet ad pacem inter conjuges procurandam remedium.

In caput, necemque Imperatoris hujus cum primarii e Senatu & ei- 567
dem in paucis chari conſpiraſſent, eos gladio feriri juſſit, Ætherium ſcilicet, & Abidium, non hujus modo, verum & aliorum reos criminum, quique in Patriarcha Eutychio antea divexando, & proturbando ſtrenuam navaverant Juſtiniano operam. C) Sed & Juſtinus alter Imperatoris conſobrinus, patre Germano progenitus, confictis accuſatus criminibus Alexandriæ caput perdidit, cum ſibi ab illo Juſtinus male metueret, perinde Juſtiniani nepote, & magno in bellis gerendis nomine. Quin & illud traditur D) extincto Juſtino non prius Imperatorem conquieviſſe quam caput illius Byzantium allatum videret, eique calcibus cum ſua Sophia inſultaſſe; tam effera regnandi eſt libido etiam in animo non plane crudeli, & tyrannico.

In oriente pacata per hæc tempora fuere omnia, at non ſic in oc- 568
cidente: Italia quippe tantum non omnis poſt breve imperium Byzantinis Principibus rurſum periit. Longobardi, quos Narſeti in Italia adver-

S ſum

A) Cedrenus p. 307. B) Teſtatur id Evagrius lib. 5. C) Hæc Theophanes p. 164. D) Evagrius lib. 5. cap. 2.

A.C. ſum Gothos militaſſe memoravimus, ſoli Italici ut credi poteſt, bonitate
568 pellecti, ex Pannoniis ubi adhuc ſubſtiterant, ſuſcepta Duce Alboino expeditione in Italiam proficiſcuntur; A) cui tum Longinus pro Juſtino præerat, nec ab animo, nec a copiis, & apparatu ad reſiſtendum tantæ multitudini inſtructus. Non magno itaque negotio, nec longo tempore tota fere Italia Romam & Ravennam ſi excipias, potiuntur Barbari, regnumque condunt Longobardicum, gravi totius Italiæ pernicie, quod hi & barbaris, crudisque eſſent moribus, & magnam partem Gentiles, reliqui Ariana labe infecti. Indormiſcebant ad hæc orientales Romani, & Imperator Juſtinus; Italiaque pro qua annis plus octodecim dimicarant, tam facile exciderunt. Narſetis dolo perniciem hanc accerſitam nonnulli e latinis Scriptoribus memorant; quod is ſpretus ab aula Byzantina, maxime vero a Sophia Imperatrice fuerit, & ad colum, ſpado enim erat, in Gynecæum abire juſſus; eaque contumelia irritatus telam ſe velle contexere comminatus ſit, quam Sophia non amplius diſſueret; ſicque ab eo Barbaros in Italiam accitos. Verum apud Græcos Scriptores ejus rei non extat mentio, quin Cedrenus, ac Theophanes, referunt eum Byzantii commoratum eſſe, & uſque adeo charum fuiſſe Juſtino, ut ob eam rem convitiis Imperatorem plebs reſpergeret. Sed & illud admiratione dignum, Græcos Scriptores vix Longobardici hujus belli meminiſſe, cum tamen exploratum ſit, illud hiſce temporibus geſtum, cum tanta rerum converſione, diminutioneque Imperii; niſi forte rei tam indignæ & calamitoſæ memoriam quoque ipſam execrati fuerint.

571 Invaleſcebant itaque in dies Longobardi in Italia, & tametſi inteſtinis laborarent diſſenſionibus, ſocordia tamen orientalium evenit, ut occupata retinerent. Alboinum enim eorum Regem Roſimunda conjunx per Helmigem, & Paridem de medio ſuſtulit, cum eos turpi antea corporis obſequio ſibi demeruiſſet; cauſa cædis erat, quod Alboinus in convivio vinum propinaſſet uxori e cranio patris illius Chunimundi a ſe quondam interempti. Patrata cæde metu Longobardorum Ravennam ad Longinum Præfectum ſuo cum Helmige profugit Regina; quibus ut matrimonio inter ſe jungerentur, Longinus auctor eſt: aliena ab hoc conſilio Roſimunda Helmigi in balneo venenatum porrigit poculum; eo deguſtato ſenſit hic protinus exitium in viſceribus, ac reliquum Reginam ebibere compulit; ſicque illi mutuo contractos ſcelere amores, mutuo ulti parricidio periere. Clephas Rex Alboino ſucceſſor datus non amplius anno & menſibus aliquot in regno expletis a ſervo interimitur. Exin ſex & triginta Duces militares Longobardici Italiam inter ſe partiti, decem ipſos annos Rege caruerunt; per quæ tempora infinitis peſſumiit Italia, resque Catholica calamitatibus, cum illi Tyrannorum in morem in omnium fortunas perbaccharentur, potentiæque ſolum & avaritiæ ſtuderent ſuæ, neminem reveriti, qui pœnas facinorum ſumeret, qui legum vinculis effrænes coerceret.

573 Inter hæc induciæ quondam cum Perſis a Juſtiniano initæ finem acceperunt; Juſtinus bellum Perſicum animo volvebat, quod indigne ferret Imperium Barbaris eſſe tributarium; quot annis enim quingentas auri libras accipiebant, ſpecioſo illo obtentu, quod Perſæ clauſtra illa, portasque Caſpias militari manu communitas tenerent, ne Gentium examina Hunnicarum infeſta ſe in reliquum orbem effunderent; itaque vicinas Perſis Gentes Legationibus in belli ſocietatem Juſtinus ſolicitat; Aretham primum Regem Æthiopem; B) ſuſceptus magnifice ab eodem Legatus pro more Gentis, utque fides major conſtaret promiſſis, præſente etiamnum Legato infeſta finibus Perſicis ſigna infundit. Sub idem tempus Legati a populis Hunnicis (Turcæ hi erant) ad Juſtinum venere, pro belli ſocie-

A) Deſcribit hanc Longobardicam irruptionem Paulus Diaconus; nam in Græcis vix aliqua horum mentio. B) Sic quidem Theophanes p. 164. Sed verius partis alicujus Arabiæ Rex fuerit Arethas; Arabes enim non vero Æthiopes Perſis vicini.

ſocietate adverſum Perſas ineunda: repoſuit vicem Juſtinus, & Legatum A.C.
nomine Zemarchum ad Diſabulum ſumma poteſtate Turcis in octo tri- 573
bus diviſis imperantem mittit; is longo profectus itinere per fines Ongororum A) tranſiit, ab eorum Duce Turcis tunc obnoxio commeatu rebusque neceſſariis adjutus. Denique Armenii quod in Chriſtianis ſacris a Choſroe turbarentur, indignitate rei commoti miſſis clam ad Juſtinum Legatis certis ſe reddere conditionibus imperio voluere, a quo ſemet diſciderant; & accepti in fidem cæſis Perſarum Ducibus, bellum exorſi ſunt. His rebus irritatus Choſroes copias undique colligit, ſicque datum eſt bello initium, quod induciis nonnunquam interpolatum, complures annos tenuit.

Ac principio quidem res contra Perſas ſat geſta proſpere, pugna 574
etenim ad Sargethum inita, ſuperiores fuere Romani; poſtea vero Artabanes a Choſroe cum majoribus miſſus copiis ad opprimendum, qui cum exercitu Romano Niſibin obſederat Martinum, gradum accelerabat; ille periculo cognito in interiores Imperii partes reducit militem, qua uſus opportunitate Artabanes regionem illam adusque Antiochiam Urbem depopulatur, reductoque per Cœleſyriam exercitu Dara in finibus Imperii munitiſſima vi expugnata, victor in Perſidem revertitur. Ea res Byzantium nunciata magno omnes mœrore, ſed Juſtinum imprimis affecit; Martino itaque ob rem male geſtam revocato ſubſtituit Archelaum; ipſe vero præ doloris impotentia in morbum decidit, quo etiam mente alienatus rebus deinceps adminiſtrandis parum fuit idoneus. Inducias deinde non niſi anni unius rogatus Rex Perſa conceſſit. B)

Eodem tempore nec contra Avares non ita pridem Iſtrum transgreſſos, in Pannoniis res geſta eſt fortunatius, Tiberio Excubitorum Comite ab iisdem acie ſuperato; quamquam ſunt, qui velint, vice verſa ab eodem cæſos fuiſſe Avares; illis tamen octoginta aureorum millia ad pacem redimendam quotannis poſthæc numerari debuerunt. Samaritæ quoque ea arrepta turbarum occaſione ſævire in Palæſtina in Religionem occœperant, Templa arasque diruere, ſeque ad ſuam referre ſuperſtitionem, a qua fruſtra Imperatorum edictis abſtrahebantur, in perniciem ſuam male fortes, aut potius inſani.

Juſtinus rebus per morbum adminiſtrandis inhabilis effectus, ne Præ- 575
fectorum ſocordia interiret Imperium, Comitem Excubitorum Tiberium lucidum ab inſania nactus intervallum, Collegam adſciſcit, filium adoptat, ac renunciat Cæſarem, Religione non minus ac rebus geſtis, prudentiaque clariſſimum, quique unus nutantem Imperii ſtatum firmaturus ſperabatur. Nihil dein per annos quatuor continuos memoria dignum occurrit, præterquam quod tertio ab adepta dignitate anno Tiberius memor beneficiorum quæ ab Eutychio vitæ integerrimæ Præſule olim acceperat, eundem ab exilio revocarit defuncto Joanne in ejus locum an-

A) Legationem hanc deſcriptam exhibet Menander Protector in excerptis de Legationibus; qui etiam ſemel ac iterum meminit Ongororum vel Hugororum Gentis Hunnicæ, per quorum fines tranſeundum fuit Legato ad Turcos eunti: ὁ δε Ζήμαρχος &c. ἐγένετο κάτα τὰ ῥεῖθρα τῆ Ιχ, ἐ μὴν ἀλλὰ κ̀ κατὰ τὸν Δαὶχ, καὶ διὰ λίμνων ἑτέρων ἄνθις εις τὸν Αττίλαν, πάλιν πρὸς ἐγέρους. Zemarchus autem attigit ripas non ſolum fluminis Hich, ſed etiam & Daich, & rurſus per alias paludes Attilam, inde ad Hugoros. Sed & ſupra initio deſcriptionis hujus meminit Hugororum tribus Hunnicæ, quam ab Avaribns ſcribit devictam. Meminit Ongororum etiam Agathias, p. 55. Simocatta vero p. 258. meminit Gentis prævalidæ Ogor; ex Hunnis itaque & Ogor dicti fuerint Hunnogori, ac brevius Hugori; & quid vetat eandem hanc ipſam dicere Gentem, ex qua Hungari moderni prodierint; pro qua opinione & vetus traditio, & fluminum deſcriptio (per Atrilam enim Volgam fluvium merito intellexeris, qui hodieque Tartaris Ethel dicitur) & denique eadem hodiedum apud Gentes Sarmaticas appellatio facere videntur. Et forte hæc fuerit cauſa, quod Hungaros ſub ſeptem Ducibus Pannoniam ingreſſos poſitis illic ſedibus Scriptores Græci ut Cedrenus, & ipſe Porphyrogenitus Imperator non aliter appellent, quam Turcos occidentales, utpote qui iisdem in Aſia contermini fuerint, aut certe non multum disjuncti. B) Cedrenus p. 308. Evagrius lib. 5. cap. 9.

A. C. 579 tea intruſo. A) Eutychium ingenti gratulatione Urbs tota Imperatorque ipſe Juſtinus recepere; cujus adventu lues quoque complures jam annos Urbem depaſta furorem poſuit.

Juſtinus perpetua afflictus ægritudine, cum ſe ad vitæ mortisque confinia deductum intelligeret, vocatis in aulam univerſis Proceribus, ac Eutychio Præſule, egregiam ad Tiberium habet orationem, B) qua ei æquitatem, curamque Imperii ſedulam commendat: meminiſſet qui fuerit, & qui ſit, eaque cogitatione elationem a ſe animi propulſaret; cogitaret deinde ſibi quoque ut cunctis mortalibus finem imminere ultimum; en ſe quoque fuiſſe Imperatorem, jamque ad extrema perducto aliud non ſupereſſe, quam ut ſe talem fuiſſe meminiſſet; quæ tamen cogitatio doloris ſibi plus, quam oblectamenti afferat. Monebat proinde, ne ſua malefacta imitari pergeret, ſed attenderet magis, quid Imperatorii eſſet muneris, quidve ab eo & ſalus populorum, & ipſe, a quo Imperium accipit, Deus repoſcerent. Poſt has aliasque admonitiones cum Imperatoris ille conſpectus, vocesque, lachrymas omnibus ſed inprimis Tiberio excuſſiſſent, brevi animam reddidit, cum regnaſſet annos tredecim ac menſes novem. C)

FL. ANICIUS TIBERIUS.



TIberium Imperio plene potitum ſubita tempeſtas tantum non evertit a Sophia relicta Juſtini. D) Ignorabat illa Tiberio eſſe conjugem, ſpeque allecta nuptiarum egerat apud maritum, ut is Cæſar renunciaretur. In circo ludos ſpectanti Tiberio acclamavit populus: videamus Auguſtam Romanorum; Tiberius innuit conjugi ſuæ Anaſtaſiæ nomen eſſe, quam cum populus Auguſtam appellaſſet, beneque eſſet precatus; exarſit in iras Sophia, deque deponendo Tiberio, ac Juſtiniano Juſtini conſobrino eidem ſufficiendo cæpit conſilium. Verum non ſic res clam confieri potuit, ut non ad aures permanaret Tiberii; qui cum animo eſſet ab omni crudelitate alieno, in Juſtinianum quidem non niſi verbis animadvertit, habuitque dehinc chariſſimum, copiis adverſus Perſas præfectum; Sophiæ vero palatium de illius nomine dictum conſtruxit, appoſitis ei aulicis, qui & ab obſequio eſſent, & tamen ne quid moliretur adverſi obſervarent; cæterum ut matrem omni officiorum genere colere nunquam deſtitit.

Inaugurationem hanc ſuam ſolenni pro more per Legatos Regi Perſarum dum ſignificaſſet, induciis, aut ſi mallet pace oblata, E) rejecit ea ſuperbe Choſroes, & ad bellum totis viribus gerendum ſemet accinxit. Tiberius pecunia ex ærario deprompta ſumma cura militem conſcribit a Juſtinia-

A) Cedrenus p. 309. B) Theophanes p. 107. C) In annis Imperii Juſtini non conveniunt Scriptores, quidam uno minus, alii plures attribuunt. D) Simocatta ſcribit per ſomnum Tiberio ab Angelo ſignificatum eſſe, eo regnante Tyrannum neminem inſurrecturum. E) Theophanes hæc, & quæ ſequentur de Tiberio.

ſtiniano in Perſas ducendum. Jam in conſpectu pugnam conſerturi ſtabant exercitus, cum colloquio inter Duces inito induciæ rurſus in quadriennium fiunt; credibile conterritum eo apparatu Perſam, cum videret ſibi non jam cum Juſtino rem eſſe, bellum compoſuiſſe, non diu poſt cum commodum foret, reſumendum. A. C.

Eum hoc animo pepigiſſe inducias annus inſequens docuit; exercitum enim quantum maximum potuit, duxit in Armeniam ſumpturum pœnas defectionis ad Romanos factæ. Ejus tam inſperatæ rei fama militum animos vehementer concuſſit, ut de ſervanda Armenia actum arbitrarentur. Erecti Juſtiniani Ducis cohortatione ulciſcendæ Barbarorum perfidiæ ſeſe ſtrenue comparant. Itaque contracto acerrimo certamine prælium diu anceps & periculi plenum fuit; Perſæ ſagittarum imbre Romanum pene obruebant, his vero exhauſti, ubi ad manus ventum, vim furoremque hoſtilem non ſuſtinuerunt, in apertam effuſi fugam, ingens eorum conciſa eſt multitudo, caſtra cum impedimentis omnibus ipſoque Choſrois tentorio, in poteſtatem veniunt; qua clade affectus Rex ſuperbos demiſit ſpiritus, ſeque non omnia poſſe quæ vellet, eventu tandem ipſo didicit. Ab ea turpi fuga patuere ditiones Perſicæ Romanis, quas illi non ſegniter diripuerunt aduſque dimidium maris Hircani progreſſi. Dedecoris plenus Choſroes lege ſancita cavit, ne deinceps Reges Perſæ ipſi expeditionibus intereſſent bellicis, verum per Legatos rem gererent. 580

Turbarum aliquid eodem tempore in populo Byzantii fuit; ſed turbatio Religionis gratia commota facile conquievit. A) Anatolius quidam peſſimis artibus Magiſtratum Antiochiæ adeptus, clam immolare vanis Deorum ſimulacris deprehenſus & accuſatus, verum a Judicibus abſolutus, ingentis illic in populo commotionis cauſa extitit; furore plebs percita ad necem depoſcebat non Anatolium modo, ſed & loci Antiſtitem, ob nimiam cum nefario homine familiaritatem. Imperator re cognita Anatolium cum ſociis criminum; ipſoque Epiſcopo Byzantium accerſit; de hoc reſciri nihil etiam tormentis potuit, in Anatolium & complices exilii tantummodo lata ſententia; ea res populum Byzantinum in furorem egit, tantum crimen tam molli manu plecti quiritantem; mutata itaque ſententia rei ad ſupplicium ducti, reliqui quidem igne exuſti, Anatolius feris projectus, & occiſus, cadaver patibulo ſuffixum; quod tamen lupi illinc detractum dilaniaverint, ſicque ſeditio & furor populi deferbuit. Ferunt in carcere dum Anatolius ſupplex imagini Deiparæ patrocinium poſtulaturus accidiſſet, illam hominis nefarii preces averſatam fuiſſe, inſuper nonnullos Antiochiæ & Byzantii apparentem in virum perditum extimulaſſe. Quod ſi verum eſt, ſceleratum plane hominem opus eſt fuiſſe Anatolium, nec ex animo unquam ejeciſſe virus; qui nec ibi miſericordiam invenerit, ubi omnes inveniunt. 581

In bellum Perſicum viribus totis conniſus Imperator novum ex mancipiis coemptis conſcribit exercitum, ad quindecim millia, Mauricio Fœderatorum Comite iisdem Præpoſito, cui Legatum adjunxit Narſetem. Hos armis veſtiumque apparatu a reliquis diſcretos primo quoque tempore miſit in Perſidem: inito rurſus cum Perſis prælio a Tiberio ſtetit victoria: receptæ Urbes omnes temporibus Juſtiniani & Juſtini amiſſæ; ingens vaſtitas Perſicis ditionibus illata. Cum incendia quæ Romani late ſparſerant, eminus contuitus eſſet Choſroes, ob rei inſolentiam, neque enim ejusmodi calamitatem oculis antea uſurparat, primum animo, mox & corpore æger Cteſiphontem delatus interiit; vir bellis geſtis damnisque, quibus per omnem vitam vicinas Gentes affecerat clarus, quique omnes ante ſe Perſarum Reges rerum geſtarum gloria vicerit. B) Hunc tamen ſub exitum fortuna deſeruit, quod fere ſemper magnis ejusmodi alienorum raptoribus accidit; ut tanto majorem ex infortunio tam inſperato dolorem hauriant, quo inſolentius antea in ſcelere triumpharunt. 582

A) Factum hoc recenſet Evagrius l. 5. c. 17. B) Agathias lib. 4.

A.C. runt. Evagrius eum refert ſub exitum vitæ Religionem Chriſtianam amplexum; quod ſi ita eſt, calamitati huic ſuæ multum debuit, e qua tantum boni indeptus eſt. Reduce ab ea expeditione Mauricio, egit Tiberius triumphum ob devictos Perſas, eumque generum adſcivit, deſponſa illi filia Conſtantia, quodque liberis maribus careret, Cæſarem appellavit. Germano autem Duci filiarum alteram, cui Charito erat nomen matrimonio conjunxit.

583 Eam Urbis lætitiam interpellavit mors ſanctiſſimi, totique eapropter Urbi optatiſſimi Præſulis Eutychii; is paucis ante obitum menſibus, librum conſcripſerat, de mortuorum in vitam reditu; in quo errore lapſus eſt, cum diceret non in ea, quam viventes circumtulerant, carne animas in vitam redituras, A) ſed alia quæ nec oculis corporeis conſpici, nec contrectari poſſit; verum admonitus errorem hunc ſuum brevi retexuit librum exuri paſſus; quæ res ſanctitati ipſius, & exiſtimationi nihil offecit, quod erroris aſſertor tantum fuerit, quod humanum eſt, non propugnator, quod hæreticum. Succeſſit in locum Joannes Jejunator ſic dictus, quod crebro ſe inedia afflictaret; quæ res tamen ſimulatio virtutis magis quam ſolida virtus fuit, ut ex conſequentibus ad liquidum apparuit. Paucos poſt menſes defunctum Præſulem conſecutus eſt Tiberius eidem amiciſſimus. Tabe conſumptus, cum diem ſibi ſupremum imminere perſentiſceret, Proceres omnes in atrium palatii vocatos gravi oratione per Quæſtorem ſuum alloquitur, iisque ſucceſſorem inſtituit Mauricium generum ſuum; ſuſceptus totius applauſu civitatis Mauricius; Tiberius vero non diu poſt menſe Auguſto in vivis eſſe deſiit, annos quatuor ſolus Imperio perquam laudabiliter & fortunate potitus.

FL. MAURICIUS.



MAuricius B) itaque annos natus tres & quadraginta, magnæ virtutis & nominis Princeps e veteri Roma ducens originem Imperio præeſſe cæpit, ac primum quidem nuptiarum ſolennia cum deſponſa ſibi Conſtantia magnifice peregit; condecorante eam pompam patre quoque illius admodum ſene, quod non facile ante eum ulli Principum Byzantinorum contigit. Poſt hæc publicæ adminiſtrandæ rei curas applicuit. Multum ei turbarum, Imperiique finibus detrimenti intulit Chaganus (id nomen erat Regibus Avarum) C) vir inquies, avaritiaque inexple-

A) Baronius ex Epiſtola Gregorii Pontificis. B) Mauricii res geſtas integro volumine proſecutus eſt Theophilactus Simocatta temporibus iis proximus; quem hic ſequimur, nonnullis aliunde additis. C) Idem Simocatta l. 7. c. 7. & 8. ait Avares hos non ita pridem Iſtrum transgreſſos a Gente Ogor ortum duxiſſe; ſed placet ejus verba adferre: Aggreſſus eſt & aliud facinus Chaganus (per Chaganum hic non Avarum, ſed Scythicum aliquem Regem intellige; communis enim hæc Scythicis Regibus nomenclatio) & Ogor totam Gentem domuit; fuit hæc Gens tum numero, tum armorum exercitatione validiſſima. Hæc in orientem ad fluvium Til accolit, quem Turcæ nigrum appellare ſolent, ejus vetuſtiſſimi Prin-

explebili. Pactæ cum eo jam ſuperioribus annis erant induciæ, promiſ- A.C.
ſique ad redimendas populationes octogies mille aurei; ſed his ille haud 583
expletus Sirmium Urbem vi in deditionem accipit, inſuper Legatos mittit Byzantium, qui ad prædictam ſummam vicies mille aureos auctarium peterent. Cupido præterea eum inceſſerat videndi Elephantis, quos eſſe Byzantii audierat; Mauricius placandi hominis gratia belluam mittit; ſed ea remiſſa Chaganus aureum ſibi ab Imperatore lectum dono mitti flagitat; in ea quoque re gratificari cupiditati hominis Imperator voluit; verum Rex lectum ceu rem inelegantem ſeque indignam, cum faſtu & contemptu remittit, ac vi illata Urbes Singidonem, Auguſtam, Viminacium occupat, oppidis, vicisque circum omnibus populatione fœdatis. His cognitis Imperator Elpidium ac Commentiolum viros multa ob rerum uſum prudentia ad Chaganum allegat, qui de violatis quererentur induciis, hominemque in concordiam omni quo poſſent modo, adducerent, quod bellum Perſicum vires diſtrahi vetaret. Auditi per contemptum a Rege Legati; Commentiolus Regis reſponſo irritatus, gravem & minarum plenam habet orationem, qua & virtutem Romani militis effert, & quæ porro expectanda eſſent, Chagano ac Avaribus denunciat. Impotens iræ Barbarus Commentiolum vinciri & cippo imponi jubet necandum confeſtim, niſi Procerum mitigatus precibus liberum abire ſiviſſet. Repetita iterum Legatione Elpidius Byzantio miſſus auctarium quod petebatur in annos ſingulos ſpondet; atque ita ab armis utrinque diſceſſum. Neque tamen ſic etiam infeſto eſſe Chaganus animo deſiit, armis alienis, & clam cum Romanis belligerans; Sclavos enim genus hominum rapto vivere aſſuetum, in Mauricium concitavit; qui improviſa irruptione aduſque Byzantii propemodum muros obvia quæque igni & ferro corrumpendo rabiem circumtulere. In re trepida cohortes urbanas Commentiolo tradit Mauricius; is ſemel ac iterum Sclavos aſſecutus manus conſerit, & ſuperior effectus captivorum greges in libertatem vendicat, Sclavis ad ſua non citra tamen prædæ partem refugientibus.

Fervebat etiamnum bellum Perſicum quod Imperator Joanni Myſtaconi a prolixa barba ſic cognominato gerendum dederat. Ejus virtuti invidia adverſata, res antea contra Perſam bene geſtas infregit. Commiſſo cum Cardarega (ſic exercitus Imperatorem indigitabant Perſæ) prælio triplicem Joannes ordinaverat aciem; unam ſibi delegerat, alteram Ariulpho, Curſio tertiam Legatis demandarat; at Curſius gloriæ Ducis invidens procurſione in hoſtem facta, ſua cum manu ſubſtitit; reliqui hiatum illum expleturi pedem referunt; ſed orta ut pronum factu erat, in recedendo confuſione, Perſisque rem ſtrenue gerentibus Romani fugantur, difficilique ob montium anguſtias acti fuga vix caſtra a direptione ſervant. Autumnus præceps bellum inter utrosque diremit.

At primo ſtatim cum vere res iterum geri cæpta. Perſæ Aphumos 584
arcem oppugnare adoriuntur; Joannes ut illinc hoſtem detraheret, aliud Perſicæ ditionis munimentum Achabs dictum in præcelſo montis vertice ſitum, cum parte copiarum obſidet; obſeſſi ignibus periculum in quo verſarentur exercitui ſignificant, nec moratus Cardaregas de improviſo occurrit; & facile Romanos loco movet; horum pars flumine ſorbentur, pars ab hoſte interit, pars per montis crepidinem ad reliquum exercitum eluctatur. Ita Myſtaconi illi nihil proceſſit e ſententia, ob quod a Mauricio loco, & dignitate motus eſt, cum ſe ſpecie oris externa magis, quam animo virum præberet. Externum hoc infortunium domeſtica iterum

Principes Var, & Chunni vocabantur; a quibus etiam nonnullæ illarum Gentium adeptæ ſunt appellationem, ut Var, & Chunni nominentur. Juſtiniano porro Imperium obtinente ex hiſce Gentibus Var, & Chunni exigua pars a primævo genere illo profugiens in Europam ſe intulit, qui ſe Avares, & Principem Chagan honoris cauſa nominarunt. Ex quibus Simocattæ verbis intelligas: quam non vana eorum ſit opinio, qui Avares hoſce ejusdem originis cum hodiernis Hungaris arbitrantur; quibus præter alia quæ hic diſcutere non vacat, vox ipſa Var plane Hungarica adſtipulari videtur.

A.C. rum clades a terræ motu conſueto Byzantii malo accumulavit; quod ta-
584 men in eo fuit proficuum, quod dum corpora ſuccuſſit, animos quoque terrore completos ad officium ſaltem ad tempus revocarit. Ut vero triſtia hæc lætitia quapiam publica commutaret Imperator, Conſulatum more veteri, ſed pridem deſito iniit, dato etiam congiario, ut lætitia ad univerſum populum pertingeret, neque jam ſola rei novitas jucunda eſſet. A)

Exercitui Perſico Philippicus deinceps præeſſe juſſus, cui Gordia ſoror Mauricii in matrimonio erat; hic fines ingreſſus Perſidis multa populatione regionem funeſtat, ac ſatius ratus præda divitem recedere, quam dubiam Martis aleam periclitari; redux bifariam facilioris profectionis gratia dividit exercitum, pars altera Rhabadios regionem incolumis tenuit; altera cum Theodoſiopolim tendit, viarum errore acta magnis exercita eſt calamitatibus. Cum enim per loca ſiticuloſa eſſet profectio, aquæ inopia laborabant omnes, nec pauci interibant; captivi omnes præter impuberes, quod ſiti deficerent, a milite furioſo enecti; ſervati impuberes eandem deinde perniciem a ſiti accepere; exercitus ægre tandem Theodoſiopolim eluctatus, didicit inteſtinos hoſce hoſtes ſitim, ac famem præ magnis exercitibus eſſe formidandos. Quibus geſtis Philippicus ſiniſtra afflictus valetudine Byzantium ad hyemem agendam regreditur.

585 Primo iterum vere profectus in expeditionem, ubi Amidam perventum, Legatos habuit obvios Perſarum; qui pacem ultro accepturum Hormisdam referebant Choſrois ſucceſſorem, dummodo pro infractis fœderibus actisque e Perſia prædis, certam auri ſummam Romani repræſentarent. Indigniſſima cunctis ea petitio viſa; ut victores qui in tantam trepidationem Regem ac regnum conjecerant, jam inſtar devictorum tributum pendant; itaque pax a Mauricio communi conſenſione rejecta. Cardaregas contracto prævalido exercitu Magorum adhæc certam victoriam ſpondentium pollicitationibus erectus in Romanos ducit, tanto horum contemptu, ut vinciendis iis maximum compedum & vinculorum numerum ſecum traheret. Philippicus producto exercitu ſiniſtrum cornu Illiphredæ Præfecto Emeſeno, dextrum Vitaliano Tribuno regendum tradit, ipſe mediam deligit aciem; quove militi in Barbaros animum adderet, prehenſa manu Chriſti effigie non arte humana efficta, quam olim Abgaro Principi Edeſſeno ab eodem Deo & homine dono miſſam veteres prodidere, per ordines obibat militum, acrique ad confligendum oratione incendebat. Magnis poſtea animis utrinque procurſum eſt; Barbaros & Deorum pollicitationes, & facta per Romanos detrimenta eferabant; hos contra acuebat & ſuperiorum recordatio victoriarum, & ſpes Numinis veri beneficio confiſa. Sic dum pugnatur Vitalianus in dextro cornu valida impreſſione hoſtem loco protrudit, ut jam ad diripienda impedimenta aditum ſibi miles patefaceret; in prædam dum ruunt incompoſiti, ne ea confuſio victoriam ſibi e manu raperet, metu percellitur Philippicus, ac cum ipſe accurrere non poſſet, detractam capiti ſuo galeam ſatellitum cuidam imponit, jubetque, procurſione facta verberibus gladio inflictis in ordinem a præda militem revocare: Valuit fraus: milites e galea ipſum adeſſe Ducem rati ac verecundia perculſi, ad rem ſtrenue incumbunt, eamque aciem hoſtium in fugam conjiciunt. Pugnabant adhuc ſiniſtra, & media acie plenis viribus Perſæ, damnumque altero cornu acceptum ſarcire ſtudebant; cum admonitu Ducis, aut cœleſti quapiam voce ex equis jubentur deſilire Romani, hoſtisque in anguſtiis poſiti equos confodere; ea re factum, ut plurimi per tumultum conciderent, diſperſi alii in montium juga ſe cum Cardarega reciperent. Ad hos obſidendos, commeatuque prohibendos miſſus Stephanus quidam; ſed veritus ne ultima deſperatio Perſarum extrema fame laborantium grande quodpiam malum ſibi ſuisque conſciſceret; relictis jugis illis ad exercitum

ſe

A) Theophilactus Simocatta p. 150.

ſe aggregavit. Copiam deſcendendi nactus Cardaregas, refectis cibo ſuis, A.C.
ac fugitivis undique contractis, caſtra Philippici ex improviſo aggredi 585
ſtatuit, clademque rependere; utque neceſſitatem vincendi ſuis injiceret, utres omnes, quibus per loca arida aquam deferebant, diſcindi jubet. Ut ventum ad manus, victi iterum Perſæ & capti bis mille Byzantium mittuntur; quos gladius non abſumpſit, magnam partem ſitis inconſulta Ducis temeritate perdidit; docuitque furioſa ejusmodi conſilia, ab extrema raro pernicie disjungi. A)

Poſt hæc ſævitum populationibus a Philippico; ſed ne ea divagandi licentia inopinatum aliquod apportaret malum, collecto in unum milite Clomarum celſa in rupe arcem obſedit. Cardaregas ſtrenuiſſimo quoque e ſuis deſiderato, ſervos & aggreſtes ad arma vocat, pudore ſtimulatus, ne vires Perſicæ ſiniſtro unius prælii eventu proſtratæ viderentur, exercitumque hunc collectitium territandi magis, quam repugnandi gratia in hoſtem ducit. Profunda præcepsque vallis utrosque disjungebat, e ſententia Cardaregæ pugnam modis omnibus declinantis. Dies aliquot mutuo in conſpectu exacti, cum Perſæ nec opinata profectione longo circuitu in montem cui arx obſeſſa imminebat, eluctantur. Incertum an improviſo hoſtis conſilio, an adventantis novi exercitus fama conſternatus Philippicus, nocte concubia caſtris ſemet ejicit, deſertoque turpiter exercitu fugam capeſſit. Ea in caſtris intellecta, pavor ac mœror militum animos invadere, ſigna confeſtim convelli, ruere pro ſe quisque in fugam, & quia nox illunis erat, in foſſas ac valles homines juxta ac pecudes provolvi, fœda demum profectione velut jam jam cædendi tota ea nocte poſt Ducem adpropere. Hærebant ambigui hoſtes quid ſibi is tumultus vellet, rati dolo rem agi in caſtris ſemet continuere. Dies exorta metum rationis expertem fuiſſe patefecit. Exercitus Philippicum conſecutus convitiis ob rem timore tam præcipiti corruptam proſcindit; ille animi, corporisque dolore æger Ducis officium abdicare parat.

Anniverſarium cum Avaribus bellum in Thracia recruduit: Chaga- 586
nus prædator obibat regionem, urbesque diripere, ac vertere quaſi animi cauſa conſuerat. Miſſus adverſus eum Commentiolus cum non magna manu, ſex millia erant bellatorum, ad prohibendas Barbari vexationes tripartito exercitum hunc diſpeſcit: partem Caſto attribuit, aliam Martino, ſibi cæteros; & Martinus quidem rem ſat geſſit feliciter; namque de improviſo in Chaganum ipſum irruens diſpulit in fugam, parumque abfuit, quin ipſe in manus Rex veniret. Arriſit haud minus ſub initium Caſto fortuna; qui facto in prædatoriam cohortem impetu, prædam vitamque multis excuſſit; verum hoc elatus rerum ſucceſſu, dum trajecto qui obſtabat flumine, profundius ſe in regionem ab hoſtibus inſeſſam ingerit, cæſis aliquot eorum procurſoribus, ab hoſte circumvenitur de improviſo; miles per ſaltus diſpergitur, ac omnes indagine clauſi ferarumque in morem conquiſiti, cum Caſto in manus barbaricas veniunt. Commentiolus collectis reliquis in unum copiis, toto Marte rem experiri cum Chagano deliberat; favebat ejus conſilio paucitas Avarum, qui penes Regem remanſerant, quod reliqui per Thraciam ſparſi, ei diripiendæ operam darent. Pleno in Avares gradu properabat exercitus ad Chaganum jam jam opprimendum: cum rei bene gerendæ occaſionem incerta militis vox, & fine alio emiſſa penitus disjecit; ut fere in bellis, minimis ſæpe de cauſis magnæ exiſtunt commutationes. Jumentum onus e dorſo præcipitarat, trahebatque indocere; miles id contuitus, jumenti dominum contenta voce admonet, verte, verte inclamans. Milites ea voce non bene intellecta, rati inopinato aliunde hoſtem adventare, eaque de cauſa retro eſſe cedendum, cum undique ea vox perſonat, cuncti flexis habenis in fugam ruunt, neminemque inſani fugiunt. Eo jam reciderat vetus illa Romanæ militiæ diſciplina, ut barbarum in morem tur-

T bate

A) Idem Simocatta p. 158.

A.C. bate omnia & confuſe gererentur, quo etiam factum, ut Barbaris præda
586 fierent. Chaganus qui ingruere hoſtem intellexerat, paucitati diffiſus ſuæ, & ipſe fugam capeſſivit; ſic uterque exercitus eodem tempore quaſi dementia quapiam occupatus ſeſe mutuo fugitabat.

Deleturus fugæ ignominiam Rex copias majores colligit, & Apiriam Urbem obſidere parat. Forte Buzes quidam ex oppidanis in primis honeſtus, & militari fortitudine præſtans venatum prodierat; hunc interceptum Avares pro muris oppidi collocant, cædemque actutum illaturos comminantur, ni ocyus pro capite militis pecuniam cives paciſcantur; ipſe Buzes lamentabili voce inclamabat cives, ne ſe inter vitæ mortisque poſitum confinia deſpicerent, neve lytrum pro capite ſuo dependere omitterent, pro quibus toties illud diſcrimini obtuliſſet; ſed ſurdi ad hæc cives, milite quam auro fruſtrari maluerunt. Igitur jam jam ſupplicio afficiendus Buzes pollicetur Avaribus, Urbem illis paucos intra dies in manus daturum, ſi vita ſibi condonetur. Aſſenſere poſtulato Barbari; ille promiſſa expleturus machinam, diruendis muris idoneam qua ad eam diem carebant Avares, docet conſtruere; iſthac adjuti & Apiriam brevi & plures paſſim Romanas Urbes expugnant, neque deinceps eorum rapacitas murorum ambitu coerceri potuit. Tantis ut malis mederetur Mauricius, novis copiis novos præficit Duces, Myſtaconi alias non ſatis felici, ſed tamen virtutis opinione claro expeditionem demandat, addito ei Legato quodam Longobardo, viro forti ac ſtrenuo, cujus opera Avares ab Adrianopoli depulſi, cladeque aliqua affecti ad quietem ſe retulere. A)

587 Parte altera Philippicus, indignatione & militum, & Imperatoris exagitatus ſeſe munere abdicat, copiis interim Heraclio, alterius Heraclii qui poſtea Imperator fuit patri conceſſis, ut munitiora quæpiam loca e manibus Perſarum vindicaret; quod & præſtitum ſtrenue, militibus veterum inſignia facinora virorum in ſuperandis muris æmulantibus. Inconſulta inter hæc Mauricii avaritia magnam in Perſico exercitu concivit perturbationem, & tantum non rem illic penitus evertit. Priſcum ille in locum Philippici Byzantio ad exercitum amandarat, ſimul quartam demenſi militaris partem exercitui detrahi præcepit; re intellecta jam ante Priſci adventum tumultuari in caſtris miles, incuſare ſordes Imperatoris, nec ſe ullo ſuo merito tam inſigni injuria affectum quiritari. Priſcum in caſtra advenientem, ac mandata exponentem fremitu primum, mox & ſaxorum imbre milites ſalutant; ultimusque ille dies fuiſſet Priſco, niſi rapto obvio quodam equo ſalutem difficili fuga inveniſſet. Tantum facinus poſtquam exercitus in Ducem admiſit, ut eſt pronus e malis in deteriora prolapſus, ſemperque ni initio obſiſtas, grande aliquod malum ſeditio militaris parturit, Germanum quemdam e Ducibus ſibi ſumma poteſtate præficit, Mauricium diſcerpta illius effigie execratur. In Tyrannidem res denique præcipitaverat, niſi in Germanum honos ille collatus eſſet, quem is recuſarat omnimode, & admiſſum vi adactus ita geſſit, ut tamen qua licebat militem in officio contineret, & Perſis obſiſteret. Harum fama rerum commotus Imperator mittit ocyus Ariſtobulum domus Regiæ Procuratorem, qui ferocientem ad obſequia militem reduceret, quarta quoque illa ſtipendiorum parte eidem conceſſa; ſed in milite placando plus profuit Gregorius Antiochenus Antiſtes, B) qui longa oratione, lachrymisque profuſis perſuaſit demum militi, ut ſe imperio Mauricii redderet. Poſt eam rem miles animis auctus in Perſam ducitur occaſione illa non parum in rem ſuam uſum. Ad Martyropolim conſerto certamine vincuntur Perſæ; cæſo eorum Duce ter mille capti, plures interfecti, vix mille fuga Niſibin tenuerunt. Exercitus quo ſe cum Mauricio in gratiam rediiſſe ex animo teſtaretur, ſpoliorum partem Byzantium dono mittit. Ab ea pugna cum nulla eſſet ſpes Priſcum exercitui reconciliari poſſe, Byzantium is revocatur, rurſusque Philippicus

A) Hæc quoque diffuſe Simocatta a p. 165. B) Evagrius lib. 6.

cus jubetur Præfecturam militarem capeſſere. Geſſit ille aliquo tempore A.C.
munus ſed conſueta ſibi infelicitate; namque eo Duce & Martyropolis, 587
Sitta quodam proditore Perſas in Urbem perducente Romanis periit; & conſerto poſtea apud eandem Urbem prælio Philippicus inferior abſceſſit. Itaque cum ſibi fortunam demereri non valeret, Commentiolo dignitate illa decedere neceſſum habuit.

Novus in exercitu Dux præclarum aliquod editurus facinus exercitum Niſibin uſque promovet; cum Aphraate Perſico Duce manus conſerit. Non ſat ſub initia ſtrenuum ſe præbuit Commentiolus; arrepta enim præcipiti fuga, actum putabat de victoria; itaque fuiſſet niſi Heraclii virtus cujus ſupra meminimus, Aphraatem ſingulari certamine ſuſtuliſſet; caſu Ducis conſternati Perſæ pedem referunt, collectis itaque rurſum viribus Romani propellunt hoſtem, caſtrisque ipſis potiuntur. Præda ingens inventa, & ad Imperatorem in teſtimonium virtutis cum ſignis militaribus transmiſſa lætitia Urbem perfudit.

Poſt crebras has alternante Marte pugnas, nova in Perſico Imperio 589
enata eſt tragœdia; qua ſi occaſione Romani uti noſſent, infeſtam ſibi Gentem, totiesque perfidam perdituri erant. A) Hormisdas Rex Perſarum bello a Turcis appetitus ac victus, ut direptionem Perſidis redimeret, quadraginta aureorum in annos ſingulos millia iis pendebat; quo illi non contenti auctarium addi poſtularunt; non ferens Turcorum inſolentiam Hormisdas, Varamum Ducem maximo cum exercitu eo deſtinat; atque hic ſecundis uſus præliis non ſolum retudit ferociam hoſtis, & opes eorum deprædatus eſt, verum etiam totidem dehinc aureorum millia Turcos Perſis pendere adegit. Varamus rebus geſtis prætumidus ab ea redux expeditione in Suaniam Colchidis regionem Romanis ſubjectam, facit impetum; ac quod converſis aliorſum curis vacua milite eſſet, facile potitur. Imperator injuriæ impatiens continuo ad depellendum hoſtem cum exercitu expedit Ducem Romanum virum ſtrenuum, & rebus gerendis peridoneum. Jam pedem e regione Varamus etulerat; inſecutus hoſtem Romanus ad interiora ſe Perſidis penetrat; ſed veritus ne in loca deductus iniquiora & ab inopia commeatus, & ab hoſte cladem acciperet, regreditur in Colchidem tametſi tumultuaretur miles, & vindictam ſpiraret. Varamus victoriæ flagrans cupidine converſo itinere recedentem inſequitur, quoaduſque ad flumen Araxem eſſet perventum. Romanus imbellem turbam ac impedimenta idoneo in loco collocat, ipſe cum expeditis decies mille militibus Barbaro ſe fortiter parat objicere. At obſtabat inter utrosque interjectum flumen, quo minus ad manus veniretur. Exactis diebus aliquot nuncios Perſa ad Romanum mittit, eumque in arenam provocat, modo liceret alterutri partium ſine noxa flumen transmittere, ut æquatis viribus experiantur, utra Gens alteri virtute militari præſtet. Accepit conditionem haud cunctanter Romanus, Varamo tranſitu in ripam alteram indulto; productis aciebus in longum tempus protrahitur dimicatio, ac tametſi numero præſtarent Barbari, ardore tamen qui mentes omnium inſederat, ſuperiores erant Romani Duce ſtrenuo, & rei militaris experiente uſi. Varamus mediam aciem ſupra modum premi conſpicatus, e ſiniſtro cornu detractam partem ſubſidio advocat; eo animadverſo Romanus majore in ſiniſtra quam alibi vi illatus ordines diſturbat, & hoſti luculenta clade affecto victoriam extorquet. Hactenus Romanos inter, & Perſas bellum ardebat, quod non pax, ſed inteſtina Perſarum calamitas dirupit; quam ſi opportunitatem Romani arripuiſſent, felicius illorum ſe res habuiſſent; ſed enim tot exhauſti præliis in lucro deputabant, ſi qua illis a bello daretur vacatio.

Hormisdas Rex Perſa audita Varami clade, immemor ſuperiorum, quas ille de Turcis retulerat, victoriarum, duplici eum ignominia notavit; nam & Præfecturam ei ademit militarem, & muliebres eidem veſtes ceu

 imbel-

A) Totam hanc Hormisdæ tragœdiam fuſiſſime deſcriptam exhibet Simocatta a p. 183.

A.C. imbellis animi viro in pretium navatæ operæ miſit. Irritatus hac con-
589 tumelia Varamus apertam adverſum Regem molitur rebellionem; utque pari Regem aſpergeret convitio, literas ad eum hoc titulo ſcribit: Hormisdæ Choſrois Regis Filiæ. Rex ut hominem ante ab exercitu detraheret, quam in ſe ſiniſtri aliquid moliretur, præcipuum e ſuis in caſtra ad exauctorandum eum mittit; Varamus Principem ad ſe miſſum elephanto conculcandum objicit, infeſtisque copiis, ad deturbandam ſolio Hormisdam adproperat. Confictis etiam literis, quibus a Rege ſtipendiorum pars militi detrahebatur, inviſum eum reddere ſategit, jam antea ob crudelitatem ac faſtum non parum militi exoſum. Intellectis quæ in caſtris acciderant, Hormisdas primum quidem magnis pollicitationibus placare Varamum voluit; quod cum non poſſet, ac ille in dies potentior formidinem augeret, inſolens ejusmodi rerum Regis animus ſic eſt efferatus, ut etiam de poteſtate mentis decideret; redditus tamen ſibi copias ſcribit, easque ducendas tradit Pherochami ſibi in paucis fido, adjuncto eidem Zadeſpra, quem peculatus accuſatum tenebat in carcere, tuncque precibus Pherochamis condonarat. Haud longe a Zaba flumine ut ventum eſt, Zadeſpras memor injuriæ ad Varamum deficit, eumque reliquus brevi conſequitur exercitus, Pherochame a propriis ſatellitibus interfecto. Audita exercitus defectione Hormisdas Cteſiphontem proficiſcitur res illic inſtauraturus; ſed eum illic inopinata procella aliunde commota funditus evertit. Bindoen cognatum intempeſtivo actus furore carceri manciparat pedes ac manus ferro conſtrictum; huic frater erat Besdas ejusmodi injuriæ impatiens, ac opportunam perturbatis rebus nactus occaſionem, armata aggreſti plebe, facto impetu Bindoen e carcere educit; itum eodem furore in palatium, ubi tunc Hormisdas auro gemmisque præſignis ſuperbo in throno conſederat, infortunii quod ſe expectabat, ignarus. Irrumpit Bindoes, coronam capiti, Regem throno deturbat; ac ludibriis proſciſſum in eundem quo egreſſus ipſe erat, carcerem compingit. Choſroes alter, filius Homisdæ major natu perculſus metu, ne furor ille ſe quoque peteret, fugam arripit; verum a Bindoe data fide revocatur, quod non alio conſilio deturbaſſet Hormisdam, quam ut ſubveheret Choſroen, quem pater regno excluſum voluerit, ut in minorem natu illud transferret.

Attonitus tanta calamitate Hormisdas conventum Perſarum fieri rogat, in eoque cauſam ex æquo ſuam diſcuti, paratum ſe ad æquitatem cauſæ defendendam. Die altero frequentes conveniunt Perſæ, adducitur miſerabili habitu Hormisdas, qui paulo ante Diis ipſis ſe gloria exæquabat; cauſam ſuam multis perorat, commemorat beneficia a ſe majoribusque in Perſiam collata; e præſenti fortunæ habitu flectere ad miſericordiam animos laborat; exponit Choſrois filii impietatem in patrem, minoremque filium eidem in regno præferri orat. Ea oratione non modo non inflexit animos Perſarum Rex, ſed etiam in furorem egit; in tantum jam illius odium increverat, ut nec tantæ calamitatis aſpectus ad miſericotdiam valeret quidpiam. Igitur quem ſucceſſorem ſibi volebat filium in medium cum matre adducunt, & in conſpectu Hormisdæ crudelem in modum ſerra medios dividunt; Regem oculis orbatum retrudunt in carcerem; Choſroen univerſi Principem ac Dominum conſalutant. Ac principio quidem ſat benigne in carcere pater a filio habitus; regium in morem ſubminiſtrata obſonia; ſed cum Hormisdas eorum attingere nihil vellet, dirisque omnibus devoveret filium, irritatus Choſroes, miſſis ſatellitibus tamdiu verberibus per ilia miſerum pulſari impetravit, quoaduſque animam extunderenr. Hic exitus tulit Hormisdam, miſerandus ſane niſi intolerando eum faſtu, ſceleribusque ſuis non ſemel promeruiſſet. Cædes hæ quaquaverſum audita, omnium a Choſroe animos alienavit; etſi enim Hormisdam omnes peſſime oderint, naturæ tamen ipſius jura per filium dirupta æquis intueri oculis nequibant. Igitur paſſim

paſſim ad Varamum Urbes, ac Proceres deficiunt; illeque in ſpem Im- A.C.
perii arrectus, promiſſa, ac literas Choſrois, ceu ſolio patrio indigniſſimi ni- 589
hili pendit. Reſtabat ut armis ſe Princeps regius tueretur; ſed dejecti militum animi, inſuper Procerum nonnullorum cæde irritati nihil fortunatum ſpondebant; ut tamen intentatum relinqueret nihil, ad Niſibin caſtra collocat, & quia ſpem compoſitionis omnem excluſerat Varamus prælio quamprimum decernit. Vix conſertis aciebus cum magnis irruerent, qui a Varamo erant animis, perculſus miles, & jam ante animo nutans tranſitionem ad hoſtem facit; Choſroe vix cum triginta ſatellitibus ſemet periculo ſubducente. Fluctuabat incertus conſilii ad Turcos, an Romanos, utrosque Perſarum hoſtes fugam intenderet Choſroes. Tandem libera equo fræna laxat ſecuturus eam partem, quam ſors ipſa dediſſet. In fines Romanos delatus ad Cerceſium Urbem a Probo res illic curante magnifice excipitur; ſupplicibusque literis Mauricii adverſus Varami Tyrannidem favorem, & arma implorat. Imperator dat in mandatis Commentiolo, ut Regem Hyerapolim deductum omni honoris ſignificatione pro dignitate accipiat; ignarus tunc quam funeſtam olim orienti in ſinu viperam foveret.

At Varamo ea victoria potito prona omnia erant in Perſide, unum 590
quod inſane deperibat diadema nondum capiti erat impoſitum; & ne Tyrannidis gratia eas commoviſſe turbas videretur, invito ſibi, ac in ſpeciem reluctanti a Proceribus imponi avebat. Quod cum non procederet alienis ab eo conſilio Perſis, ipſe ſibi magna celebritate coronam imponit, Regioque jam nomine rebus præeſt. Et hujus facti inſolentia, & Regii ſanguinis deſiderio permoti Proceres, ſenſim a Varamo averti, & ad Choſroen unum regni hæredem reſpectare cæperant. Nihil itaque tutum in aula Varamo ab inſidiis, & niſi multa manu Regiam communiviſſet, exorta Procerum ſeditio hominem everterat; hanc ille quidem multorum reſtinxit ſanguine, ſed eo fuſo plurium in ſe iram, & odia exſuſcitavit. Mauricius reducendo in regnum Choſroi copias, Ducemque ante omnia experientiſſimum Narſetem deſtinat; Regi vero ipſi auri multum largitur, ut pretioſis hiſce vinculis venales Perſarum ſibi Procerum animos adſttingeret; ut vero gratiam Mauricio aliquam jam tunc redhiberet Choſroes, duas Urbes Martyropolim, & Daram, quæ in fide illius manſerant, quondam Romanis ereptas, reſtituit. Interea Bindoes e carcere Varamo elapſus, ſollicitat paſſim Perſas ad partes Choſrois, nec modica adlecta manu ſtrenuam navat operam; Niſibeni quoque præſidiarii promiſſis illecti, ad Choſroen deficiunt, ac exercitus ad hos expugnandos miſſus, audita Procerum in aula cæde, in eandem cum Niſibenis ſententiam convenit; atque ita augeſcentibus undique Choſrois ſpebus, ac rebus, Varamus de Imperio vix adepto periclitari cæpit. Mebodem ad occupandam Babylonem cum aliqua militum manu mittit Choſroes; Urbs ſucceſſibus illius, Romanæque militiæ fama conterrita ſe dedit; eadem ſors Cteſiphonti fuit; atque Antiochiæ Perſarum. Una jam Varamo ſpes reliqua erat, ſi prælio ſuperior diſcederet; id ut perfectum daret, impedimento eſſe volebat, ne exercitus Narſetis, cum altero Romano exercitu, qui ex Armenia Duce Myſtacone adventabat, ſeſe conjungeret; verum is conatus eventu caruit; ad Alexandrinam ergo Urbem copiæ omnes Romanæ junguntur, ac illæ etiam, quas Mebodes ad occupandas Urbes abduxerat. Hic præliis aliquot minutioribus experti inter ſe Duces; & Choſroes quidem præcipiti abreptus æſtu ab infortunio propius aberat; hoſtem quippe e ſuperiore loco detracturus contra Narſetis conſilium in montem aſſilierat, actus in præceps, ac non parva ſuorum manu mulctatus. Varamus deſperata pugnæ alea quippe & numero, & virtute inferiores videbat ſuos, quod Choſroi qua Romanorum, qua Perſarum ſexaginta eſſent millia, ſibi vero quadraginta, prælium declinare incipit, inque interiores Perſidis partes ſecedere. Inſequitur recedentem

A.C. Narſes, & in campo patente ad dimicandum cogit. Conſueta ſibi pie-
590 tate actus, ſalutare, ac optimi ominis MARIÆ nomen pro teſſera militi dedit, A) neque ſolum Romanos, ſed & Perſas eo uti voluit, quo ſic & ab adverſariis internoſci poſſent, & virtutem tanti nominis experiri inciperent. Conſerto prælio ſiniſtra Romani exercitus ala turbata nonnihil fuit; verum ſubmiſſis Narſetis providentia e media acie ſupplementis reſtituitur pugna, ac calcatis Indicis elephantibus tam acris factus eſt in hoſtem impetus, ut convulſis ordinibus nemo hoſtium ſubſiſteret; campi omnes cadaveribus repleti, capta ſex Perſarum millia, pauci cum Varamo pedibus ſalutem quæſiere. Captivi Perſæ in Choſrois conſpectum adducti haſtis omnes confodiuntur mandato Principis recenti victoria ferocientis; Turcæ his immixti dono mittuntur ad Mauricium, in quorum frontibus inuſtæ viſebantur cruces. His enim ut poſtea relatum eſt, matres illos adhucdum infantes inſigniverant, ut peſti apud eos graſſanti eriperent, quod portentoſam Crucis virtutem e Chriſtianis aliquando audiſſent. Choſroes Varami partibus per eam victoriam penitus proſtratis, exercitum Romanum non amplius eo ſibi opus eſſe dictitans, ad ſua remittit, nec muneribus ullis, nec honore aliquo ſingulari excultum; mille tamen viros, quibus in tanta Barbarorum perfidia vitam tuto crederet, ex iis penes ſe habere voluit. Obtento regno acerbam de inimicis ſuis ſumit vindictam: Bindoen etſi de ſe optime meritum, quod in Regem manus extendere auſus eſſet, in flumen agit præcipitem. Varamum fuga in extremas oras abductum ſervavit. Memor vero idem Rex promiſſi a ſe olim facti, quo ſe S. Sergio Martyri obſtrinxerat, Crucem auro, gemmisque præfulgidam in ejus ædem miſit perenne recuperati ejus auſpiciis Regni monumentum. Quin non deſunt, B) qui eum ex animo Religionem Chriſtianam amplexum ſcribant; verum illum & Gentilium erroribus implicitum manſiſſe, & odio Chriſtianorum ſacra proſecutum, ex rebus poſtea geſtis indubium eſt. Pax deinde firma inter Romanos, & Perſas conſtitit. Mauricius Imperator beneficia in ſe collata, ut obſequio remetiretur aliquo, C) Magnæ Dei Matri ſupplicationes in Blachernis decrevit præſcripto modo, quo laudes illius eſſent frequentandæ, quam celebritatem panegyrim nuncupavit.

591 Ut vero familiæ proſpiceret ſuæ, firmaretque in ea Imperium, Theodoſium filium etſi annos quatuor tantum cum ſemiſſe natum, corona Imperiali redimitum ſucceſſorem deſtinavit. Cum fama crebreſceret Avares facturos de more irruptionem in Thraciam, eorum retundendæ inſolentiæ expeditionem ipſe ſuſcepit, fruſtra ab eo conſilio illum revocantibus & Senatu, & Auguſta. In hoc itinere cum Heracleam tendit Mauricius, animi verius cauſa, quam quod hoſtile aliquid moliretur, res illi quædam evenere ſiniſtri ominis, quæ animum futurorum metu turbarent; nam & equus Imperatorius phaleris ſuperbus, medius ſubito diruptus eſt, & ventorum rabies inſolitum eſt perbacchata, & infans natus eſt ſine oculis, ſine palpebris, ſine manibus, cujus pars ima in piſcem deſinebat. Ipſe demum Imperator apertiſſimum ſubiit diſcrimen ab apro inuſitatæ magnitudinis, recalcitrantre equo tantum non obtritus; quo tempore ſigno crucis fronti impreſſo adverſus ſiniſtrum ſe caſum communierat. Illud etiam in hac profectione memoratu dignum, quod particula Dominicæ Crucis prælto haſtili ante exercitum ſit prælata. D) Iter hoc ad oſtentationem magis, quam commodum aliquod ſuſceptum, brevi eſt intermiſſum: nam & oſtentis hiſce Mauricii animus haud mediocriter eſt perculſus, & Legati Perſarum,

A) σύμβολον δὲ οἱ ῥωμαῖοι καὶ συμαχέσι βαρβάροις παρέχοντο τὴν τῆς θεομήτορος προσηγορίαν διδάξαντες quæ Simocattæ verba ita vertit Pontanus: pro ſymbolo autem Romani ſocios etiam barbaros ſalutationem Dei Matris ac Virginis docent. Per vocem προσηγορίαν alii nomen duntaxat Deiparæ intelligi volunt. B) Evagrius lib. 6. C) Theophanes in Chron. p. 178. D) Ex ejusmodi Simocattæ narratione intelligas, quam vetus hic apud Chriſtianos rebus ſacris honos, quem ut novitium inſulſe quidam criminati ſunt.

ſarum, ac Francorum hiſce diebus Byzantium appulſi reditum illius ma- A.C.
turarunt. Ac Perſæ quidem egere de pace confirmanda; Franci vero ſuam polliciti ſunt operam ad perdomandos Avares, ſi annuum iis ſtipendium Imperator promitteret; rejecit conditionem Mauricius minime ratus expedire auxilia Gentium, quæ ſpecioſo prætextu tributarium facerent Imperium; maluitque Francos amicos habere quam vicinos. A)

Chaganus bellorum & rapinarum avidus, augmentum ſibi ad conſue- 592
tum tributum dari petierat, rejectus a Mauricio; bellum inde atrox, ac diuturnum geri cæptum. Exercitu ſat magno comparato dat negotium a) Sclavis Chaganus, uti ad faciendum tranſitum pontibus Iſtrum conjungant, ac fruſtra opus prohibentibus Mauricianis, Avares bellum Thraciæ inferunt. Imperator Priſcum ex adverſo opponit, addito Legato Salviano; hic cum mille equitibus præmiſſus, ac forte in univerſum hoſtile agmen delatus pedem referre cogitur. Delati Avares Anchialum, Urbem, & Alexandri Martyris templum ignibus exurunt. Exin obſeſſa ab iisdem eſt Drizipera reſiſtentibus animoſe incolis, ſed quibus in ſubſidio Divino, quam propriis viribus plus ſpei erat repoſitum; nec ſane illos fefellit: media etenim luce reſeratis portis videre ſibi viſi ſunt Avares innumeram bellatorum aciem adverſum ſe in apertum prorumpere, atque hoc viſo exanimati, aliorſum furorem vertere. Priſcus univerſam Thraciam, Byzantiumque ipſum in diſcrimen videns adductum, etſi copiis multum inferior manus cum Rege conſerit, verum ab eo poſt breve certamen in fugam conjicitur. Cumque nihil ſibi uſpiam tutum cerneret, in Tzurulum munitam Urbem includit ſemet. Chaganus Ducis adeo celebris captivandi inflammatus deſiderio, acri eam obſidione circumvallat. Æſtuabat Mauricius rebus tam infeliciter adminiſtratis; cumque viribus Barbarum ab obſidione depellere deſperaret, fraudem comminiſcitur: literas maledictorum in Avares plenas Priſco mittit; in quibus hortabatur magno eſſet animo, impetum ſuſtineret tantiſper, a ſe enim alium jam expeditum eſſe exercitum, qui claſſe per mare facto circuitu ipſam Avarorum regionem viris deſtitutam aggrederetur; futurum brevi ut univerſæ Gentis excidio damna toties perfide illata penſaret Chaganus. Atque has literas deſtinato conſilio ita expedit, ut in manus Barbari delaberentur: lectis iis Chaganus cum vera ſcribi autumaret, ne tantum domi acciperent infortunium, dum obſidio longius protrahitur, compoſitis cum Priſco rebus, poſtquam auri quidpiam ab eo emunxiſſet, ad ſua feſtinato exercitum reduxit. C)

Confecto utcunque cum Avaribus negotio, ad Sclavos edomandos, 593
qui nuſquam ab injuriis Romano ſolo inferendis temperabant, Priſcus mittitur cum exercitu. Offendit res illa Avarum Regem pacem hoc modo rumpi arbitratum; verum Legatione miſſa didicit expeditionem illam non attinere Avares. Superato Priſcus Iſtro Ardagaſtum Sclavorum Ducem ex inſperato nihil tale metuentem ſub noctem aggreditur, militemque illius magna parte captivum abducit, Dux ipſe ſalutem velocitati pedum debuit; præda ingens facta; ejus oſtentandæ gratia, gloriæque aucupandæ, eam totam Priſcus Byzantium portandam cum militum globo tradit Tatimeri; ſed exercitus laborum ſibi fructus præripi ferebat quam moleſtiſſime, & male res Priſco ceſſerat, niſi idonea oratione, gloriæque quam Byzantii indepturi erant, cupidine permotos in ſententiam pellexiſſet. Verum nihil propius factum, quam ut per iter præda illa amitteretur, Tatimere dum ſolutius genio indulget, ad famam prædatoriæ manus ingruentis fuga Byzantium dilapſo. Milites tamen virtutis ſuæ

non

A) Jactatum apud poſteriores Græcos proverbio eſt: τὸν Φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα μὴ ἔχῃς Francum amicum habeas, vicinum ne habeas. B) Ex hoc patet Sclavos alios quidem ſubjectos fuiſſe Avarum Regibus, alios juris ſui exſtitiſſe, eos crediderim, qui regiones incolebant, quæ nunc Moldaviæ, & Valachiæ appellatione veniunt. C) Et iſta multis Simocatta p. 240. ac ſequentibus.

A. C. 593 non immemores prædam pro virili tutati Byzantium magnifice induxerunt. Quo ſucceſſu lætus Imperator ſupplicationes in Urbe decernit nocte una in Templo principe pervigili ad perſolvendas Deo grates traducta.

Priſcus utendum porro fortuna ratus, interiora Sclavorum loca penetrat, captosque nonnullos Gæpidum quæſtionibus de hoſtium rebus pertentat. Tum vir Gæpida pollicetur Sclavorum exercitum cum Rege eorum Muſoio, Priſco in manus daturum, ſi debita facti tam inſignis gratia ſibi referatur. Pollicetur maxima quæque Priſcus. Gæpida adit Muſoium, hortatur, lembos quam plurimos ad ſubditos Adragaſti transvectandos per flumen Paſpirium ſubmitteret, tanta calamitate a Romanis oppreſſos. Muſoius magnam expedit lintrium copiam, ſed cum ſolutius portitores illi agunt, Gæpida proditor nocte concubia ducentos ex inſidiis milites immittit, lintribusque potitur. Adeſt ocyus Priſcus, lectoque milite per flumen trajecto, nihil tale metuentem Muſoium, & crapula diſtentum (funebria quippe eo die fratri perſolverat) ſub noctem vivum capit, plurima Sclavorum multitudine conciſa. Ab ea cæde collecti in unum Sclavi, furoreque ob captum Regem ſupra modum elati regreſſos trans fluvium Romanos inſequuntur; & vicem remenſi fuiſſent hoſtibus vino, ſomnoque ab ea victoria indulgentibus, niſi Genzo Legatus Priſco pene jam ſuo cum ſatellitio oppreſſo, cum peditatu præſto fuiſſet. Ita accepta licet non parva clade ſervatus eſt exercitus; at inflammatus in negligentiam ſatellitum Priſcus, eos ad unum interimit, quorum indiligentia pene ſe, exercitumque perdiderat.

594 Ad proſequendum in Sclavos bellum cum primum per tempus licuit, trajicit rurſus Priſcus Danubium; vix rem perfectam dederat; rumor ſpargitur, Chaganum in armis eſſe, jamque Sclavis ut Iſtrum trajicerent in mandatis dediſſe. Hominis placandi gratia Theodorum Medicum Priſcus allegat virum facundia præpollentem, qui Regem ab incepto retraheret, & reapſe exercitum produxerat Chaganus, incrementa Priſci contra Sclavos, diſpendia ſua arbitratus. Theodorus multa oratione, exemploque potiſſimum Seſtoris Ægyptii Regis enarrato, qualiter ille Reges captivos currui jungere ſolitus, a quopiam eorum de fortunæ volubilitate admonitus ſit, quæ rotæ in morem inſtabilis agatur, ſic Regis animum placavit, ut ad ſua regreſſurum ſe continuo promitteret, ſi prædæ partem a Sclavis obtentæ ſibi Priſcus largiretur. Itaque quinquies mille Sclavi captivi Chagano prædæ loco dati; quod tamen a Mauricio improbatum.

Priſco poſtea ab exercitu remoto, ſuffectus in ejus locum eſt Petrus Mauricii frater; qui tamen dum furore magis, quam ratione præliatur nihil operæ pretii egit. Adventu illius in caſtra, militaris commota eſt ſeditio, quod ſtipendia, contra quam adhuc factum erat, partem in veſtibus, partem in armis, partem vero in ſignato auro miles accipere Imperatorio edicto juberetur; nec ſeditionem comprimere Petrus, niſi alia conficta largitione potuit, quod ſcilicet decreviſſet Imperator, milites veteranos periculis defunctos in Urbibus vacationem a bello habere e publico alendos, filios vero parentum loco in album militum referendos. Expeditioni huic & illud moram injecit, quod Petrus dum venatu oblectat animum, illiſo in arborem pede vulnus grave acceperit; Imperatorio tamen admonitu ſegnitiem incuſantis tametſi æger profectionem Iſtrum verſus ſuſcepit. Mille expediti e Romano præibant exercitu, atque in totidem Bulgaros de inproviſo incurrerunt; hi quod Romanos inter & Avares pacata eſſent omnia, nihil inimicum ſubveriti tuto iter peragebant, cum præcurſores illi infeſta Bulgaris ſigna obvertunt; deprecantur illi pugnam, quod nihil cum Chagano diſcordiarum Duci Romano intercederet; A) ac eapro-

A) Ex hoc apparet Bulgaros quoque Avarum Regi fuiſſe obnoxios. Singedonium Urbs eo loco, quo nunc Semendria infra Taurunum.

eapropter Petrum appellant, is furore inconſulto excidium comminatur Bulgaris; itaque cohortes illæ pedem conferunt, ac Bulgaris ſtrenue rem gerentibus clade non parva affectæ ad exercitum refugiunt. Re Chaganus intellecta, de violatis fœderibus expoſtulat, ulturus abs dubie majori clade factum, niſi Petrus ſpecioſo, & Duci parum decoro mendacio culpam omnem in Præfectum illius cohortis rejeciſſet, qui ſe neſciente pugnam cum Bulgaris miſcuerit; ſpoliis, muneribusque miſſis Regis animus utcunque delinitus, præter morem ſe continuit. Defunctus hoc periculo Petrus, exercitum adverſus Sclavos promovet; cumque ad fluminis trajectum ventum eſſet, miles ſcapharum beneficio per partes in ripam adverſam eluctari cæpit; ſed res infeliciter cecidit; namque in ſalictis, & dumetis abditi Barbari, quotquot fluvium transmiſerant, ſubito peremere; ignari caſus hujus reliqui trajecto fidenter amne in eosdem caſſes decidunt, ſicque ad mille necantur. Petrus id quod res erat, tandem ſuſpicatus plures una lintres agi, militeque conſterni fluvium præcipit in omnem caſum intento; ea multitudine conturbati hoſtes fugam ineunt; cæſi non pauci; in his ipſe Piragaſtus Sclavorum Ductor. Superato eo flumine, in interiora regionis capeſſunt iter; ſed viarum & loci inſolentia acti, in eam devenere calamitatem, ut complures dies aqua eos penitus deficeret, ſitique pene emoreretur exercitus. Tandem ad Helibacium amnem profecti, cum ſitim in viſceribus furentem ſedare omnes cupiunt, periculum amittendæ vitæ incurrunt. Barbari enim in adverſa ripa denſis protecti arboribus ingenti numero in adfuſos amni milites tela contorquent. Et metu itaque vitæ amittendæ, & ſitis rabie extimulati ad propulſandos hoſtes amnem transmittunt Romani, verum Sclavis ſtrenue dimicantibus, ac loci ipſius natura adjutis accepta clade in fugam vertuntur. Petro ob male geſtum negotium imperium militare abrogatur, redditurque Priſco, & regionum, & rei gerendæ magis gnaro.

In Africa ſub idem tempus cum perfidis toties Mauris perfidia quoque dimicatum eſt. Gennadius Provinciæ Prætor iis tumultuantibus, & fœda populatione Provinciam diripientibus pollicetur omnia, quæ illi poſtularant, ac bellum componit; læti ea re Mauri dum in caſtris crapulæ, & genio velut re feliciter geſta indulgent, adeſt cum exercitu Gennadius, ac ingenti cæde profligatis iis, Provinciæ tranquillitatem reddit, quam fruſtra antea pactionibus initis procurabat.

Priſcus accepto exercitu Petri ſocordia multum imminuto, ut cla- 596
dem Sclavis rependeret, ſuperato Iſtro rei gerendæ ſe accingit; verum Chaganus expeditionem interrupit, cum crebra Iſtri trajectione ſuis periculum creari regionibus non ex vano autumaret. Expoſtulat proinde cum Priſco, quod is armatus in terras ſuas pedem intuliſſet, & reipſa bellum trans Iſtrum portat; diruit mœnia Singidonis traductis alio civibus, Bangas Urbem in Dalmatia cum quadraginta aliis munimentis in deditionem accipit, ingentem e tot direptionibus prædam accumulat; eam tamen male partam non diu poſt male perdidit. Gondois enim Tribunus cum bis mille militibus a Priſco exploratum miſſus, quid rerum Avares molirentur, occultis means tramitibus, in eas devenit montium anguſtias, ubi duo Avarum millia prædam omnem aſſervabant; in hos facto per tenebras impetu, cæſis aut diffugientibus omnibus præda potitus eſt. Ea re cognita ira infrendens Rex Avarum ad ſua majoris metu mali quietus abit.

Biennio fere ab his rebus geſtis Thomeam in Thracia iterum Rex 599
obſedit; adeſt ſuppetias laturus Priſcus, & pone Urbem uterque exercitus hyemem in caſtris agit. A) Evoluta ea anni tempeſtate aderant pro foribus Chriſti de morte triumphantis feſti apud Chriſtianos dies, ac Romanus exercitus in ſummas rei cibariæ anguſtias redactus inedia conficiebatur; re comperta Chaganus exemplum ſane non barbaricum huma-

 nitatis

A) Simocatta p. 262.

A.C. 599 nitatis in Priſci militem edidit; namque ut illi feſtos hoſce ſolemni cum lætitia dies tranſigerent, currus multa annona oneratos devehi in eorum caſtra imperat, & factis in quinos illos dies induciis libere, quæ collibitum foret, mercandi ab Avaribus poteſtatem indulget; Priſcus in vicem aromata idque genus ex oriente munera Regi eſt elargitus, ſicque dies illos commiſti inter ſe Avares & Romani, ac pene in iisdem tentoriis exegere. His præterlapſis Chaganus ſecerni jubet exercitus, rurſumque bello gerendo intendit. Audierat cum magnis adventare copiis Commentiolum, & ad Nicopolim tendere; ut igitur tranſitum eidem in regionem ſuam præcluderet, eo feſtinus accurrit. At vero a Commentiolo uſque adeo perturbate, ac tumultuarie res geſta eſt, ut non ex vano ſuſpicio fuerit, ab eo exercitum hoſtibus proditum; quin rumor increbuit Mauricii juſſu A) ex compoſito in perniciem exercitus cuncta ab eodem fuiſſe adornata, ut ſic Imperatoris contempti, motarumque vice non una ſeditionum pœnas penderet. Et profecto ſi ad ea attendimus, quæ conſecuta ſunt, nec Commentiolus, nec Mauricius ejus criminis expertes fuiſſe videntur. Cum enim Commentiolus hoſtium adventum optime noſſet, nec exercitum uti ſe in hoſtem armaret, præmonuit, nec de loco proſpexit idoneo, inſuper hoſte jam ingruente de loco in locum mutabat ordines, eaque commixtione perturbationem gignebat; denique Avaribus impetum facientibus, primus ipſe relicto exercitu fugam arripuit. Miles capite imminutus, etſi primo viriliter hoſti reſtitiſſet, tamen proditum ſe ratus, ſaluti ſuæ qua poterat, conſuluit; fit cædes maxima, millia duodecim ab hoſte capta; Commentiolus Byzantium uſque iter accelerat; milites reliqui tota Thracia ſparguntur. Ingens exorta rebus his auditis Byzantii trepidatio, velut hoſte jam ad portas poſito univerſi, ipſeque Imperator adverſus imminentem ſeſe perniciem obarmant. Chaganus Urbem Drizipera oppugnatam brevi in poteſtatem redegit, ubi ejus milites barbaricum in morem Templum S. Alexandri incinerarunt, lipſanis ejusdem Divi fœde habitis, ac diſſipatis. Non defuit de tanto ſcelere ultio Divinitus: lues in exercitum immiſſa ſic attrivit ſacrilegos, ut luctu omnia & cadaveribus complerentur; Rex ipſe continuatis funeribus ſeptem filios etulit, animo ex ea re mœrore obruto, & victoriam, quæ ſibi tam fatalis extitiſſet, execrante. Inter Avares poſtea tanta clade mulctatos, & Imperatorem convenit, ut utrique ditiones ſuas Iſtro terminarent, inſuper ad conſuetam penſionem vicena aureorum millia Chagano adderentur. Actum de captivis quoque militibus in libertatem aſſerendis; Rex Avarum in ſingula capita aureum ſibi dari nummum poſcebat, negabat Mauricius; dimidio dein in militem quemvis nummo ſe contentum fore ſignificat Chaganus, ſed a Mauricio rurſum rejicitur; ergo ceraria quatuor pro quovis ſibi pendi poſtulat, ſed & hic patitur repulſam. B) Quamobrem ira inflammatus Rex captivos milites ad unum omnes interemit. Atque ex intempeſtiva hac Mauricii avaritia, & odio militum ingens malorum cumulus, primum quidem in ipſum, deinde in Imperium omne emerſit. Exercitus per Thraciam ſparſus Imperatoris acriter inſectatur ſordes, qui tantillo pretio negato tantam miſerorum militum multitudinem Barbarico objeciſſet ferro; atque ut a ſe ignominiæ notam depelleret, Legatos mittit Byzantium, qui Commentiolum proditi exercitus arceſſerent. Non modo non audiuntur, ſed Phocas unus e Legatis Centurio audentius in præſentia Imperatoris prolocutus, colapho a quo-

A) Chronicon Alexandrinum expreſſe p. 302. Μαυρίκιος ὁ βασιλεὺς τῷ στρατηγῷ κομεντιόλῳ ὑπέθετο τὸ ῥωμαϊκὸν στράτευμα παραδοῦναι πολεμίοις Mauricius Imperator dedit in mandatis Commentiolo, ut Romanum exercitum hoſtibus proderet. Idem ſuſpicantur ex communi fama Theophanes, & reliqui. Simocatta vero præ reliquis res Mauricii proſecutus, factum hoc Imperatoris non attingit, uti nec cædem captivis per Chaganum illatam. Clades porro hæc teſte Simocatta ad anguſtias montium contigit, quæ creberrimæ iis locis occurrunt, quas Romani clauſuras dicebant. Græci vero Scriptores κλεισσούρας, ac hodieque incolæ cliſſuras vocant. B) Theophanes p. 187.

a quodam Procerum impacto dicacitatem luit, barbaque eidem per contumeliam vulſa. Commentioli porro accuſationem tantum abeſt ut admiſerit Imperator, ut eum primo quoque tempore exercitui rurſus præfecerit. Ea re in tantum apud milites incurrit odium, ut jam tum de tollendo Mauricio conferrent inter ſe capita; ſed nec populus melius in eundem fuit animatus, nec convitiis palam in illum ceu proditorem militum, perniciemque Reipublicæ temperavit. A.C. 599

Sub idem tempus Joannes ille Jejunator Antiſtes Byzantinus e vivorum numero exemptus; qui victus, ac cultus aſperitate maximam ſibi apud omnes ſanctitatis famam paraverat; Imperator defunctum tanto eſt honore proſecutus, ut veſtium reliquias ſummo haberet in pretio, in ejusque lectulo ſomnum caperet. Cæterum hic Jejunator Gregorio Pontifici tunc Romano nequaquam probabatur, A) quod ſub horrida virtutis ſpecie magnam intus contegeret animi arrogantiam, qua ſibi Oecumenici, ſeu Univerſalis Præſulis nomen primus uſurpare auſus fuit; quem deinde titulum etſi ſummis viribus adniterentur Pontifices Romani, nequaquam tamen Byzantinis Præſulibus abradere potuerunt; tumque diſſidii illius nunquam ſatis deplorandi ſemina fuere jacta, cum Jejunatoris illius factum alii in exemplum traherent, nec ſubdi Romano vellent, qui titulo Univerſalis Præſulis cunctis ſemet anteferebant. Adeo nihil perinde ad perniciem humani generis comparatum eſt, atque arrogantia pietatis fuco obvoluta.

Pax Perſas inter Romanosque pene hoc tempore diſciſſa eſt, Saracenis Romanorum ſociis Perſidem incurſare auſis; tamen miſſis ultro citroque Legationibus, ignis ille in cinere gliſcens eſt conſopitus. Expeditus belli hujus formidine Imperator, ſolicitusque ne per otium tumultuari in ſe miles occiperet, vel magis quod pacis cum Chagano initæ eum puderet, negotium omne infectum habet, Priſcumque cum Commentiolo ducere adverſus Barbaros jubet. Armantur Avares propere, quos tam repens expeditio multum perculerat; quatuor Regis filii defendendum ſibi Iſtri trajectum ſumunt, validis Rex ipſe conſcribendis copiis dat operam. Et tranſitum quidem præpedire Avares omnino non valuere; transgreſſus exercitus haud longe Viminacio conſidet, caſtris vallo & aggeribus communitis; Commentiolus ægritudinis obtentu Viminacii B) remanens Priſcum res curare jubet. Adfuit haud multo poſt Avarum exercitus, ſolitoque ardore Romanum vallis, & foſſis protectum adoritur. Pugnatum ſtrenue ad multam noctem, ſecundior tamen Romanis ea fuit dimicatio, namque horum trecenti, illorum millia quatuor occubuere. Tertio poſt eam rem geſtam die aperto jam in campo exercitus concurrunt: Priſcus triplici inſtructa acie rem ita ordinat, ut furente jam Marte ſubito utrumque cornu ſeſe in longum diducerét, contractisque iterum agminibus in medio Avares occuparet; quod & ceſſit feliciter; novem Avarum millia eo prælio deſiderata. Dies decem ab ea pugna intermiſſi, reditur iterum in aciem, obſtinatiſſimisque animis in multam diem pugnatur. Loca paluſtria, & uliginoſa Barbaris a tergo erant, Romani e ſuperiore loco acti in eos præcipites, obſtantes proterunt, & in paludes adigunt; hic miſera oritur conflictatio, dum Avares cum hoſte non minus, quam cum aquis, cœnoque luctantur; ingens eorum cædes edita, quindecim millia cum filiis Chagani intereunt. Rex ipſe difficili fuga ad Tiſſum C) amnem elabitur, totque cladibus ferocior magis redditus, quam fractus, copias reparat. Decretorius itaque dies certamini non longe poſt utrinque præfigitur, & obfirmato ad pereundum, 600

A) Mire Jejunatorem hunc deprædicat Simocatta p. 257. Videndus de eo Baronius ad annum Chriſti 596. B) Viminacium ut ex contextu apparet, fuit in inſula, fors non longe Vidino ſita, vel certe in eodem, ubi nunc Vidinum eſt, loco; quanquam deſcriptio Procopii diſcrepat, qui Viminacium longe ſupra rudera pontis Trajani collocat, cum Vidinum infra ſit. C) Fluvium hunc nunc Latino vocabulo Tibiſcum dicimus, ſed accolæ veterem conſervant nomenclationem.

A.C. aut vincendum animo dimicatur; in eo tamen prælio denuo Chaganus
600 inferior abſceſſit. Felici hoc rerum ſucceſſu uſus Priſcus, millla militum quatuor trans Tiſſum flumen mittit, viſuros quo ſe darent Avarum molimina; A) hi in tres Barbarorum vicos ſub crepuſculum matutinum incurrerunt, quibus nondum de prælio facto conſtabat, ac proinde ſui ſecuri feſtum illum diem, noctemque inter convivia, ac tripudia exegerant; ſtrati ſomno Avares opprimuntur ab expedito milite, cæſa hominum triginta millia, prædaque multiplex congeſta. Inſtauratis iterum copiis adeſt Chaganus illatas ſibi clades repenſurus, ſed iterum res Romana fit ſuperior; tria Avarum, Gæpidum, & Sclavorum B) complura millia captivantur, ac vinculis graves Thomeam mittuntur. Chaganus fraude deludendum hoſtem, quando vires non procederent, ratus, Legatos magna feſtinatione mittit Byzantium, qui reddi ocyus captivos peterent, niſi extremam terris ſuis vaſtitatem Imperator inferri malit. Ignorabat adhuc res ad Iſtrum geſtas Mauricius, itaque graviorum metu malorum dat confeſtim ad Priſcum literas, ut captivos omnes ſine pretio Regi reddat, ſicque ingens illa captivorum multitudo ad Chaganum revenit; quæ res altera forte fuerit, militaris in Mauricium odii cauſa.

601 Lætitiam e tot victoriis Byzantium allatam auxere una ex parte nuptiarum ſolennia, quibus Theodoſius Imperatoris filius Germani Senatoris virique præcellentis filiam ſibi deſponderat; at ex altera parte angebat Mauricii animum gravis triſtitia, tum quod militem in ſe efferatum, populum penitus alienatum videret; tum quod oſtenta quædam, & triſtes futurorum prædictiones terrerent. Nam & monſtra quædam in Urbe, alibique reperta in ſiniſtram partem auguriis dabant occaſionem, & vir quidam Aſcetes Divino, ut videbatur, afflatus ſpiritu diſtrictum tenens manu gladium per Urbem gradiebatur, palam omnibus triſtem Mauricio exitum gladio incurrendum prænuncians. Sed ante omnia conſcientiæ ſtimulis acriter perurgebatur Mauricius, Princeps alias religione integerrima, quod tantum militum, qui tantillo redimi poterat, numerum ſiviſſet ab hoſte trucidari; nec tam præſens reformidabat infortunium, quam æternum interitum perhorreſcebat. Itaque illud a Deo ſupplex efflagitabat, ut in viventem ſe potius, quam vita exutum iram vindictamque profunderet, ac temporaria calamitate æternam commutaret. In eam rem, & ipſe fundebat preces, & viros Divino cultui ferventius intentos idem ut facerent, orabat; miſſis etiam in eam rem per Ægyptum nunciis ad eos, quibus in ſolitudine cum uno Deo res erat.

Prænunciatum interea eſt Mauricio C) a neſcio quo, nomen illius, qui ipſum interempturus erat, a litera φ inchoare; ea re in ſuſpicionem adductus eſt a Philippico ſibi interitum parari, cui ſoror Mauricii in conjugio erat, rebus geſtis claro, ac ſibi in primis fido; neque ullis delere obſequiis ſuſpicionem illam Philippicus potuit, quoad Mauricio ejusmodi per ſomnum ſpecies oblata eſt: videbatur ſibi adſtare Salvatoris imagini ad portam æream, audireque ex imagine hanc vocem: producite in medium Mauricium; productum vero interrogari, ubinam vellet pro factis ſuis ſibi retribui, ſe vero ſubmiſſe orare, ut hic potius quam poſt vitæ exitum; quo dicto Salvatorem juſſiſſe Mauricium tradi cuidam Phocæ cum omni ſua proſapia. Imperator ſomno excitus grates Numini pro eo judicio rependit, animo in omnem caſum obfirmato. Enarravit poſtea Philippico ſomnium, quive & qualis vir eſſet Phocas ex eo didicit. Et ſane non longe dilatum eſt ſupplicium.

602 Fervente adhuc cum Avaribus bello Chaganus nihil tot cladibus dejectus geminum producit exercitum; alterum committit Apſico, ut exercitum Romanum ad cataractas D) diſtineret, locumque ſi poſſet eriperet inte-

A) De his prælis prolixe more ſuo Simocatta a p. 274. B) Simocatta tria Avarum, Sclavorum octo, reliquorum ſex millia & ducentos eo prælio captivos ſcribit effectos, multo minorem numerum ponit Theophanes. C) Theophanes p. 190. Cedrenus. D) Harum meminit Ptolomæus, & Suidas, ſuntque illæ Danubii infra Orſovam anguſtiæ,

interea, dum ipſe per Thraciam furorem, & copias effunderet. Non ali- A.C.
quid memorabile ea æſtate inter utrosque geſtum, quod ſiniſtra uſus fortuna 602
declinaret conflictum Chaganus, & acceptum damnum inferenda regionibus Mauricii vaſtitate magis, quam juſto prælio ſarcire ſtuderet. Ad ejus conatus infringendos dederat Imperator in mandatis Petro fratri ſuo, quem exercitui in eum annum præfecerat, ut trans Iſtrum militem in hyberna duceret; ſive detracturus hoc modo Chaganum majoris metu mali e Thracia, ſive ut hac ratione commeatui ſumptibusque in militem parceret; erat enim Mauricius paulo, quam Imperatorem decebat, tenacior. Exercitum jam ad Iſtrum poſitum Petrus per internuncios de voluntate Imperatoris commonefacit; reclamant plerique omnes; fremere, ac tumultuari miles, execrari Mauricii auſpicia, coitiones inter ſe facere, poſtremo conjurati in illius perniciem Phocam Centurionem in ſcutis ſublatum Ducem exercitus proclamant. Legati, & Tribuni ad Petrum non longe poſitum celeriter recurrunt, quantumve in diſcrimen res adductæ forent, edocent. Abnuebat autem miles Iſtrum transmittere tum ob penuriam rerum, quæ eos ibidem hyemem acturos manebat; tum ob frigorum, quibus non inſueverant, iis in locis inclementiam; tum ob Barbarorum, quibus perpetim exponendi erant, incurſus. Petrus Byzantium adproperat, nuncioque inexpectato Mauricium percellit; ne tamen populo in ſe minus benevolo turbandi daret occaſionem, nullum præſefert metum, verum omni ratione ludis etiam exhibitis captat benevolentiam. Et acclamaverat mobile ad omnem auram vulgus pro defenſione Mauricii, ſed fervor ille animorum ut præceps, ita brevis extitit. A) Factiones interim Urbis Venetam, & Praſinam, quarum æmulationibus res Byzantina præcipitabat, arma jubet capere, & pro defenſione Urbis adverſus inſanam militum licentiam excubare.

Accedebat magnis jam itineribus Urbem verſus exercitus perduellis; miſſis Legatis Phocæ animum pertentat Mauricius, ſi qua placari, aut in concordiam adduci queat; verum ille ſubita illa dignitate, & fortuna ebrius, nihil pro ſano agebat, ne reſponſo quidem Legatos dignatus. Amoliendæ tamen a ſe invidiæ, neque enim adhuc Tyrannidis occupandæ voluntatem præſetulerat, Legatos ſinit mitti ab exercitu, qui Theodoſium, aut eo abnuente Germanum ad Imperium occupandum invitent; hi tum animi cauſa apud Calicratiam diverſati venatui indulgebant. His cognitis Imperator Theodoſium, ac Germanum extemplo in Urbem accerſit, & hunc quidem affectatæ Tyrannidis, & concitati tumultus inſimulat. Germanus admonitu Theodoſii B) fuga ſe cum ſatellitibus ſuis primum quidem ad Dei Genitricis, deinde vero ad D. Sophiæ proripit; eum vi illinc protrahere conati erant Prætoriani a Mauricio immiſſi, ſed a conferto populo id perfectum dare prohibiti ſunt; inſuper populus ob Germanum primum quidem convitiis aperte inſectari Mauricium, deinde etiam ignem ædibus ſubjicere, prorſus omnia tumultu, & odio in Imperatorem miſceri. Cum ſic res ſuas appropinguante perduelli exercitu penitus afflictas videt Mauricius, nec quidquam in populo ſpei reliquum, nocte intempeſta cum conjuge, liberisque omnibus depoſito Imperiali amictu conſcenſa nave fugam init, populo converſis tam cito ſtudiis plurimis eum maledictis proſequente. Jactatus gravi tempeſtate, vi tandem Autonomum ſalvus defertur; ſed hic alia ex alia in eum calamitas ingruit; namque ad fugæ metusque incommoda acceſſit gravis podagræ dolor, quo proſtratus nec fugam ultro celerare, neque aliquid defendendi ſui cauſa moliri poterat. Theodoſium quidem filium ad Choſroen allegarat, uti memor præſtiti ſibi quondam beneficii vicem ad eam calamitatem detruſo rependeret, ſeque adverſus Tyrannum Phocam vindicaret; verum illum

A) Theophilactus, Simocatta p. 280. B) Theodoſium verberibus a patre male acceptum fuiſſe, quod Germanum ut ſibi caveret, admonuiſſet, & Simocatta, & Theophanes produnt.

A.C. 602 jam Nicæam appulſum neſcio quas ob cauſas A) ab itinere revocarat. In Urbe interea creſcente tumultu, magnis animis in res novas populus ardebat. Germanus opportunum rebus ſuis tempus nactus, populum in partes ſollicitat; ſed obſtabant Praſini, quod ille Venetorum antea partibus adhæſiſſet; itaque ſpe illa dejectus ne vita quoque excideret, ad Phocam ſemet aggregare properat. Is jam cum exercitu in Hebdomum pervenerat, illucque populum ad ſe univerſum cum Præſule Cyrino commigrare juſſit. Ac primum quidem ſimulatione uſus, auctor erat populo, ut in Germanum Imperium transferret. Deprecabatur is metu mortis a Tyranno ſubeundæ dignitatem, cujus cupiditate totus flagrabat; populus vero ac milites quaſi dementia quapiam & furore occupati Phocæ fauſta omnia precantur, ac Imperatorem conſalutant, hominem viliſſimum, & ad omnem licentiam crudelitatemque projectum. Inducitur magna celebritate in Urbem Phocas, & a Cyrino B) Imperiali corona homo nefarius & reſti dignior redimitur; nec multo poſt Leontia ejus conjux Auguſtæ nomine decorata corona incingitur.

Ludi poſthæc equeſtres de more exhibiti populo; hic vero cum inter Praſinos & Venetos de loco certatur, ad ſeditionem comprimendam Alexandrum quempiam allegarat Phocas, qui Tribunum factionis Venetæ contumeliis aſperſit, & verbera intentavit; indignatione commoti alii vocem tollunt Mauricio plane infauſtam: ceſſa inquiunt, nondum vivere deſiit Mauricius; quæ cum ad aures Tyranni allapſa eſſet, protinus illius ſtirpitus interimendi cæpit conſilium; miſſa igitur militum cum Præfecto Lilio manu, Mauricius Chalcedone in portu Eutropii ad ſupplicium atrox & funeſtum producitur. Itaque tantus Imperator ex eo dignitatis apice inſolenti fortunæ ludibrio dejectus enſi ſubjicitur carnificum, & primum quidem quinque ejus filii ante oculos patris capite minuuntur, ut ſic majore cum dolore & velut per partes interiret Mauricius. In ea rerum acerbitate una vox audita eſt Imperatoris: Juſtus es Domine & rectum judicium tuum. Illud etiam de eo memorant inſigne plane fortitudinis invictæ exemplum, quod cum unum e filiolis ejus nutrix furto ſubduxiſſet proprio in locum ejus ſubſtituto, Mauricius id non ferens de fraude ſatellites admonuerit. E pueruli cæſi jugulo lac ferunt profluxiſſe, eaque re circumſtantes altum ingemuiſſe, tametſi vel ipſe Imperatorius ille conſpectus quemque, cui cor non omnino obduruerat, in lachrymas diſſolvere potuit. Ad extremum Mauricio quoque ipſi caput reſectum, corpora cæſorum in mare abjecta, exempta tamen poſtea a quibusdam; capita vero contis ſuffixa exercitui perduelli ſpectanda in Urbe propoſita fuere, quoaduſque graveolentia ſepulturæ mandari Phocas permitteret. Ab hac cæde ad alios quoque viros illuſtres, a quibus ſibi metuebat, jugulandos Tyrannus tranſit. Petrus Imperatoris frater; deinde Commentiolus Europæ Dux, aliique rebus geſtis & Præfecturis clari idem fatum ſubiere. Supererat adhuc Theodoſius filiorum Mauricii natu maximus, qui ſeſe in ædem Martyris Autonomi abdiderat; ad eum occidendum Alexander miſſus negotium brevi confecit; quanquam diu deinceps in populo rumor increbuerit Theodoſium non fuiſſe occiſum, ſed alium illi ſimilem, hunc vero per orientem oberrare; quæ fama multis in Republica perturbationibus ac cædibus anſam præbuit. Cum ad aures Phocæ quoque perveniſſet, Alexandrum tametſi reipſa mandatis morem geſſerit, manu ſua furioſe interemit; tulit itaque fidelitatis & amicitiæ mercedem ſuæ Alexander, qualem ſolam a Tyranno expectare poterat. Conſtantia

A) Theophanes cauſam dat, ne Deo ſe plectere volenti obſiſteret. B) Jusjurandum a Phoca prius exegit Cyrinus de ſervanda recta Religione, & immunitate Eccleſiaſtica, ut teſtatur Theophanes. Acta hæc ſunt in Hebdomo; de hoc loco lis eſt inter eruditos, D. Carolus Du Freſne integra diſſertatione conatur evincere, totum illud ſpatium, quod ex una parte Urbis ad ſeptimum uſque milliarium procurrebat, Hebdomum fuiſſe appellatum, ut quidquid in eo ſitum eſſet, id in Hebdomo fuiſſe diceretur. Sed alii ſuburbium id nominis fuiſſe volunt; alii locum quemdam ſeptimo ab Urbe milliario, & præterea campum quemdam prope Urbem.

ſtantia Mauricii conjux cum tribus filiabus privatas in ædes recluſa eſt, A.C. mulier calamitoſiſſima, & majoribus adhuc malis reſervata, ſi tamen ad 602 tantum malorum cumulum addi jam aliquid potuit. A)

Hunc habuit exitum infelix Mauricius, in eo tamen felicem, quod temporaria hac calamitate æternam effugerit; namque & illud memoriæ proditum eſt, Mauricio adhuc viventi a quibusdam vitæ ſanctioris in Ægypto viris ſignificatum eſſe, illum quidem morte miſerrima periturum, ſed in Beatorum ſedes cum omnibus ſuis recipiendum. Quæ ſi vera ſunt, hæc calamitas non tam Mauricio, quam Imperio luctuoſa extitit; quippe ab ea cæde omnia in ruinam inclinari cæpere, innumerisque cladibus quodammodo totum abſorberi Romanorum in Oriente Imperium. Choſroes enim prætextu vindicandæ cædis Mauricii bellum atrox commovit, ſparſo etiam rumore, Theodoſium penes ſe vivere, quo ſic diſtractis Romanorum animis facilius ipſe Imperio potiretur. Acceſſit & Narſes Dux, qui ſimili de cauſa ſeceſſione cum ſuis facta multum negotii Phocæ faceſſivit, nec denique in Europa Chaganus ſuis deerat partibus; quaſi per otium vix aliquo reſiſtente Thraciam, reliquasque Provincias miſere diripiens. Cædibus ergo & vaſtitate omnia miſcebantur, totusque ille perduellis exercitus ultore Deo ſic brevi interiit, ut Heraclii tempore poſt ſeptennium, cum ille militem recenſeret, ex omni illo numero, qui in Mauricium arma ceperant, non niſi duo ſuperſtites invenirentur, reliquis varia per funera penitus abſumptis. Porro Mauricius in Imperio annos viginti explevit, vixit ſexaginta tres, filios genuit mares quidem ſex: B) Theodoſium, Tiberium, Petrum, Paulum, Juſtinum, & Juſtinianum; tres autem filias: Anaſtaſiam, Theoctiſten, & Cleopatram, & ipſas infelicitatis paternæ hæredes. C)

FL. PHOCAS.



PHocas omnibus ſceleribus, crudelitate imprimis, 603
luxuria & ebrietate contaminatus, non tam regere cæpit Imperium, quam evertere; regnandi enim imperitus, nec foris bella in hoſtem niſi per tumultum, nec domi negotia, niſi per crudelitatem adminiſtrabat; itaque Romani foris infelices, domi erant multo miſerrimi. Miſerat ab occupata ſtatim Tyrannide Lilium ad Choſroen, qui eum de amicitia & fœderibus ſanciendis appellaret; ſed Lilius in carcerem compactus, a Rege vero vindicandi, ut præferebat, Mauricii cauſa, initium bello datum. D) Occurrit Regio exercitui Germanus alter Orienti Præfectus, ſed ab eo adactus, licet omnibus rebus inferior, ad pugnam, profligatur, acceptoque vulnere paucis poſt diebus vita excedit. Neceſſitate extrema conſtrictus Phocas exercitum undelibet contrahit; ex Europa in Aſiam militem transportat,

A) Multis infelicem hunc Mauricii caſum Simocatta a p. 284. uti & Theophanes, Cedrenus, Zonaras proſequitur. B) Chronicon Alexandrinum p. 301. C) Tragœdia hæc Mauricii menſe Novembri anni 602. peracta. D) Hic deſinit Simocattæ Hiſtoria.

A. C. portat, aucto etiam quod Avarum Regi pendebatur tributo, ut ab ea parte ſine metu eſſet. Leontium & Optimatem diviſis copiis in orientem mittit, alterum quidem ut Perſis reſiſteret, alterum ut Edeſſam ubi Narſes Tyranno infenſus agebat, obſideret; ſed ille Edeſſa Hyerapolim tranſiit, rejectis etiam quæ adverſum ſe miſſæ erant cohortibus; Choſroes vero altera cum Romanis pugna effectus ſuperior, res Phocæ multum afflixit comprehenſis magno numero militibus, ac poſtea gladio peremptis. Phocas in Leontium ob rem perperam geſtam ira incenſus vinctum duci juſſit Byzantium Domentiolo nepoti ſuo exercitu commiſſo.

605 Perſæ victoriis elati plurimas in oriente Urbes in poteſtatem redigunt, armorum terrorem quaquaverſum circumferunt, Provincias integras hominibus exhauriunt, cum exercitui Romano nec vires jam, nec animi ad prohibendam eam calamitatem pares eſſent. Quia vero plurimum metuebat Phocas Narſetem virum alioqui ſtrenuum, ac rebus geſtis clariſſimum, quo vires non pertingebant, fraudes & perjuria exporrigit; itaque jusjurandum datum eſt Narſeti, nihil omnino ſeu in vita, ſeu in fortunis ſiniſtri paſſurum, ſi modo ad partes ſuas tranſeat, neque Imperium ab hoſte Barbaro penitus occupari cum ſua omniumque pernicie patiatur. Perſuaſus demum Narſes Domentiolo ſe tradit, verum ab eo Byzantium miſſus, a perjuro Principe flammis exuritur; A) quæ res acerrimum doloris ſenſum omnibus incuſſit, quod inclytus rerum geſtarum gloria fuerit hic Narſes, & qui unus contra Perſas rem poterat reſtituere; quemve unum formidabant Perſæ non ſemel male ab eo mulctati. An idem hic Narſes fuerit, qui in Italia Gothos profligaverat, non facile definiveris, quod nulla hujus expreſſa apud Scriptores mentio; certe ſi is fuit, centenario prope majorem fuiſſe neceſſe eſt, ut qui ſub initia Juſtiniani circiter annum Chriſti quingenteſimum trigeſimum ſecundum, in aula Byzantina floruerit, operamque ſuam ad ſeditionem id temporis flagrantem compeſcendam attulerit. B)

606 Neque tamen propterea res Phocæ melius, quin etiam deterius habuere; Perſæ enim Daram munitiſſimam expugnarunt Urbem, & ſuſcepta in Meſopotamiam ac Syriam expeditione diripuere omnia, maximis ex ea percurſatione prædis potiti, cum nemo eſſet, qui irruentes reprimeret, quive afflictis undique rebus opitulari pergeret. Sed & Byzantii turbis omnia miſcebantur: Germanus enim Tyrannidis impatientiſſimus Conſtantiæ Mauricii conjugi perſuaſit, uti cum filiabus ad Divæ Sophiæ confugeret, exoriturum hac ratione in populo tumultum ſperans, ac Phocæ periculum creandum. Facile id præſtitit calamitoſa mulier pro filio Theodoſio, quem in vivis agere ſibi perſuaſerat, quidvis attentare parata. Verum res eventu caruit, quod Germanus Praſinam factionem fruſtra oblato etiam auro in partes ſollicitaſſet, nondum ejecto ex animis in Mauricium ſtirpemque illius odio, quod apud amentem populum nulla vera de cauſa C) tam alte inſederat, ut nec Tyranni importunitas illud aboleret. Imperatricem Cyrinus Præſul e templo educi non ſivit, niſi jurejurando interpoſito nihil contra ejus dignitatem actum iri; eductas mulieres aſceterio incluſit Phocas; Germanus vero & Philippicus ne quid deinceps turbarent Sacerdotio initiati, & ſic tum quidem a cædibus præter morem Phocas temperavit.

607 At vero anno proximo ſequente triſtem iterum tragœdiam furor Tyranni exhibuit; cum enim in latebris ſuis Conſtantia & Germanus

A) Theophanes p. 195. B) Narſetem hunc alium a priori fuiſſe & ille Simocattæ locus videtur oſtendere, in quo l. 5. c. 2. ait, exercitum a Comentiolo Duce acceptum traditum eſſe Narſeti, qui Ducis hujus ſatelles fuerit: ναρσῆ ὡς τῷ στρατηγῷ ὑπασπιστὴς ἐτύγχανεν ὤν, τὴν ἡγεμονίαν ἐντίθησιν. Non videtur autem credibile Ducem tot rebus geſtis inclytum, ut erat ille Narſes, qui Gothicum in Italia regnum funditus deleverit, & quidem virum jam tanto natu Commentiolo datum fuiſſe ſatellitem; imo ne Legatus quidem ejus, video quo pacto fieri potuerit. C) Non enim tam propter milites non redemptos, quam quod Venetos foviſſet, Praſini Mauricium oderant.

nus nondum omnem Imperii ſolicitudinem abjeciſſent, curaque Theodoſii angerentur, nuncios adinvicem clam miſſitabant, conſulebantque in medium quid facto eſſet. Petronia Conſtantiæ internuncia, ut illa rebatur, fidiſſima rem omnem Phocæ enunciat. Comprehenditur itaque miſerrima Imperatrix, & in eodem quo maritus filiique interierant loco, caput cum filiabus & Theodoſii conjuge, Germani filia amittit. Harum corpora cum Mauricii filiorumque corporibus in æde Mamantis Martyris a populo eodem in ſepulchro condita, triſte humanæ viciſſitudinis fuere monumentum. In plurimos deinde Principes viros ira Tyranni eſt perbacchata: Conſtantia enim tormentorum vi prius adacta, confeſſa fuerat, Patricium Romanum ſecretorum fuiſſe participem; hic iterum excruciatus alios prodidit, itaque multi rebus geſtis inclyti a Tyranno ſublati, Germanus ille Theodoſii ſocer, Tzitas, Theodoſius aliique. A) A. C. 607

Dum inter tot cædes Urbs in luctu maximo eſt, nuptialibus aula lætitiis perſonuit, Priſco Comite Excubitorum Domentiam Phocæ filiam matrimonio ſibi conjungente. Verum importuna Phocæ Tyrannis etiam feſta hæc Hymenæi gaudia triſtibus permiſcuit; Populus teſtandæ ſuæ in Principes voluntatis cauſa, Priſci & Domentiæ effigies inter laureatas B) Imperatoris publico in ſpectaculo collocavit; in furorem ea res egit Phocam, quod ſibi Priſcum exæquare plebis favor videretur; quare factionum Tribunos adduci in medium, ac nudatos cædi verberibus præcipit, populi tamen lenitus clamoribus & excuſatione, quievit. Sed & alias non ſemel levis ille populus acerbas ſtultitiæ ſuæ pœnas dedit: in hunc enim contumelia aliqua violatus armatos immittebat, jubebatque cædi promiſcue; equeſtres quadam die ludi exhibendi fuerant, expectatus diu, prodire in circum tardabat Imperator, pertæſus moræ populus, quod crapula obrutum crederet, convitio eum affecit: rurſus, inquiebat, vinum bibiſti, rurſus mentem amiſiſti; ſed dicacitatem hanc acerbum deploravit; Phocas enim inſano furore correptus, aliis membra, vitam aliis abſtulit; Praſinis adhæc, quod inſolentiores fuiſſent, publicis in Republica muniis interdixit.

Priſcus facto ſoceri, quod jam retulimus, irritatus, cum videret amicitiam ſibi cum Tyranno conſtare non poſſe, nec ſe propinguitatis jure tectum ſatis apud Phocam, cujus animum libido & furor totum poſſideret, cum Heraclio Africæ Præfecto de eodem exterminando clam agere cæpit; & facilem habuit in vota; quod Africa Provincia ab Imperio Phocæ, ſe jam antea reſcidiſſet; commodum ſub idem tempus Alexandrina quoque Urbs ejus ſe obſequio ſubduxerat; ſed & Senatus Heraclium invitabat ad Imperium. Itaque Heraclius & Gregoras ejus Legatus inter ſe paciſcuntur, filium quisque ſuum Byzantium ad Tyrannidem extinguendam cum exercitibus mitterent; Heraclius quidem Heraclii filius claſſe militem deveheret, equeſtres vero copias Nicetas Gregoræ filius terra deduceret; uter autem eorum prior Byzantium contigiſſet, interfecto Phoca Imperio potiretur. C) Tanto autem rem ſilentio inſtituunt, nihil ut de eorum molimine rumoris ad Tyrannum allaberetur. 608

Interea dum Romani de Imperii capite, eodemque hoſte exturbando ſatagunt; Perſæ ubique victores res ſuas ſtrenue curant; Syriam univerſam ac Palæſtinam, atque Phœnicem depopulantur, dein Armeniam & Cappadociam occupant, ac fuſo rurſum, qui ſe objecerat, exercitu Chalcedonem uſque incurſant; ut Byzantini ipſorumque Imperator non jam fama acciperent clades a Perſis illatas, ſed oculis ipſis, quæ eſt inter hæc loca propinquitas, uſurparent. Nec ſatis id ad cumulum malorum; Judæi 609

A) Theophanes p. 197. B) Imagines Imperatorum lauro præcinctæ proponebantnr in publico, & in Provincias deferebantur; unde poſtea voce una laureatæ etiam a Græcis appellatæ ſunt. C) Refert eam pactionem S. Nicephorus in Breviario hiſtorico, quod hic incipit, quam merito in dubium revocat Petavius in notis; quomodo enim tantum terrarum tractum pedibus emetiretur exercitus, dum interim Heraclius breviori ſpatio ventorum alis provolaret, niſi forte jam exercitus ille Alexandriæ, quæ ſub idem tempus defecerat, conſtiterit, dum hæc pacta conventa fierent.

A.C. 609 dæi quoque ipſi contemptis jam penitus Imperatoris viribus, caput Antiochiæ efferre auſi, arma in cives cepere, cæſo etiam turpiter Præſule Antiocheno; eos tamen miſſo Bonoſo Comite cum manu militari compeſcuit Phocas; multi cæſi, plurimi exilio mulctati nondum penitus oppreſſos a Barbaris Chriſtianos, magno ſuo malo didicere.

Sed inita rurſus in Phocam domi conjuratio plus turbarum dedit; Theodorus Cappadox Prætorio Præfectus, Elpidius, Anaſtaſius, aliique Principes inter convivandum de Phocæ ſceleribus licentius collocuti, mox etiam mero animos addente, & arcana retegente, eo interimendo conſilium conferunt; ſed Anaſtaſius metu ſuppliciorum conturbatus rem omnem Phocæ inſuſurrat; ſeveriſſima de conjuratis habita quæſtio, omnesque atroci morte plectuntur, ne Anaſtaſio quidem dempto, cui etiam ipſa fidelitas a ſanguinario illo crimini data eſt, vel ob hoc ſolum, quod conjurationi aures præbuiſſet.

At enim non diu in ſanguine & cædibus graſſari homini furioſo conceſſum; Heraclius Heraclii filius adfuit de improviſo Octobri menſe cum claſſe prævalida ad perdendum Phocam, præſidio Matris Dei fultus, cujus effigiem e malis navium appenderat, ac poſt eum cum terreſtribus copiis Nicetas adventabat. Phocas re ſubita trepidus recurrit in Urbem ex propinguo, ubi animi cauſa diverſatus erat; matrem Heraclii & deſponſam eidem Eudociam monaſterio arcte includit, cives ad arma extimulat, militem in portu objicit, ſed ipſa periculi magnitudine ſpes omnes ac res ſubito eum deficiunt; interea Heraclius ſecundis uſus ventis in portum Sophiæ invectus, manum cum militibus conſerit, illisque profligatis victor in Urbem perrumpit. A) Phocius quidam, cujus uxori Phocas ſtuprum obtulerat, irrumpit in palatium, eumque in templo latitantem comprehenſum ac veſte pulla contectum in portum adducit. Heraclius ubi hominem conſpexit, itane inquiebat, infelix Imperium adminiſtraſti? cui Phocas, ita inquit: tu vero adminiſtrabis melius, eo dicto Phocæ brachium & caput præciditur, conto ſublatum; truncus corporis per ludibrium tractus, ac ignibus exuſtus, Domentiolus Phocæ frater, Leontius, & Bonoſus ſcelerum illius adminiſtri pari fato tolluntur. Præfuit Orienti Phocas annos ſeptem cum decem menſibus, ac dies aliquot; vultu ſimul ac vita deformiſſimus, quem caſtigandis hominum ſceleribus, Imperatorem a Deo datum eſſe, viro cuidam ſolitario Divinitus eſt oſtenſum, quod eo nequior aptiorque ad id muneris nemo inter homines fuiſſet. B)

Atque ejus potiſſimum Imperio res in Oriente Romana peſſumire funditus cæpit, prævalentibus undique Barbaris, ac peſte ſimul ac fame, velut in perniciem ſceleratorum conjuratis. Quamobrem militibus per varia funera peremptis Heraclius deinceps neceſſe habuit omnis generis homines in militiam adlegere; quo factum, ut Conſtantinopolis tota jam in Græcos degeneraret: nam tametſi & hactenus Græca potiſſimum lingua civitas loqueretur, in aula tamen, negotiis publicis, ac in militia principem Romana locum obtinuit; ab hoc vero tempore, maximeque poſt Heraclii exceſſum in deſuetudinem abiit, C) ut adeo vix jam aliquid ſeu in moribus, ſeu in ſermone, ſeu in rebus geſtis Romanum Byzantini haberent. Itaque quos hactenus Romanos, deinceps Græcos, Byzantinos, Orientales, aut quovis alio potius nomine, tametſi ipſi reclament, appellabimus.

FL.

A) Hæc rurſus S. Nicephorus in dicto Breviario, reliqua enim apud Theophanem invenies. Cædes Phocæ contigit menſe Octobri. B) Oſtentum hoc narrat Cedrenus. C) Teſtis hujus ipſe Imperator Porphyrogenitus in deſcriptione Thematum ſub initium.

FL. HERACLIUS.





Ppreſſa per eum modum Tyrannide, victor Heraclius Urbis totius conſenſione Imperator conſalutatur, tametſi in ſpeciem reſtitaret ipſe, Priſcoque, ut Imperium capeſſeret, auctor foret, non tam quod ex animo id cuperet, quemadmodum eventu ipſo patuit, quam modeſtiæ laudem apud populum aucupaturus; ut qui Urbis in libertatem vendicandæ, non Imperii occupandi gratia arma ceperit. A) Quinto Octobris die corona Auguſtali inſignitus a Sergio Patriarcha, cum deſponſa ſibi Eudocia nuptiarum ſimul ſolennia celebravit, ut geminata lætandi materia ſuperiorum triſtitiam temporum ex animis deleret. B) Quamquam ea adhuc divexabant Imperium omne mala, ſinceræ ut lætitiæ vix locus ſuppeteret. Eodem quippe tempore tot cladibus diſcerptus eſt Oriens, nihil ut pene ſani, & integri, præter unam Urbem regiam eſſet reliquum; cum Perſarum torrentis inſtar omnia pervaderent arma, ac in omnem partem fœde infuſi hoſtes, ſpem compoſitionis adimerent. Præter plurima jam Phocæ tempore adempta, hoc eodem anno Apameam Syriæ, Edeſſam, aliaque loca in poteſtatem redegere; C) Provinciæ integræ cum Urbibus in ſervitutem tractæ. In Europa quoque Rex Avarum in omnem imminebat ſua proferendi occaſionem, qua Marte, qua vero fraude, cum Byzantinis belligerans, & utroque non raro ſuperior, ut ex dicendis porro clareſcet. D) A.C. 610

Tantis ut modum aliquem malis afferret Heraclius, exercitum Duce Priſco in Aſiam expedit, eundem haud diu poſt ipſe Cæſaream conſecutus; verum hic offenſiones inter Priſcum, & Imperatorem enatæ, infectum belli reddidere negotium. Sive quod ſuis auſpiciis bellum geri Priſcus cuperet, ſeu quid aliud animo agitaret, ægrius ferebat Imperatoris præſentiam; itaque & morbum, ne conſuetis eum officiis proſequi cogeretur, ſimulavit, & dicteriis incautius prolatis ſtomachum Heraclio 611

A) Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Breviario hiſtorico p. 4. B) Theophanes in Chronographia p. 199. C) Cedrenus p. 321. qui etiam exercitus Chriſtiani occidione tum cæſi a Barbaris meminit. D) Temporum Heraclii Chronologia oppido eſt apud hos Scriptores perturbata; annos aliquot in ordinem redegit Petavius in notis ad Nicephorum.

A.C. commovit. Imperator brevi Byzantium redux, Priſcum quoque eo ad
611 ſalutandum Nicetam, qui non ita pridem ex Africa advenerat, in Urbem appulſum, primum quidem exprobrata, qua in ſocerum uſus erat, perfidia, infra dignitatem habuit; dein volumine per os indecore verberatum eadem exuit; poſtremo Clericali ordini mancipatum aſceterio incluſit; ubi anno evoluto naturæ ceſſit, Dux bello clariſſimus, cui ſub exitum fortuna illuſit magis, quam nocuit, ſi eam æſtimare pro merito norat. A) Philippicus ex aſceterio in lucem productus, cum Theodoro Heraclii fratre, exercitui ductando præfectus eſt; verum Philippico recuperata dignitas haud erat diuturna, anno vertente ad extrema deducto. Ex quo intelligas, nihil tum a moribus alienum fuiſſe, quod magni Duces arma Sacerdotio in pœnam commutare cogerentur, iterumque relicta ſolitudine, & ordine, cum ſors tuliſſet, in arenam provolarent; inepta ſane commutatione, quæve rude illius ſæculi ingenium, moresque defluos ſatis prodat. Cauſa fuit, quod ejusmodi vitæ genere initiatum, prorſus inhabilem Imperio capeſſendo exiſtimarent; itaque cum nec cædere metu populi viros Principes auderent, nec ſe tutos ab eorum putarent inſidiis, vitam iis relinquebant Imperatores, ſpem ſummæ dignitatis eripuiſſe contenti. Quamquam poſterius cum ne ea quidem religione a miſcendis turbis abſtinerent, ad ſuperiorem pœnam excœcatio quoque accedebat, qua nihil frequentius in reliqua hac hiſtoria occurret.

612 Eodem quoque hoc anno Eudocia B) Heraclii conſors brevi perfuncta conjugio, dolorem morte ſua marito incuſſit, eo tamen minorem, quod bina ſobole auctum reliquerit, altera fœminea, cui nomen Epiphaniæ erat; altera virili, quem pater Heraclium de ſuo nomine; aliter vero novum Conſtantinum dici voluit, ut ipſo nomine feliciora populo tempora portendere videretur. Utramque hanc ſobolem etiamnum in ulnis nutricum exiſtentem coronari per Sergium curavit, & Heraclium adhuc infantem appellavit Auguſtum; quo mature ſpem omnibus ejus dignitatis eriperet, nec is tam factus Imperator, quam natus exiſtimaretur. Quin ut potentiorum affinitatibus adverſus omnem caſum familiam communiret ſuam, infanti Heraclio Gregoriam Nicetæ filiolam deſpondit; neque ſecus Nicetam hunc, quam Conſortem Imperii, & coluit ſemper, & in pretio habuit, quondam Imperii ſecum Candidatum, & a quo ſolo gratia apud populum, & militarem ordinem vinci poterat. C)

614 At enim cum Imperii in familia ſua ſtabiliendi ſatagit Heraclius, ſenſim illud ab armis Perſicis in ruinam inclinabat; Damaſco enim expugnata, Syria pene omnis in eorum conceſſit poteſtatem; miſſis equidem Legatis animum Choſrois pertentavit Heraclius, ſiqua pacem admitteret, verum ii præter ſuperba faſtigia & contemptum retulere nihil. D) Is enim magna parte Imperii tam facile potitus, niſi toto expleri non poterat. Ad publicam hanc calamitatem acceſſit privata: E) Imperator prava vi. ctus cupidine, inceſtis ſibi nuptiis Martinam ſororis filiam ſuæ copulavit; quo facinore vehementer animos perculit omnium, ac fruſtra dehortante Sergio Patriarcha in iis ad obitum uſque perſtitit, dicere ſolitus: ſe quidem admonitiones illius ab animo bono profectas gratas habere, ut qui munere ſuo probe fungeretur, facturum tamen, quod ſibi collibeſceret. Itaque nihil mirum, ſi & in vita varie jactatus eſt Heraclius, & ſub exitum penitus a fortuna deſertus.

615 Occupata jam Syria Perſæ Duce Sarbaro in Palæſtinam arma intulerunt, hic vero fœdiſſima omnium clades exſtitit: vis hominum maxima una cum Zacharia Hieroſolymitano Præſule in manus Barbaricas decidit.

A) Nicephorus C. P. p. 5. Criſpum vocant Ducem hunc Nicephorus, & Cedrenus; Priſcum vero Theophanes, Zonaras. Obſerva hic in more apud Byzantinos fuiſſe, ut accuſati, & convicti, libello accuſationum per faciem verberarentur. B) Theophanes p. 200. C) Nicephorus p. 4. D) Cedrenus p. 322. E) Nicephorus, Theophanes; ſed ex avunculo conſobrinam fuiſſe ait Manaſſes p. 62.

cidit. A) Judæi veteranum in Chriſtianos odium data opportunitate exple- A.C.
turi, præſenti pecunia captos redimebant, & confeſtim excruciatos neca- 615
bant; quo fato nonaginta Chriſtianorum millia perempta memorantur. Cumulavit hanc calamitatatem captivitas ſanctæ, ac vivificæ Crucis, una cum Zacharia in Perſidem abductæ. Ea res Chriſtianis omnibus acerrimum doloris ſenſum incuſſit, ut qui pretioſa hæc cimelia fortunis omnibus longe potiora ducerent; lancea, B) qua latus Salvatoris noſtri foſſum erat, rapta quidem tum, ſed a quodam Sarbari Comite Nicetæ Patricio dono data, ac Conſtantinopolim magnifice inducta, tantorum ſenſum malorum aliquantiſper mitigavit. Chriſtianos Alexandriam e tanta rerum atrocitate profugos S. Joannes Eleemoſynarius C) liberalitate inſolita fovit, ac tametſi eorum malis animo ægreſceret, eam tamen ſua profundendi, ac in cœlo fœnerandi tam nobilem ſibi oblatam opportunitatem, in ſinu gaudebat. Triſti eo tempore familia Heraclii aucta eſt Conſtantino e Martina, is anno ſtatim altero Cæſar renunciatus eſt, patre plus pene ſolicito de Imperio in ſuis ſtabiliendo, quam ab hoſtibus conſervando. D)

Succeſſu rerum tantarum elati Perſæ Ægyptum quoque cum Ale- 616
xandria Sae Duce in poteſtatem redigunt; quo eodem tempore fame quoque ſupra modum afflicta eſt Conſtantinopolis, quod frumenta non jam, ut adhuc factum erat, Alexandria, atque ex Ægypto convectari poſſent; E) itaque panum largitiones tunc primum Byzantii abrogatæ; quippe antea cives jam inde a magno Conſtantino certum frumenti numerum per familias accipere gratuito conſueverant. Eodem quoque tempore peſtilens lues in Urbanam multitudinem acerbum deſæviit. Enim vero tot rebus adverſis perturbatus Imperator, veluti in deploratis jam rebus diſceſſum parabat Byzantio, ſe ſeque in extremas Africæ oras cum omni familia, rerumque pretioſarum ſupellectili ſubducere; jamque naves his onuſtas præmiſerat, quæ mari hauſtæ conſilium hoc præceps, Deoque inviſum oſtendere. Imperator vero a populo, & Sergio Patriarcha detentus, quin etiam ab hoc in templo adjuratus eſt, ne Urbem in tantis malis linqueret. Quamquam fruſtra Africam cogitabat, minime illic futurus felicior, ut quæ circa idem hoc tempus in poteſtatem Perſarum ad extremas illas oras mira pernicitate provolantium conceſſerit. F)

Verum hæc non ſatis ad malorum cumulum: idem ille Ægypti invaſor Saes, cum exercitu Perſico Chalcedonem uſque profectus, eandem obſidere, & eminus Urbi Imperatoriæ terrorem objectare pergebat: attamen cum opinione diuturnior ea eſſet oppugnatio, metu fors, ne in regione inimica circumveniretur, cum Heraclio in colloquium deſcendit de pace acturus Saes. G) Imperator e cymba, Dux Perſicus e littore inter ſe collocuti: hic ſi Legati ſibi darentur perfecturum recepit apud Choſroen, ut honeſtis conditionibus bellum componeretur. Ea re lætus Imperator tres illi viros Principes Legatos adjungit, Olympium Prætorio, & Leontium Urbi præfectos, atque Anaſtaſium templi Sophiæ curatorem. Cum his profectus Saes, quoad per Heraclii Provincias iter erat, in honore eos habuit; egreſſus vero finibus compeditos turpiter ad Choſroen traxit. Neque tamen his rebus geſtis gratiam apud Principem ſuum iniit Saes: ira percitus Choſroes, quod is Heraclium impune e conſpectu abire ſiviſſet, neque vinctum ad ſe adduxiſſet, more inſuper bar-

 barico

A) Theophanes p. 200. Nicephorus Modeſtum Patriarcham pro Zacharia ponit, ſed ab aliis refellitur: qui omnes Zachariam habent. B) Chronicon Alexandrinum p. 307. C) Leontius in vita hujus Sancti. D) Cedrenus p. 322. hunc vivo patre deceſſiſſe credibile; nulla enim illius dehinc mentio. Nicephorus C. P. p. 9. non Conſtantini, ſed Flavii, & Theodoſii ante cæteros ex Martina genitorum meminit. Nonnulli Conſtantinum hunc cum Heracleona confundunt. E) Nicephorus p. 1. Chronicon Alexand. p. 309. F) Cedrenus p. 322. qui Carthaginis quoque oppugnatæ, ſed non expugnatæ meminit. G) Nicephorus, Theophanes, Cedrenus; apud hunc error irrepſit, ſeptuaginta e Procerum numero cum Sae Legatos fuiſſe miſſos.

A.C. barico pronus adoraſſet, detracta miſerabiliter cute interimi, tametſi actis e tot Gentibus prædis inclytum juſſit.

618 Etſi vero tam inique deluſus ſpe ſua Heraclius, ne tamen funditus vertererur Imperium Perſis undique invaleſcentibus, alios iterum mittit Legatos, expoſtulat injuriam ſibi, & Gentium legibus irrogatam, beneficiorum quondam ab Imperatore Mauricio acceptorum commonefacit, opimas offert pacis conditiones, fruſtra omnia; ſuperſtitione Perſarum inſaniens cum faſtu Legatis reſpondit: non ſe prius cum Chriſtianis pacem initurum, quam abjurato Chriſto in crucem acto, Solem cum Perſis adoraturi eſſent. Hoc reſponſo arrectus Heraclius, cum videret non jam ſecum, ſed cum Deo Choſroi bellum eſſe, magnos ſumit animos, non defuturum cauſæ ſuæ Numen, ſuperbiamque impotentis illius depreſſurum. Copias igitur, omniaque bello neceſſaria diligenter comparat, cunctorum animos ad futuram expeditionem incendit, non tam pro focis, & libertate, quam pro aris, Deoque pugnaturos. A)

619 Præclaras haſce, & generoſas molitiones perfidia Avarum Regis remorata eſt; Heraclius nequid a tergo inimicum eſſet, neve periclitaretur interea de ſalute Conſtantinopolis, dum ipſe longe in oriente arma circumferret, cum Chagano firma, plenaque rebus Europæis pace proſpicere ſtuduit; egitque ea de re per Legatos diligenter. Chaganus qua erat in fallendo dexteritate, cupiditatem quam maximam pacis præſefert, utque ea firmius coaleſceret, ipſe per ſemet cum Heraclio de re tota tranſigere velle ſimulat; fit ſatis deſiderio Barbari; proceſſum utrinque ad longos muros eſt bidui ab Urbe itinere. Heraclius multo ſatellitio, ac pompa Regia, multisque muneribus Regem magnifice excepturus advenerat, ejusque devinciendi gratia ludos quoque equeſtres ſpectaculo apparabat: B) Chaganus contra valido ſtipatus exercitu, cujus tamen, ne belli ſpeciem præferret, partem maximam in ſylvis abdiderat, longos muros ingreditur. Ut cominus ventum eſt, dato repente ſigno circumfunduntur undique Avares, ii etiam, qui in ſaltu deliteſcebant, in comitatum Heraclii nihil tale metuentem irruunt, gladiis, ſagittisque rem gerunt ſtrenue: quo caſu perculſus Heraclius detractis ſibi Imperialibus ornamentis, fuga difficili Urbem tenuit. Pompa omnis Regia cum Satellitio in manus perfidorum venit; qui ea non contenti præda, late regionem omnem ad uſque Hebdomum rapinis funeſtarunt, ducentis ac ſeptuaginta miſerorum millibus in ſervitutem raptis. C)

620 Tanta tamque inſperata calamitate accepta Heraclius non tamen deſpondit animum, nec a bello Perſis inferendo revocavit, ratus hoc magis Deum cauſæ ſuæ ſubſidio affore, quo magis ea ab hominibus, & a fortuna deſerta videretur. Itaque rurſus Chaganum per Legatos aggreſſus, quando armis ulciſci facinus non licebat, pacem cum eo utcunque componit, tota animi, viriumque contentione in Perſicam expeditionem verſus; ad quam occupata ſub idem tempus a Perſis Ancyra Galatiæ civitas, non modicos ſubdidit ſtimulos.

622 Feſto igitur Paſchatis Byzantii celebrato, Urbe, & prolibus Patricii Bonoſi, & Sergii Præſulis curæ traditis, in Aſiam trajecit, exercitum illic e diverſis Provinciis aggregaturus. D) Ante tamen quam Urbem linqueret, eandem tutelæ, & protectioni Magnæ Dei Parentis ſupplex commendavit, E) non ſane ſpe deluſus ſua; per eam enim ſolam ſtetit, ne abſente Heraclio Urbs illa interiret, ut poſtea memorabimus. In tanta ærarii publici egeſtate coactus eſt Imperator Templorum theſauros in ſumptus bellicos mutuos ſumere, & valuere pro cauſa Dei certantibus. Collectas in Aſia copias nec numero, nec animis magnas, quippe poſt tot clades non tam de profligando hoſte, quam captandis latebris ſolicitas

acri

A) Theophanes, & reliqui. B) Chronicon Alexandrinum p. 310. C) Nicephorus C. P. p. 8. Chronicon Alexandrinum pag. 309. D) Theophanes p. 202. E) Cedrenus pag. 323.

acri oratione ad rem fortiter gerendam exſtimulat, & ad fiduciam in Deo, cujus honor ageretur collocandam. Dein ſuos in ordines diſtributos, apparatuque militari inſtructos, umbratilibus exercet certaminibus, & arte bellica ſolerter erudit: commutare celeriter ordines, inſequi hoſtem, ac gradum premere, clamore, ac ſtrepitu veri ſimulacrum belli ciere, deſuetam jam dudum militarem diſciplinam in integrum reponere, cunctorum demum animos ſpe meliorum implebat. Plurima æſtatis pars in apparando bello in Aſia traducta, jamque appetente hyeme in Ponticam regionem ducere exercitum illic hyemem acturum ſimulaverat Imperator; cum de improviſo flexo itinere in Perſarum regionem nihil tale expectantium irruptionem facit. Dux Perſicus, qui ad molimina Heraclii fruſtranda in Ciliciam exercitum duxerat, ſuis in Provinciis Chriſtianos oppreſſurus, cum nihil ea re Heraclium moveri videt, in Provincias hoſtiles vindictam certum effundere, in veſtigio conſecutus brevi aſſequitur; ſed ea rerum converſione, ut credi poteſt, perterritus, pedem conferre non audet; itaque exercitu montium anguſtiis protecto, procurſionibus tantum hoſtem laceſſit, in quibus res Chriſtiana ſemper exſtitit ſuperior. A) Emergit demum neceſſitate compulſus ex anguſtiis, & diviſo trifariam exercitu Heraclium dubia adhuc luce aggredi conſtituit. Non defuere ad pugnam Chriſtiani, quibus prælata Chriſti effigies non manu humana efficta animos ad dimicationem addebat. Imperator fraude in apertiora loca hoſtem detracturus, fugam ſub initium ſimulat, ſed verſis repente ordinibus acris exoritur dimicatio. Ipſe Heraclius pro fronte exercitus pugnam primus miſcere, adhortari omnes ad rem fortiter gerendam, Ducis ſimul, & militis officia præſtare. Perſæ tanto pugnantium ardore fracti, in montium anguſtias refugiunt, caſtris, impedimentisque exuti. Dici vix poteſt, quanta victorem militem lætitia perfuderit, toties antea a Perſis proſtratum, jamque ludibrio habitum; ſed feliciter lauri metuntur, cum robur, & animos pugnantibus cœlum ſufficit. His rebus geſtis, militeque per Armeniam in hyberna diſtributo, Imperator Byzantium ſumma omnium lætitia, & triumpho hyemem illic acturus revenit.

A.C. 622

Fortunatus igitur hac ex parte rebus Chriſtianorum poſt tot funera hic annus; at ex altera inauſpicatus fuit ob initia impuriſſimi Mahometis eodem hoc tempore e latebris ſuis erumpentis, & in fanaticorum hominum Principem ſubvecti. B) Serviebat is apud prædivitem viduam, ejusque rem familiarem curabat, quæſtui e camelis faciundo intentus; verum ut erat vafra, & verſatili indole, ſenſim in amores heræ irrepſit, eamque in conjugem accepit; at cum morbo laboraret ſontico, brevi apud eam cæpit vileſcere, ac horrori eſſe; igitur conjugis fallendæ fabulam adornat, ſe cum eo modo arriperetur, nequaquam morbo laborare, ſed in colloquio cum Gabriele Dei Internuncio, qui ad ſe mandata illius deferat, tunc eſſe, ejusque ſpecie, & majeſtate externatum talia pati. Hæc cum aliaque impoſtor diceret, credidit imprudens mulier, maritumque apud vicinas gloriolæ aucupandæ ergo, ceu Dei prophetam laudibus accumulavit. Hinc crebreſcere illius nomen apud Saracenos maxime omnium rudes, & inter Chriſtianos, Ethnicosque adhuc medios, plurimi ad eum in dies curioſius confluere, quibus ille legem e Moſaicia, ac Chriſtiana Religione, ac etiam ex Gentilium ſuperſtitione male conſarcinatam propoſuit, adjutus ad hoc opera Sergii cujusdam Monachi, ob hæreſim Arianam ab aſceterio proturbati. C) Qui inimicos viriliter ulciſcerentur, æquitatem inter ſuos colerent, Religionem a ſe latam ferro propagarent, feliciſſimam eis vitam poſt fata promittebat, omnibus iis affluentem bonis, quæ in mentem hominis maxime luxurioſi cadere poſſent. Itaque cum leges illæ ab Ethnica ſuperſtitione non parum alienæ, æqui-

tatis

A) Diffuſe ante alios de his expeditionibus Theophanes. B) Cedrenus p. 33. Zonaras pag. 68. Theophanes p. 240. C) Zonaras p. 68. Manaſſes p. 64.

A. C. tatis quadam ſpecie blandirentur, facile hominibus ignaris, ac monſtroſarum circa res Divinas opinionum varietate diſtractis impoſuit. Aſſectabantur proinde non pauci hominem, alios ex aliis adducebant, ac vi illata reſtitantes cogebant, quoad demum ex Legis-latore Princeps quoque Saracenicæ multitudinis effectus Mahometes novem ipſos annos Principatu perfungeretur; quo tempore paſſim arma vicinis intulit, nec a prædando deſtitit, & Arabibus ſub jugum cogendis, quoaduſque inſanam ſuperſtitionem ſuam late per Arabiam differret.

623 Exacta hyeme primo ſtatim vere expeditionem reſumpſit Heraclius, contractisque in unum copiis, maxima alacritate, ac celeritate militis in interiora Perſidis penetravit: ad Gazacum Urbem cum quadraginta millium exercitu vim propulſaturus ſtabat Choſroes, alium vero Perſarum exercitum ductabat Sarbarus, ac fruſtra ſuas in Provincias Heraclium retrahere molitus, ipſe quoque in Perſidem iter flexit. Procurſores Perſici a Chriſtianis cæſi, in tantum Choſroem conjecere terrorem, ut deſertis continuo caſtris in Mediæ anguſtias ſemet ſubduceret. Inſtat perterritis Imperator, ac diſſipato eo exercitu, cæſisque permultis Urbe Gazaco potitus fanum ignis incinerat, Urbem militi diripiendam tradit, ditato multa præda exercitu, plurimisque in ſervitutem abreptis. Thebarmaes exin capta, & incenſa. Choſroes vero de loco in locum fugitans, contempti Chriſtianorum Dei luculentas dedit pœnas, nihilo tamen his cladibus effectus melior, quin & pacem ab Heraclio oblatam ſuperbe reſpuit, & donaria Templis Chriſtianorum eripuit, atrocioribus multo ſuppliciis mactandus magis, quam emendandus. Æſtate tota diripiendæ, vaſtandæque Perſidi impenſa anceps hærebat Imperator, quonam loco militi hyberna concederet; nam & in hoſtico infida omnia, & longinquitas ea itinerum militi permoleſta. Tridui igitur jejunio cunctis indicto, invocata Numinis ope, ac expiatione criminum facta, ſacer Evangeliorum codex fortuito inſpectus eſt, A) ac ex eo intellectum, diſcedendum eſſe ex ea regione, & in Albania hyemem tranſigendam, quo confeſtim rebus ex animi ſententia adminiſtratis conceſſere. Inſtabant quidem abeuntibus a tergo, a lateribus Perſæ, ſed victi, ac repulſi novum ſemper ad priorem triumphum auctarium attulere. Ingraveſcente autem per iter frigorum inclementia, tantam captorum turbam miſeratus Imperator, qua erat animi lenitate, quinquaginta Perſarum millia vinculis exoluta domos ſuas remitti juſſit, admirantium manſuetudinem Principis, ac Choſroi tot malorum auctori dira omnia imprecantium.

624 Exacta in Albania hyeme principio veris ad bellum profectus Imperator irrumpere rurſus in Perſidem parabat, cui in montium, qua ex Albania egrediendum erat, anguſtiis tranſitum occupaturus ſeſe objecit Sarablancas, alter Choſrois Dux: at Heraclius circuitione per plana regionis facta, etſi majore itinerum labore voto potitus eſt. Hæſit in veſtigiis Sarablancas; & opportune cum eo decernere cupiebat Imperator, priusquam cum altero, quem Sarbarus ductabat, exercitu conjungeretur. Verum Laziis, & Iberiis ſociis pugnam improvide detractantibus perfectum eſt, ut ea conjunctione geminarentur hoſtium vires, magnaque e tanto numero militi trepidatio injiceretur. Ea hoſtes e perfugis cognita, utendum rati occaſione, & tentandam belli aleam, antequam Sainus B) cum tertio adeſſet exercitu, ne gloriam oppreſſi hoſtis cum eo divi-

A) Hæc Theophanes pag. 205. Item Nicephorus, Cedrenus. Verba Theophanis ſunt: ὁ δὲ βασιλεὺς ἐκέλευσε ἀγνίζεσθαι τὸν λαὸν τρεῖς ἡμέρας, καὶ ἀνοίξας τὰ τῆ θεῖ εὐαγγέλια εὗρεν ἐπιτρέποντα αὐτῷ ἐν ἀλβανίᾳ παρὰ χειμάσαι. Imperator exercitum triduo expiari voluit, & apertis Dei Evangeliis intellexit, ſibi hyemem in Albania exigendam. In more fuit apud veteres, ut aperto Homeri, aut Virgilii libro, e fortuito occurrente verſu conjectarent, in dubiis quid eſſet agendum; dicebaturque στοιχηομάντεια. Chriſtiani dein eundem in finem uſi ſunt Evangeliorum codice.
B) Sainus hic non eſt confundendus cum Sae priore Choſrois Duce. In nominibus enim, atque annis adnotandis parum diligentes ſunt Scriptores hi Græci; unde ſæpe confuſio.

dividerent, pleno gradu in Chriſtianos ducunt, caſtris ſub veſperum pene conjunctis. Imperator collectis per tenebras impedimentis diſceſſum ex eo loco adornavit; quem pro fuga, & dejectione animi interpretati hoſtes, ardentiusque, quam cautius effuſis habenis inſecuti, in colle nemoroſo, ac opportuno poſitum undique aggrediuntur. Pugnatum ſtrenue eſt, nec ſine diſcrimine ab Heraclio; Barbari, quod ſine ordinibus in certam velut victoriam, & cædem proruiſſent, præcipites in vallem acti, & cæſi ad ſatietatem magno prælio ſuperantur. Sub exitum pugnæ, & cædis adfuit cum tertio Sainus exercitu, & fugientium auxit numerum, non parva & ipſe clade in iis locorum anguſtiis appetitus. Sarbarus, & Sainus collectis e fuga copiis, aliisque undelibet adjunctis, rurſus in veſtigiis Imperatorem conſequuntur, ut vel annona ejus fruſtrarent exercitum, vel in loco patenti opprimerent. Atque is paucitati diffiſus ſuæ per aſpera Hunnorum loca exercitum agebat, a ſociis etiam Laziis, & Abſagis, ob eam itinerum, & pugnarum moleſtiam deſertus; non tamen dejiciebatur animo, tam præſens Dei auxilium, & favorem adhuc locorum expertus. Perſæ ſociorum parte deſtitutos conſecuti aciem explicant, pugnæ copiam faciunt; nec ſuis deerat Imperator partibus, compoſitis in ordinem aciebus. Integer dies mutuo in conſpectu exactus, cum neutris pugnæ initium facere animus eſſet. Sub veſperum profectionem in Perſarmeniam inſtituit Heraclius, hærentibus ubique a tergo Barbaris; verum cum hyems jam adproperaret, eaque & locorum, & temporum difficultate ingens ille Perſarum numerus, quorum ex Perſarmenia plurimi affluxerant, peſſumiret, caſtra eorum brevi ſic diminuta ſunt, ut Sarbarus cum reliquis ad Salbanum ſe oppidum illic hyemem acturus recipere cogeretur. Nihil jam hoſtile Imperatorem temporum injuria tentaturum autumabant Barbari; verum is præſtantiſſimo quovis ab exercitu lecto duplex efficit agmen: alterum procurrere de improviſo in Perſas jubet, cum altero ipſe ſubſequitur, atque hanc per abrupta loca profectionem tanto inſtituit ſilentio, nihil ut Barbari perſentiſcerent. Procurſores in agmen Perſicum, quod in excubiis erat, delati, imparatos, & ſemiſomnes cædunt; ea re audita Sarbarus ex oppido in fugam verſus; oppidani, ac reliqui Perſarum Proceres e tectis, & muris parabant defenſionem; verum injectis undique ignibus, oppidoque incenſo ingens eorum eſt edita ſtrages, nec modica prædæ pars ignibus erepta victores locupletavit. Diſpulſis dein aliis quoque Barbaris, qui per vicina circum loca diſpalati erant, in eadem regione hyemem læti exegere.

Sub hyemis exitum poſt maturam deliberationem in Syriam duxit 625
Imperator; ſuperatoque Tauro monte Amidam, & Martyropolim tenuit; refecto illic milite, lætisque rerum a ſe geſtarum nunciis Conſtantinopolim allegatis profectionem adverſus Sarbarum inſtituit; verum ille non expectatis hoſtibus Euphratem trajecit, pontibus in partem ſuam reductis. Vado per flumen reperto in adverſam ripam eluctatur Heraclius, Samoſatta exin contendit, hinc Germaniciam hærente in veſtigiis Sarbaro, & opportunitatem rei bene gerendæ præſtolante. Tandem trajecto Sara fluvio, pontium fines turribus communiunt Chriſtiani, quietem iſthic aliquam e tot viarum difficultatibus capturi. In adverſo tendebat littore Sarbarus pontem eripere adniſus; defenſabatur is ſtrenue ab Heraclianis, quin audentiores effecti, contra juſſa Imperatoris in adverſam procurſando ripam, hoſtem velitationibus laceſſebant. Sarbarus quo incautius procurrentes clade mulctaret aliqua, metum ſimulat, longius a ripa prælium abducit, adunatisque ſubito copiis complures in medio occupatos trucidat; jamque actum propemodum de ponte ſervando erat, cum Imperator animadverſo periculo, in Barbaros per pontem ſeſe infundentes acriter equo invectus, cæſo manu ſua Gyganteæ quodam molis Barbaro, animos ſuis reſtituit; pugnatum diu ſtrenue pro pontium cuſtodia, ac Perſæ Imperatoris potiſſimum virtute e pontibus ſubmoti; qui

A.C. etſi plurimis affectus vulneribus, telis undique in eum depluis, nullum
625 tamen lethale acceperat, ipſo Duce Perſico tantam in Principe generoſi-
tatem, mortisque contemptum demirante. Sejuncti poſtea inter ſe exer-
citus; ac Sarbarus deteriora metuens, cum autumnus quoque adpropera-
ret, aliorſum ſe recepit. Contra Imperator Sebaſten profectus, trajecto
Ali flumine illic hyemem egit. Urebant fortia hæc Heraclii facinora in-
ſolentem Choſrois animum, eoque impulere furoris, ut non modo Tem-
plis Catholicorum ſuos ereptum iret theſauros, verum etiam ad Neſto-
rii complectendam hæreſim omnes cogeret, demens, ac miſer; qui igno-
rarit totidem ſe mucronibus caput ſuum petere, quot vulnera eorundem
Religioni infligeret. A)

626 Ad propulſandam vero ignominiam collectis Perſici regni viribus mi-
lites ingenti ſub ſigna numero concivit; Sarbarum detractis ab ejus exer-
citu quinquagies mille lectiſſimis, & Saino attributis, cum reliquis Chal-
cedonem jubet proficiſci, & inita cum Avaribus hoſtibus Byzantinorum
perpetuis armorum ſocietate, caput ipſum Imperii perdere. His tantis co-
natibus objecturus ſemet Heraclius, trifariam diſpeſcit exercitum; partem
Theodoro fratri in Sainum ducendam tradit, partem ad defendendam Con-
ſtantinopolim expedit, cum tertia in Lazicam regionem proficiſcitur, ut
icto cum Turcis Perſarum confinibus fœdere, belli molem in intimam
Perſidem infunderet. Sainus præſentiſſima Magnæ Dei Parentis ope, lu-
culenta clade a Theodoro profligatur; quippe grando inuſitatæ magni-
tudinis inter confligendum hoſtile quaſſabat agmen, ac turbabat, cum
interea Chriſtiani amœna cœli facie potiti pugnam cierent. B) Igitur Sai-
nus relicta ingenti hoſtibus victoria fugit cum reliquiis, brevique ex ani-
mi mœrore mortem oppetiit; in cujus cadaver ſale conditum, & ad ſe
allatum verberibus deſæviit Choſroes, plagis ipſe & vivens, & moriens
acerbioribus dignior, & plectendus.

Turcarum quadraginta Duce Zebeelo millia ab Heraclio ſollicitati,
& in Perſidis fines delati magnam rebus vaſtitatem intulere; profectus
obviam Heraclius cum exercitu, acceptusque ea honoris ſignificatione
eſt a Barbaris humi proſtratis, quæ Imperatorem Orientis addecebat; ipſe
invicem pretioſis Ducem, ac Proceres muneribus cumulat, utque pacta
conventa firmius adſtringeret, filiam Eudociam C) Zebeelo daturum ſe
in conjugem pollicetur. Victricia ex poſt junctis animis, & viribus to-
ta Perſide arma circumferunt, oppidis plurimis prædaque divite potiti.
In metum his rebus conjectus maximum Choſroes, datis literis Sarbarum
ad mœnia Chalcedonis etiamnum hærentem commonefacit, D) uti quan-
tocyus ad vim hoſtilem propulſandam, periculumque, quod ſibi, totique
impenderet Imperio, averruncandum recurrat cum exercitu. Hæ literæ
ab Heraclio interceptæ, ac per fraudem alteris commutatæ; quibus ſignifica-
batur, inſtaret fortiter oppugnandæ Chalcedoni Sarbarus, neve ab ea
pedem, & vim avocaret; ſe enim in eas brevi Chriſtianos conjecturum
anguſtias, ut foris profligatis nullum ſupereſſet domi perfugium. Quod
idcirco ab Imperatore factum, ut Sarbaro ad Chalcedonem adhæreſcente
ſine metu victoriæ per Perſidem inſiſteret. Quod quidem Heraclio e re
viſum eſt conſilium, ſed nimirum latebat tunc eum, in quanto diſcrimi-
ne Imperii caput ſui verſaretur.

Avares quippe & Perſarum pollicitationibus invitati, & tanta rei be-
ne gerendæ opportunitate arrecti, ingenti numero Conſtantinopolim afflu-
xere, rati Urbem velut eminus jam a Perſis obſeſſam, & ab auxilii ſpe
undique deſertam brevi in manus venturam. E) Et actum de ea fuerat,
niſi præſentiſſimo auxilio Virgo & Mater Dei Urbi in tutela ſua poſitæ

præ-

A) Hæc omnia diffuſius Theophanes, carptim alii, & brevius. B) Cedrenus p. 328. Theophanes; uterque victoriam hanc Deiparæ acceptam refert. διὰ τιμεσβειῶ τῆς θεοτόκυ.
C) Nicephorus C. P. p. 9. D) Nicephorus C. P. p. 9. E) Fuſius hanc oppugnationem perſequitur Chronicon Alexandrinum p. 313. Item Nicephorus p. 10. Breviter attingit Theophanes.

præſto adfuiſſet. Jam Barbari turres muris admoverant, jam omni ma- A.C.
chinarum genere Urbem quatiebant; cives tot preſſi difficultatibus cum 626
nihil uſpiam affulgeret ſpei, infimis a Chagano precibus pacem expo-
ſcunt, auro multo, ac omnibus, quas vellet conditionibus mercari eam
parati, dum Urbem ſibi ſervare liceret incolumem. Nihil his omnibus
motus Barbarus, niſi Urbe omnes excedant relictis in ea opibus, ſibi cum
iis convenire non poſſe ſignificat. Bonoſus Urbis Præfectus tametſi omnia
in ruinam inclinata cerneret, nihil tamen omiſit operæ, quo Barbaros
ab Urbis jugulo propulſaret. Itaque qua procurſionibus in hoſtem factis,
qua machinis eorum incenſis, qua navibus ad muros objectis obſiſtere
viriliter pergebat. Per fluvium Barnyſſum ingentem Sclavorum multitu-
dinem actuariis in mare lembis decurrere jubet Chaganus, & ad Urbis
muros tumultum, ac pugnam miſcere eo conſilio; ut cum ad vim pro-
pulſandam Urbana multitudo totis animis, & viribus eo vertitur, ipſe
alia ex parte acri cum ſuis in muros facta impreſſione Urbis potiretur.
Verum res cecidit infortunate; Sclavi grandioribus navigiis a Byzantinis
circumventi magna clade ſternuntur, nec meditata exequi Chaganus po-
terat, quod ſignum faciendo tumultui datum Sclavi antevertiſſent, a præ-
ſidiariis jam antea clam de hoc præmonitis in fraudem pellecti. Ea clade
accepta, ſimul inopia commeatus preſſi infecta oppugnatione Avares in
patriam conceſſere. Fertur Chaganus inter obſidendum dixiſſe, mulie-
rem belle amictam a ſe conſpectam, A) quæ quot diebus ſola muros Urbis
velut periculi expers omnis obiret. Creditum Sanctiſſimam Dei Paren-
tem ſua in tutela poſitam eam Urbem oſtendere voluiſſe, roburque, &
animos civibus, hoſtibus metum, & dejectionem ſuffeciſſe. Cedrenus B)
ait mulierem ornatu regio, & comitatu portis effuſam in caſtra inimica
gradum celeraſſe; quam Avares contuiti exiſtimarint Imperatricem ipſam
eſſe, quæ ad Regem pacis conficiundæ ſupplex accederet; ſpatium itaque
euntibus dediſſe, at illam ſubito cum omni comitatu evanuiſſe ab oculis;
qua ablata Avares furore quodam & inſania correpti mutuis ſe vulneri-
bus conciderint tanta edita ſtrage, ut Rex abjecta Urbis expugnandæ ſpe
in Pannonias continuo remigraret. Utcunque res evenerit: profuit cer-
te Heraclio Virgineæ Urbem ſuam tutelæ ſuppliciter commendaſſe; &
æquum videbatur, ut dum pro honore Filii tam contemptim a Choſroe
habiti totis viribus longe in oriente Heraclius dimicat, afflictiſſimis domi
rebus, & pene jam corruentibus materna Clementiſſimæ Virginis cura pro-
ſpiceret.

Secundis ut inſtaret ſucceſſibus Heraclius, ne temporum quidem in- 627
juria deterritus, Septembri jam menſe alteram cum Turcis in Perſidem
irruptionem facit; verum ardor ille Turcarum ea anni aſperitate brevi
refrixit; C) itaque & frigorum pertæſi, & laborum impatientes alius poſt
alium domos ſuas diffluxere; Zebeelus vero eorum Dux non diu poſt fa-
to ſublatus, promiſſo ſibi Eudociæ conjugio potiri non potuit. Deſertus
ab hac parte Imperator, non tamen a perſequendo victoriæ curſu pedem
retraxit: inſequebatur eundem cum novo exercitu novus Dux Perſicus
Raſates, ſed annona omni ab Heraclianis prærepta, & regione evaſtata,
rei cibariæ preſſus inopia, deſcendere in aciem non poterat. Trajecto Za-
ba flumine ad Niniven caſtra ponit Heraclius, præſtolaturus illic hoſtem,
& in patente campo de rei ſumma decertaturus. Adfuit non ita multo
poſt Raſates, & explicatis utrinque aciebus decretorio certamine duode-
cimo Decembris die concurritur. Imperator militi non tam verbis ma-
gnificis, quam illuſtribus factis animos additurus ante univerſum proce-
dit exercitum, & cum tribus hoſtium Ductoribus per vices ſummo ar-
dore congreſſus, iis ſtrenuiſſime jugulatis ingens ad victoriam momen-
tum affert, ipſe non niſi levi vulnere ſummum per labrum perſtrictus.
Miles eo facinore animis auctus acerrimo impetu in hoſtem proruit, pu-

 gnatum

A) Chronicon Alexandrinum p. 316. B) P. 328. C) Theophanes p. 210.

A.C. gnatum ad multam diem utrinque fortiter, neque tamen pars alterutra
627 loco emota. Perſæ hoc erant inferiores; quod magnam ſuorum multitudinem, & in his Raſatem Ducem perdiderint, A) ſigna item militaria octo, & viginti; cum ex adverſa parte vulneratorum una & peremptorum numerus quinquageſimum non ſuperaret. Dirempto certamine ſubſtitere non longe ab eo loco Barbari, ſub noctem vero ne gravius vapularent, in montium ſe anguſtias conjecere, ſuorum cadaveribus, opimisque ſpoliis hoſti relictis. His feliciter geſtis, iter porro Daſtagerdum verſus, quo loco Choſroes commorari erat ſolitus, acceleravit Imperator, illo præ metu Cteſiphontem profugiente, quam viginti, & quod excurrit annos, non viderat, quod Imperium adepto prænunciatum a vatibus fuerit, periturum, cum eam Urbem contigiſſet. Daſtagerdum Urbs brevi capta, complura Choſrois palatia occupata, atque in eorum uno ſigna Romana ter centum inventa, quondam diverſis præliis a Barbaris erepta. Inſequitur fugientem victor exercitus, & præda gravis, propiusque Cteſiphontem terrorem ſpargit. Heraclius, qui non obtinendi Perſici ſpe regni, ſed propulſandæ hoſtium ferociæ arma ſumpſerat, Choſroi in iis anguſtiis poſito ſignificat: paratum ſe honeſtis cum eo conditionibus paciſci, ſi vel jam ad æquitatem animum referat; verum ille tanto fuit inflatus faſtu, ut ne prolabentibus quidem rebus ſuis quidquam de pace ad aures admitteret. Quin potius novis ſcribendis copiis, belloque inſtaurando intentus, exercitum quoque, qui Sarbaro Duce ad hoc uſque tempus ad Chalcedonem hærebat, in Perſidem accerſit, datis ad Cardaregam Sarbari Collegam literis, in quibus Ducem hunc proditionis apud ſe accuſatum protinus jubebat interfici. Hæ literæ per viam interceptæ, ac Byzantium perlatæ, Sarbaro in colloquium accito exhibitæ ſunt, ut videret, quo loco res ſuæ eſſent. Is lecta epiſtola cum videret de capite ſuo agi Comitia, perculſus Regis ſui crudelitate literas in caſtra delatas Proceribus palam legit, appoſitis quadraginta aliorum ad ſuum nominibus, quo ſic certius ſeditionem adverſus Choſroem exciret. Lectis literis rogat univerſos, quid ſibi de importuna hac bellua, cujus faſtu orbis terrarum in ſolitudinem actus eſſet, videretur? conclamant una voce indignum plane ſolio Tyrannum, & confeſtim regno vitaque exturbandum; conclamatis igitur vaſis relicta Chalcedone adverſus Choſroen in Perſidem profectionem ineunt.

628 Verum illum ante exercitus hujus adventum pernicies aliunde commota funditus ſubvertit. Viſcerum doloribus cum acrius urgeretur, proſpecturus regno, filium natu minorem Medarſem, præterito majore Siroe, Regem Perſis inſtituere parabat. Inita Siroes cum Principibus conjuratione, Heraclio miſſis clam nunciis ſignificat; ulturum ſe injuriam a Patre ſibi irrogatam, eumque prælio cum adhærentibus oppreſſurum; & ſiquidem feliciter res ſuæ cadant, æquis conditionibus bellum cum Heraclio protinus compoſiturum; ſin minus, cum flore nobilitatis Perſicæ ad ejus ſe partes aggregaturum. Verum Siroi pugna, haud opus fuit: deſerto Choſroe ſibi ob tumorem animi, damnaque illata nimis quam inviſo paſſim Perſæ Siroi adjunguntur, pater a filio vinculis compeditur, experturus in ſe fortunam, qua patrem olim ſuum Hormisdam nefarie affecerat. Quinos itaque dies impaſtus in ſquallore habetur gemmis, atque auro coram appoſitis, ut his famem expleret ſuam, quæ tam furioſe per omnem vitam eſurierat. B) Ad hæc contumeliis plurimis affectus Medarſe filio ante oculos jugulato, juſſu Sirois ſagittis confixus, plenam in tolerando faſtu animam ad majores cruciatus transmiſit.

Impe-

A) Raſatem ab ipſomet Imperatore interfectum fuiſſe, tradit Nicephorus C. P. pag. 11. Nihil de hoc Theophanes, ac Cedrenus. B) Narrantur hæc a Theophane pag. 220. & diffuſe in literis Heraclii ex Perſide ad Urbem datis, quibus recitatis deſinit Chronicon Alexandrinum.

Imperator ordinatis cum Siroe rebus, receptaque A) Sacra Cruce cum A.C.
Zacharia, & captivis non tamen Legatis Chalcedone per fraudem abductis, quos crudelitas Choſrois perdiderat, ſumma omnium ordinum lætitia, ac triumpho Conſtantinopoli acceptus, Soſpitatori Deo grates ſupplex perſolvit; ut qui ſe pene ad extrema redactum non modo cum Imperio Orientali ab interitu vindicarit, verum etiam ſplendido de Barbaris triumpho per tot prodigia ornarit. Difluxere ex eo tempore res Perſarum domeſticis diſſenſionibus peſſumdatæ; Sarbarus B) quippe cæſo poſt menſes ſeptem Adeſer Sirois filio, qui patri ſucceſſerat, regnum in ſe tranſtulit; vix bimeſtre eo potitus Boranæ Choſrois filiæ per vim cedere compellitur; hæc menſibus ſeptem in Imperio exactis Hormisdæ illud reliquit; quo regnante furor ille Saracenicus ſubito omnia incendio involvens Perſidem quoque fœde depaſtam ſub jugum miſit. Invaleſcebant enim jam res Mahometi, multo fanaticorum hominum confluxu aucti; qui obtentu legis ſibi a Deo traditæ quaquaverſum ſpargendæ Arabes primum domitabat, ut his ſubnixus in reliquum orbem vires, & Imperium diffunderet. Atque eodem hoc tempore reduci cum triumpho ab expeditione Perſica Heraclio idem ille Mahometes occurrit, C) petita ab eo, quam cum ſuis incoleret, regione; quo nihil aliud ſpectabat fraudum artifex, quam ut ſui facilius poſtea in Syriam, ditionesque Orientalis Imperii graſſarentur. 628

Heraclius non diu Byzantii commoratus Sacram Domini Crucem 629
cum triumpho a ſe allatam Hieroſolymas ipſe detulit, ut gtatiis Deo pro re bene geſta repenſis, ſuo eam loco reponeret. Effuſæ ab Urbe civium reliquiæ cum Zacharia Præſule, Sacrum pignus in theca repoſitum, atque ſicut erat ſigillis munitum D) ſummo gaudio ſuſcepere; Divinitus enim factum erat, quod Barbari ne inſpicere quidem portentoſum hocce lignum auſi fuerint. Dies ille perpetuo honore, & memoria, ad poſteros eſt conſecratus. Eccleſiæ annales ferunt, Heraclium humeros ipſum ſuos Sacræ Cruci in montem Calvarium deferendæ ſuppoſuiſſe, auro, gemmisque præfulgidum; verum in Urbis egreſſu pondus Sacrum adeo redditum grave, pedem ut ſub onere promovere Imperator non poſſet; admonitum vero a Zacharia Præſule, non bene veſtium luxum cum Sacro hoc onere, quod Rex omnium tam contemptus eadem via traxerit, congruere, abjeciſſe ornatus Regios, detritoque, ac vili indutum habitu expedite Crucem inter teſtes gaudiorum lachrymas in locum, unde exciderat, pertuliſſe. E)

Orientis exin Urbes fœda illa Perſarum eluvione miſerum deforma- 630
tas luſtrabat Imperator, cum jam antea Perſas præſidio munitis locis relictos, per fratrem ſuum Theodorum deduci ex pactis conventis feciſſet. Hyerapolim inauſpicatus erat illius adventus; hic enim initium datum eſt pernicioſiſſimis in Eccleſia turbis, quibus Oriens miſere involutus, ac poſtea in pœnam a Deo magna ſui parte Saracenorum jugo ſubjectus. F) Imperatorem Athanaſius Jacobitarum Patriarcha officii cauſa adierat, ac morum, ſermonisque elegantia ſic in ejus animum penetrarat; ut ægre ferret Heraclius, virum ejusmodi ab Orthodoxis alienum cum Eutyche ſentire, Synodum Chalcedonenſem averſari; itaque pollicitus eſt, ſi ab ea mente diſcedat, Antiocheno ſe illum Sacerdotio ornaturum, ſpe ſimul ductus fore, ut hæc illius converſio ad plurimorum ſalutem pertineat. Illectus hiſce promiſſis homo vafer, cum una videret, tantum ſibi ad proferendum errorem ſuum aperiri campum, geminas in Chriſto

A) ἀπαγάγων τὼ τίμια καὶ ζωοποιὰ ξύλα Auferens ſecum veneranda, & vivifica ligna. Ita Dominicam Crucem vocare Græcis Scriptoribus mos. B) Nicephorus C. P. pag. 12. ait Sarbarum ab Heraclio regnum Perſicum impetraſſe, Siroe brevi defuncto; eundemque ſed perperam, Hormisdæ filio ſucceſſiſſe ait. C) Zonaras p. 68. D) Nicephorus C. P. p. 12. E) Nihil de hoc prodigio Scriptores noſtri meminere. F) Theophanes p. 218. Cedrenus p. 332. Sed de his videndi annales Eccleſiaſtici. Noſtri enim & pauca, & perturbate.

A.C. naturas nulla ratione confusas agnoscere se, ac Synodum recipere palam
630 profitetur: illud autem ex Imperatore discere velle nequiter simulat, an cum duabus naturis geminas quoque in eodem Christo voluntates, & quæ ad has consequuntur, actiones, an vero unam cum uniusmodi actionibus profiteri debeat. Hæsit ad insolitam Imperator quæstionem ejusmodi rerum, verborumque ignarus; atque ut homini faceret satis, Sergium Constantinopoleos, & Cyrum Phasidis Episcopos percontatur, quid sibi in ea re sentiendum foret: uterque pro uniusmodi operationibus; & quod sequi necesse erat, voluntate una, sententiam profert. Cum permultum eorum tribueret auctoritati Heraclius; eidem & ipse subscribit opinioni, Athanasium in promissam a se dignitatem subvehit, unaque ad fatales in Ecclesia dissensiones facem attollit. Continuo enim, qui Chalcedonensi quondam Synodo adversati erant, caput erigere, Eutychiani sententiam pro se latam gratulari, Nestoriani Orthodoxos irridere, qui hac admissa de Christo sententia nec unam jam, nec geminas naturas in Christo profiterentur. Fervere igitur omnia pugnantibus inter se opinionibus, & probæ mentis homines in magnam conjici animorum perturbationem. Cyrus non multo post Alexandrinorum Præsul effectus doctrinam a se probatam modis omnibus, vocato etiam suorum Cœtu, propugnabat; idem factitabat Pyrhus, Byzantii postea Sergio surrogatus; nequidquam Pontificibus Romanis, & Sophronio Hierosolymitano semet objicientibus; qui vocato suorum Conventu errorem hunc non semel diris devoverant; neque enim fieri posse, ut a duplici voluntate, qualem in Christo affirmare necesse habent, qui geminam in eo naturam agnoscunt, non operationes quoque duplicis generis proficiscantur: verum surdi ad hæc Ecclesiarum in oriente Principes, errorem quaquaversus suum proferunt. Porro Imperator cum cerneret in eas a se imprudente discordias Religionem conjectam, pudore prohibitus, ne doctrinam a se probatam abjiceret, edictum A) proposuit, quo vetuit unam, vel geminas in Christo operationes doceri, omnemque potius eam quæstionem silentio involvendam. Ita dum utrisque gratificari, & in concordiam adducere sperat, utrosque a se alieniores efficit, & ad disceptandum, ut sunt hominum ingenia, maxime in Religionis negotio alacriores.

631 Interea dum sic fœde Religio dilaceratur; invalescebant Saraceni in Arabia, viribus, & numero in eo orbis angulo sensim aucti, quas Dei nutu in Christianos monstrosarum adeo opinionum varietate insanos, & inter se dissectos torrentis instar effunderent. Mahometus post novem Principatus annos fœdam ad orcum animam transmisit bonam orbis partem post se eodem tracturus. Successorem in Principatu instituit Ababacharum, a quo quatuor Duces (quos ipsi Ameræos dicebant) B) cum copiis missi, ut reliquam Arabiam fœdere cum Orientis Imperatore illigatam armis subigerent. Arabes ad Theodorum ei regioni tutandæ Præfectum adeunt, arma adversus vim ingruentem implorant; nec mora Theodorus Saracenos fraude circumventos cædit, tribus eorum Ducibus interfectis. Res bene contra fœcem illam cesserat, ni eam alienatis Arabum Sociorum animis incauta Eunuchi Byzantio allegati vox evertisset; stipendia is militi numeraturus advenerat, cum Arabes quoque Socii aurum, quod antea accipere consverant, ab eo reposcerent, reposuit: vix pro milite, ne dum pro ejusmodi canibus aurum sibi suppetere. C) Incensi ea contumelia Arabes, ad Saracenicam se societatem adjungunt, angustiis quoque quas defensabant, viarum proditis, & quæ impedimento erant Saracenis in Imperii fines incursare volentibus.

632 Anno igitur altero in Gazæ regionem facta irruptione, occupata Urbe Hera Sergium e Cæsarea Palæstinæ cum trecentis adeo militibus adversum se progressum cædunt, prædaque ingenti, & numero captivorum locu-

A) Idem Theophanes. B) Supremus Arabum Princeps Ameras, Duces exercituum Ameræi dicebantur. C) Theophanes p. 220.

locupletes in Arabiam regrediuntur. Atque hæc prima fuit labes per Sa- A.C.
racenos in orientis Imperio facta, quam innumeræ cædes, Urbiumque, 632
& magnæ partis Imperii occupatio brevi subsequentur, regnante Omaro, qui post duos Principatus annos Abubacharo successit. Et maluit Deus pessimos hominum Saracenos, quam malos, discordesqne Christianos earum potiri regionum; qui enim tam præsenti adversum immanem vim Persicam adfuit auxilio, adversum vilissimam hominum fœcem pugnaturos penitus abjiciet. At visus est Deus furorem hunc suum perditis significare; quippe eodem hoc tempore Cometes diu in cœlo conspectus est, horribili facie in gladii formam comparatus: at enim apud animos insana sui æstimatione ebrios, & in rebus Divinis irrequietos ostentum hoc nihil profecit.

Turbatissimas orientis res præsentia sua compositurus Imperator, in 634
Asiam proficiscitur valido præmisso exercitu, quem Theodorus Imperatoris frater in Saracenos duxerat, Syriam, & Phœnicem infestantes. At hic Theodorus, qui cœli favore adjutus, validas Saino Duce Persarum vires prostraverat, nunc ab incomposita Arabum multitudine fœde profligatus bellum pessime administravit; itaque remissus indecore Constantinopolim in ordinem redigitur, jam enim invisus antea Heraclio esse cœperat; quod conjugium ejus cum Martina displicere sibi verbis sæpe ostendisset. Suffecti in ejus locum Duces gemini, Theodorus alter, & Baanes militum Magistri; hi cæsis Saracenorum procursoribus, eosdem Damascum usque pedem referre coegerunt; quo cum innumera Barbarorum colluvies aggregata esset, perculsus metu Imperator, & velut de Orientis salute jam desperans, Sanctam Domini Crucem, ne in manus Barbaricas delaberetur, Byzantium transferri jubet, exceptam ab Urbe ea pompa, & honore, qui ligno adeo felici, & Sacro debebatur; quæ in Templo principe collocata, maxima semper religione culta est.

Heraclius brevi & ipse ab oriente redux Urbem ingredi ausus non est. Memoriæ proditum a Nicephoro, A) nescio quo metu, aut potius animi morbo correptum Heraclium navigio se credere reformidasse, ut fretum illud angustissimum transmitteret, quod Europam ab Asia discriminat; quin nec conspicere oculis mare sustinuisse; diu itaque in palatio Hieriæ ex adverso Urbis commoratum. Quo tempore conjurationem adversum se a propinquissimis initam acerbe castigavit; Athalaricus filius Heraclii Nothus, Theodorus, ex Theodoro Heraclii fratre progenitus initæ conspirationis delati, naso, manibusque, ne imperium rapere possent, fœde mutilati, ac in insulas deportati misere perierunt, Cum vero Urbs Imperatoris desiderio teneretur, multi e Primoribus Heraclium in eandem invitabant; tandem freto navigiis ita constrato, ut continentem pontem efficerent, lateribus ramis arborum, ne mare contueretur, protectis, Urbem ingressus est. Mirum sane tam alias generosum mortis contemptorem nulla de causa tam muliebriter expavisse; nec certe a sano hic metus animo proficisci potuit; adeo Heraclius cum recta Religione & fortunam, & robur animi, & mentem pene ipsam perdidisse visus.

Theodorus, & Baanes exercituum Duces adversus Saracenos profe- 635
cti manus cum iis conserunt, tametsi id vetuisset Imperator, B) sed pertractis fraude ad pugnam pedem referre integrum non fuit; igitur acerrima exorta est dimicatio; ea pars exercitus, quam ductabat Theodorus, cladem multam accepit, inferiores igitur Christiani ex acie discessere; ac quod rem totam evertit, seditione inter se distracti; Baanis enim milites Heraclii execrati auspicia, ipsummet Baanem Imperatorem acclamant. C) Theodoriani eam aversati perfidiam, cum Duce alio divelluntur; at Baanes magnum aliquod facinus editurus Saracenos fortiter aggressus, valido in

A) Pag. 14. Nisi illud fuerit, quod quidam ferunt: Vaticinio prædictum Heraclio fuisse, aqua ipsum periturum; quod tamen de aqua intercute intelligi debuisse, eventus docuerit.
B) Nicephorus C. P. p. 13. C) Theophanes p. 223.

A.C. in ora militum flante vento, pulveribusque aſpectum præpedientibus in
635 fugam præcipitatur; verum ab ea objectu Iermothæ fluminis præpeditus ipſe cum maxima militum multitudine aquis hauritur. Ita magnus ille quadraginta millium exercitus, tot enim initio erant, penitus attritus, & Damaſcum, & Phœnicem hoſtibus relinquere eſt coactus. Hac tam opima minime exſatiati præda Saraceni, Ægyptum cum Principe ſuo Omaro aggrediuntur: Cyrus Urbis Præſul, de quo ſuperius, infirmas cum videret Imperii vires, nec reſiſtendo pares, ſtipendiorum pactione perniciem ab Ægypto, & Alexandria amoliri cogitabat, egitque ea de re cum Saracenis diligenter; nec ii multum ab eo conſilio alieni videbantur; itaque ſignificat Heraclio, ſi ſtipendii aliquid Saracenis promittatur, & filia Imperatoris Eudocia Omaro nuptui locetur, poſſe rem inter eos convenire; ac reipſa Cyrus ſtipendia tum Omaro promiſerat; verum cum Imperator nihil ad aures de ſtipendiis admitteret, ac Manuel Præfectus Auguſtalis Saracenis poſcentibus ſtipendia denegaſſet, ſignis in Ægypto collatis Manuel cum exercitu profligatur. Miſſi dein alii ex aliis Duces Joannes Barcenæ Dux, A) Marinus, Marianus, ad rem illic reſtituendam: verum omnes profligati Alexandriam, cum Ægypto in hoſtium denique poteſtate reliquere. Egerat quidem inter hæc Cyrus Byzantio ab Heraclio miſſus cum Saracenis de ſervanda Ægypto, ſtipendiis quoque oblatis; verum armis eorum quaquaverſum victricibus elatos jam animos flectere in concordiam non valuit. Exarſit in reducem Heraclius, ut qui tributo & Imperatoris filia promiſſis inſolentiorem reddidiſſet Barbarum, auctorque exſtitiſſet Ægypti occupatæ; itaque Præfecto Urbis plectendum, & cruciandum tradidit. B) Hoc impietatis præmium ſuæ tulit Cyrus, acer præ aliis Monothelitarum erroris propugnator; nequidquam enim pendens tam Imperatoris, quam Honorii Romani Pontificis juſſiones, queis vetabatur ea quæſtio agitari de geminis in Chriſto operationibus, ipſe Conventu ſuorum habito, pro una ſententiam tulerat, non ille quidem proditæ Ægypti, ſed fidei impugnatæ, & everſæ, perverſique Heraclii reus.

636 Avarum quoque res hiſce temporibus in Pannoniis ſunt perturbatæ; Dux Hunnogundurorum C) cum populo, quem a Chagano regendum acceperat, in Avares ipſos arma cepit, eosdemque ſedibus ſuis proturbavit. Ea Hunnorum diſcordia in rem uſus ſuam Imperator muneribus Ducem excoluit, & Patricium dixit, quo Provinciæ, quando in oriente omnia peſſumibant, in Europa ſaltem in tranquillo eſſent. Et vero Palæſtinam biennio jam vaſtatam, atque Urbem ipſam Hieroſolymam eo temporis ſpatio circumſeſſam, in poteſtatem accepit Omarus. Sophronius Urbis Præſul cum ſpei nihil in Imperatore ſuperaret, poſt diuturnam obſidionem ea ratione cum Saracenis transegit; uti liceret retentis Chriſtianorum Sacris populo illi ſub Saracenico dominatu res ſuas habere. Quod & facile obtinuit; Saraceni enim ubivis locorum non tam Chriſtiani delendi nominis, quam dominatus in eos proferendi ſatagebant; itaque factum, ut Chriſtiani Barbaris iis permixti, poſtea in oriente degerent, ſed quod in proclivi erat, eorum ſocietate adeo deformes, vix ut præter nomen, & umbram Religionis ſinceri aliquid præferrent. Omarus ſacco cilicino humeris injecto Urbem ſanctam ingreſſus, ad Templi Salamonici locum perduci ſe juſſit, ceu verus Abrahæ filius, ſacrorumque Hebraicorum cultor eo pacto animi dolorem teſtari vellet, ob locum tam ſacrum a Chriſtianis profanatum. Acerbe rei indignitas, & ea Chriſtianæ Religionis clades Sophronii optimi Præſulis animum affecit, ut contracta brevi ægritudine ad feliciorem patriam, extraque omnes caſus poſitam diſcederet.

Vix

A) Nicephorus p. 13. B) Nicephorus p. 15. C) Ita quidem Nicephorus; cæterum cum Avarum nomen ſæpe adhuc poſthac occurrat Pannonias incolentium, non tota ejecti fuerint Pannonia; vel certe Hunnogundori hi tribus Avarica fuerint.

Vix dum ea potitus regione Omarus Jasdum Ducem in Syriam va- A.C.
lido cum exercitu mittit, qui eum terrarum tractum ab exercitu, & 637
ſpe ſubſidiorum deſertum Principatui ſuo adjungeret. Joannes Oſrhoeniæ Præfectus cum ſatis proſpiceret, res Imperii infirmiores eſſe, quam ut tantos Barbarorum ſucceſſus elidere poſſet, pecuniis, quando ferro non licebat, extremam propulſare perniciem adniſus eſt; igitur Jasdum Calcide allocutus, centies mille nummos in annos ſingulos daturum promiſit, ſi Saraceni ab Euphrate trajiciendo dehinc abſtineant. Heraclius, quod ea pactio inconſulto ſe facta eſſet, non modo eam improbavit, verum etiam Joannem Provincia deturbatum egit in exilium, improvidus prorſus & infelix, qui nec fraudari ærarium vectigalibus Provinciarum vellet, nec ab earum arcere jugulo Barbaros poſſet; eo miſeriarum tam ſubito provolutus eſt magnus ille Perſarum domitor. Saraceni ſic a Chriſtianis illuſi cum pacta ſibi negarentur ſtipendia, brevi tempore Syriam ſubigunt, Antiochiam Urbem toto oriente celebratiſſimam ſuam faciunt, Edeſſam cum civibus, ac milite in fidem, ac dominatum accipiunt; Conſtantiam vero, atque Daram, munitas Urbes, quod defendere ſe auſæ forent, vi captas exſcindunt, Meſopotamia univerſa potiuntur. Atque progreſſiones hæ bellicæ triennii vix integri ſpatio factæ, quas brevi narratione perſtringunt Scriptores Græci, A) quædam etiam omittunt; crediderim, quod eos rem tam fœdam, ac funeſtam ad poſteros transmittere tæderet, pigeretque. Tanta vero Saracenorum erat fortuna, ac in dimicando ardor, ut non contenti magna Imperii Orientalis, & Aſiæ parte, continuo in Perſidem arma inferrent, conſertaque cum Perſis acie, clade fœdiſſima profligarent; ac denique fugato, inque latebras retruſo Hormisda, Perſidem totam victricibus armis perdomarent, ex agreſti, abjectiſſimoque hominum genere ſubito Orbis terrarum Domini. Omarus univerſum, quo tam brevi temporis curſu potitus eſt, Principatum deſcribi juſſit, non hominibus modo, verum etiam jumentis, ſtirpibusque adeo in cenſum actis.

Heraclius interea ſenio gravis, animique, & corporis morbo afflictus 641
deliteſcebat in palatio, abjecta ut videri poterat Reipublicæ cura, ſed non Religionis, cujus in integrum ut putabat, reponendæ, re vero ipſa convellendæ magis, & in Monothelitarum errorem impellendæ cauſa ſanctionem edidit, Ecthesim dictam, B) qua impiæ illi de Deo-Homine ſententiæ roboris haud parum acceſſit. Ea tamen a viris in Religione ferventioribus, ceu hæretica ſugillata eſt, atque ardore maximo exagitata, præprimis autem a Romanis Pontificibus Severino, qui ab Exarcho Italiæ, ut Ecthesim reciperet, varie afflictus, diem brevi ſuum obiit; & Joanne, qui Conventu ſuis indicto Ecthesim impietatis condemnavit. Equidem pudore ductus Imperator, cum paſſim ſanctio illa turbas cieret, literas ad Joannem dedit, quibus Ecthesim non a ſe, verum a Sergio non ita pridem vivis exempto concinnatam excuſaret; attamen a Pyrho Sergii in Pontificatu, & hæreſi ſucceſſore, ſibi amiciſſimo confirmatus, errorem ſemel ad animum admiſſum, nunquam plene ejeciſſe viſus eſt. Aqua demum intercute C) ad extrema perductus Heraclius Conſtantinum ex Eudocia, & Heraclionam ex Martina filios teſtamento condito ſucceſſores æquo jure poſt ſe deſtinat, utque Martinam matris, ac Imperatricis loco habeant, communiterque Imperium adminiſtrent; ob cujus inceſtas nuptias ſevere ſub exitum a Deo caſtigatum Scriptores ferunt, fœdo, ac

Z puden-

A) Præprimis Theophanes p. 224. & p. 225. Cedrenus p. 339. B) Annales Eccleſiaſtici ad annum trigeſimum Heraclii de his videndi. C) Conſentiunt in mortis genere Scriptores Theophanes, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus; diſſenſio aliqua eſt in annis Imperii. Zonaras p. 68. ait, regnaſſe annis triginta & uno. Theophanes p. 225. & Cedrenus p. 339. annis triginta & menſibus decem. Nicephorus p. 15. triginta annis & menſibus quatuor. Verum ſi imperare cæpit menſe Octobri die quinto Anno 610. & mortuus Anno 641. menſe Martio, ut volunt Theophanes, & Cedrenus, patet, imperaſſe annos triginta menſes quinque, dies aliquot, ex quo videas horum Scriptorum in ſcribendo indiligentiam.

A.C. 641 pudendo morbi genere præter eum, quem ſupra meminimus, afflictum. Davidem ad hæc, & Marinum filios Cæſares, Auguſtinam, & Martinam Auguſtas appellavit, tanquam ſi regendis Imperii illius per Saracenos diſcerpti reliquiis unus non ſatis Princeps eſſet. Atque his perfectis, anno ætatis quinto & ſexageſimo, Imperii vero trigeſimo inſuper menſe ſexto ad plures abiit, utramque expertus fortunam, in quo poſteri Principes, & illuſtria, quæ ſequantur, habent, & mala, quæ perhorreſcant.

FL. HERACLIUS CONSTANTINUS, ET FL. HERACLIONAS.



Lato Heraclio Martina ſupremam ejus voluntatem populo in Cœtum vocato ſignificat; nec obſcure indicat ambitioſa mulier, ſibi ceu Imperatrici, & Imperatorum matri ſummam adminiſtrandæ Reipublicæ commiſſam. Verum averſari populus muliebre imperium, illi ceu Auguſtorum matri honorem habitum iri, Imperium Conſtantino ſeniori, & rebus per ætatem gerendis idoneo in manus tradendum. Ita mulier ſpe dejecta, gubernacula relinquere Conſtantino cogitur, novercalibus in eum inflammata odiis, & quod populi favore conſequi non poterat, fraudibus, ac ſceleribus obtinere adniſa. A) Conſtantino igitur corona impoſita, ſatis quidem inauſpicato; quippe eam cum Heraclio patre ſepultam, reſerato monumento capiti detraxit, ſuoque impoſuit Conſtantinus; perſolutis tamen ſeptuaginta auri libris Templo, in quo Heraclius erat reconditus. Dein aſſidua corporis ægritudine afflictus parum in Republica adminiſtranda valuit, Philagrio quopiam aulam pro eo moderante: hic cum ærarium penitus videret exhauſtum, ſubodoratusque eſſet, bonam auri ſummam ab Heraclio in uſus Martinæ, ſi fors Imperio excideret, apud Pyrhum depoſitam, auctor fuit Conſtantino, uti eam in uſus bellicos repeteret; ac perfecit denique, ut aurum illud Pyrhus etſi invitus, furente ad factum Martina, repræſentare cogeretur. Quin cum cerneret Philagrius, Imperatorem in dies pejus habere, penuniam hanc per Valentinum armigerum exercitui diſtribuendam miſit; ut militem ad partes filiorum Conſtantini poſt ejus fatum, adverſus Martinam, & Heraclionam tutandas præpararet. Et provide rem geſſit; Conſtantinus etenim poſt tres tantummodo Imperii menſes, ac dies aliquot Martinæ novercæ, & Pyrhi Præſulis fraude, veneno potus interiit: B) Vir mente in Religione pura, & Monothelitarum errori adverſa, ob quod eidem a Pyrho acceleratum fuiſſe interitum, nonnulli memorant. C) Ex Gregoria, vel ut alii, Anaſtaſia filios reliquit Conſtantem, & Theodorum.

Hera-

A) Nicephorus C. P. p. 15. B) Male Glyſcas p. 213. Annum unum Conſtantino attribuit. C) Theophanes p. 225. Cedrenus 339. diſſimulat vero Nicephorus C. P. prouti etiam caſum Martinæ, & Heraclionis. Heraclionam hunc, Nicephorus vocat Heraclium, Zonaras Heraclonam.

Heraclionas cum matre Imperium in hunc modum conſecutus, eidem conſervando, & ab exercitu, qui pro filiis Conſtantini conjurarat vindicando modis omnibus ſategit. Philagrium partibus ſuis adverſum in exilium projicit, populum ob mortem Conſtantini per eos, ut rumor erat, approperatam oppido exulceratum verbis demulcet, ac filios illius pro ſuis habiturum ſe, communiterque Rempublicam adminiſtraturum pollicetur; ſed in caſſum omnia; jam enim exercitus Valentino Duce Chalcedonem attigerat; quem nequidquam promiſſis in partes ſuas Martina, & Heraclionas pertrahere laborabant; Urbs proinde plurimis per milites damnis appetita & ipſa exulcerato in Principes animo ſeditione exardeſcit, quæ primum Pyrhi, ceu hæretici, & tanto ſcelere contaminati caput petebat; quod ille fuga voluntaria, & exilio ſubtraxit; dein Martinam, & Heraclionam; qui proinde a Senatu comprehenſi, & fœde mutilati, naſo quidem Heraclionas, lingua autem Martina, digno latronibus, ut crudum erat ævi illius ingenium, ſupplicio in aſceterium includuntur; Conſtans vero Conſtantini filius Imperator acclamatur; atque omnis hæc tragœdia anno non integro vertente contigit, quippe Heraclionas ſex tantummodo menſes imperavit. Turbatæ ſic Reipublicæ novum per Saracenos vulnus inflictum eſt: nam eodem hocce anno Cæſarea Palæſtinæ princeps Civitas annum jam ſeptimum obſidione preſſa, in manus denique Barbaricas decidit; in cujus occupatione ſeptem Chriſtianorum millia ferro trucidata memorantur. A.C. 641

FL. CONSTANS.



Conſtans ſub finem anni prioris Imperium adeptus, 642
grates Senatui prolixas egit, quod ſe adverſus Martinam, & Heraclionam patris ſui interfectores ulti fuiſſent, futurum ſe tanti beneficii memorem, atque ex eorum conſilio, & voluntate Rempublicam adminiſtraturum. Ampliſſima poſt hæc iis elargitus munera, ad ordinanda Imperii negotia, & exteris, & inteſtinis diſſenſionibus ſupra modum labefacta curas transtulit. Et rebus quidem moderandis non uſquequaque ſe inhabilem præbuit, A) at quod errorem Monothelitarum ab avo acceptum, a Paulo Pyrhi illius profugi in Pontificatu ſucceſſore tenacius combibiſſet, peſſimis ſub eo modis Religio eſt exagitata; quod is errori huic ubivis terrarum proferendo mordicus adhæreſceret, acerbiſſime non ſemel per Saracenos a Deo caſtigatus, emendatus nunquam. Ita Chriſtiana res, & a Barbaris illis miſere tum afflictabatur; & ab Imperatore, qui propugnator eſſe debuerat, fœde lacerata in oriente magnis paſſibus in ruinam incubuit.

Omarus Arabum Princeps Hieroſolymitanum inſtaurare aggreſſus 643
Templum, perficere opus non valuit, quod ædificii, ut primum ad faſtigium perductum erat, ſubito pars ſuperior dehiſceret. Judæi de ea re

A) Zonaras pag. 69.

A.C. interrogati reſpondere: non inhæſurum ſolo firmiter ædificium, quoad Crucem in monte olivario adhuc poſitam Saraceni demolirentur; Crux itaque ocyus exciſa, ædificium dehinc firmum conſtitit; quæ res occaſionem Barbaris dedit, ut Cruces ubivis terrarum excinderent, atque ita nova Chriſtianis ſacris clades inflicta eſt, & ſublatis hiſce Religionis trophæis, quid niſi ignoratio veri Numinis, ſcelerumque omnium colluvies in orientem invaderet. A)

644 Valentinus ſub hæc a quo res Byzantinas ſuperius turbatas meminimus; aſſertumque Conſtanti Principatum, neſcio quibus impulſus rationibus, an forte quod non pro eo, ac meritus de Conſtante erat, tractaretur, ſeditionem adverſus eum in exercitu commoverat; verum is antequam hæc matureſceret, oppreſſus; exercitus ad fidem reductus turbare deſtitit.

645 Infelicius Omaro Saracenorum Principi ceſſit inita a ſuis conjuratio: namque dum fundendis e ritu ſuo ad Deum precibus vacat, a Perſa quopiam gladio in ventrem adacto interiit, poſteaquam annorum duodecim regno res Arabum immenſum protuliſſet. Uthmanus illi cognatione propinguus obtinuit Principatum diffuſum illum, & tamen novis de Conſtante cum rebus ſacris belligerante victoriis augendum. Africa etenim, qua nondum per eam arma Saracenica pervaſerant, ab eodem brevi admodum tempore ſubacta eſt eum in modum: B) Gregorius Provinciæ illi Præfectus arma adverſus Principem cum provincialibus corripuerat, facile tanto a Byzantio intervallo disjunctus, exhauſtis jam Imperii viribus, Provincia potitus; quæ cauſa eo impulerit hominem, an ambitio ſola, an Religionis ſtudium, non ſat compertum; ac forte hoc poſterius fuerit; namque ſub idem tempus ut reliquum orbem, ſic Africam quoque Monothelitarum turbabat error. Pyrhus Conſtantinopoli profugus, in Africam ſe contulerat, ubivis errorem obtrudens ſuum, & pro una in Chriſto voluntate, & operatione efflictim dimicans. Egit ea res in partes Provinciam de Religionis integritate ſolicitam, cum S. Maximus Abbas religionis, & probitatis laude celebratiſſimus totis viribus adverſus Pyrhum depugnaret; ut adeo Gregorius Conventum Provincialium cogeret, in eoque de tota hac controverſia Maximum, ac Pyrhum diſceptare juberet. Decernitur itaque inter duos magnæ auctoritatis viros; quam alter geſta olim ſumma dignitate, alter doctrinæ, & integritatis laude paraverant. Vicit demum veritas; Pyrhus in eas actus eſt anguſtias, ut erroris convictum ſe fateretur, ac palinodiam caneret, Gregorio, & Provincialibus adverſus errorem pronunciantibus. C) Is itaque Gregorius Tyrannide arrepta conſentientem in vota habuit Provinciam; non defuere altero ſtatim ab occupata Tyrannide anno in omnem intenti occaſionem partibus ſuis Saraceni; ducto in Africam exercitu Gregorium acie profligatum indidem ejecere, ac Provinciam magna parte vectigalem fecere, nunquam deinceps ex unguibus Harpyiarum a Chriſtianis eripiendam. Et miſerabilior reliquis hujus Provinciæ facies; nam in aliis perduravere rudera quæpiam Religionis Chriſtianæ ad hunc uſque diem; at illic non ita multos poſt annos ne veſtigium quidem.

648 Africæ igitur, magnaque Aſiæ parte armorum vi ſubacta Saraceni in Europam ipſam bellum, & fortunam translaturi Duce Mavia cum prævalida mille & ſeptuaginta navium claſſe Cyprum nobilem inſulam aggreſſi, expugnata Urbe Conſtantia, totam juris ſui effecere. Miſſa adverſum eos claſſis Byzantio, Duce Cacorizo etſi numeroſiſſima, tantum animorum non habuit, ut ſe Barbaris in conſpectum daret; qui ſucceſſibus tantis uſi, Aradum quoque inſulam valida arce munitam aggrediuntur: verum civibus animi præter morem ſuppetebant ad defenſionem, fruſtra machinis, & minis eos quatiente Mavia; igitur cum anni tempeſtas bel-

A) Cedrenus p. 340. Theophanes p. 226. B) Theophanes p. 227. C) Theophanes p. 219. Anaſtaſius Bibliothecarius p. 26. in vitis Pontificum.

bellum duci prohiberet, Damaſcum, ſed brevi rurſus adfuturi, renavigant. A.C.
Vix enim hyems evoluta, claſſem iterum ad Aradum applicuit Mavias; ac cum Inſulani dira omnia ab efferato homine metuerent, nec in Conſtante a Deo, & fortuna abjecto ſpei quidquam haberent, libertatem abeundi pacti, inſulam cum arce hoſtibus reliquere; qui eam incolis vacuefactam in ſolitudinem egerunt.

Cum ſic res Chriſtiana in oriente laborat, ad conſananda Religionis 649
vulnera, quæ Monothelitarum impietas inflixerat, animum vertit Martinus Romæ Pontifex Theodoro ſuffectus; Conventu enim ſuis indicto, ac Romæ celebrato, iterum ſententiam in Monothelitas a deceſſoribus ſuis jam damnatos pronunciavit, neque tantum adverſus hos, verum etiam adverſus Typum Conſtantis, qui ſuaſu Pauli Byzantini edictum ſic vocitatum promulgarat; cum enim cerneret Paulus, ubivis a ferventioribus exagitari errorem illum, ac diris devoveri ſe, ceu impietatis illius principem, eo perpulit Imperatorem, ut edicto ſevere vetaret, quidquam in alterutram partem de duabus in Chriſto operationibus moveri, penitusque eam quæſtionem ſilentio obruendam. Reſtitit itaque Martinus cum ſuis non ferentibus, tenebris damnari præcipuam in Religione veritatem, parique cum errore ſententia plecti: nec ſane jam malo per orbem diſperſo, & animis multorum alte indito ſilentium mederi poterat. Olympius A) Ravennæ Exarchus mandato Principis Romam militari cum ferocia venerat effecturus, ut Typus reciperetur, ſed nec vi, nec fraudibus perficere mandata valuit, Pontifice adverſus impietatem Imperatoris prævalente; quæ quidem victoria Martino glorioſam pro Deo mortem, Conſtanti infortunium, exitumque poſtea infelicem peperit. In eodem Conventu Pyrhus quoque ad vomitum reverſus condemnatus eſt, uti & Paulus, & omnis erronum cum Ducibus ſuis caterva.

Res Romæ in eum modum geſtæ, & ad Conſtantis aures perlatæ, 650
furore illum compleverunt, quod edicta ſua tam nihili a Pontifice fierent; igitur Calliopam Exarchum, cum manu militari Romam proficiſci, vinctumque ad ſe Martinum perduci jubet, inſuper, & Maximum præcipuum ſacri hujus belli adverſus improbos incentorem. Martinus in Naxo inſula miſerrimis divexatus modis, cum ægritudine quoque afficeretur gravi, nihil remiſit de animi conſtantia; Conſtantinopolim poſt anni moram ductus, & latronis, non Pontificis in morem acceptus, cum ne cruciatus quidem admoti animi firmitudinem elidere poſſent, Cherſonam, mille inter ærumnas relegatus, poſt triennium ad certaminum præmia abſceſſit. Ne vero res Eccleſiæ ſine gubernatore fluctuarent, neve Romanis aliquem vi Conſtans obtruderet ſuæ farinæ hominem, Eugenium Romani Pontificem dixere; qui quidem vivente Martino ſe pro illius Vicario, eo demortuo pro Eccleſiæ capite ita geſſit, ut in eo Martinum ſupereſſe, ac veritatem triumphare Conſtans ingemiſceret. Maximus quoque veritatis acerrimus propugnator Byzantium perductus cum duobus Anaſtaſiis, perpetuis Commilitonibus, mirum dictu eſt, quibus non malis appetitus, ut veritatem proderet; vinculis, carcere, inedia, verberibus, fruſtra in eos debacchata eſt improbitas; quin eo prolapſa eſt ſæviendi rabies, ut linguam Viro ſancto, qua ad confutandos errores valebat plurimum, evelleret, ſicque ad minus in cauſa optima ad tacendum, quando ad eam deſerendam non potuit, cogeret; ſed cum ne ſic quidem vocis diſtinctæ uſum ademiſſet, in exilium projecit; in quo poſt aliquot annos vitam tot victoriis illuſtrem terminavit Maximus, ut debitam iis palmam acciperet.

Religionis negotio ita perturbato, inſtabant interea magnis viribus Ara- 651
bes, qui facta in Iſauriam irruptione, affectis magna clade incolis, plurimis in ſervitutem ductis, divitem etulere prædam. Conſtans tot preſſus difficultatibus de pace appellat Barbaros, quam tamen datis non niſi obſidibus, & tantummodo ad biennium impetrare potuit; quamquam ne biennium quidem induciæ

A) Anaſtaſius in vita S. Martini.

A. C. tenuerint. Paſſagnathus quidam Armenius vir inter ſuos princeps, partem
651 Armeniæ ad defectionem traxit; utque firmius res ſuæ conſiſterent, ad Saracenicam confugit ſocietatem, filio iis in obſidem dato. A) Ad reſtinguendum hocce incendium Cæſaream uſque Cappadociæ Imperator procurrerat; ſed tam validas jam malum vires acceperat, ut remedium deſperaret; itaque Armenia ſic relicta Byzantium rediit infelix in omnem qua ſe daret, partem, idque eo magis, quod infelicitatis caput ſuæ non agnoſceret. Firmus quippe inſano dogmati adhæreſcebat, & Paulo, a quo in errore detinebatur, demortuo Pyrhum illum, duodecim ante annos eo Sacerdotio deturbatum, & qui ſimulatione ſua Romanis illuſerat, in ſedem repoſuit, hominem exilio hoc minime emendatum, & ad turbas ciendas factum; verum recuperata dignitas illi non fuit diuturna, poſt menſes quatuor Sacerdotio una & vita exuto. Hujus ſucceſſor Petrus B) annos duos Eccleſiam illam non tam rexit, quam evertit, & ipſe ſuperiorum veſtigiis, improbitatique inhærens.

653 Saraceni interea non tam virtute ſua, quam ſceleribus Chriſtianorum ubivis locorum victores, propius Conſtantinopolim terrorem admovent; gemino exercitu, altero Rhodum Duce Mavia, altero Armeniæ partem Imperatori adhuc ſubjectam ſubigere aggreſſi; & Rhodus quidem C) inſula momenti ad defenſionem maximi brevi cecidit, una cum coloſſo illo Rhodio, quem olim cives Solis honori monſtroſa magnitudine exædificarant. Eum humi jam pridem jacentem Judæus quidam Edeſſenus emptum, ac diffractum, nongentis camelis abſtuliſſe fertur. Armeniam vero fuſo, fugatoque Mauriciano Conſtantis Duce fœde evaſtatam deſolarunt.

654 Mavias ita rebus e voto fluentibus Tripolitano in portu maximos facit apparatus ad Imperium Orientis in ipſo capite Urbe Byzantina obruendum; verum cum ſummo jam ſtudio omnia apparata eſſent, ipſeque cum exercitu alio divertiſſet, Chriſtiani quidam effracto carcere, maxima enim eorum multitudo vincta illic attinebatur, raptis, quæ ſors dediſſet, armis, Saracenis cædem inferunt, apparatum belli omnem igni corrumpunt, ac cæſo ipſo Urbis Præfecto, correptis, quæ ad manum erant navibus, feliciter effugiunt. D) Maviam inexſpectata hæc clades nec quidquam a propoſito deterruit. Inſtaurata ut poterat claſſe Abulabarum in mare facere procurſionem jubet, ipſe Cæſaream Cappadociæ exercitum promovet. Ad tantas Arabum molitiones, tamque vicinam perniciem animo arrectus Imperator, parata in portum Byzantino valida claſſe, ipſe pugnaturus in hoſtem prodit. Pridie ejus diei, qua claſſes committendæ erant, ejusmodi ſomnium Imperatori oblatum eſt, ut videretur ſibi in Urbe Theſſalonica diverſari; quid ſomnium hocce portenderet, quærit ex conjectore: actum ille de victoria conclamat, e voce augurium petens; quippe ſi græcanicam eam vocem in partes diſtrahas, fieri poteſt, ut ſenſum hunc reddat: Θὲς ἄλλῳ νικὴν pone, vel cede alteri victoriam. Nihil eam rem moratus, an neceſſitate impulſus Imperator? navali prælio cum Saracenis decernit. Horrenda clade res Chriſtianorum eo prælio confractæ; mare cruore purpuratum; Imperator ipſe in manus hoſtium veniſſet, ni ſtrenuus quidam vir idem ille, qui Tripoli Chriſtianis ſe Ducem dederat, e navi raptum prætoria in aliam transtuliſſet, detracto Imperiali ornatu, quo alium quempiam hoſtis fallendi cauſa de vulgo inſigniverat; ſed non potuit mercedem ferre tam fidæ operæ, cæſus una cum larva illa Imperatoris, luculentam hoſti victoriam reliquit. Imperator plenus ignominiæ Conſtantinopolim fuga lapſus eſt, & futurum erat, ut ea quoque excideret nullis ad reſiſtendum viribus, niſi inſequens anno proximo Uthmani Saracenorum Principis mors eosdem in domeſticum conjeciſſet diſſidium; quo aliquot annos perdurante,

quieto

A) Theophanes p. 228. B) Zonaras p. 70. qui ait, ſed perperam, duodecim annos Petrum præfuiſſe, cui Thomas ſucceſſerit, nihil prioribus melior. C) Cedrenus pag. 340. D) Theophanes pag. 228. Zonaras pag. 69. Cedrenus.

quieto licuit eſſe Conſtanti, imprudenti ſane, qui ea in rem ſuam, & A. C.
Chriſtianam occaſione uti neſcierit, nec Saracenos diſſenſionibus illis, plurimum attritos, Orientis dominatu depellere; ſed quem animus, & fortuna deſeruit, fruſtra huic rei bene gerendæ occaſiones ſeſe ingerant, etiam optima quæque, ut cibi ſalubres ſtomacho vitiato, in perniciem vertunt.

Etenim Uthmano ſuorum conjuratione poſt decem regni annos in- 656
terfecto, Saraceni in duas diſſecti partes, alii Alim Mahometi generum, Maviam alii, bellis feliciter geſtis magnam nominis celebritatem adeptum, Principem optabant; ventum igitur ad arma eſt, diuque perturbatio inter Barbaros tenuit, in qua Maviæ demum res fuit ſuperior. Ad Euphratem utriusque commiſſæ acies, & Alis exercitus a fluvio ſubmotus; cumque in ſiticuloſa adactus loca, detrectante prudenter pugnam Mavia, ſiti emoreretur, incruentam denique, & plenam hoſti victoriam reliquit. Alis in Perſidem fuga elatus, ac non diu poſt cæſus Principatum omnem Maviæ reliquit; hic durante adhuc inteſtino eo bello, Legatos ad Conſtantem miſerat, pacis conficiendæ gratia, ne ſua Imperator interea repeteret, dum æmulo perdendo totus laborat; quin & tributi pactione pacem ab eo mercari voluit, pollicitus in ſingulos anni dies nummos mille, equum unum, & ſervum; rejecit equidem pactiones has Conſtans, ſed quonam eventu? qui ab excorde, & infelici Principe expectari poterat, ut & tributis careret oblatis, & Barbaros impune dominari ſineret, qui compreſſis demum atrocibus inter ſe dimicationibus, rurſus arma in Chriſtianos verterent, nec prædis, nec Provinciis integris unquam expleti. A) Sub idem tempus cum Sclavis quoque prædatoribus negotium fuit Imperatori, quorum tamen facilius repreſſa rabies, ac Sclavonia ipſa armis perdomita.

Annis dein fere tribus a bello vacuus Conſtans, & e malis in dete- 659
riora prolabens, neſcio quo percitus furore germanum ipſe ſuum Theodoſium interemit: jam antea inviſum ſibi ſacris initiari curarat, ac Diaconum majoris Eccleſiæ conſtituerat, deque manu illius, ipſe quoque calicem Dominicum biberat; B) eum igitur & ſacrilegus, & paricida ubi peremiſſet, aſſiduis exagitari cæpit conſcientiæ ſtimulis, ut quietem animo capere nullam poſſet, viſus ſibi videre ob oculos fratrem obverſantem, ac calicem Sanguinis plenum offerentem, dicentemque ſibi: bibe frater; adhæc cum inviſum ſe cerneret populo, ob Martinum, & Maximum viros ſanctiſſimos per tot ſupplicia exterminatos, pluribusque aliis de cauſis ab ea Urbe averſus, Imperii ſedem Romam translaturus in viam ſe dedit, reſpectans identidem Byzantium, in eamque Urbem per contemptum deſpuens; quam tamen ſceleribus, & perfidia ipſe ſua deteriorem fecerat. In Siciliam delatus, Syracuſis dehinc domicilium fixit; acceſſerat quidem & Romam Religionis, ut præferebat ſtudio, ſuſceptus magnifice a Vitaliano Papa, ſed vel metu Longobardorum magna Italiæ parte dominantium, vel qua alia de cauſa diu illic commoratus non eſt; inſuper Templa, quæ donariis ornare debuerat, ſpoliavit, ſtatuas æreas, ac tegulas quoque e Templorum tectis revellens. C) Syracuſas redux eodem conjugem quoque, ac liberos Byzantio accerſiverat; ſed Urbs ſpoliari Imperatorum præſentia haud ferens profectionem inhibuit. Neque tamen vel ſic ab Urbe, in qua facinus patrarat, ſubmotus, animo medelam invenit Conſtans, didicitque: cœlum, non animum eos mutare, qui trans mare currunt; iisdem ſemper conſcientiæ ſtimulis perturbatus, vitam in mœrore, & ærumna duxit. Illo igitur Imperii cura ſic abjecta Syracuſis delitescente, per conſequentes annos Arabes Imperii in oriente reliquias identidem populati ſunt, vix quoquam eorum ſemet furori objiciente; quin in Sicilia adeo ipſa Conſtanti propius terrorem admoverunt; iſthuc enim claſſe delati vaſtata inſula magnam hominum multitudinem Damaſcum ſecum pertraxerunt.

Ac-

A) Theophanes p. 230. Cedrenus p. 343. ait, Conſtantem hæc pacta rejeciſſe. B) Cedrenus p. 343. C) Anaſtaſius in vita Vitaliani Pontificis.

A.C. Acceſſit ad malum Saborius Armenicæ militiæ Dux perduellis, qui
667 Tyrannide circa Conſtantinopolim arrepta, ut eam Saracenorum armis ſuſtentaret, Sergio quodam miſſo, tributorum pollicitatione Barbaros in partes ſollicitavit, nec difficiles in vota habuit: miſſus cum claſſe exercitus initium bello in Europa dedit; verum Saborius circum Adrianopolim ſuo cum exercitu commoratus, cum quodam die equum exercet, ab eodem excuſſus, ſpe ſimul Imperii, & vita excidit. Barbari hoc viſo in Chalcedonem Byzantio adſitam, non parva rebus vaſtitate illata, furorem effudere; exin Amorium Phrygiæ digreſſi, occupatam eam Urbem millium quinque præſidio communiunt. Cum vero hyems inclementius ſæviret, Andreas quidam cum copiis Byzantio miſſus, non exſpectantibus ea anni tempeſtate hoſtile quidquam Barbaris, ac negligentius excubantibus. Milites per tenebras muros transgreſſi Saracenos ad unum omnes cædunt, eaque clade poſt tot Imperii ruinas illata, dolori utcunque ſuo litant.

668 Conſtantem demum poſt viginti ſeptem Imperii annos menſe Julio Divina de tot ſceleribus ultio, prius in animo excruciatum, acerbius denique eſt conſecuta. Dum Syracuſis in balneo Daphnes lavat, Mizizi cujusdam Armeni fraude circumventus impacta in caput ſitula interimitur A) Princeps & vita, & exitu infelix. Mizizum hunc re non alia, quam formæ elegantia commendatum milites in Imperatorem acclamarunt; verum adfuit non multo poſt numeroſa cum claſſe Conſtantinus, Conſtantis filius, Byzantio advectus, aggreſſusque perduelles cæſum parentem ſevere ulciſcitur interfectis omnibus, ad quos ſuſpicio tanti facinoris pertigerat, quibus rebus geſtis Byzantii magna Urbis lætitia redux accipitur, dictus deinceps Pogonatus; quippe vox πώγων Græcis barbam notat, quod in expeditionem Siculam imberbis profectus, redux decora jam barba virum prætulerit. B) Præter hunc Conſtantinum fuere, & alii Conſtanti liberi, Tiberius, & Heraclius.

FL. CONSTANTINUS POGONATUS.



COnſtantinus Pogonatus, qui jam antea cum patre annos decem imperarat, cum cerneret, turbata per nefarios errores Religione factum, ut tot mala, & cædes orientem inundarent, nequaquam improba patris ſui veſtigia ſequi, verum exciſo Monothelitarum errore, optatam orbi tranquillitatem revehere ſtuduit, indicto quoque, ut poſtea dicetur, in eam rem Conſtantinopolim Univerſali Patrum ex orbe Conventu. Nec defuit piis conatibus cœlum, ope namque Sanctiſſimæ Dei Genitricis factum, c) & ſingulari Dei favore, ut Urbs Byzantina, cui totis viribus rabies Saracenica plures per annos incubuit, non modo ab interitu indemnis eſſet, verum etiam acciſa, ac depreſſa hoſtium potentia pul-

A) Theophanes p. 233. B) Zonaras p. 70. c) Solenne Scriptoribus his eſt, cum ſingularis aliqua Urbi felicitas obvenit, periculumque depulſum, id in favorem Dei Parentis, ac opem referre.

pulcherrime triumpharet. Sub initium adepti plene Imperii inquies A.C.
Orientalium militum, turbarum aliquid faceſſiverat; cui tamen ſapienter 668
principio ſtatim a Conſtantino obviam itum, oppreſſumque eſt gliſcens in cinere incendium. Fratres uti innuimus, erant Conſtantino Tiberius, & Heraclius, quos in partem curarum Imperii peramanter ut fratrem decebat, admiſit Imperator; absque tamen eo, ut corona, aut Imperiali quodam ornamento honoratos pro Auguſtis haberet. Nec ſane ea Auguſtorum multiplicatio Imperio commodare potuiſſet. Milites, qui ex oriente advenerant, muſſare inter ſe de coronandis Imperatoris fratribus, novos ut inquietum eſt vulgus, Dominos, nova Imperia ſomniare, ac lepida quadam ad id perficiendum argumentatione uti: Trinitatem inquiebant, colimus, tres Imperatores coronemus. Inſolentes ejusmodi voces ad aures Conſtantini perlatæ turbarum metu non parum ejus animum concuſſere; igitur velut minime ab ea mente alienus ſignificat militibus, Primores ex iis, qui hæc talia flagitarent, in Urbem ex oppoſito trajicerent, expoſiturum ſe eorum poſtulata Senatui, ut eo probante, ac volente res confieret. Verum Primores illos, ut primum trajecere, patibulis in littore, ut conſpici eminus ab exercitu poſſent, ſuffigi curat; reliqui eo terrore compreſſi a turbulentis ejusmodi conſiliis, dicteriisque ad ſeditionem ciendam natis abſtinuere. Proditum a quibusdam memoriæ A) fratres forſan excitatæ hujus commotionis non penitus inſontes, naſo eſſe mutilatos, ut ea deformitate vultus ab Imperio arcerentur; verum cum iidem ipſi poſtea ſcribant, ſub ultimos Conſtantini annos Tiberium, & Heraclium ab adminiſtratione Imperii ſemotos, ut ſic certius Conſtantinus Juſtiniano filio Imperium poſt ſe relinqueret, hæc eorum narratio vix fidem invenit.

Conſequentibus poſtea quatuor annis a bellis gerendis utcunque ceſ- 669
ſatum eſt, ſi procurſiones, ut inquietum eſt Arabum genus, in fines Imperii factas excipias; at non ab apparando utrinque in futurum ſummis viribus bello. Quippe Saraceni proſtrata Conſtantinopoli Orbis dominatum in ſe ut putabant translaturi, vires tot Provinciarum vaſtitate, ac captivitate ſupra modum auctas in unum omnes ei operi perficiundo contraxere. Ac primum quidem in Ciliciam applicuerunt claſſem, ut Urbe occupata Cyzico, illic ſedem belli adverſus Byzantium gerendi conſtituerent; quamquam difficiliter, & ſua opinione ſerius loco illo potiti. Nec minor erat in Urbe Imperatoria ad defenſionem apparatus, proſpectum de copioſo milite, claſſe multiplici, commeatu. Ante alia vero multum ad rem bene gerendam momenti attulit ignis quoddam genus a Calinico inventi, qui Græcus vulgo dicitur, ea virtute præditus, ut aquarum vim ſuperare, atque in mediis etiam undis incendia miſcere queat. B) In dromonibus igitur ſiphones præparati, qui eos in hoſtilem claſſem ignes ejacularentur, ac certiſſimam eis peſtem afferrent. Sed potior his omnibus erat Conſtantino apparatus in præſidio Dei, Divinæque Parentis; de quo ſibi, & recte circa Religionem ſentiendo, & infimis precibus opem expoſcendo in futurum proſpexerat.

Bello igitur ſic apparato, cum ſe mitior anni pars explicuiſſet, Sa- 674
raceni multo furore, ac maximo navium numero obſidioni initium dedere; ac partem orientalem ſimul cum occidentali Urbis intercluſere, ut a commeatu advectando cives arcerent. Sed pars Urbis Septentrionalis, qua ſinus ſe maris in continentem infundit, occupari ab iis non potuit; ab hac igitur, & annona apportabatur obſeſſis, & claſſis tuto conſiſtebat; unde quot diebus procurrendo cum hoſte manus conſerebant Byzantini, nec parvam Græco illo præſertim igne navibus Saracenicis cladem inferebant. Eum in modum exacta per continuas dimicationes æſtate, cum hyems appeteret, Cyzicum Arabes claſſem, & exercitum

A) Theophane, & Cedreno. B) E camphoræ bitumine ignis ille exiſtit; tenacius enim bitumen illud eſt, quam ut aquarum vi partes illius divelli, itaque ignis extingui queat.

A. C. tum hyberna illic acturum reduxere; qua vix exacta, rursus ut anno su-
674 periore Urbi totis viribus imminebant, idque per quinos adeo annos pari pertinacia hostium, & civium constantia factitatum. Demum anno Constantini nono, postquam & lues maximam Saracenorum multitudinem depasta esset, & classis cladibus plurimis attrita, prostratis penitus viribus suis, Barbari abjecta Urbis occupandæ spe Damascum reditum adornarunt. Verum nec ea profectio infortunio caruit, cum enim Sylæum classis reliqua pertigisset, ventorum vi arrepta, & saxis illisa funditus disperiit. Sed nec terrestribus præliis res Saracenica fuit fortunatior; a Floro enim Cypriano, reliquisque Ducibus ingenti prælio fracti ad triginta suorum millia desideravere. Ea re Syriæ pars a Saracenis ad veteres Dominos se transtulit. Mavias expectatione dejectus sua, cum vereretur, ne Christiani victoriis usi Saracenos ab occupato Oriente depellerent; & cum populi cujusdam ad montem Libanum rebellione (Maronitas hodie dicunt) valde res suæ in angusto essent; pacem a Constantino poposcit. Missus Joannes Patricius ea ratione negotium cum Arabibus composuit, uti deinceps tributi nomine Constantino in annos singulos tria millia auri pondo, servos quinquaginta, totidemque melioris notæ equos pensitarent, utrinque annis triginta a bello cessatio esset. Atque sic cruentis, longisque dissidiis finis impositus; quo dubium non est, plurima memoratu digniſſima edita esse facinora, quæ tamen Scriptorum incuria tenebris obruit; qui hæc summatim tantum perstringendo unum illud subjiciunt, obsidionem illam septennio fuisse protractam; A) refellunt tamen ipsi semet, cum initium obsessæ Urbis in annum Constantini quintum referunt, exitum vero belli in nonum; nisi forte duos etiam præcedentes, & præparationi impensos, forteque procursionibus ad ipsam Urbem factis memorabiles quinis hisce annis adnumeraverint. Avares, reliquique circum populi fines Imperii incursare soliti audito rem cum Saracenis plene, feliciterque esse compositam, in metum adducti, ne versis in eos armis pœnas tot vastationum Constantinus repeteret; missis Legatis egere & ipsi de pace, ac compositis ordine rebus, tandem aliquando serenior Imperio affulsit sol, omnesque tranquilliorum spes temporum complexa est.

679 Cæterum malacia hæc ne quidem biennium obtinuit. Bulgari a Septentrione, & flumine Tanai effusi, Istrumque transgressi fines Thracios populatione fœdabant sedibus illic rursus positis; in hos igitur expeditionem adornavit Constantinus, parata in rem opportune omnia, copiosæ Istro naves immissæ. Bulgari fama validi exercitus, Imperatorisque ipsius præsentia conterriti retrahunt sese a procursionibus, & loco quodam ad defensionem peropportuno fossis, paludibusque communito (Onglum dicebant) continent. Adfuit non diu post exercitus Imperatorius; sed quod hostes in apertum non prodirent, nec militi ad eas difficultates locorum perrumpendas sat esset animi, otiose dies complures substitit. Bulgari hac comperta ignavia resumunt sensim animos, seque ad dimicationem comparant. Verum iis res nec opinata incruentam peperit victoriam: B) Constantinus cum ex pedum dolore laborare cæpisset vehementius, conscensa navi exercitum commendato Ducibus negotio deseruit; at miles eam Imperatoris profectionem pro dejectione animi interpretari, Bulgarorum vires, & numerum in majus attollere, exaggerare eam locorum difficultatem, turbari denique totus exercitus, relictisque Bulgaris fœdam, ac properatam Byzantium versus profectionem instituere. Ea hostis animadversa suis effunditur repagulis, & incompositos, nec pugnæ aptos cædit, fugatque; ac victoria non contentus Varnam usque arma, & dominatum profert; cum vero a vastanda Thracia non desisterent Bulgari, annua pensitatione pecuniaria pacem Imperator redimere

1) Theophanes pag. 235. Cedrenus pag. 345. Zonaras pag. 71. Nicephorus pag. 17. B) Nicephorus C. P. pag. 18.

mere coactus est; totamque eam plagam incolendam iis relinquere, a A. C.
Sclavis antea habitatam, quæ Danubio, & perpetuo montium ad Pontum usque tractu a reliqua Thracia sejungitur. Regionem illam jam Anastasio imperante a Bulgaris occupatam meminimus; credibile tamen aut ab Avaribus Bulgaros fuisse suppressos; aut continuis ita bellis afflictos, ut regionis possessione exciderint; exin vero stabili illius dominatu potiti regnum condidere Bulgaricum, quod Byzantinis Principibus negotii persæpe plurimum facessivit.

Constantinus in hunc modum plena potitus pace, ad dissidia in Re- 680
ligione quoque componenda Universalem Patrum Conventum Constantinopoli haberi, in eoque hæresim Monothelitarum profligari denique magnopere cupiebat; ad quod faciendum Agathonem Pontificem Romanum strenuum cumprimis hortatorem nactus, nihil non egit, quo res optatum citius ad exitum perveniret. Convenere ducenti & octuaginta numero Patres A) Agathonis Legati loco principe, B) post hos Georgius Byzantinus non ita pridem Theodoro ob hæresim dejecto surrogatus, Antiochenus dein, ac ordine alii consedere; Alexandria, & Hierosolyma jugo pressæ Barbarico Præsulibus per ea tempora caruerunt. Adversarum partium primipilus fuit Macarius, qui pro una in Christo voluntate ad insaniam usque decertavit; ob quod dignitate motus a Patribus Theophani, Antiocheno Sacerdotio decedere necesse habuit. Consentientibus itaque animis damnatus error Monothelitarum, omnesque illius jam inde ab exortu fautores, & propugnatores diris devoti; res feliciter, & ordine composita, reclamantibus licet impudenter nonnullis; quorum unus aliquis portento sententiam suam ab erroris nota vindicaturum se promiserat; igitur defuncti cadaver allatum in Concilio, cui ad aures nescio quid veterator ille insusurrabat, attonitis omnibus ad rei insolentiam; verum mortuo fabulabatur; irrisus, & ejectus ab omnibus, nequaquam tamen, qua valebat improbitate, errorem execratus. In damnatorum numero erat Cyrus, Pyrhus, Paulus, ordineque alii, licet jam demortui; inter hos Honorii quoque Romani Pontificis irrepsit nomen, C) qui in actis Concilii condemnatus legitur, velut sententiæ Pyrhi quondam approbator; cujus tamen labis expertem volunt Honorium Ecclesiæ annales; ut qui epistolam Pyrhi, qua sana, & qua patens erat, de non novandis temere rerum sacrarum appellationibus, deque non miscendis periculosis quæstionibus, non vero quatenus virus occultabat, aut errori patrocinata est, adprobasset. Nomen porro Honorii in acta Concilii, fraude Theodori, post mortem Georgii, in Præsulatum restituti irrepsisse; qui ea præ manibus habuerit, nec sicut erant concepta, integra in lucem dederit, suppresso nomine suo, quem non vana suspicio est eo in Conventu damnatum fuisse; quo sic tanti viri auctoritate, & errorem Monothelitarum, & suam ipse damnationem, ortamque inde ignominiam utcunque elevaret. D)

Consequentes vitæ annos Constantinus procurata & Religioni, & 681
Reipublicæ pace, in summa egit tranquillitate; Arabes quippe mutuis distracti in deligendo Principe dissensionibus, ac Maronitarum quoque Gentis ad Libanum præferocis, ac Christiani nominis retinentissimæ armis pressi, promissis firmiter stabant; quin Abimelecus post varias perturbationes Principatu Gentis illius potitus, E) ut opprimendis Tyrannis navare tutius operam posset, & regnum sibi affirmare, novis missis Legationibus animum Constantini demereri sategit; aucto etiam, quod antea Saraceni pacti fuerant tributo, mille scilicet aureos nummos in dies anni singulos, servum, equumque daturum pollicitus. Quæ sane pensio iis

A) Anastasius centum quinquaginta Patres convenisse ait. Theophanes ducentos octuaginta. B) Zonaras p. 471. C) Zonaras cum damnatorum in eo Concilio nomina recenset, non meminit Honorii, meminit vero Cedrenus p. 346. D) De his videndi annales Ecclesiæ. E) Theophanes p. 239.

A.C. 681 temporibus permagna attritas nimium Saracenicas vires, & pene confectas denotat. Nec præterea memoratu dignum aliquid per continuos hos quinque annos Conſtantini reperio, niſi quod is fratres ſuos ab adminiſtratione Imperii removerit, adſcito ſibi in Collegam Juſtiniano filio; ut ſic certius rem ſummam ad eum transmitteret, ignarus tum, quam monſtroſum poſt ſe partum Imperio relicturus eſſet. Anno demum octuageſimo quinto ſupra ſexcenteſimum placide finiit A) Conſtantinus menſe Septembri, poſtquam Orienti annos ſeptemdecim forte non integros præfuiſſet, relictis ex ſe liberis, quem diximus, Juſtiniano, & alio Heraclio.

FL. JUSTINIANUS RHINOTMETUS. B)



685 JUſtinianus annum ætatis agens ſextum decimum, ſolus poſt patrem Imperio potitus, juvenili levitate, imprudentia, ac ſanguinaria crudelitate Deo, hominibusque ſe maxime inviſum præbuit, atque eo modo inclinatas jam Orientalis Imperii res in maximas perturbationes, vexationesque conjecit, diris & ipſe ſuppliciis a Deo, hominibusque plectendus. Primo Imperii anno Abimelecus Princeps Saracenus variis jactatus tempeſtatibus Legatos ad Juſtinianum pacis cum parente initæ confirmandæ gratia miſerat; qui quidem promiſſa patri tributa mille in dies ſingulos nummos aureos depenſurum ſe fideliter reciperent; ſic tamen ut Imperator Gentem ſibi infeſtiſſimam Maronitarum e Libani ſpelæis deductam, aſſignatis alibi ſedibus a Syria amoveret; quo moleſtiſſimis hiſce graſſatoribus Saracenis Meſopotamiam, Syriamque incolentibus liberis aliquando liceret eſſe. Id ſi Imperator faceret, tum ſe non ea modo, quæ antea pactus erat, in rem fideliter collaturum, ſed etiam Cypri, Armeniæ, ac Iberiæ vectigalia, quæ præ manu ſibi eſſent, ex æquo cum Imperatore diviſurum. c) Atque hiſce illectus promiſſis ocyus in mandatis dedit Juſtinianus, uti Gens illa in Armeniæ fines deduceretur. Præter promiſcuam multitudinem virorum ſtrenuiſſimorum millia duodecim e Libani anguſtiis detracta, quo facto plurimum acciſæ Chriſtianorum vires; quippe Maronitarum metu procurrere in interiora Aſiæ minoris licentius non audebant Arabes, ne Chriſtiani in viſceribus Saracenici dominatus poſiti, interea domi quod ſtrenue factitabant, omnia ferro corrumperent, nec ad eos locorum natura protectos edomandos virium ipſis ſatis erat.

686 Ad factum hoc imprudens animi levitatem adjunxit Imperator; quippe anno nondum ab his geſtis præterlapſo cum audiſſet Abimelecum, ac Saracenos inteſtinis tumultibus ſupra modum exagitari, ea uſurus opportunitate feſtinato in Armeniam Leontium Ducem cum exercitu miſit, qui regione illa Barbaros exturbaret; & factum id eſt, cædè Barbaris illata, vectigalibusque a Provincia exactis; ſed vicem repoſuit Abimelecus, Theopoli, & Cerciſio occupatis. Nec ultra hæc bellum proceſſit,

A) Ex inteſtinorum dolore extinctum refert Glycas p. 215. B) Dictus ita eſt a naſo, poſtea ut dicetur, reſecto. c) Theophanes p. 241.

ceſſit; ſive quod parum firmæ res Abimeleci eſſent, ſive quod Syriam A.C.
omnem fames immodica prope deſertam effecerat. Itaque pacta nuper inita Arabes rata habuere.

Pari animi levitate, ſed damno majori initam a patre cum Bulgaris 687
pacem Juſtinianus abrupit. Translatis ex Aſia copiis ipſe in expeditionem profectus obviam ſibi Bulgarorum manum egit in fugam, tum factis longe, lateque procurſionibus, qua vi, qua deditione magnum ſibi adjunxit Sclavorum numerum; hi in Aſiam traducti ſedes cum omni familia illic accepere; atque ex iis poſtea delecti tricies mille viri fortiſſimi, peculiarem Juſtiniano exercitum fecerunt. Rem bene cæptam incogitantia Ducis corrupit; cum enim Legiones per montium anguſtias in Thraciam ex Bulgaria redeunt, Bulgari montium faucibus tecte occupatis exercitum undique circumcludunt; multi, quod loci natura caſſum reddidiſſet militare robur, e militibus jugulati, Imperator ipſe vix per ſumma montium juga ſalutem fuga invenit; didicitque robori, ac fervori juvenili blandiri ſub initia belli fortunam, at non niſi circumſpectæ, ac maturæ Ducis providentiæ perpetim famulari.

Compoſito rurſus cum Bulgaris negotio duos, tresve annos absque 690
bellis egit Juſtinianus; ſed cum ceſſatio iſta cum præferoci illius ingenio minime cohæreret, bellum rurſus intulit Saracenis, etſi illud omnimode deprecantibus, pactamque auri ſummam tempori fideliter repræſentantibus. Prætextu belli inferendi uſus eſt, quod aurum Saraceni alia, quam Imperatoris effigie ſignatum attuliſſent, quod factum adhuc a Barbaris non fuerat. Acceſſit & alia cauſa, quod neſcio quibus actus conſiliis inſulæ Cypri incolas Imperator aliorſum transferre aggreſſus ſit; quæ quidem res ceſſit infeliciter, magna eorum multitudine naufragio hauſta. Numeroſo itaque milite ſub ſigna collecto, ac iis tricies mille, quos diximus, Sclavis armorum apparatu inſtructis, in quorum præcipue robore confidebat, Sabaſtopolim contendit. Legatis obviam miſſis orant Arabes, ne ſe Imperator nihil tale promeritos armis laceſſat, neve bello det initium, cujus quidem ingreſſus facilis ſit, ſed difficilis exitus, nec niſi victoris arbitrio definiendus; adfore Deum ultorem in pacis temeratores, ac fœdifragos. Immotus ad hæc Juſtinianus ſuorum explicat aciem, & Arabes tametſi maximis incurrerent animis, tabulis quoque pactorum e conto appenſis rejecti a Chriſtianis fortiter ſunt. Dux eorum Maomed fraudem contra perjuros, quando arma non prodeſſent, arripit; Ducem Sclavorum aureis oppugnare telis aggreditur, pharetra auro plena ad eum transmiſſa, maximisque additis pollicitationibus, ſi deſerto Juſtiniano ad partes ſuas cum exercitu ſibi credito tranſeat. A) Non duravit fidelitas Barbaro ad auri fulgorem: Sclavorum millia viginti cum Duce, qui Nebulus dicebatur, ſe Arabibus adjungunt, in Chriſtianos communiter cum iis ducunt; exercitum tanta rerum diminutione perculſum ſine prælio cædunt, ac fugant, Imperatorem in dedecus maximum, & perturbationem conjiciunt. Is itaque ſupra modum in Sclavos ira exæſtuans redux omnes, quos nancifci poterat cum mulieribus ipſis, & innocua parvulorum turba, ulturus defectionem, furioſe interemit. Repoſuere vicem Sclavi; namque iis perductoribus uſi Arabes, ac intima Aſiæ minoris pervagati maxima hominum multitudine cædibus exhauſta captivos, prædamque multam collegere, ac denique Armeniam, cujus pars aliqua Juſtiniano adhucdum parebat, ſibi penitus ſubjecere. Nec dubium, quin Aſia omnis eorum ſubitura fuiſſet dominatum, niſi exorti in Perſide tumultus quodam

A) Ita quidem Cedrenus p. 348. & Theophanes; at Zonaras p. 73. ab inita ſtatim pugna Sclavos defeciſſe innuit, & Juſtinianum ſuperatum: αὐτικὰ ἐκ τῆ περιοχῆς ἐκείνῃ λαῷ αἱ εἴκοσι χιλιάδες πρὸς τὰς ἄραβας ἠυτομόλυσαν, ſtatim autem ex ſuperabundanti illa acie viginti millia ad Arabas defecere. Exercitum enim hunc e Sclavis λάον περιούσιον vocitabat Imperator.

A. C. a partibus Abimeleci deficiente vires eorum, & curas diſtraxiſſent. Ita bellum turpiter cæptum, fœdius terminatum eſt.

693 A curis bellicis, quarum tædere cæpit Juſtinianum rebus ſiniſtre fluentibus, ad ædificia, novasque ſubſtructiones animum tranſtulit. Præerat ſummo jure operis Stephanus quidam Perſa homo ſanguinarius, cui operas minima quavis de cauſa, ac ipſos etiam operum Præfectos verberibus cædere, vitave exturbare ludus, jocusque erat. Idem ille in aula poterat omnia, ut non modo atrociter ſæpe in aulicos animadverteret, verum ipſam quoque Juſtiniani matrem Anaſtaſiam flagris, ceu puellulam e filii improbiſſimi nutu turpiter acciperet. Reſpublica quoque curanda ab Imperatore commiſſa erat Theodoto cuidam, non ita pridem e vita ſolitaria, in quam ſe virtutis cauſa abdiderat, extracto; a qua tamen præter animi ferociam, & improbitatem nihil etulerat; ac forte hæc ipſa morum truculentia gratioſum eum apud Principem fecerat. Hic Præfectos ærario, rerumque curatores quæſtionibus exagitabat, exuebat fortunis, in exilium pro arbitratu trudebat; nihilo melius habebant privati homines, quibus exaggeratis tributis rem familiarem ad vivum reſecabat, & tormentis quandoque inflictis nulla de cauſa aurum extorquebat. Præfectus quoque Urbis multos e Senatorio ordine, virisque principibus Imperatoris juſſu in carcerem rapuerat, qui illic annos complures in ſquallore, & ærumnis hærebant; quibus omnibus in immenſum populi odia in Juſtinianum excrevere, nec aliud, quam Ducem ad ſeditionem ciendam, Imperatoremque tam crudelem exterminandum expectabant. A)

695 Conceptam dudum in animo populi ſeditionem atrox, & ſanguinaria Juſtiniani crudelitas maturavit. Neſcio qua actus veſania in mandatis dedit Duci exercitus, ut concubia nocte tumultum in Urbe cum militibus commoveret, viros principes ad necem depoſceret, a Patriarcha cædis fieret initium, in fortunas denique civium, & vitam promiſcue graſſaretur. Sive quod ſegniores in parendo fuiſſent, ſive quod reprehendi ſe, ac ſugillari ab iis ægrius ferret, ſive demum, ut eorum fortunis avaritiam expleret ſuam. Res non ita tecte inſtitui potuit, ut non ad plurium e plebe aures permanaret. Commodum forte accidit, ut Leontius Patricius, & copiarum in oriente Dux, carcere, cujus incola triennium jam fuit, liberatus in Græciam juberetur proficiſci, militi per eas oras præfuturus. Hunc ad naves deducebant amici mœſtum, ac gementem, ut qui non dubitaret, fine non alio mitti ſe in Græciam, quam ut illic citra ſtrepitum ab appoſitis ad id per Imperatorem hominibus necaretur. Erigere illi dictis mœrentem Leontium, a periculi illius cogitatione avocare; ac neſcio, quibus prædictionibus ſpem illi certiſſimam Imperii conſequendi facere. Jam celocem conſcenſurus erat, cum & prædictionibus illis, & hortatibus amicorum, mutata repente ſententia cum iisdem a portu domum ſuam pedem refert, ſervos, amicosque armis inſtruit, ac impetu in Prætoriam ædem facto, diffracto carcere magnam illinc virorum præſtantiſſimorum educit manum; qui ea re in meliorum ſpem arrecti Leontium ſtrenue conſectantur. Tumultu poſthac per Urbem excitato edici per vicos jubet; ut omnes, quibus patria, & libertas cordi eſſet, ad Divæ Sapientiæ acturi de ſumma Republica concurrant; ſimul mittit, qui Patriarcham rei inſolentia ſupra modum perculſum eodem deducerent. Id ubi factum, populum Leontius ad libertatem, & Tyrannidem opprimendam vocat; Patriarcha hanc eſſe diem, quam Dominus feciſſet, ſolenni carmine proclamante, concordi omnium clamore ad mortem Juſtinianus depoſcitur. Itum hinc in circum eſt, ac primo mane Juſtinianus ex aula protractus, diſcerpendus continuo populi furore, niſi Leontius cædem fieri prohibuiſſet, ob memoriam patris Conſtantini, quo cum ei amicitia interceſſerat, non modicis ab illo honoribus ornato. Itaque a cæde tem-

A) Nicephorus C. P. p. 20. Theophanes p. 244. Cedrenus p. 348.

temperatum, ſed naſo mutilatus A) in Cherſonam B) exul actus eſt Juſtinianus, facto quidem, quod hominem Chriſtianum utcunque deceret, ſed quod minime e Republica eſſet; eorum enim, qui in culmine rerum humanarum conſtiterunt, cum in vitam privatam truduntur, umbra etiam ipſa merito Reipublicæ eſt extimeſcenda; nec certiorem ad turbas, & excidia viam invenias. Ac illa vultus in Juſtiniano deformatio non ad eum ab Imperio arcendum, ſed crudelitatem illius exacuendam, clademque, ac perniciem Urbis valebit. Præcipui ſcelerum illius adminiſtri Theodotus ille latroni, quam monacho propior, itemque Stephanus & origine, & moribus Barbarus comprehenſi a populo, & ignibus exuſti jucundum exulceratæ tot damnis Urbi ſpectaculum præbuerunt. Leontius deinde ab univerſis Imperator acclamatus adminiſtrare cæpit Rempublicam. A. C. 695

Et annum quidem Imperii primum pacatum habuit; alterum Saracenica in fines irruptio, ac Præfecti cujusdam ad fines Armeniæ ad Barbaros defectio non nihil turbarat; tertium demum infelix Carthaginem cum claſſe expeditio, ac ſubitanea exercitus perduellio Leontio funeſtum reddidere. Memineramus jam Africæ ab Arabibus vectigalis factæ, forte Carthago adhuc ex eo naufragio Imperatoribus adhæſerat; ad eam itaque ſubjugandam Arabes claſſem cum exercitu expediunt, brevique ab auxiliis deſtitutam in poteſtatem redigunt. Ne vero Africa penitus periret Imperatoribus, claſſem Leontius, exercitumque bene magnum Byzantio emiſit, Duce Joanne Patricio laude bellica claro. Is ſecundis uſus ventis, perruptis Arabum obicibus in portum Carthaginenſem penetrat; Arabes Urbe, & regione exuit, ac rebus ex animi ſententia confectis, lætisque ad Leontium rerum geſtarum nunciis ablegatis, hyemem in ea regione cum exercitu exigit. Parato majore navium numero rurſus Arabes Joannem aggrediuntur, debellata in portu claſſe cum copiis Urbe ejiciunt; ac commeatus inopia laborantem cogunt Africa ſeſe ejicere, inque Cretam inſulam enavigare. Huc vero cum perventum eſt, pudor inceſſit Ducum, ac militum animos, quod rem tam bene cæptam ſocordia, atque imprudentia corrupiſſent; improviſo enim, & imparatis hoſtis ſupervenerat; vereri igitur, ne ſi Byzantium, ſicut erant victi, & abjecti, revenirent, iram in ſe accenderent Leontii, probrisque totius Urbis appeterentur; itaque formidandi magis, quam irriſi Urbem ingredi maluerunt; collatis inter ſe capitibus Abſimarum quendam Cibyrrheotarum C) claſſi Præfectum Imperatorem acclamant, ac Tiberium appellant, viam Byzantium verſus ad opprimendum Leontium ingreſſi. Cognita exercitus perduellione Leontius Urbem ad vim defendendam ſevere prius adjuratam præparat, ac ſe contra imminentem perniciem modis omnibus circumvallat. Et reſtitit ingentibus animis civitas, tametſi quatuor menſium lue peſtifera multis capitibus imminuta; factumque fuiſſet, ut eventu fruſtraretur militaris audacia, niſi Vigilum Præfecti, qui ad Blachernarum muros excubabant, inſuper habito, quo ſe obſtrinxerent, cum iis claves traderentur, jurejurando, per eam partem Abſimari milites in Urbem accepiſſent. Miſerrima erat Urbis velut ab hoſte Barbaro, non a concive occupatæ facies, fortunæ locupletiorum direptæ, cædibus in viros principes, & exiliis ſævitum, Leontius ipſe, quemadmodum Juſtiniano fe- 698

cerat,

A) Nicephorus C. P. p. 20. & Theophanes p. 245. ajunt Juſtinianum naſo ſimul, & lingua mutilatum fuiſſe: καὶ ῥινοκοπήσαντες ἅμα καὶ γλωσσοκοπήσαντες ἐξόρισαν ἐν χερσῶνι; naſo mutilatum ſimul, & lingua in Cherſonam relegarunt. Cedrenus p. 349. Zonaras p. 74. item Glycas p. 215. ſolius naſi præciſi meminerunt; & conſtabit ex dicendis, Juſtinianum locutum poſtea fuiſſe, verius itaque linguam illi integram manſiſſe. B) Cherſonæ Peninſula eſt, aliter dicta Taurica Cherſoneſus, hodie Crimæa; in hac Urbs Cherſon, in quam relegatus eſt Juſtinianus. C) Cibyrrheotarum thema fuit in Aſia minore ad partem Meridionalem; quippe Imperium Orientis poſt Heraclium in certa themata quaſi præfecturas diviſum erat, quod Saracenicis bellis multæ ademptæ fuiſſent Provinciæ; ex his igitur thematis certo numero milites educebantur, quibus etiam peculiares præerant Duces; ejusmodi themata complura fuere in Aſia minore, & Europa; quorum deſcriptionem ſingulari commentario dedit Imperator Porphyrogenitus. Cibyrrheotæ bellis navalibus operam ſuam præſtabant.

A.C. cerat, nafi clade affectus, ac in aſceterium detruſus; Abſimarus denique proturbatis, aut cæſis Leontii amicis ſeſe pro Imperatore geſſit. A)

699 Tiberius hic Abſimarus ſeptennium occupato per ſcelus Imperio ſat proſpere potitus eſt: præfecerat gerendo in oriente bello, prohibendisque Saracenorum vaſtationibus fratrem Heraclium, atque is ſtrenuum ſe, & experientem præbuit Ducem; nam cum cerneret Arabes Perſicis tumultibus diſtentos, opportunitate uſus, facta in Syriam irruptione ingentem Barbaris cladem intulit, ducentis eorum, ut fama erat, millibus comprehenſis, aut jugulatis. Geſtum dehinc bellum annos aliquot cum Arabibus, in quo tamen res Chriſtiana viſa ſuperior. Illi Tarentum uſque in Italiam anno inſequente valida claſſe procurrere, ſed virtute civium conatu depulſi, re infecta nec citra dedecus ad propria remigrarunt. Altero vero ab hac re geſta anno Armenii jugi illius Barbarici impatientes, raptis armis Saracenos in ea regione repertos ad unum omnes oppreſſere. Verum breve illis fuit e victoria gaudium; validioribus enim Arabes copiis Armeniam introgreſſi, totam juris ſui fecere; rebellionis auctores viri principes incendio necati, Armenia rurſus ab Imperio penitus divulſa. Sub idem tempus populationem, & cladem in Syria acceptam repenſuri in Colchidem irrumpentes Barbari ab Heraclio acie ſuperati, ac capti partim, partim vero cæſi didicere, non omnia graſſationibus ſuis, & furori eſſe pervia. Nihilo feliciores fuere eo, qui conſecutus eſt anno; ductis enim in Ciliciam copiis, ac Siſio expugnato, dirutoque duodecim eorum millia ab Heraclio profligata magnam Urbi tot per ea tempora malis divexatæ voluptatem attulerunt. Atque hæc tantummodo, eaque ſumma per capita Scriptores ævi illius de Abſimari rebus geſtis, atque Imperio.

705 Interea decimum jam annum exul Cherſonæ deliteſcebat Juſtinianus, dimiſſa nunquam recuperandi Imperii ſpe, quin eam, ut præferoci fuit ingenio, palam præſeferebat, ſeverius quandoque Cherſoniis minitari auditus. Cives metu correpti, ne quid rerum novarum Juſtinianus moliretur, neve ea turbarum occaſione grave ipſi infortunium acciperent, conſilia in medium conferunt, de eodem aut interimendo, aut apud Abſimarum deferendo. Ea re comperta Juſtinianus maturata ſe fuga ad Chazarorum Principem etulit. B) Ab hoc perbenigne acceptus, ut eum decebat, qui Orienti aliquando jura dediſſet; quin ſoror quoque Principis Theodora in matrimonium eidem locata; viſæ ſunt erigi Juſtiniani res, & ſerenior fortuna affulgere; verum ut fluxa eſt Barbarorum fides, quibus auri cupido privatis plerumque neceſſitudinibus potior, poſteaquam Abſimarus re cognita multo auro, promiſſisque ampliſſimis Principem illum aggreſſus fuiſſet, his rebus victus interficiendi Juſtiniani cæpit conſilium. Ad hoc igitur perficiendum militarem cum Præfecto mittit manum, velut adverſus domeſticas inſidias Juſtiniano præſto futuram, re autem ipſa ut eundem de improviſo interimerent. Id conſilii cum ad Theodoræ aures forte permanaſſet, maritum illa inſtantis periculi admonet, ille furore concitus Præfecto ad ſe miſſo necem infert, ac alterum quoque e Chazarorum Proceribus, cui Boſphori Cimmerii cura erat commiſſa, necat, remiſſaque ad fratrem Theodora, navi piſcatoria e finibus profugit. Cherſonam poſtea prætervectus nonnullis clam ſecum aſſumptis, quos rebatur fidiſſimos, itinere ad Trebelum Principem Bulgarorum directo, recta ad Danubii oſtia ferebatur. At cum in alto jam navigium eſſet, horribili cæpit tempeſtate jactari, ac propius interitum conſiſtere. Conclamatum de ſalute rebantur omnes; itaque ad Dei opem implorandam verſi vota faciebant; quidam e ſervis Juſtiniano auctor fuit, ut placandi Numinis gratia votum conciperet, condonaturum ſe injurias ex animo inimicis, recuperato poſtea Imperio, ſi periculum illud incolumis exiret. Ad quod Juſti-

A) Breviter iſta Scriptores jam citati. B) Nicephorus C. P. p. 22. Theophanes p. 248. Zonaras, Cedrenus, Glycas. Chazari Gens Scythica ſupra Cherſonam.

Juſtinianus, ne illa quidem mortis ob oculos verſantis imagine, ferociæ ob- A.C.
litus ſuæ, quin imo repoſuit; hic me Deus profundo mergat, ſi ulli ipſo- 705
rum parſurus ſum. Mirum, abfuiſſe perniciem a tanto furore; ereptus tamen mortis periculo, ac Danubii oſtia ingreſſus ad Ducem Bulgaricum pervenit. Barbarus ille amplitudine promiſſorum pellectus, & ſuopte ingenio prædandi cupidus, magna undique ſuorum, & Sclavorum collecta manu Juſtinianum Conſtantinopolim perducit. Circumſeſſa diu Urbs eſt, cives de defectione fruſtra appellati, quin Juſtinianus probris, & contumeliis appetitus, quod libera mari Urbs Barbaricos eluſuram ſe conatus ſperaret. Verum Juſtinianus non diu poſt dolo, an qua alia ratione per canalem in Urbem inſperato perductus, tumultu in ea excitato adeo cives perculit; ut brevi reſeratis Urbis portis caſtra Barbarica ſeſe inferrent, Juſtinianumque ſolio reponerent, Abſimaro Apolloniadem fuga ſemet ſubducente. Ita ille præter omnium exſpectationem recuperata Urbe, & Imperio animum vindictæ cupidiſſimum, ruptis veluti repagulis, in omnem Tyrannidem, & ſcelera rurſus effudit. Actæ Trebelo magnificæ ab eodem gratiæ pro navata ſibi opera; quem & muneribus maximis excoluit, & Cæſarem appellavit, & Zagoria A) regione remuneratus eſt, & denique ad latus in circo conſidentem adorari a populo voluit. Rediit his auctus honoribus in patriam Trebelus, lætus de Imperatoris amicitia tanto beneficio obſtricta; quam tamen levitas, ac barbaries Juſtiniani brevi abrumpet; in cujus animum ad æquitatem componendum nec res adverſæ, nec proſperæ, nec odia, nec beneficia quidquam valuere.

Prima illi fuit cura ulciſci eos atrociter, qui ad ſe proturbandum, 706
aut in exilio detinendum quidquam operæ contuliſſent; miſſi igitur circumquaque in eam rem permulti, qui quotquot e militibus Abſimari nanciſci poſſent, ſive defenſionem molirentur, ſive quietem agerent, aut in Urbem vivos traherent, aut perderent: Heraclius Abſimari frater, ac reliqui Duces adducti e muro civitatis pependere, vis magna militum per Thraciam conciſa, Abſimarus ipſe in fuga comprehenſus, vinctus in Urbem ducitur. Cum ludos in circo ſpectaret Juſtinianus, adducti miſerabili habitu Leontius, & Abſimarus, quondam Imperatores, & ad pedes illius in throno conſidentis hinc, atque illinc abjecti jacebant; quorum ille ſuperbiſſimo vindictæ genere cervices pedibus premebat, populo vocibus e Davidico carmine depromptis, quas adulatio, & metus expreſſerat, Imperatori acclamante: ſuper aſpidem, & baſilicum ambulabis, conculcabis leonem, & draconem. Demum poſtquam furori ſuo, faſtuique ſatis litaſſet, utrique caput præcidi imperavit. Calinicus Patriarcha, quod operam ad proturbandum Juſtinianum quondam locaſſet, oculis orbatus Romam transmiſſus eſt. B) Finem accepiſſe videri poterat tragœdia; ſed initium tantummodo fuit; neque enim ex eo tempore a cædibus, exiliis, & ſanguine crudelis Imperator quidquam remiſit. Solenne illi fuit ſubito quosdam in Magiſtratus provehere, provectos novis ſubſtitutis perimere, in fortunas civium, & vitam pro libidine graſſari, ipſas quandoque epulas condire cædibus; quippe vocatos ad cœnandum, ac laute habitos, expletis iis, rapi ad necem jubebat; ut Phalaridis in morem humano ſanguine oblectari videretur. C) Theodoram conjugem, quæ apud fratrem hærebat interea, miſſa ſuperbo apparatu claſſe ad ſe adduci mandarat; verum claſſis antequam eo pertingeret, mari hauſta interiit; Theodora poſtea cum filio Tiberio, quem interim ex Juſtiniano progenuerat, Byzantium appulit, quos regia exceptos pompa, Imperiali corona Juſtinianus exornavit.

Vix biennium ſe evolverat, immemor beneficii per Bulgaros in ſe 708
collati Juſtinianus, inſuper habita fœderum cum iis contractorum religione

A) Cedrenus p. 351. B) In locum hujus ſuffectus a Juſtiniano Cyriacus e Monacho fuit, olim reſtitutionem eidem vaticinatus. Glycas p. 216. Cyrum vocat Theophanes. C) Diffuſius iſta præ reliquis Theophanes.

A. C. bellum adverſus eos ſuſcepit, ſive quod quietem pati non poſſet, ſive
708 ut magno aliquo facinore populi benevolentiam colligeret, tot illius ſceleribus exulcerati. Facta ad Anchialum excenſione, exercitum in vicina circum loca emittit, quem tamen continere in officio ſui, & aliorum impotens minime norat. Igitur miles diſpalatus per agros vagari, non ſtatas obire excubias, prorſus ut ſi ad ludum, non bellum veniſſet, nihil eorum, quæ uſus poſceret, facere. Bulgari fama adventus hoſtilis conterriti, in montium ſeſe juga ſubduxerant, verum ea exercitus diſſolutione cognita grege facto in Byzantinos undique irruunt, multos interimunt, curribus, impedimentisque caſtrenſibus potiuntur. Trepide Anchialum refugit Juſtinianus cum reliquis, ac cum Bulgaros ardentius obſidioni inſtare cerneret, inciſis equorum nervis in claſſem ſe cum militibus conjecit, qui pleni dedecoris, & damni cum Imperatore Byzantium reverterunt. A)

709 Nihilo felicius ceſſit res in oriente: Tyanam Urbem Saraceni obſidione circumvallarant, ob cæſum a Mariano eorumdem exercitum; durabat civibus patientia, ut tota hyeme incumbentem ſibi hoſtem fortiter ſuſtinerent; imprudentia Juſtiniani rem evertit: fracti temporis diuturnitate reditum apparabant Barbari, cum Imperator collectitium ex agreſtibus militem adverſus eos mittit, non armis, non ordinibus, non Ducibus ad præliandum expeditum; in hos invecti Saraceni nullo negotio victoria potiuntur, magna miſerorum edita ſtrage, qua re ſimul animi crevere Barbaris, ſimul oppidanis injecta deſperatio. Pacti proinde ſalutem in loca alia acti ſunt in exilium, Urbs vero funditus verſa, vaſtitas illata Provinciæ, ac nonnulli e Saracenis audentiores ex adverſo Conſtantinopoleos, ut videri poſſent, incendia, & rapinas miſcuere. Magna exin pars Ciliciæ conſequentibus duobus annis ab iis eſt ſubjugata, cum indormiſcit rebus orientis Juſtinianus, & civium magis quam Barbarorum ſanguine oblectatur. B)

711 Etenim curis a bello Saracenico alio avocatis atrociſſimum truculentiæ ſuæ edidit facinus, quod demum ipſi, ejusque proſapiæ ultimam perniciem accerſivit. Injuriarum, quam alterius ullius rei plus memor cum animo revolveret, qualiter Cherſonii, cum apud eos exul ageret, in necem illius conſpiraſſent, ut Abſimaro gratificarentur; ira inflammatus, claſſem numeroſiſſimam imperata toti Urbi in eam rem pecunia colligit, mandatque Ducibus, ut eo profecti regionem omnem cum Urbibus evaſtarent, cives ferro excinderent, demum conſtituto illic Gubernatore regionem in ſervitutem redigerent. Maurus, ac Stephanus Patricii Duces expeditioni dati cum magnis copiis, celocibus, ſcaphisque adeo omnibus ab Urbe aſſumptis ad Cherſonios navigavere. Miſeri Cherſonæ cives ignari quanta capiti ſuo impenderet procella, claſſem, ceu amicam benevole accipiunt, nihil defenſionis moliuntur; cum ecce ferarum in morem jugulari paſſim homines, viæ, vicique ſanguine compleri, eo modo vis maxima populi abſumpta; quove mandata Juſtiniani ad ſummum exſorberent Duces, crudelitatique illius gratum facerent, quadraginta e Principibus regionis, quod vel cogitatu horrendum, verubus transfixos igni aſſarunt; atque in eum modum ſatis ſe abunde crudelibus ejus juſſionibus feciſſe arbitrati ſunt; ſed ne ſic quidem immanitati Imperatoriæ factum ſatis. Ab impuberibus nihil tale promeritis, nec noxa parentum ſiqua erat, illigatis manus abſtinuerat miles; quæ res Juſtiniano diſplicuit vehementer; itaque in mandatis dedit, ut reduces cum claſſe, quotquot nanciſci ejus ætatis poſſent, ſecum deportarent: geſſere morem Duces, ſed claſſis in reditu procellis mirum in modum disjecta magnam partem interiit; ſeptuaginta tria mortalium millia aquis obruta. Hæc tam immenſa clades tantum abeſt, ut concuteret Juſtiniani animum, ut etiam voluptate compleret. Quin velut novis ſtimulis in Cherſonios ſubditis reparavit claſſem, atque ad regionis illius reliquias funditus delendas expedivit.

Id

A) Theophanes p. 250. B) Nicephorus C. P. p. 23.

Id cum verentur Cherſonitæ, a partibus Juſtiniani deficiunt, ipſo, qui A. C.
Præfectus iis miſſus erat Elia Duce; utque ſe adverſus furorem illius 711
communiret, ad Principem Chazarorum auxilii, & opis poſcendæ cauſa confugiunt; qui protinus miſſo milite Urbes eorum præſidiis firmavit; quin his non contenti, ut majorem Juſtiniano inurerent dolorem, Bardanem quendam Armenium, jam ſub Tiberio Abſimaro præfecturis clarum, at, quod Imperatorem ſe aliquando fore ſomniaſſet, in exilium pulſum, ac tum iis in locis forte commorantem, Imperatorem ſalutant. A) Dici nequit quantum his auditis efferatus ſit Juſtinianus; Eliæ liberos in ſinu matris interficit, eam ignominiæ cauſa coquo in conjugem locat, tum quidquid ſupererat virium, ad rebellionem ſub initia opprimendam expedit. Maurus Urbes Cherſonias machinis aggreſſus operam perdidit; quippe cives auxiliis a Chazaris adjuti extrema omnia pro defenſione vitæ, ac fortunarum ſtrenuiſſime obibant. Bardanes quo ſe a periculo longius removeret, ad Principem Chazarorum refugerat. Duces, reliquusque exercitus cum cernerent, non effugituros ſe crudelitatem Juſtiniani, ſi caſſo opere Byzantium regrederentur; ſimul tantam, ac tam importunam barbariem execrati, cum civibus de Bardane in Imperatorem acceptando, ac in Urbem perducendo paciſcuntur. Communi proinde exercitus conſenſu is Imperator, ac Philippicus appellatur. Miſſi, qui a Chazaro eum repeterent; qui tamen vitæ illius permetuens, & rem ſimul ſuam curans non niſi datis obſidibus, ac bona pecuniæ ſumma abire Philippicum ſinit. His celerrime confectis claſſis magno gaudio Philippicum complexa ad occupandum Byzantium, ac Juſtinianum evertendum contendit. Juſtinianus de expeditionis exitu quam qui maxime ſolicitus, ac quod literæ ſibi a Mauro nullæ redderentur, id quod res erat, ſuſpicatus, aſſumpta militari manu, ac tribus Bulgarorum millibus ſubſidio accitis Sinopen verſus navigavit; quid claſſi factum eſſet, quidve ſibi ſperandum, aut timendum foret, propius ipſe exploraturus. Cum ſolicitus per eas oras diſcurſat, ecce plenis velis properare Byzantium claſſem conſpicit, diſcitque, Philippicum pro ſe in ea vehi Imperatorem. Infremuit ad ſpectaculum tam improviſum ferox ille animus; & antecapere Urbis ingreſſum, ſe ſeque ad defenſionem accingere res ipſa ſuadebat; verum a Philippico præventus ad Damatrym claſſem, & caſtra applicuit. At Philippicus, ceu liberator magna Urbis lætitia acceptus, primum quidem per Maurum Juſtiniani filium Tiberium interfici curat, fruſtra ad ædem Dei Matris refugientem, ac ſacram Crucem, arasque amplexantem; pro quo avia quoque Anaſtaſia ad pedes militum advoluta, nequidquam preces, & lachrymas effudit; dein vero Eliam cum forti militum manu ad necandum Juſtinianum expedit. Cum propius ad exercitum Juſtiniani ventum eſt, contenta voce Elias militem hortatur, ut relictis ſanguinarii illius partibus, quem præter ſuorum cædes nihil oblectaret, ad novi ſe Imperatoris partes aggregarent, neve periculum capitis pro eo adirent, qui ſola pro beneficiis maleficia noſſet rependere; id ſi faciant, priſtinos honores, immunitatemque omnibus pollicetur, Bulgaris vero incolumem in patriam reditum. Non multis opus fuit machinis ad eos in partem traducendos, quorum plerique Juſtinianum neceſſitate magis, quam voluntate ſequebantur. B) In Juſtinianum eo modo ab omnibus deſertum, ac inviſum Elias ipſe furioſe invehitur, reſectumque caput ad Philippicum mittit; hic nequa ſeditio Provincias pro Juſtiniano turbaret, vel certe ut caput illud conſpicerent, quod tantum olim reformidabant, circumferri per Urbes jubet. In hoc Juſtiniano ſtirps Heraclii Imperatoris intercidit centum propemodum annos Imperio potita.

A) Ita paſſim Scriptores, Glycas tamen p. 216. ait Bardanem ipſum claſſi adverſus Cherſonios fuiſſe præfectum, eumque a militibus crudelis Imperatoris juſſa execrantibus, acclamatum eſſe Imperatorem; ſed iis, qui vixerunt non longe ab his geſtis, credendum magis, quam Glycæ nimis remoto. B) Hic quoque diverſus a reliquis Glycas; victum quippe a copiis Philippici ſcribit Juſtinianum.

FL. PHILIPPICUS BARDANES.



A.C. 711 POst hujus exceſſum reſpiratura ſibi aliquando viſa eſt Urbs Byzantina, & melioribus paritura Principibus; verum ſpes has, qua impotens Procerum ambitio nihil declinantis in ruinam Imperii metu repreſſa, qua militum ad civium fortunas diripiendas, non hoſtem deprimendum facta audacia præfocavit. Philippicus ipſe nullas probi, ac circumſpecti Principis partes explevit; quin fœda in Religione defectione contaminavit orientem, inſuper luxuria, prodigalitateque dignitatem Imperatoriam dedecoravit. Cum privatus adhuc ageret, conſuetudo illi cum ſolitario quopiam, ac virtutis, ut præferebat, gratia recluſo interceſſerat; qui illi neſcio, quo actus ſpiritu Imperium vaticinatus fuerat; hortabaturque frequentius, ut ſi dignitatis ejus compos fieret, ſextæ Conſtantinopolitanæ Synodi acta reſcinderet, pro una in Chriſto voluntate, ac operatione ſententiam promulgaret; ita quippe impoſtor ille ſentiebat, id ſi faceret, diuturnum ipſi, ac fortunatiſſimum fore Imperium. Itaque Philippicus jam Imperator, cum expenderet apud animum, quam vere ea dignitas a recluſo illo prænunciata ſibi foret; ſimilem & alterius prædictionis fore eventum ominatus, ad abroganda illius Concilii decreta totum ſe contulit; quove id obtineret facilius, Cyrum recta de Religione, & Chriſto ſentientem Præſulatu Byzantino proturbat; Joannem quendam ejusdem ſecum dementiæ in locum ſufficit; qua dignitate non omiſiſſet ornare vatem ſuum, niſi is vaticinii præmium ſui cæcitatem a Deo ſub idem plane tempus accepiſſet. Vocantur itaque in conſilium Epiſcopi, Joannes cumprimis, ac A) Germanus Cyzicenus; plurimique alii, nec difficiliter in vota Imperatoris itum ab hominibus, ad omnem Principum ſuorum nutum fingere ingenium gnaris; & quibus nihil eſſet, ſeu in cultu Principibus exhibendo immoderatius, ſeu in iisdem ignominioſe deturbandis levius. Conſtantinus Romanus Poatifex non modo damnavit improba hæc Philippici molimina, verum etiam cum Urbe, & Duce Urbis Chriſtophoro vi, armisque reſtitit Petro Duci alteri, ab Imperatore eum in finem miſſo, uti ad damnandam ſextam Synodum Pontificem, & Urbem adduceret. Nihil igitur hac parte promovit Philippici impietas. Eum brevi Divina conſecuta eſt vindicta; nam & Bulgari in Thraciam infuſi, ac uſque ad auream Urbis portam hoſtiliter progreſſi vaſtitatem rebus intulerunt, & Saraceni altera ex parte, nequid a calamitate vacaret, in Myſiam ingreſſi, magnum hominum, pecudumque numerum abſtraxerunt.

712 Et hæc quidem communis Philippico, perduellique adverſus Deum Urbi vindicta; peculiaris altera fuit Philippico, quem ſuorum conjuratio altero Imperii anno vix dum expleto peſſumdedit. Circenſes ludos pridie

A) S. Germanum Concilio huic interfuiſſe, & cum Monothelitis ſenſiſſe, omnes hi Scriptores referunt; id profecto mirum; ſed notam hanc intaminatus poſtea vitæ tenor, & pro cultu imaginum ſtrenua dimicatio aboleverint.

die feſti Pentecoſtes ſpectandos populo dederat, cum dies ille Urbi natalis eſſet, ac victoribus in circo Praſinis inſigni cum magnificentia publice progreſſus, muſica, lautitiisque variis eum diem lætum habuit publice cum Primoribus Urbis epulatus. Ab epulis domum redux cum ſe ad quietem dediſſet; adfuit Ruffus quidam parti militum præſidiariorum præfectus, ac Imperatorem e palatio propere in Hipodromum abreptum, oculis extinctis, in carcerem truſit. Varie Urbem affecit ea Imperatoris calamitas; altero autem, qui fuit Pentecoſtes die, populus in Templum princeps congregatus, Artemium, qui Philippico a ſecretis fuit, Imperatorem proclamat, ac corona e veſtigio redimitum Anaſtaſium nominat, virum literatiſſimum, regendoque parem Imperio, ſi eos nactus eſſet, qui regi ſcirent, patriamque magis, quam ſua, & turbas cordi haberent. A.C. 712

FL. ANASTASIUS ARTEMIUS.



PRimum itaque ne tam atrocis facti impunita maneret licentia, Ruffum illum, cæterosque Primores, quorum ille hortatu rem tantam deſignare auſus erat, Georgium, & Theodorum primis dignitatibus inſignes, erutis itidem oculis in exilium amandavit; deinde vero ad administrandam Rempublicam, bellumque Arabibus, cum de maximis eorum apparatibus reſciſſet, inferendum curas retulit. Cum vero fama creſceret, Arabes Conſtantinopolim majoribus, quam antea viribus obſidere velle; edixit civibus, uti in triennium de commeatu ſibi proviserent, quibus vero res eſſet anguſtior, quam ut in triennium ſufficerent, illi ab Urbe, in quas vellent oras ſemet exportarent; adhæc maximo parato navium numero exercitum impoſuit claſſi ex omnibus, quæ ſibi parebant nationibus contractum. Joannes Eccleſiæ majoris Diaconus ei claſſi præpoſitus, ad Rhodum inſulam exercitum applicuit, exploraturus hoſtium conſilia, deque rei ſumma cum opportunum eſſet, certaturus. Sed præfracta militum pervicacia, & diſſenſionum fomes nondum etiam conſopitus præclaras Anaſtaſii deſignationes disjecit. Obſiciani A) milites de eorum genere, qui Philippicum peremerant, detrectarunt primum imperia Joannis recta in hoſtem ducere volentis; dein coitiones inter ſe faciunt, ac Duce, ut eorum ferebant ſcelera, animadvertere in eos volente, arma corripiunt, eundemque gladiis furioſe diſcerpunt. Poſt ubi remiſſo furore facti pudor, & pœnitentia ſubiit, reliquis militibus, qui a facinore alieni erant, in ſuas ſtationes refugientibus, incerti hærebant, quid agerent, metu impendentium ſibi ſuppliciorum exterriti. Itaque Adramycium prætervecti, conſilium ferox in arena capiunt, alium ſibi Imperatorem 713

A) Inter reliqua themata erat in Aſia minore thema dictum Obſequium, militesque illius thematis dicebantur Obſiciani, vel Obſequiani, quod eorum officium eſſet, ab obſequiis eſſe Imperatoribus, iisque præire, atque eos comitari; idcirco eorum Præfectus non Dux, uti aliorum thematum, ſed Comes audiebat. Continebat hoc thema Dardanios, Myſios, Phryges, Aſiæ minoris populos, Conſtantinus Porphyr. de thematibus p. 7.

A.C. torem præficiendi, hoſtilemque in modum Urbem invadendi. Et exem-
713 pla ſucceſſus ſimilis paucis abhinc annis ſtimulos ſubdidere. Adramycii proinde cum offendiſſent Theodoſium quemdam publicorum vectigalium exactorem, hortari cæpere; uti fidenter Imperium arriperet, perducendus continuo eorum opera in Urbem, ac in ſolio collocandus. Theodoſius vir probæ, placidæque mentis attonitus hærere ad flagitioſam eam petitionem, deprecari honorem non ſuis humeris aptum, mox arrepta etiam in ſolitudinem fuga ſibi conſulere; ſed denique prævaluit militaris licentia; raptum e fuga, ac Imperatorem fauſtis acclamationibus conſalutatum claſſi imponunt, meditatum facinus in rem collaturi; quibus alii quoque e fæce militum prædæ, novarumque rerum ſtudio ſeſe adjunxerunt.

714 Tam inſperata militum defectio magno Anaſtaſium metu complevit; igitur optimatibus, domeſticis, aulicoque comitatu aſſumptis Nicæam Bithyniæ proficiſcitur, locum ad vim propulſandam magis idoneum. Porro perduelles illi fuga Imperatoris animoſiores effecti, Conſtantinopolim ſex integris menſibus claſſe oppugnabant, nec potiri illius poterant; quod claſſis ad Urbis defenſionem poſita eorum refringeret molimina, Urbique commeatum, & neceſſaria præſtaret. Mari cum nihil proficiunt, in terram verſi expoſito exercitu eam Urbis partem, quæ Thraciam reſpicit, ad Blachernas, quo loco unus, & ſingularis erat murus, ſeſe convertunt; nec longe poſtea prodita forte cuſtodia in Urbem pervadunt. Sævitum ſimiliter, atque ab hoſte in civium domos, ac facultates adjuvantibus militem Gothis, qui per Græciam ſparſi ſocios ſe furentibus addiderant. Theodoſius demum in Regiam ductus neceſſitate ita perſuadente Imperator ab Urbe agnoſci cæpit. Miſſi confeſtim cum Patriarcha Germano, quem non ita pridem Anaſtaſius ea dignitate ornarat, qui fidem facerent Theodoſium jam Imperio potitum, nec ſpem deturbandi illius ſuperare. Exercitui itaque & Primoribus, qui cum Anaſtaſio erant, defluxere ſenſim animi, ultimum patriæ excidium, & imminentem ad omnes occaſiones Barbarum metuentibus; de indemnitate proinde, ac incolumi in Urbem reditu proſpicere apud Theodoſium pro ſe quisque ſatagebat; nec Anaſtaſio viro prudenti, & quietis amanti Principatum excidio patriæ fœnerare placuit; itaque compoſitis cum Theodoſio rebus, poſteaquam biennium fere Imperio præfuiſſet, tranquilliorem inter Monachos vitam ingreſſus eſt, A) exoſus Urbem Byzantinam mari ipſo, cui adſita eſt; magis variam, & turbulentam. Et felix ſi in hoc animi propoſito ad obitum uſque perduraſſet! verum guſtata ſemel imperandi dulcedo viros etiam ſapientes vix, niſi cum vita deſerit.

FL. THEODOSIUS ATRAMYTTENUS.

715 THeodoſius in eo rerum apice poſitus impari ad res gerendas animo, ceu vertigine correptus ad latebras; vitamque tranquilliorem reſpectare confeſtim cæpit exoſus turbas, quæ ſe confertim circumſtabant; Leo enim Orientalium Dux copiarum, Iſauria oriundus, cui tum negotium cum Saracenis orientem vaſtantibus fuerat, audito Anaſtaſii caſu nequaquam ad Theodoſium ſeſe applicare voluit, nactus in ea re adjutorem Artabaſium Armenicarum copiarum Ducem. Ad hæc Saraceni maxima parata claſſe, copiisque, quam unquam majoribus gravem Urbi Re-

A) Hæc Theophanes, paſſimque alii.

Regiæ formidinem incuſſerant; vires demum Imperii attenuatæ, averſa A.C.
Procerum mens, Imperium armis, non voluntate Urbis acquiſitum, in- 715
fauſta omnia Theodoſio portendebant. Itaque cum audiſſet Leonem cum exercitu Nicæam uſque perveniſſe; filiumque ſuum eo cum comitatu aulico, & optimatibus præmiſſum, jam in illius eſſe poteſtate, A) miſſo Patriarcha Germano de Imperio eidem reſignando egit. Accepta itaque ſecuritatis fide Theodoſius, quem invitus aſſumpſerat ſponte reliquit Principatum, ac una cum filio Clericali militiæ adſcriptus, quod reliquum erat vitæ, Epheſi tranquille duxit. Moriens monumento ſuo vocem hanc ὑγίεια ſanitas inſcribi juſſit; B) quo indicaret mortem unam eſſe, quæ miſeriis humanis modum afferat; nec ad morbos animi perſanandos mortis recordatione quidquam ſalubrius.

FL. LEO ISAURICUS.



LEo, dictus etiam Conon C) humili in Iſauria 717
natus loco, ſed corporis, animique viribus præſtans, in Thraciam adhuc adoleſcens conceſſerat ſub Juſtiniani initia, rem illic curans familiarem, eaque non mediocriter auctus. Porro Juſtiniano ad recuperandum Bulgaricis armis ſolium ſuccincto obvius quingentas oves D) muneris loco attulit; quo in iis rerum ſuarum anguſtiis multum oblectatus Juſtinianus, ſatellitum ſuorum (Spatharios dicebant) numero adlegit, habuitque deinceps percharum, ad res momenti non parvi exantlandas illius opera uti ſolitus. Verum cum ille Principis favor, ut fieri amat, magnam illi in aula conciviſſet invidiam; affectati Imperii apud Juſtinianum eſt delatus; ac tametſi accuſationem ab invidia tantummodo profectam bene Imperator noſſet, ut tamen omni ſe libe-

A) Apud unum Cedrenum lego, filium Theodoſii prælio victum, & captum; ſic enim de Leone p. 355. τῷ τὸ Θεοδοσίᾳ υἱῷ περιτύχων ἐν πολέμῳ καὶ χειροσάμενος &c. B) Cedrenus eodem loco. C) 25. Martii die exorſus eſt imperare Leo. Theophanes, & Nicephorus unum tantummodo Imperii annum Theodoſio attribuunt; Cedrenus, & Zonaras biennium, idque ſimilius vero. D) Zonaras p. 78.

A.C. liberaret metu, hominem ad Alanos allegavit; ut eosdem adverſus Abſa-
717 gos ſibi perduelles in arma conciret, operamque in iis perdomandis ſuam locaret. Annos aliquot varia fortuna iis in regionibus exegit Leo, quo ad Anaſtaſio Imperium moderante illinc regreſſus, copiis, & bello adverſus Saracenos gerendo præficeretur. Eodem ipſo tempore, quo aula Byzantina inteſtinis illis jactabatur motibus, Anaſtaſiusque throno dejectus, Leoni res cum Solimano Duce Saraceno erat; quocum poſt minora quædam certamina pactis conventis finem aliquando bello facere, & laceras tot vexationibus orientis Provincias recreare ſatagebat. Audito autem Anaſtaſii caſu in ſpem arrectus, Imperii Theodoſio homini ad res gerendas parum apto eripiendi, quod ſibi a neſcio quibus circulatoribus prænunciatum fuerat, relictis Saracenis exercitum Byzantium verſus promovit, non difficiliter, compoſitis cum Theodoſio, ut diximus, rebus, Imperio potitus. Inſtabant interea operi ſuo Saraceni obſeſſa Pergamo celebri Aſiæ Urbe. Cives magorum hortatu fauſtiſſimum exitum ſpondentium nefando ſemet ſacrificio malis Geniis obſtrinxerunt; infantem enim ex matris partui vicinæ utero exſectum in lebete liquarunt, manusque ſuas intinxerunt, futuri ſic hoſtibus formidandi, ac victores. Sed contra evenit; tanti conſcientia facinoris attoniti defluentibus viribus, & animis impedire non valuerunt, quo minus Barbari, in muros infuſi Urbem tanto ſcelere pollutam ſub jugum mitterent.

His vero perfectis, magnaque minoris Aſiæ parte potiti Barbari, cum promiſſa illis facta, aut non poſſet, aut non vellet explere Leo, Urbem ipſam Conſtantinopolim navium, & hominum prægrandi numero oppugnare adoriuntur, obſtinatiſſimis ad omnes cœli, terræque, ac maris injurias exorbendas animis, ut occupata ea Urbe in omnes jam Chriſtianos imperium diffunderent. Nam circa idem tempus in Hiſpanias quoque, ac Gallias ipſas infuſi; orienteque jam toto propagati videbantur orbem univerſum inundaturi; tanta erat barbaræ huic Genti & fortuna ad orbem armis dilacerandum, & fœcunditas ad eum coloniis ſuis replendum. Itaque Solimani juſſu Maſalmas copias in Thraciam expoſuit, atque ea parte, qua terra Urbs adiri poteſt, egeſta foſſa Urbem circumvallavit. Adfuit non multo poſt & claſſis Saracenica Duce ipſo Solimano mille & octingentarum numero navium formidabilis. Jamque ad Urbis ipſius muros applicaturi erant naves Barbari, ut uno ſe impetu undique in Urbem infunderent; cum repente Leo claſſem ſuam e portu expedit, ſiphonibus ad ejaculandum græcum ignem inſtructam; ejus ignis virtute perculſi Barbari, non paucis navium incendio abſumptis, aut depreſſis, late per totum mare ſparguntur, remiſſiusque dehinc, & minori audacia per mare diſcurſant. Crevere ab hoc opere civibus animi; quos lenta deinceps obſidione fatigare Barbari animum induxere; rati illam hominum multitudinem brevi inedia conficiendam, ac de conſtantia remiſſuram. Verum mora hæc temporis Saracenis, quam Urbi fuit calamitoſior. Aſperrima hyems ſic terram revinxerat, ut centum ipſos dies glacie rigeret, illata hominibus, ac pecudibus ſtrage longe maxima. Neque tamen ea temporum inclementia ab obſtinatis ſuis conſiliis Arabes in hyberna dimovit. Solimanes interea fato extinguitur, & vere appetente gemina Barbaris in ſubſidium claſſis affluxit, altera Duce Suphiam ex Ægypto e quadrigentis navibus, totidemque celocibus; altera ex Africa Duce Izib e navibus tercentum ſexaginta. Verum naves iſtæ metu igniariæ illius peſtis ſe in conſpectum Urbis dare minime auſæ, in portubus vicinis delituerunt. Id cum ex Ægyptiis Chriſtianis, quorum multitudo permagna ad Urbem a Barbaris profugerat, reſciſſet Imperator, iisdem navibus ignem illum tantopere reformidatum vectantibus procurrere in mare exercitum juſſit, & claſſem inimicam nihil tale expectantem aggredi. Ceſſit res e ſententia; naves enim ſui ſecuras, & anchoris defixas aggreſſi, ignesque ſuos confertim ejaculati, adjuvante ventorum vi turbant, incendunt, alias

alias capiunt, deprimunt alias, atque ita claſſi inimicæ perniciem late in- A.C.
ferunt. Eum in modum perpurgato ab hoſtibus, quod Urbem alluit, 717
mari, facultas data eſt civibus, ut & in adverſam continentem procurrendo de commeatu Urbi proſpicerent, & piſcatui darent operam. Chriſtiani quoque in Aſia minore reliqui, munitioribus locis, atque inacceſſis protecti procurrebant identidem in alterum Barbarorum exercitum, qui regioni illi evaſtandæ incumbebat, ejusquemodi crebris, & ſubitaneis procurſionibus plus, quam ſi juſta acie decertaſſent, detrimenti afferebant. Atrox fames ad hæc incommoda Saracenis acceſſit; tantæ enim multitudini nec advectari aliunde frumenta, nec e regione bellis exhauſta peti poterant; itaque tanta in exercitum incubuit fames, ut cadaveribus pecudum, quin etiam hominum, & abſurdiſſimis quibusque eſcis eam relevare cogerentur. Eadem occaſione credibile eſt, vicinos quoque Bulgaros a Saracenis direptionibus fuiſſe ad commeatum parandum vexatos; namque & illud adnotatum reperio, A) durante adhuc obſidione partem exercitus Saracenici cum Bulgaris adverſo Marte dimicaſſe, deque Barbarorum numero duo & viginti millia deſiderata eſſe.

Durabat tamen tot inter mala Barbaris obſtinatio, quoaduſque Uma- 718
rus, qui Solimani locum in Principatu obtinuerat, exacto jam obſidionis anno reditum Maſalmæ permitteret. Eodem, quo obſidioni datum eſt initium, decimo quinto Auguſti die Urbs a Saracenis non citra ignominiam relicta eſt ad propria remeantibus. Verum Deus, Virgoque Dei-Parens tum quoque, quam chara ſibi ea Urbs eſſet, licet toties perduellis, luculento exemplo palam fecit; quippe immiſſa in diſceſſu procella naves huc, atque illuc in omnem partem disjectas, littoribusque illiſas magnam partem perdidit. Reliquæ cum Ægæo mari devehuntur, ignita de cœlis grandine quaſſatæ compagibus ſolutis merſæ ſunt, decem tantummodo e tanto navium numero ſuperſtitibus; quarum quinæ ad Arabes perlatæ, quinæ a Chriſtianis occupatæ, tantæ cladis, Divinæque ultionis teſtes ubivis exſtiterunt. Feliciter itaque e tanto periculo emerſit Conſtantinopolis, etſi non citra ingens rerum ſuarum detrimentum; nam præterquam quod viciniam peſſumdederint Barbari, peſtilentia quoque obſidionis tempore laboratum fuit, nec modica per eam parte ſui Urbs imminuta. Sed & in Sicilia eodem pene tempore diſcrimen aliud, quod illic Leoni impendebat, feliciter depulſum.

Sergius Provinciæ Prætor B) cum audiret, Conſtantinopolim ab hoſte undique circumcluſam, actum de illius ſalute ratus, Imperatorem illic conſtituerat Baſilium quemdam Onomagulum, cujus auſpiciis ad minus earum regionum populi a Barbarorum ſe armis tutarentur. Ea de re obſeſſa etiamnum Urbe Leo certior redditus ad reſtinguendum prius, quam vires caperet, hoc incendium, exercitumque, qui illic erat, in officio continendum, Paulum quemdam Patricium Præfectura regionis donatum eo miſit, uti exponeret, quo in ſtatu Urbs eſſet, quamque feliciter cum Barbaris navali prælio dimicaſſet. Paulus inter medios hoſtes celoce effugit in Siciliam, ac Imperatoris mandata attonitis ad ejus præſentiam militibus exponit, metu, & ignoratione excuſantibus factum, qui Urbem Byzantinam jam pro perdita habuiſſent; data dein omnibus erroris venia lætis de Urbis fortuna meliore, fauſtaque omnia Leoni precantibus. Sergius immutata militum voluntate, ut periculum capitis exiret, ceu præcipuus fabulæ illius actor ad Longobardos clam profugit. De Baſilio, privatisque nonnullis capitale ſumptum eſt ſupplicium; atque ita Sicilia ad obſequium Leonis traducta. Ne vero turbaret aliquid cum Longobardis Sergius, impunitate conceſſa in fidem receptus eſt. Leoni deinceps pacato undique, & tranquillo eſſe licuit. At Umarus, qui ea clade ad mentem ſanam reduci debuerat, amplius in Chriſtianos efferatus operam in

A) Apud Theophanem p. 265. qui hæc præ cæteris fuſius exequitur. B) Nicephorus C. P. p. 26. Theophanes.

A.C. id ſuam contulit, ut eos a Deo, Religioneque abſtractos Mahometo initiaret; vectigalium itaque exactionibus, illatisque ſuppliciis cæpit in Chriſtianos ſibi ſubjectos graſſari, nec paucos illius crudelitas cœlo inſeruit. Adhæc immunitatem a vectigalibus conceſſit iis, qui deſertores fuiſſent: quo Chriſtiani magnopere diminui in oriente, contra impietas prævalere ubivis, & numero, & barbarie cæpit.

719 Altero a liberata Urbe anno ſobole maſcula auctus eſt Leo, cui Conſtantini nomen inditum; ſed fœdius poſtea Copronymi cognomen idem Conſtantinus egeſta in lavacrum alvo, cum a Germano Præſule ſacris undis tingeretur, multo autem magis moribus poſtea fœdiſſimis ſibi aquiſierat. Factum illud, ceu peſſimi ominis Germanum Patriarcham jam tum adverterat, fore ut puer ille Religionem hæreſi olim, & impietate ſua conſpurcaret; quod illius vaticinium nimis, quam verum exſtitiſſe poſteri ingemuerunt. Pacato ab exteris bellis Imperio, a domeſticis tumultibus, ut erat Gentis illius ingenium, liberis eſſe diu non licuit. Nicetas A) quidam Xylorites, vir præpotens, auctor fuit Anaſtaſio in tenebris Theſſalonicæ deliteſcenti, ut Imperium, ex quo militum perduellione, & Leonis prævaricatione contra jus, fasque exciderat, Bulgarorum auxiliis repeteret; facile Urbem novitatis ſtudioſam in vota inclinaturam, nec Leonem bello exhauſtum Saracenico reſiſtendo fore. Ac deguſtata ſemel imperandi dulcedo tantum valuit apud Anaſtaſii, cæteroquin prudentis, & pacati animum, ut armis, & quidem Barbaricis ad Imperium haud invite dimiſſum aſpiraret. Exercitus ei a Trebelo datus, argentique centenaria quinquaginta; ſpe igitur fretus Urbi copias propius admovet, ac cives de Leone deſerendo appellat; verum ſpe ſua duriorem invenit Urbem, & memoria recentis adverſum Saracenos victoriæ Leoni addictiorem. Defluxere itaque Bulgaris animi, quos cum ingentibus muneribus, ac promiſſis oppugnaſſet Leo, perfecit demum, ut ii domos repeterent ſuas, tradito in manus Anaſtaſio, Niceta, reliquisque præcipuis tragœdiæ illius capitibus. In Anaſtaſium, plurimosque alios, qui eundem amicitia contigerant, ira Leonis eſt perbacchata, multi cum Anaſtaſio vitam, alii membra, patriam alii, & facultates perdidere.

727 Compoſito extero, domeſticoque bello conſequentes aliquot annos ab armis ceſſatum eſt, procurſiones ſi excipias Barbaricas, quibus annus vix caruit. Sed eo omni tempore bellum aliud, multoque miſerabilius animo coquebat Leo, quod demum inaudito ad eam diem exemplo, ipſo Duce Imperatore, in publicum, duraturo in plurimos annos incendio erupit. Diu jam animo illius inſediſſe videtur ea opinio, Sanctorum imaginibus perperam exhiberi cultum uni Deo debitum, & gravi ſe piaculo contaminare, quotquot eas in veneratione haberent; nec alia de cauſa res Chriſtianorum labaſcere; & Barbaricas erigi, quam quod Chriſtiani eo ſe crimine contaminarent; itaque ad eas funditus diſturbandas, & toto Imperio abolendas animum adjecit. Error hic veſanus ab Imperatore, nullo in rebus ſacris judicio profectus inveteravit diu in Oriente per manus quaſi traditus, & infinitis calamitatibus lacera jam illius Imperii membra concuſſit; quod Græci Dei-Parentis, Divorumque cultui apprime addicti, non in aliqua hæreſum tanto animorum ardore impiis Principum ſuorum juſſionibus obviam ierint. Quæ vero re ipſa cauſa Leonem in eam mentem conjecerit, egeritque præcipitem, ſat eſt in obſcuro; Scriptorum alii tradunt B) id factum a Leone, ut Judæis quibusdam gratificaretur: eum admodum adhuc adoleſcentem cum Judæis hiſce conveniſſe, qui ex apta corporis conformatione, vigoreque animi fore aliquando, ut is Imperator Orientis fieret, vaticinati ſint; riſiſſe Leonem vaticinium, tanto ab eo culmine intervallo ſubmotum; illos vero aſſeveraſſe iterum, certamque prædictioni fidem feciſſe, tum inſtitiſſe, ut jurejurando ſibi promitteret, non negaturum iis, quidquid ab eo Imperium jam ade-

A) Nicephorus C. P. p. 28. B) Cedrenus p. 355. Zonaras p. 81.

adepto petituri eſſent; arrectum his dictis juvenem juramento ſemet ob- A.C.
ſtrinxiſſe; cum vero Imperium jam teneret Leo, acceſſiſſe impoſtores il- 727
los, qui hæc ei geſta in memoriam reducerent; neque flagitarent aliud, quam ut Sanctorum imagines, ceu apertam idolomaniam ex Orbe profligaret; id ſi faceret, vitam ipſi centum annos protractum iri; A) atque nefariis hiſce auctoribus impulſum Leonem bellum ſacris rebus intuliſſe. Theophanes, B) quendam e Chriſtianis, Beſer dictum, in amoribus fuiſſe Leoni refert; qui Saracenica detentus captivitate eorum ſemet impietate contaminarit, ac Byzantium fuga elatus adulatoria arte ſic in amicitiam Leonis penetraverit, ut primis ab eo honoribus admoveretur; hunc venenatis ſermonibus depravaſſe Imperatorem, ac in furorem adverſus Divos egiſſe: non alia de cauſa Saracenis propitiam eſſe fortunam, adverſam Chriſtianis, quam quod illi cultum in Deum omnem referrent, iſti in homines diſpergerent. Ut ut ſit, illud certum: hunc in Sanctorum imagines furorem a Saracenis, & Judæis profluxiſſe. Nam non diu ante Princeps Arabum Izib dictus tota Syria, & Ægypto imagines in ſacris Chriſtianorum ædibus demoliendas imperarat, a Judæis quibusdam in eam mentem pertractus, quadraginta annorum ei Imperium promittentibus, ſi ea ut dicebant, labe ditiones purgaret. Verum Izibo res ceſſit impoſpere; ei enim nec vita, nec Principatus fuit diuturnus. Succeſſor Izibi impoſturæ nebulones illos poſtulavit: verum maturata illi fuga ſibi proſpexere; edictum vero in imagines reſciſſum. Et en quod malus Genius ope Barbarica in oriente perficere nequiit; id opera Leonis, cujus præcipue partium fuerat, peſtem illam a Chriſtianorum propulſare finibus, perficere aggreſſus eſt. Habuit in ea improbitate adjutorem Epiſcopum quoque Nacoliæ, ut nunquam apud Græcos defuere Præſules e Principum voluntate ingenium, & Religionem docti fingere; quo veteratoriis hiſce artibus ad majora ſibi Sacerdotia infelices viam ſternerent.

Ut nefanda animi ſenſa in apertum denique proferret Leo, quæ metu populi diu jam preſſerat, id quoque ſtimulos addidit, quod abſtrahere a tanto furore debuiſſet: C) inſolitum naturæ prodigium in mari Ægæo inter Cycladas inſulas ſub hæc tempora ſe in conſpectum dederat; inter inſulas Theram, & Theraſiam repentino æſtu ſupra modum effervescere mare occœpit primum, mox lapides igniti e maris fundo emergere, qui paſſim in omnem partem fluctuabant, calore immodico mari ab iis exæſtuante; demum egeſta e profundo humus in molem magnam aſſurgere, ac inſulæ Hieriæ adjungi, ita magna inſulæ illi ſimili quondam, ut fertur ebullitione enatæ, acceſſio facta. Id portento ſimile plurimum mentes omnium, ſed Imperatoris cumprimis attonuerat; qui animo reputans mala, quibus res Chriſtiana tot jam annos fatiſceret, ſimul novo hoc prodigio iram Numinis portendi, in eam demum opinionem prolapſus eſt; ut crederet idcirco tam gravem in Chriſtianos Dei iram incumbere, quod cultum uni illi debitum hominum imaginibus deferrent: inſanus plane, cui in mentem non venerit honorem a populo aulicis, Legatisque ſuis impenſum, in ſe cumprimis eorum Principem redundare.

Cæterum ſeu ita re ipſa ſentiebat, ſeu quod verius, ad fucum ſubditis faciendum ſentire videri volebat, atrocem adverſus Dei amicos commovit procellam, annos complures in Oriente magna multorum pernicie duraturam. Id conſilii cum Senatui, & Germano Patriarchæ palam feciſſet, mirum quam Urbem, Dei-Parentis præcipue venerationi addictam perculerit; cujus præſentiſſima ope toties e faucibus pene fati ereptam ſeſe meminerat. Detrectat imperia Leonis Germanus; reclamant præcipui Senatorum: plebs ima, & ſumma concordibus animis pro imaginibus depugnaturam ſe profitetur; neque tamen ab inſano dimotus conſi-

A) Ita Cedrenus p. 358. ſed verius videtur, quod habet Glycas; promiſiſſe Hebræos illos, centum annos ejus poſteros Imperio præfuturos, ſi imaginibus bellum inferret. B) p. 267. C) Nicephorus C. P. p. 29.

A. C. lio Imperator; quin positam in publico Salvatoris effigiem ad portam
727 æream detrahi, ac exturbari imperat: apparitores illi a populo magno ardore concito pessime habiti, vulnera aliis, aliis mors illata; quo facto oblata est Leoni occasio in multorum vitas, membra, fortunasque atrociter grassandi; prorsus furore omnia, & incendio miscebantur. Germanus cum Imperatorem audentius commonefeciset, ne in res a suo alienas foro semet ingereret; neve Concilii Universalis, cujus esset de rebus Religionis sententiam promere, auctoritatem sibi unus arrogaret, in eam rabiem Leonem egit; ut manu ipse sua colaphum viro sanctissimo furiose infringeret; ac non diu post, fremente licet ad factum Urbe, Præsulatu deturbaret: suffectus eidem e Syncello A) Anastasius, quem ita Sacerdotii illius occæcarat fulgor, non improbum cætera, & Germani studiosum; ut turpi prævaricatione obtinendi illius gratia in Leonis sententiam concederet. Sed erit, cum pro honore nefarie quæsito extremam perferat ignominiam, ac vivus, moriensque facti hujus pœnas atroces dependat. Germanus reliquum vitæ in domo patria tranquillus egit. B)

729 Ut vero plurium doctrina, & auctoritate pollentium suffragiis insaniam muniret suam Leo; virós Bibliothecæ, ac scientiarum curatores, C) quos jam olim Constantinus Magnus constituerat, e publico ali solitos, modis omnibus in sententiam pertrahere satagebat. Duodecim illi numero, suo cum Præfecto, tanta apud omnes vigebant auctoritate; ut in sacris, profanisque rebus ad eorum consilia homines perfugium haberent, atque pro doctrinæ omnis generis veluti Promis-Condis haberentur. In his pervertendis cum nequidquam eniteretur Leo, furore demum percitus materiam igni opportunam circum ædem, in qua communiter degebant apponi, eamque noctu inflammari imperat. Ita viri illi cum omni librorum apparatu, damno sane irreparabili, cremati sunt; non pauci enim doctrina inclyti in voluminibus suis per eas flammas vivere desierunt. D) Atrox istud Leonis facinus aliud excepit; ut fere communis est ab hæresi in crudelitatem, & fraudes prolapsus. Joannes, quem a loco Damascenum vocavere, ab epistolis fuit Principi Saracenorum, vir eruditione, ac vitæ integritate nemini ejus ætatis secundus, qui etiam Chrysoroas ab aureo eloquentiæ profluvio est dictus. Is cum audisset, quanto furore adversus sacras Divorum imagines, quin potius adversum omnem eorum cultum Leo baccharetur; pro earum defensione epistolas aliquot exaraverat, in quibus luculento argumentorum apparatu, adversus errorem illum dimicavit; verum homini furioso tantum abest, ut persuaserit veritatem, ut potius in rabiem accenderit; cum itaque extra ictum, extraque Imperium Leonis positus esset Joannes ille, nec ferre posset, tantam molitionibus suis per ejus epistolas moram interjici, quem vi non poterat, fraude circumvenire constituit. Characterum, quibus Joannes usus erat, forma diligenter observata, literas per suos ejus nomine exarari jussit prioribus simillimas, in quibus Imperatorem sollicitaret Joannes de expeditione ad oppugnandam Damascum facienda, easque Principi Saraceno, ut si proditionem aversaretur, transmisit. Ignarus veteratoriæ Leonis artis Princeps, ac e figura characterum vera esse, quæ scribebantur, suspicatus, manu Joannem mutilari præcepit; verum resecta manus Divæ Genitricis beneficio miro prodigio rursus coaluit, levi vestigio facti vulneris, & portenti indice relicto. E)

Cum

A) Syncellus Patriarchæ idem apud Græcos videtur fuisse, qui apud latinos Episcopi Suffraganeus dicitur; nam συγκέλλος ejusdem cum altero contubernii socium denotat; & sæpe Syncelli Patriarchis in dignitate successisse leguntur. B) Ita Scriptores Græci passim; Annales Ecclesiæ in exilium ejectum volunt; nomen illius inter Sanctos relatum est ab Ecclesia. C) Zonaras p. 82. D) Tricena & tria librorum millia exusta esse scribit Manasses p. 72. E) Prodigii hujus non meminerunt Scriptores Græci; refertur autem in vita S. Damasceni a Joanne Patriarcha conscripta.

Cum hæc, aliaque nefanda conscisceret Leo; Religionis amore com- A. C.
moti populi, ii præcipue, qui Græciam, Cycladasque incolebant, parata 729
maxima classe rebellionem adversus Imperatorem moliuntur Cosmæ cujusdam auspiciis, quem Leoni substituere decreverant. Itaque Duce Agelliano Constantinopolim advecti bello dant initium; Leo quoque classe e suorum numero adornata obviam progressus adventantibus, prælium conseruit; & græci maxime ignis voraci virtute adjutus victoriam obtinuit; multæ navium depressæ, Agellianus in re desperata præcipitem semet e navi egit; reliquæ naves ultro in victoris potestatem concessere; Cosmas vero supremum tragœdiæ hujus actum capitis dispendio sui clausit. Ea victoria supra modum elatus Leo ferocius etiam, quam antehac adversus Divorum imagines insaniit; quod diceret, Deum ipsum causæ æquitatem illustri adeo victoria comprobasse; & sane miro Dei judicio factum; ut & Leoni, & Copronymo ejus filio res quædam sat prospere sese darent, quibus ad confirmandum, propagandumque errorem suum abuterentur. Eodem quo hæc gesta sunt anno, Saraceni cum octoginta, & amplius millium exercitu Nicæam Bithyniæ obsederant, a qua tamen civium virtute turpiter repulsi in sua se retulerunt, addito novo Leoni ad impietatem stimulo; quamquam furor ille in sacras imagines confutatus magis per eam occasionem a Deo, quam approbatus. Constantinus quidam Nicææ obsidionem cum civibus tolerabat, insano adversus imagines inflammatus odio; cujus palam testandi arreptum lapidem in Divæ Genitricis iconem per contemptum jecit; ei secundum quietem terrifico aspectu visendam se eadem Diva Virgo præbuit, exprobrata homini impietate tristem prænuncians exitum; nec supplicium sero consecutum; die altero cum animose hostibus in muros ruentibus occurrit, cerebro lapidis ictu disperso triste aliis contemptæ in sua Icone Deiparæ exemplum fuit, A)

Tam fœda in Religione perturbatio in Oriente ab ipso Imperatore 730
profecta, cum ad Gregorium quoque alterum, ejus nominis Pontificem perlata esset, magno eum dolore affecit; continuo aliis post alias literis ad eum missis ad sanitatem reducere, pacemque Ecclesiæ procurare pro viribus adnisus est: ne sui unius judicium perparum in rebus sacris versati omnium antiquorum modernorumque sententiæ anteponeret, ne antiqua Patrum statuta, & consuetudines temere convulsum iret, ne irreparabili damno scinderet in contraria studia Ecclesiam, ne denique sibi ipsi Imperium perturbaret, ac diminueret, Barbarornm armis undique prævalentibus. Sed frustra erant omnia: obstinatissimus in proposito Leo, minas reposuit atroces, & majore quam antea furore in res sacras grassari cæpit; multis, qui conatibus ejus sese audentius opponerent, nex illata, multi verberibus, ac carceribus afflicti, omnia luctu, & squallore completa. Demum cum videret Gregorium nihil suis minis perterrefactum, datis ad populos Italiæ literis omnes a communione illius sceleris avocare, B) classem adversus Italiæ populos numerosam Duce Mane navigare jussit, quæ & Pontificem vinctum ad se pertraheret, & per omnes eas regiones bellum imaginibus inferret: nec imaginibus tantum, sed & Sanctorum lipsanis, omnique eorum cultui, quæ Leo ceu vanam, noxiamque superstitionem aversabatur. Verum furiosis hisce conatibus cœlum sese opposuit: classis ante procellis disjecta est, quam Italiam contingeret. Gregorius vero viso incurabili Imperatoris animi morbo sententiam in eum, doctrinamque impiam promulgavit; utque ab ejus tutum se præstaret immanitate, ad Francorum recurrit potentiam, implo-

 ratis

A) Theophanes p. 270. B) Scriptores Græci omnes referunt, Italiam per Pontificem ab obsequio Leonis in pœnam hæreseos abstractam, prohibuisseque: ne eidem vectigalia penderentur, vocatis in auxilium Francis; contrarium habent Annales Ecclesiæ; cæterum major Italiæ pars Longobardis tum subserat; & constat Copronymum Romæ, aliisque in Italia locis, etsi velut precario adhuc imperasse; nec nisi postea Francos devictis Longobardis earum regionum dominatum in Pontifices transtulisse.

A.C. ratis eorum armis Caroli, præcipue illius Martelli, qui pro Rege rebus Francicis id temporis præfuerat. Horum in ſe veritus arma commovere Leo, non quidem vi Romam aggreſſus eſt; verum Calabriam, & Siciliam, quæ illius adhucdum parebant imperio, exaggeratis tributis, aliisque modis vexare in vindictam perrexit; quin auri quoque tria talenta, in annos ſingulos Baſilicæ Divi Petri Romæ e publico tribui ſolita, ærario ſuo dehinc addixit; quaſi non de hominibus modo, verum de Deo ipſo vindictam ſumpturus.

732 Dum ſic in res ſacras furit Leo, filius ejus Copronymus licet tredecim tantummodo natus annos; Chazarorum Principis filiam matrimonio ſibi junxit; quæ deinde in rebus ſacris inſtituta, ac e more Chriſtiano initiata Irenæ nomen accepit, longe & moribus, & animi ſenſu a ſoceri, maritique impietate diſpar. Per conſequentes vero Leonis annos nihil ſe offert memoratu dignum præter conſuetam illam in res ſacras inſaniam, & ſtatas quot fere annis Arabum in orientales Provincias procurſiones, direptionesque. Eo, qui exitum illius anteceſſit, anno, quam cæteris vis major Saracenica Aſiæ minori incubuit; Solimanus eorum Princeps eductis nonaginta armatorum millibus, ac trifariam disjectis regiones inundaverat; in hunc ipſe cum filio profectus Leo, partem quidem illam majorem, quam Solimanus ductabat ipſe, prohibere non valuit, quo minus cum multa præda, ac captivorum gregibus in Syriam incolumis abſcederet; at quam alii Duces gemini Melich, & Batal ductabant, aſſecutus conſerta acie profligavit; quæ tamen victoria non niſi ad eum in ſua dementia cum filio confirmandum valuit.

741 Anno demum Imperii quarto ſupra viceſimum, ac menſe tertio, decimo octavo Junii die, ex aqua intercute, Leo Isauricus interiit, A) inviſus Urbi, & populis, omnibusque, quos ſcelerum ſocietate ſibi non devinxerat; nam præterquam quod Religionem per tot mala divexarit, quod Saracenos graſſari in viſcera Imperii ſiverit, quod domeſticis diſſenſionibus occaſionem præbuerit, exactionibus quoque inſolitis attrivit cives, & populos. Motu terræ, qui annum forte tenuerat, muri, & ædes Urbis labem egerant, ad hanc ſarciendam ad conſuetum jam, & ſat exag. geratum tributum novam impoſuit exactionem, non invita quidem ſub initium civitate, verum prætextum fuiſſe eventus docuit; quod refectis etiam muris perpetuum id oneris civibus adhæſerit. Mors itaque illius lætitia perfudiſſet Urbem; ni hanc malo patre pejor ſoboles Conſtantinus temperaſſet; qui patris impietatem ſui non modo in ſemet ad vivum expreſſit, verum etiam immane quantum adauxit.

FL.

A) Cedrenus ex inteſtinorum dolore ait interiiſſe Leonem.

FL. CONSTANTINUS COPRONYMUS.



VIx Imperatorum aliquis acrioribus vituperiis a Scri- A.C.
ptoribus proſciſſus eſt, prout hic Conſtantinus, vixque 741
crudi, ac improbi cujuſpiam mores minutius, & diſtinctius depicti. Cognomina certe ſordidiſſima ei a populo data, ac ad poſteros transmiſſa: Copronymus, Iconomachus, Mamonius, Caballinus, ab iis dictus; quod poſtremum idcirco adjectum fuit, quod equis, odoreque ab excrementis eorum profluo mirum quam oblectaretur; A) ut adeo faciem quandoque ipſam egregio hocce opobalsamo illineret, quique paria ſecum facerent, in amiciſſimis haberet. Ejus imperium univerſa civitas vehementer expavit, ut qui jam a puero perditiſſimis fuerit moribus, & ad reliquias laceratæ per parentem Religionis penitus diſturbandas natus, ac factus videretur; quippe non modo averſabatur, quidquid pietatem erga Divos aliquam redoleret; verum etiam magicis incantationibus, dæmonumque evocationibus deditus perhibetur; B) ut non mirum ſit, tanto adverſus Cœlites odio inflammatum fuiſſe tenebrionum iſtorum ſodalem, & amicum. Plerique proinde, quibus ſana mens erat, averſari Copronymi imperia, de alio in locum ipſius ſufficiendo cogitare, occultis conſiliis ad portentum illud throno dejiciendum niti. Ei rei non aptior alius viſus eſt Artabasdo Obſicianorum Comite, cui ſoror Copronymi Anna fuit in matrimonio, ejus proba in Religione mens, & Cœlitibus devota ſpes omnibus opimas ingerebat. Vix inito Imperio Conſtantinus adverſum Saracenos expeditionem ſuſcepit, quem de more cum ſuis conſecutus Artabasdus caſtra ad Dorilæum metatus eſt. Hic impenſius amici Artabasdum ad defectionem, Imperiumque capeſſendum hortari, oſtendere pronam in vota Urbem Byzantinam, promptiſſimas ad imperia ſua militum voluntates, incenſa in Copronymum, plerorumque odia, quibus demum adductus eſt Artabasdus; ut ſeriam de Conſtantino Principatu deturbando cogitationem ſuſciperet. Cum eam in caput ſuum fabam cudi illico Copronymus reſciſſet, per internuncios monet Artabasdum: filios obſequii cauſa cumprimum ad ſe mitteret; nihil in ſe auſurum patrem, ſi filios haberet in poteſtate ratus. Artabasdus cum cerneret, non ſibi jam integrum ſimulatione uti, copias curæ ſuæ concreditas ad defectionem ſollicitat, promptiſſimisque ſtudiis Imperator ab illis ſalutatur. Conſtantinus audita Artabasdi defectione continuo Beſerum, illum nefarium patris, ſuique corruptorem, adverſus eum cum exercitu mittit, oppreſſurum Tyrannidis initia; verum res aliter cecidit: Beſer ille victus, ac cæſus, copiæ diſpulſæ. Deſertum ſe undique videns Conſtantinus, fugam citatiſſimis equis arripuit ad Longinum

A) Theophanes pag. 275. B) Zonaras pag. 83. Manaſſes pag. 73. extiſpicinæ deditum fuiſſe ſcribit.

A.C. num orientalis A) Provinciæ Ducem, benevole ab eo ſuſceptus, ceu Im-
741 peratorem decuit; qui ad eum ſolio reponendum ſua, Provinciæque illius ſtudia jurejurando obſtrinxit. Hinc cruentum, atroxque civile enatum eſt bellum; cum illi juſtitiæ ſpecies, legitimæque ſucceſſionis jura, huic vero Religonis, ac Cœlitum amor animos, & amicos parant, non mediocriter interea ſuum in quæſtum hac diſcordia Barbaris utentibus, ac extimas Imperii partes lacerantibus, cum interiores mutuis civium odiis conflagrant; ne vero majus a Saracenis damnum acciperetur, diſſenſiones inteſtinæ, quibus ii quoque laborabant, impedimento fuere.

Artabasdus ad Theophanem Urbis Præfectum literis datis ſignificat populo, Imperatorem renunciatum ſe, Conſtantinum bello interiiſſe; quod ſi in vota ſua Urbs concederet, Religionem Leonis ſcelere contaminatam repoſiturum ſe in integrum, & Urbem malis, quibus laborabat, ſublevaturum. Ejusmodi cum populo literæ recitatæ eſſent a Theophane, ingens omnium de putaticio Conſtantini interitu exſtitit lætitia, Artabasdi nomen fauſtis acclamationibus exceptum: nec diu ille moratus, præmiſſo filio Nicephoro, ut præſidiis communiret Urbem, ne quid in ea amici Copronymi turbarent, ipſe quoque maximo omnium ordinum plauſu in eam ingreſſus eſt, ac continuo Cœlitum imagines in loca, unde detruſæ erant, cum honore repoſitæ. Imperialibus poſtea inſignibus acceptis Nicephorum Cæſarem, Nicetam vero ſummum exercitus Ducem, filios Artabasdus renunciavit. Interea Longinus e Provincia orientali copiis undelibet contrahendis dabat operam, cui etiam Siſſinius Thracenſium B) Dux militum cum non parva manu ſeſe adjunxerat; atque his ſuccinctus exercitibus Copronymus progreſſus Byzantium verſus, ac Chryſopolim ex adverſo Urbis delatus eminus arma, terroremque oſtentat; C) verum quod per anni tempus bellum ducere non poſſet, Amoriam regreſſus hyemem illic agit.

742 Evoluta hyeme Artabasdus, Urbe ordinata in Aſiam cum copiis hoſtiliter invadit, ceu partibus Conſtantini faventiorem; ac poſtquam direptionibus aliquo tempore ſævitum, decretorio certamine ad Sardes adverſarii exercitus inter ſe commiſſi; poſt atrox, diuturnumque certamen victor Conſtantinns Artabasdum gravi prælio frangit, ac Cyzicum uſque fugat, inde vero Conſtantinopolim. Repoſiturus vicem Nicetas cum reliquo exercitu, contractis unde poterat ſubſidiariis cohortibus, ad Modrinem altero prælio cum Conſtantino decernit; verum victoria ad partes Copronymi rurſus inclinavit, Niceta cum ſuis in fugam acto. Ingens itaque Tyranni metus pervaſit cunctorum mentes, quod neminem lateret, quam crudelem ille exerciturus eſſet victoriam; ſi Urbis eum, & Imperii rurſus potiri contingeret, ſuopte ingenio ad cædes civium factum, & tot probris, defectioneque ſupramodum irritatum. In his rerum perturbationibus in tantum crevere partium odia; ut ad Barbarica auxilia poſcenda utrique deſcenderent, D) quæ tamen ab iis pari morbo laborantibus impetrata non fuere.

Geminata hac victoria Conſtantini partes multum auctæ ſunt, acceſſu præſertim Cibyrrhæotarum; hi claſſe Imperatoribus militabant, ut jam obſidendæ, ac undique a commeatu prohibendæ Urbi par futurus videretur. Igitur menſe Septembri trajectis in Europam copiis, qua terra, qua mari obſidioni datum eſt initium. Nihil non egit, ut in extremo diſcrimine, quo ſeque, Urbemque ſervaret Artabasdus mari, ac terra cum hoſtibus decertans; verum nec terra, nec mari res e voto ceſſere. Naves in portum retruſæ; copiæ ad muros Urbis conciſæ, in qui-

A) Thema dicebatur Anatolicum, ſeu orientale in Aſia minore, quod continebat Phrygiam, Piſidiam, Pamphiliam, Lycaoniam, Isauriam. Porphyr. pag. 3. B) Thema Thracenſium, vel Thraceſiorum in Aſia erat diverſum a Thraciæ Themate, quod in Europa complectebatur Lydiam, Cariam, Joniam, Mæoniam. Idem p. 7. C) Nicephorus C. P. p. 31. Chryſopolis eo loco, ubi nunc Scutari arx ex adverſo Urbis in Aſia. D) Cedrenus p. 364.

quibus & Theophanes Urbis Præfectus interiit; Urbs inopia commeatus A. C.
laborare brevi ſic cæpit; ut exaggeratiſſimo omnia pretio venirent, plebsque extrema fame conflictaretur: itaque coactus eſt Artabasdus populo ab Urbe migrandi poteſtatem facere; egreſſos humaniter accipiebat Conſtantinus, quo ſic rebus certius ſuis conſuleret. A)

Nicetas collectis e fuga militibus ſuppetias laturus patri Chryſopo- 743
lim advenerat; verum Conſtantinus rapta ſecum copiarum parte, ac in Aſiam ducta, recedentem ad Nicomediam conſecutus rurſus ad prælium cogit, ac victum, captumque patri pro muris Byzantinis oſtentat. In ſumma rerum deſperatione Artabasdus celoce in Aſiam Bactagio Comite fugam arripit; Conſtantinus nemine jam adverſante Urbe propemodum fame enecta potitur. Miſſa ad perſequendum Artabasdum exercitus pars, eum in arce quadam Puſana incluſit; nec diu poſt vinctus, ac ad Conſtantinum cum altero filiorum Nicephoro perductus multam ei exultandi, ſeſeque efferendi materiem præbuit. Exhauſta malis civitas ab inſolente ea victoria Imperatore, & milite extrema omnia pertulit; cum Conſtantinus pro navata ſibi opera militi, ut ditiorum fortunas diriperet, poteſtatem feciſſet: qua iis non ſegniter utentibus plurimis civium res ad mendicitatem rediit. Ludis poſt hæc circenſibus triumphum de victoria egit Conſtantinus, Artabasdo in vinculis cum filiis, cumque adhærentibus per ludibrium in pompa ducto; illi poſtea cum filiis oculi eruti, uti & Siſſinio, tametſi Conſtantini partes foviſſet, ob ſuſpiciones quasdam; B) Bactagius capite imminutus; cujus oſſa poſt triginta adeo annos juſſu ejusdem Conſtantini uxor ſuperſtes exhumare e loco ſacro manibus ſuis, intraque facinoroſorum cadavera abjicere compulſa eſt. Anaſtaſius quoque Patriarcha ſuæ tulit impietatis præmium; jam ante annos ſexdecim a S. Germano ſibi prænunciatum, dum nefariis ad eam dignitatem artibus viam parat. Cum fama interiiſſe Conſtantinum tuliſſet, Anaſtaſius populi benevolentiam collecturus, impiiſſima quædam Conſtantini circa Divam Dei Genitricem, ejusque Filium animi ſenſa palam fuerat elocutus, ejusque execratus imperium, in Artabasdo coronando operam locaverat. Ulturus factum hoc Conſtantinus in circo eundem per ludibrium traduxit, aſino verſa ad caudam facie inſidentem; oculos quoque eidem effoſſos quidam memorant. C) Eum tamen licet hoc ſupplicii genere multum deformem, ac ſceleribus quoque antegreſſis infamem in Patriarchatum repoſuit; quod ſciret Sanctorum adverſarium, nec ſuppliciorum metu deſignationibus ſuis obluctaturum.

Confecto in hunc modum domeſtico feliciter bello fortunam, qua 745
uſus eſſet, in patris, ſuamque referebat Religionem Conſtantinus; ut qui a ſuperſtitioſo, ut dicebat, Cœlitum cultu alienus uni Deo reverentiam haberet, tametſi mores perditiſſimi malo Dæmoni, quam Deo addictiorem oſtenderent; itaque in id totus incubuit, ut imagines quaquaverſus in Imperio abolitum iret. Ad hoc faciendum conſequentibus quoque aliquot victoriis multum eſt concitatus; ſi tamen ad odium, quo ſemper flagrabat, rerum ſacrarum addi jam aliquid poterat. Saraceni mutuis diſtracti armis victoriæ ipſi materiem præbuerunt. Valim eorum Principe dolo ſuorum e vivis proturbato Marvas, & Solimanes de Principatu obtinendo inter ſe luctabantur præliis aliquot, & cruentis quidem commiſſis; e quibus tamen inferior ſemper diſceſſit Solimanes. Verum Marvam domitis circum hoſtibus, & Damaſco recuperata Gens nova e Scythiæ finibus effuſa (Maurophoros dicebant) Principatu ſimul, & vita exuit. D) Erant in Arabia e Mahometi progenie familiæ Achim, & Alim; hi cum cernerent miſceri diſcordiis res Saracenicas, ad obtinen-

A) Nicephorus p. 31. B) Theophanes p. 280. C) Theophanes p. 281. Verum Anaſtaſii excæcati, nec Cedrenus, nec Zonaras meminit; nec certe excæcatus adminiſtrare Patriarchatum potuiſſet, aut in coronando poſtea Conſtantini filio operam ſuam locare, quemadmodum contigit. D) Theophanes p. 281.

A.C. dum inter ſuos Principatum arrecti, hoſce Maurophoros ad navandam ſibi
745 operam promiſſis e Scythia pellexerunt. Geſſere illi rem non ſegniter; Ducibus enim aliquot Marvæ ſuperatis, demum ipſummet Marvam cum trecentis adeo millibus ſibi obvium, etſi non magno ipſi numero horribili clade proſtratum in Ægyptum uſque fugarunt; quin illuc quoque fugientem conſecuti iterum prælio victum peremerunt. Ita cum Marva ſtirps ea, quæ inde a Mahometo ad hæc tempora rerum apud Arabes potita eſt, Principatu excidit. Ii vero, quorum conſilio Scythæ illi evocati fuere, Arabicum illud regnum trifariam diſpeſcuere; Abdeli Syria, Ali Ægyptus, Abulabæ Meſopotamia obvenit. Hæc cum annos complures teneret apud Arabes perturbatio, eam Conſtantinus in rem ſuam vertit, ac producto in eos exercitu primum Germaniciam occupavit; dein e Syria magnam Chriſtianorum abduxit multitudinem, eam in Thracia populationibus Barbarorum evaſtata collocaturus; demum vero ad Cyprum cum iisdem per Duces ſuos congreſſus victoriam navalem ſane magnam, & illuſtrem retulit, claſſe hoſtili penitus everſa, ut e mille navibus tres non niſi incolumes abſceſſiſſe fama tulerit.

746 Verum ne impietas e proſperis hiſce ſucceſſibus nimium ſeſe efferret, & Principis, & populi e nutu illius pendentis a ſana Religione defectionem acerbe ſub idem tempus ultus eſt Deus: lues peſtifera quanta non alias e Sicilia, & Calabria ortum ducens, ac per omnes regiones Conſtantinopolim uſque propagata hic ſupra modum furorem exeruit; primum homines curandis funeribus, demum ſepulchra quoque hominibus defuere; foſſæ, lacus, piſcinæ, hortique adeo ipſi muris cincti, cadaveribus terra ſuperinjecta repleti. Vertente primum anno calamitas poſuit; pleræque domus hominibus vacuefactæ, e magna civitate magna effecta eſt ſolitudo. Ut vero perditis pateſceret a Deo calamitatem tantam immiſſam; ceruleæ veſtibus eorum cruculæ viſebantur inſperſæ, quos malum contigiſſet; illique limphatis, & amentibus ſimiles tanto furore agebantur; ut necem quoque proximis non pauci inferrent. Conſtantinus nihilo ea calamitate redditus eſt melior; ne vero Urbs omnium, quas terra fert ad incolendum opportuniſſima deſerta ſqualleret; ex omnibus Imperii ſui Provinciis, atque inſulis in Urbem incolas novos perduxit; & faciem quidem ei novam reddidit, ſed quam ſceleribus ſuis fœdius, quam unquam, brevi conſpurcaturus eſſet. A) Alio quoque portento ira Dei ſub idem tempus ſeſe protulit. Circa veſperum viſæ ſunt ſtellæ loco dimoveri ſuo, atque in terras delabi, eamque contingere; mox citra cujusquam nocumentum diſſipari; quod prodigium orbe toto viſum ſtupore mentes hominum compleverit.

749 Quid vero ea res portenderet, haud diu latuit; detracturum quantum in ſe eſſet, Superos de cœlo Copronymum, acerba in eorum cultores non diu poſt commota tempeſtate, ſed quæ plurimos acerrime pro iis certaturos cœlo victores inſertura eſſet. Inter hæc filius Leo, Conſtantino natus, & eodem adhuc anno ab Anaſtaſio corona incinctus familiam, & ſpes Conſtantini auxit. Ab alia quoque parte res ei ſat fortunatæ erant; cum enim inteſtina Saracenorum perturbatio finem non faceret, altera adverſum eos ſuſcepta expeditione Theodoſiopolim, ac Melitenen expugnavit: quibus inflatus rebus, ac ſucceſſu rerum ſuarum animatus ad bellum Cœlitibus majore vi inferendum verſus, ubivis per Provincias Conventus haberi jubet, abolendis denique ex toto Divorum imaginibus; in quem finem Conſtantinopolim undique Patres exciverat.

753 Convenere octo & triginta ſupra trecentos; qui omnes partim metu, improbitate partim concordibus ſuffragiis in ſententiam Copronymi ivere, nemine ex iis adverſus impietatem reclamante. Præerat Conventui Epheſinus Præſul Theodoſius, Abſimari quondam Imperatoris filius; neque

A) Horribilem hanc luem fuſe deſcribunt, Nicephorus C. P. pag. 32. Theophanes pag. 282. Zonaras pag. 85.

neque enim vel Romanus, vel alii primarum Antiſtites ſedium ſive per ſe, ſive per Legatos, eo ſemet intulerant. Conſtantinopolis quoque A.C. 753
Præſule tunc caruit, quod Anaſtaſius non ita pridem vita excidiſſet, & fœdiſſimo quidem mortis genere, recrementa per os illud egerens, per quod vilis adulator Sacerdotii illius obtinendi gratia ſententiam in Divorum imagines evomuerat. A) Durante adhuc eodem ipſo Cœtu Conſtantinus quidam Monachus Urbis Patriarcha a Copronymo renunciatus de ſuperiore loco eſt: qui etiam jusjurandum poſtea dedit ab Imperatore compulſus, adverſaturum ſe perpetuo Cœlitum cultui; eorumque imagines vi omni, ac ope aboliturum. Sexto demum menſe Cœtui finis eſt impoſitus; ab univerſis, ipſoque Imperatore publice in forum proceſſum fuit, atque illic præſente populo in Joannem Damaſcenum, Germanum, reliquosque imaginum propugnatores lata eſt ſententia; inſuper populus ab eodem juramento fuit obſtrictus, neque unquam in veneratione habiturum ſe Sanctorum effigies, nec laturum impune, ſi quem iis devotum noſſet. Quin his minime exſatiata Conſtantini in Superos rabies ſanxit: ne quispiam Sancti eos titulo afficeret, ne eorum lipſana venerarentur, B) ne denique ſupplices iis acciderent; tum ſi quos contra facere cernerent, in eos omni ſuppliciorum genere animadvertere jus, fasque eſſet; neque ſolum in Urbe, verum in univerſo Imperio populi ad ſimile poſtea juramentum adacti. Sed præcipuum illius in Monachos acerrimos Cœlitum defenſores ardebat odium; itaque non ipſe modo ad exagitandos eos, eorumque Ordinem abolendum ſtudia contulit, verum etiam Præfectos, populumque in eosdem concitavit, eos in amicis habere ſolitus; qui in perſequendis iis, & afflictandis ſtrenuam præ reliquis locabant operam; prodeuntes in publicum lapidibus, & convitiis peti a populo voluit, nec aliter, quam peſtes, & tenebricoſa quædam monſtra ab omnibus haberi. In eos conſequentibus præſertim annis multa nefanda, ac memoratu fœda, & ſua, & Præfectorum opera deſignavit, eorum quippe judicio notari ſe, ac ſugillari, præcipiti quadam inſania in omnia ſcelera provolutum non erat neſcius.

Interea vix dum annus ab infami eo Conciliabulo ſe evolverat; Bul- 755
gari Thraciæ arma intulerant ob conſtructa quædam illic a Copronymo munimenta, locaque ſola hominibus completa, Theodoſiopoli, & Melitine e Syria traductis; eo nomine tributa ſibi pendi volebant Bulgari, & ſtatas vexationes præſenti ære redimi. Hos ad Urbem uſque progreſſos omnia late vaſtaſſe, multaque onuſtos præda incolumes domum remeaſſe, plerique referunt; Nicephorus contra cum clade repulſos, ac ipſummet Imperatorem in eos profectum victoriam ad fines Bulgariæ retuliſſe; procurſionis illius meminit quoque Theophanes; verum in anguſtiis montium cladem Byzantinos accepiſſe: utri autem aſſentiare Nicephoro, an Theophani utrique eorum temporum? niſi forte, ut pronum factu, in ejusmodi procurſionibus, utrique diverſis vocibus partem aliquam ſibi de palma defregerint.

Datum hoc modo Bulgarico bello initium eſt, quod compoſitum, 762
ac iterum reſumptum ad obitum Copronymi tenuit. Poſt aliquot a ſuperiore procurſione annos Bulgari in Principes ſuos perduelles oppreſſa ea familia, quæ rerum hactenus illic potita eſt, quemdam ſibi Teleſen nomine præfecere; quo cognito Imperator maximo cum exercitu in eorum regionem profectionem ſuſcepit. Equitum viginti quatuor millia minoribus impoſita navigiis præter magnum peditum numerum Anchialum applicuere. Bulgarus tanto perterrefactus apparatu de auxiliis &

A) Theophanes p. 285. B) Theophanes meminit lipſanorum S. Euphemiæ, quæ in mare juſſu Copronymi jacta in Cyprum inſulam miraculo delata ſint, eaque a ſe conſpecta, cum imperantibus Conſtantino, & Irena inde relata in Urbem ſunt p. 294. ita vero ille de ſacris lipſanis: ἅγια λείψανα πρὸς ὑγιείαν ψυχῶν καὶ σωμάτων ἀνακείμενα ſancta lipſana ad ſalutem animorum, & corporum repoſita. Ex quo redarguas Manaſſem p. 74. ajentem, oſſa S. Euphemiæ a Copronymo fuiſſe concremata.

A.C. ipſe circumſpicit; ac præter magnum ſuorum numerum millia viginti e
762 vicinis Gentibus ſubſidio accerſit. Commiſſæ prope Anchialum acies, magna diei pars pugnando abſumpta, ac tametſi plurimos utrinque Mars pignoraretur; tandem Bulgari in fugam acti luculenta clade ſternuntur. Cum captivis, ſpoliis, ac armato exercitu triumphantis more Urbem ſubiit Copronymus, fauſtis a populo clamoribus acceptus, ac præ gaudio ſui vix compos. Captivi peracta pompa extra Urbem omnes cæſi; pax cum ſucceſſore Teleſi a ſuis ob infelicitatem perempti inita; verum Bulgari ejus impatientes Sabinum Principem throno depulere, is vero apud Imperatorem perfugium quæſivit. Victoria hæc Bulgarica multorum ſententiam adverſus Sanctorum imagines corroboravit; ipſe quoque Conſtantinus majore, quam antea furore in eas invectus; quaſi vero Deus clades tantum, ac non victorias quandoque ipſas pœnæ loco mortalibus immittat; & adverſæ tantum, non etiam res interdum proſperæ Deo contra improbos pro armis ſint, quæ hoc plus nocumenti afferant, quo magis animis blandiuntur.

763 Ne tamen rebus proſperis inſoleſceret civitas, adfuerunt, ut impiis fere uſuvenit, e veſtigio mala, quæ eos ſcelerum commonefacerent. Hyems a memoria hominum inaudita terris iis incubuit; mare Ponticum ad centum fere milliaria conglaciavit, glacie triginta in profundum orgias exæquante; ea vero poſtea diſſoluta in cumulos montibus pares accreverat; quorum aliqui Urbis muros prætervecti, iisque impacti, fragorem, ac formidinem late ſpargebant. A) Ejusmodi glacialium montium unus in arcis latus vi tanta impactus eſt; ut nutarent, qui intus erant. Hyemem ſiccitas tanta eſt conſecuta; ut fontes paſſim, ipſaque flumina exareſcerent. B) Terra proinde, marique ira Dei ſe prodidit; qua tamen adeo non motus eſt Imperator; ut eodem tempore egerit cum Patriarcha de Sanctiſſima Dei Matre non Deiparæ, ſed Chriſtiparæ nomine dehinc appellanda; hæc tamen impietas metu populi intra ſceleratum illius pectus ſeſe continuit, Præſule id omnimodis diſſuadente, tametſi forte non multo meliorem de rebus ſacris ipſe ſenſum haberet.

764 Interſeri his merentur funeſta orientis Imperio Turcorum initia; qui iisdem temporibus alteram jam in Arabes e portis Caſpiis irruptionem fecerunt prælio cum iisdem conſerto, atque hiſce majoribus deinceps bellis, & fortunatiſſimis progreſſionibus velut præluſere; cum Saracenicas vires, & mutuæ diſſenſiones, & diſſectum in partes Imperium multum extenuaſſent. Fertur non ita pridem in Syria tellus magno hiatu diſceſſiſſe, apparuiſſeque inter pulverem mulum; qui voce uſus humana interitum Arabico dominatui per Gentem quandam e deſertis erupturam prænunciaverit; quod vaticinium undecunque prognatum nimis, quam verum exſtitiſſe, & Arabes poſtea, & Græci luxere. Sed ad atrocia Copronymi geſta ſermo redeat.

Nupero in Bulgaros ſucceſſu elatus, ac quietis impatiens alteram in eos ſuſcepit expeditionem; tametſi paulum ante denuo cum iisdem pacem ſanxiſſet, facilius ſic imparatos oppreſſurus; quid enim ab homine expectares, qui Divina juxta, ac humana jura flocci non faceret? Ingreſſus eorum fines cum loca quædam ignibus cremaſſet; adventantium metu perculſus nullo alio facto operæ pretio in Urbem rediit, majore in eos apparatu anno inſequente reverſurus. C)

765 Itaque contractas ex omni Imperio copias bis mille & ſexcentis navibus impoſuit, quæ pone littus delatæ Anchialum verſus exorta ſubitanea procella fœdum in modum diſperſæ, quaſſatæque ſunt; magna vis militum aquis hauſta, Imperator expeditione fruſtratus inglorius ſine apparatu

A) Nicephorus p. 34. hyemem hanc ſævam expeditioni in Bulgaros anteponit; non item alii. B) Theophanes ſcribit, ſe tunc adoleſcentem cum æqualibus in montem ejusmodi glacialem luſitando evaſiſſe, ac in eo plurima ferarum cadavera inveniſſe, pag. 290. C) Ita Theophanes. At Nicephorus indicat, rem in Bulgaros proſpere geſtam, ipſumque eorum Ducem cæſum pag. 36.

paratu Urbem ingreſſus eſt. Non erat neſcius, quanto in odio apud re- A.C.
liquias Monachorum eſſet; ac ſuſpicatus calamitatem illam, dedecusque 765
ſuum voluptatis non parum attuliſſe; de iis triumphum agere, quando hoſtes non ſuppetebant, triſtemque hanc iis expeditionem reddere conſtituit. Itaque ludis circenſibus ridendi a populo, & vexandi e latebris ſuis protrahuntur; muliercula cuivis in manum data, aut Monacha, ut cum ea per Hippodromum decurrerent, ac ita ludibriis, ſannisque appetiti, tormentis quoque, & morti ſubjecti ſunt, qui vel facta Principis improba reprehendere, vel pro imaginum cultu quidpiam eloqui auditi eſſent. In his Principes fuerunt Andreas dictus Chalybites, itemque Stephanus, quem Proto-martyrem dixere juniorem, a vita ſanctiſſime acta celebritatem nominis adeptum; qui quod ſubſcribere libro nollet, A) in quem nefanda ſua decreta retulerat Imperator; ignominioſe per Urbis vicos tractus, demum etiam a nefariis cæſus eſt. Quin edicto quoque ſeveriſſimo ſanxit Conſtantinus; ne quispiam deinceps Monachali ſemet inſtituto manciparet. Nec horum contentus ſupplicio alios quoque viros in Urbe principes vel invidia motus, quod populo gratioſi eſſent, vel odio, quod cum Monachis ſentire viderentur, ſuppliciis, ac carcere excruciavit; viri novemdecim præcipuæ claritatis in circo per ludibrium ab eo traducti, ac duo quidem capite mulctati; ad quorum cædem cum ingemuiſſe populum audiſſet, verberibus in Præfectum ſupplicio animadvertit, quod populum a lachrymis non cohibuiſſet; uſque adeo non æquitas tantum, ſed mens quoque hominem deſeruerat. Cæteris oculi fuerunt eruti, quos deinde in carcerem detruſos, quot annis centum plagis diverberari atrociter curabat. Plurimis quoque e plebe imaginum cauſa nex illata eſt, ut complura hominum millia B) vitam in tam nobili certamine profuderint, ſqualleruntque propemodum deſertæ Urbes eorum fuga; qui impiiſſimis Conſtantini juſſionibus morem gerere renuebant.

In Conſtantinum demum Patriarcham, tametſi impietati illius obſe- 766
cutum, C) furorem vertit; forte, quod minus ſe ſtrenuum in deſtruenda Religione præberet, egitque in exilium. Verum ubi reſciſſet Conſtantinum illum nefaria animi ſenſa, quæ de Chriſto ipſe haberet, palam ſuiſſe elocutum, eum ab exilio retraxit ſubornatis, qui novi quidpiam adverſus Imperatorem molitum eſſe calumniarentur. Itaque Patriarcha aſino impoſitus in circo traducitur, verberibus immaniter cæditur, pulverum, & convitiorum jactu a populo impetitur, demum initæ contra Principem conjurationis damnatur, ſcriba publico e ſuperiore loco crimina illius prælegente, & ad ſingula accuſationum capita volumine malam feriente. Hanc adeo ſuæ in res ſacras prævaricationis mercedem tulit Conſtantinus. Demum ne corpus modo, ſed & animam interimeret crudelis Imperator, nunciis ad eum allegatis exquirit, quid de rebus ſuis geſtis, ac Religione cenſeret? tormentorum metu, vel ſpe recipiendi Præſulatus repoſuit infelix, recte eum, & ordine cuncta circa Religionem feciſſe, & decreviſſe; atque eo dato reſponſo confeſtim ei caput fuit demeſſum. Succeſſor illi datus Nicetas quidam ex Eunucho Sclavus genere, improbitate, & Religione Principi geminus; ſi geminum tamen improbitas illa habere potuit.

In exagitando, ac extinguendo Monachorum ordine, nemo ipſi fideliorem navavit operam quodam Laconodracone Thracenſium Duce; is quotquot ejus inſtituti viros, virginesque nanciſci poterat, Epheſum cunctos deportavit, denunciavitque, uti omnes abjecto triſti eo veſtium genere candidum induerent, nuptiisque e veſtigio illigarentur; ſin mi-

 nus,

A) Zonaras p. 87. B) Zonaras p. 87. C) Non obſcure indicant Cedrenus, & Theophanes, Conſtantinum hunc Patriarcham non modo ad eſum carnium, verum etiam ad uxorem ducendam a Copronymo pertractum eſſe, σεφανίτην εἰντὶ μοναχῶ ἔπειϛε γένεϛαι, ut loquitur Cedrenus, id eſt: ut corollas nuptiales geſtaret abjecto Monachi inſtituto pag. 368.

A.C. nus, erutis oculis in Cyprum omnes deportatum iri; plurimos ex iis
766 constantia Martyrum albo inseruit; A) nonnullos suppliciorum metus e vitæ instituto, & cœlo deturbavit; aliis membra, vita aliis erepta; ac per plurima supplicia effecit nefarius ille Præfectus; ut brevi nemo unus Monachorum in omni illius Provincia superesset. Supellex eorum libraria igni absumpta est, res vero familiaris divendita, ac ad Principis ærarium redacta; qui eo facto mire lætus fidem in se hominis probavit, laudavitque. Utque eandem Principis gratiam colligerent, alii quoque Præfecti non segniter in rem eandem incubuere; Asceteria, quæ in Urbe frequentissima erant, in militum diversoria, sacræ ædes in solitudinem, Religio demum in improbitatem versa. Interea cum sic in miserorum corpora, & fortunas sævirent Præfecti; Imperator in aula genio, & crapulæ indulgebat, resonabant musici concentus, turpissime regnabant libidines; atque in hoc contaminato vitæ genere vel voculam, quæ pietatem redoleret, etiam imprudenter pronunciasse capitale fuit. Supplicia vero Religionis gratia perpessa, & cruciatus cum ipsi narrarentur, ea narratione mirum recreatus risui, & cachinnis indulgebat; prorsus Neronis, aut Diocletiani, ferociumque ejusmodi Imperatorum Gentilium animam migrasse in eum crederes, adeo præceps in excidium Religionis, publicæque honestatis ruebat; quodque atrocius, si quid a quopiam in vulgus eorum emanasset, quæ per scelus in palatio fiebant, certum ei vitæ exitium impendebat, ut jam nec publico flagitia subduci, nec propalari possent. B)

Neque sceleribus tantummodo suis gravis erat Religioni, verum & populo exactionibus: C) quippe corradendo auro decessorum vicit avaritiam; ejusmodi exactionibus factum: ut exhausta pecuniis plebs frumenta, omniaque levissimo venum exponere cogeretur; id quod ille in Dei adversum se favorem interpretatus, velut si ea annonæ vilitate suum in illius cultu studium muneraretur, cum tamen certum esset, exactionum immanitate vilitatem rebus inductam.

770 Altam inter hæc ab exteris pacem Arabum procursiones disturbavere; hi enim orientales ingressi Provincias multos captivorum greges abstraxere. Itum in eos ab Imperatorio exercitu est, sed iis jam regressis vindicta in Armeniam effusa. Altero vero ab hac re anno iidem Saraceni Syen Isauriæ castellum obsederunt; at enim & a classe Christiana, & ab exercitu inter obsidendum circumcluſi periissent universi, niti desperata in obsidentem exercitum ferocia proruissent; tanto enim Barbarorum furore exanimati, & quaquaversum sparsi, elabendi iis, ac in sua citra detrimentum remeandi potestatem fecere.

773 Melius aliquanto consequentibus annis res gesta est cum Bulgaris: adversum eos, itemque Russos Pontici maris turbatores, bis mille navigia instruxerat Imperator, ipse in expeditionem profectus, misso equitatu ad antecapiendas montium anguſtias. Verum ut Varnam attigit, nescio quo correptus metu, expeditione abstinuit. Bulgari superiorum memores calamitatum, tantoque apparatu conterriti, egere de pace cum Imperatore, quam ille non cunctanter admisit. Verum Legatis Constantinopoli adhuc commorantibus Dux Bulgarorum duodecim expediti militis millia in Thraciam amandarat ad captivos indidem abstrahendos. Monitus clam de ea re ab amicis Imperator, qui penes Bulgarum erant; magnum undelibet contrahit exercitum, & ne suspicio daretur aliqua Bulgaricis Legatis, bello adversum Arabes simulato impedimenta, resque necessarias in Asiam transportat. Discedentibus vero iis ab Urbe, festinatione quanta maxima potuit, exercitu millium octuaginta educto in Bulga-

A) Meminit Martyrologium Romanum ad diem vigesimum octavum Novembris trecentorum quadraginta trium Martyrum in causa imaginum a Copronymo necatorum. B) Multa de his Theophanes p. 296. C) Nicephorus p. 38. cujus Breviarium historicum ad annum Imperii Copronymi vicesimum octavum desinit; qui iis temporibus vixit, ac non multos post annos Tarasio in Patriarchatu Constantinopolitano successit.

Bulgaros adventus Imperatorii prorsus ignaros proficiscitur. Duodecim A.C.
illa, quæ diximus millia de improviso circumcluſa, ne correptis quidem armis ad unum periere nullo ab exercitu Constantini desiderato. A) Incruenta hac, & nobili, ut eam vocabat victoria potitus Imperator, ovans Urbem est ingressus. Ex quo datur intelligi; tametsi probitatem Principum fortuna quoque bellica persæpe comitetur; tamen nec victorias semper probitati, nec clades improbitati imputandas; sed arcano Dei consilio res hominum prosperis, & adversis, ut ei collibitum est, miscentis.

Victoriæ cursum prosecuturus anno quoque insequente classem nu- 774
merosissimam in Bulgaros expedivit, terrestri ipse itinere cum reliquo exercitu subsecutus; nec ventum ad manus uspiam a meticuloso Principe, nec classis felicem habuit exitum, in portu ad Mesembriam procellis quassata, plurimis militum, nautarumque mersis. Bulgarorum Dux cum sua per quosdam Procerum Constantino enunciari clam consilia intelligeret, nec venire in eorum cognitionem posset; missis ad Imperatorem internunciis significat: velle se relicta Bulgaria ad eum fuga subducere, de iis, quæ opportuna Imperatori forent, acturum; id, quo tutius confieret; significaret sibi Imperator, siqui inter Proceres privatim ei amici sint, cum iis suscepturum se profectionem. Et factum incogitantia Imperatoris est; ut ab ipsomet Procerum resciret nomina Princeps Bulgaricus; quorum perfidia consilia sua emanassent, quos continuo ferro medios discidit; furente ad factum Imperatore, ac barbam, crinemque præ indignatione vellente.

Anno demum Imperii trigesimo quarto, mense quarto ulturus ver- 775
sutum Bulgari Principis facinus expeditionem numeroso cum exercitu init Constantinus; at vix Arcadiopolim delato carbunculus in crure apparuit; æstu igitur insolito totus corripi, acuta jactari febri, & incendia toto corpore cæpit persentiscere; ut dolorum acerbitate excruciatus, vociferaretur, viventem jam se inferorum flammis addici; B) id vero sibi contingere ob ea, quæ adversus Sanctam Dei Parentem flagitiose conſciverat: tum hortari circumstantes, ut eam in pretio ipsi, & veneratione haberent; retro itaque per viam lectica delatus, ac postea in navim impositus, priusquam Constantinopolim contingeret; decimo quarto Septembris die infeliciter, uti vixerat, periit: corpus ad ædem Apostolorum conditum, eruendum longo post tempore, ne locum tam sacrum impiæ illius exuviæ polluerent, & a populo ignibus cremandum. C) Tres illi ex ordine erant conjuges: Irene, ex qua Leonem, Maria, ex qua nullam sobolem, ac demum Eudocia, ex qua Christophorum, Nicephorum, Nicetam, Eudoxium, & Antimum filios susceperat. Duo primi Cæsares a patre, posteriores Nobilissimi titulo donati.

FL.

A) Theophanes pag. 300. B) Nicephorus in fragmento pag. 59. Theophanes, Cedrenus, Glycas. C) Cedrenus p. 370. sub Michaële Theophili filio.

FL. LEO CHAZARUS.



A.C. 775 LEo a matre Chazarorum Principis filia ita cognominatus, principio & liberalem ſe in populum, & in Republica ordinanda ſtrenuum, & denique in Religionem bene affectum præbuit, ut ſic Urbis ſibi benevolentiam colligeret; at ſui deinde ſecurus in impiiſſimis patris ſui veſtigiis pedem poſuit, Divorum, ſacrarumque rerum hoſtis perinfenſus. Moriens pater cubicularium Theophanem appellarat, commendans ei negotium ſecreto quondam a ſe comiſſum; mortuo illo non conquievit Leo, quoad arcanum illud ex Theophane extunderet; tale autem fuit: auri quingenta centenaria Copronymus, hoc Theophane teſte, & conſcio humi defoderat in uſum futura filiorum, ſi fors illi a Leone fratre iniquiorem ſubirent fortunam. Leo eam pecuniæ ſummam fratribus fraudatis in uſus ſuos vertit; plurimis igitur effuſis in populum largitionibus adeo ſibi eorum voluntates adſtrinxerat; ut eo regnante felices ſe, & florentes putarent; quin teſtandæ benevolentiæ gratia magnis urgebant clamoribus; ut infantem adhuc Conſtantinum filium ex Irena ſuſceptum renunciaret Imperatorem. Differebat rem Leo metum ſimulans, ne fors ante diem ſe mortuo Conſtantinus in ea ætate periculum amittendæ vitæ incurreret; ut ita & deſideria eorum magis accenderet, & in ſtirpe ſua adverſus fratrum ambitionem protegenda alacriores faceret. Cum dies aliquot inſtaret populus, juramentoque ſe obſtringeret, A) non alium præter Leonem, aut ejus ſobolem agniturum ſe unquam pro Imperatore; morem geſſit ejus petitioni Conſtantinus, & in circo ipſe filio coronam impoſuit, comitantibus eam pompam duobus Cæſaribus, & tribus Nobiliſſimis fratribus.

Sed limis eam inaugurationem oculis aſpexiſſe fratres hi videntur: nondum evoluto ab ea re anno delatus eſt Nicephorus a Græculis & invidiæ, & ſuſpicionibus ex æquo deditis, velut ſi conſilia cum quibusdam aulicorum de inſidiis Leoni faciendis contulerit; quam cum rem populo expoſuiſſet Leo, conclamavere continuo interimendos Nicephorum, reliquosque conſilii participes, immemores jurisjurandi, quo ſe Copronymo viventi obligarant, non paſſuros a Leone fratribus injuriam aliquando fieri. Cæſi verberibus, ad quos ſuſpicio rei pertigerat; & in inſulas deportati, nec ultra ira Leonis proceſſit. Ab inito ſtatim Imperio duo Principes a ſuis extorres perfugium apud Leonem quæſivere; alter Telericus B) Bulgarorum, alter Theodotus Longobardorum Reges, quos in amicis habuit Leo, muneribus, & honoribus excultos, ac priorem Chriſtianis ſacris initiatum Patriciatus dignitate ornavit.

Porro

A) Theophanes p. 301. ὤμοσε ὁ πᾶς λαὸς εἰς τὰ τίμια καὶ ζωόποια ξύλα juravit omnis populus per ſacra & vivifica ligna, id eſt: per ſacram Domini Crucem, quæ Conſtantinopoli aſſervabatur; qui modus jurandi tum in more fuit poſitus. B) Cedrenus p. 370. Longobardorum Regem profugum vocat Telericum, Bulgarorum vero Principem Pellerigum; ſed incurii nominum propriorum Græci iſti; quandoque & rerum.

Porro labantis Imperii res ut erigeret, ſeque vicinis redderet formi- A.C.
dabilem, multis per Provincias in militarem ordinem adlectis numerum 777
militum eo produxit; ut anno Imperii tertio cum Madus Saracenorum in Syria Princeps caſtris ad Debecum poſitis, vim, & direptionem minitaretur; centum armatorum millia diverſis ſub Ducibus adverſum eos Imperator emitteret, qui & Germaniciam obſedere, & in Syriam procurſione facta multos illinc Chriſtianorum abſtraxere in Thraciam, per colonias ſpargendos; & demum certamine cum Arabibus commiſſo, millibus eorum duodecim cæſis, & quinque Ducibus, victores ad Leonem, & ovantes regreſſi ſunt. Majore comparato exercitu aderat quidem anno mox inſequente Madus, & Doryleum maxima cum multitudine obſedit; verum evaſtata per Imperatorios circum omni regione per celeres equitum turmas prohibiti a commeatu apportando Arabes rumpere obſidionem, ac ad ſua remeare compulſi nihil operæ pretii fecere. Idem bellum in annum quoque ſequentem protractum fere intra populationes ſtetit; niſi quod Dux Imperatoris Lacanodracon levi ſuorum manu cum Arabibus congreſſus Principis Saracenorum fratrem letho dederit.

Leo Imperator quintum, eumque ultimum regni annum auſpicatus, 780
quo eſſet in res ſacras animo in apertum protulit; nam & Irenen conjugem, quod in cubili ejus Sanctorum imagines deprehendiſſet, acriter reprehenſam thori ſocietate repulit, & viros in Republica principes ſeptenos, quod cultui earum devoti eſſent, atque ad Irenen pertuliſſent, verberibus cæſos, ac cum ignominia per Urbem traductos carceri mancipavit. Attamen ſpes rerum meliorum eodem hoc tempore affulgere viſa, cum in locum improbi illius Nicetæ Paulus A) e Cypro inſula in res ſacras optime affectus, invitus licet, ac reluctans, Patriarcha eſt conſtitutus. Finiit demum Leo cum vita imperium non absque præſenti Numinis vindicta. B) Cupido illum inceſſerat, ut erat gemmarum, ejusquemodi elegantiarum ardore inexplebili, coronæ cujusdam in templo principe a Mauricio, vel ut alii, ab Heraclio dedicatæ; itaque ereptam inde capiti ſuo impoſuit. Verum erumpentibus e capite continuo carbunculis præcipiti in flore ætatis letho, & hujus ſacrilegii, & odii in Cœlites pœnas luit, cum imperaſſet annos quatuor, & menſes undecim cum diebus aliquot, vixiſſet vero annos triginta relicto filio Conſtantino adhuc impuberi.

FL. CONSTANTINUS, ET IRENE MATER.



COnſtantinus iſte cum per ætatem moderando Imperio non eſſet, omnium conſenſione Irene gubernacula cæpit Reipublicæ, mulier ei regendæ par, & opinione in rebus adminiſtrandis verſata melius, ſi modo nimia regnandi libido ingenium muliebre in transverſum non egiſſet. Itaque in tabulis publi-

A) Zonaras p. 90. B) Cedrenus 370. Theophanes p. 304.

A.C. publicis Conſtantini, & Irenes Imperatorum nomina præfixa una habe-
780 bantur, & utriusque nomine adminiſtratio rerum procedebat; attamen unius Irenes arbitrio gerebantur omnia, tum etiam, cum Conſtantinus e pueris jam exceſſerat: neque omiſit quidpiam mulier ambitioſa, quo adminiſtratio rerum ad exitum vitæ penes ſe maneret; quin eadem ambitio ad res humanas, Divinasque miſcendas nata, naturæ quoque ipſius jura fœde, ut dicetur, confudit. Vix rebus præeſſe cæpit Irene, quidam Procerum muliebris imperii impatientes, capita inter ſe contulere de Nicephoro A) Conſtantini patruo Reipublicæ præficiendo. Quid enim aliud expectares a Græcis iis, aura ipſa mobilioribus, rerumque novarum ſtudio ſemper ardentibus? verum Proceres illi in tempore, & in ipſa molitione oppreſſi, cæſi verberibus, ſparſique cum ludibrio per diverſa loca in exilium ſunt; & ne quid porro ſimile attentare in ſe populus ad novandas res projectus poſſet; cunctos mariti fratres in Clericalem ordinem crinibus attonſis Irene redegit, ac quo eorum vitæ ratio populo eſſet conſpectior, in feſto Chriſti natalitio myſteriis populum impertiri eos voluit.

Nondum hæc mutatio rerum Byzantii obtigerat, cum Elpidius Siciliæ moderandæ præfectus ab Irene in Provinciam ſe contulerat; cognito autem, hunc quoque e conjuratorum fuiſſe numero, alius in locum Dux Theophilus ab Urbe mittitur, qui priorem remitteret, ſupplicia attentati facinoris daturum. Verum Elpidius in Siciliam delatus mandata Irenes pro nullis habuit. Ad eum proturbandum miſſa claſſis cum permagno exercitu bellum, & calamitates in Siciliam advexit; armis quippe Provincialium diu reſtitit Elpidius, nec niſi per aliquot victorias fractus, ſpeque omni exutus relicta Provincia apud Arabes perfugium quæſivit; qui illum Imperatoriis ornamentis inſignitum eminus oſtentabant Byzantinis, magnas abs dubie daturum turbas, ni & illos diviſus in plures Arabicus principatus, domeſticaque mala imbecilliores feciſſent.

Cum iis latrocinio potius, quam juſto bello aſſidue certatum eſt; primo quoque Irenes anno, cum in Aſiæ minoris fines irruptionem feciſſent; miſſis ab Urbe Legionibus cæſi, & fugati memorantur. Illud vero prodigii ſimile eodem tempore habitum: cum ad longos muros terram non nemo incolarum altius egereret, in lapideam incidiſſe arcam; in qua voces hujusmodi ſculptæ legebantur: Chriſtus naſcetur e Virgine; & credo in eum, ſub Irene, & Conſtantino iterum me ſol videbis. Cujus id monimentum fuerit, aut quid portenderit ignoratum; niſi quod Divini cujusdam ante Chriſtum natum fuiſſe vatis inſcriptio proderet.

781 Alterum regiminis ſui annum pulcherrime Irene adminiſtravit; nam & in Franciam ad Carolum Magnum, cujus id temporis nomen late per orbem inclaruerat, Legatos miſit, qui filiam illius Rotrudem B) in conjugem Conſtantino filio peterent, & exercitibus in Aſia adverſus immanem e Saracenis nubem productis rem geſſit ſat fortunate. Legati a Franco accepti perlibenter, ac continuo ſponſalia inter juvenes Principes confecta, jurejurandoque firmata ſunt; unus de Legatorum numero apud teneram adhuc Rotrudem remanſit, qui eam, & ſermonem Grajum, & mores orientalis aulæ edoceret. Bellica vero negotia in Aſia ita ſe habuere: Arabum Principis filius, cui nomen Aaron, maximum in Aſiam minorem infuderat exercitum, plures in partes diſſectum, quo pluribus eodem tempore potiretur: ac unum quidem e triginta hominum millibus, qui penitius ſe in ditiones penetraverat, Lacanodracon cum ſuis aggreſſus luculenta clade affecit, quindecim Arabum millibus in acie, aut fuga cæſis. Alter eorum exercitus Nacoliam obſederat, ad quem depellendum, aliam quoque oppoſuit manum militarem Irene; verum fraus Arabum, & imprudentia Ducum egregia illius molimina turbavere.

Actu-

A) Nicephorum τὸν ἀπὸ καίσαρος vocat Theophanes, quod ab ea dignitate a Leone ob ſuſpicionem dejectus eſſet. B) Hæc Erythro a Græcis nuncupatur.

Acturi de pace Saraceni principes in Republica viros, in quibus erat A.C.
quoque Stauracius ſupremus rerum pro Imperatrice adminiſter, eique in 781
paucis charus, in colloquium e caſtris accerſunt; illi ſive pacis aviditate pellecti, ſive qua neſcio confidentia acti, non ſatis caute in caſtra ſe conferunt Arabica, atque illic per fraudem captivi detinentur. Solicita pro viris in Republica ſpectatiſſimis, ſed cumprimis ſuo pro Stauracio Imperatrix, ſimul ut eos rehaberet, ſimul ut a graſſationibus Barbaricis Provincias aliquando liberaret, tributi aliqua penſitatione pacem redimit; itaque & hic exercitus, qui Nacoliam, & tertius, qui Duce Principis filio Chryſopolim obſederat, ad ſua citra gravius nocumentum eſt reductus.

Bellum Saracenicum excepit aliud adverſus Sclavos; Gens & nu- 782
mero diffuſiſſima, & ſedes identidem mutare aſſueta, in Macedoniam, & Græciam prioribus jam annis ſeſe intulerat, ac rebus illic conſtitutis ſenſim ab Imperio eas oras disjunxerat. Adverſus hos miſſus Stauracius ita rem geſſit; ut & Provinciæ illæ veteres agnoſcere Dominos cogerentur, & magnæ opes a debellatis corraſæ militem locupletarent. Stauracius his rebus geſtis magnifice in circum ingreſſus plauſum quidem vulgi, ſed una invidiam potentiorum, qua jam ante ob gratiam Irenes totus conflagrabat, in ſe commovit. A)

Poſt hæc quieta a bellis exteris omnia; quo exhilarata Imperatrix Urbes per Thraciam nonnullas cum apparatu maximo inviſit, & Beroen e ruderibus excitatam ſuo de nomine dixit Irenopolim; ac poſteaquam Philippopolim attigiſſet, fauſte, hilareque in Urbem revenit. Quies hæc a bellis in eo quoque feliciſſima exſtitit; quod finis aliquando furori in Sanctorum imagines, ſceleratoque adverſus res ſacras bello adeſſe viſus ſit. Paulus Cyprius vir cæteroqui omni virtutum genere exornatus, cum cerneret in quanta mala trium improbitas Imperatorum orientalem Eccleſiam præcipitaſſet, qualiterve a reliquis veræ Religionis cultoribus ea de cauſa diſſecti eſſent; adhæc animo graviter mœrens, quod Eccleſiæ illi tanto crimine fœdatæ præfici ſe ſiviſſet, promiſſo de abolendo imaginum cultu, ut moris tum erat, præſtito, abjecta Præſulatus dignitate in aſceterium ſe ſubito contulit, ſumpturus de ſe ipſo pœnas, lachrymisque contractam eo modo noxam eluturus. Ea res, ut ad Imperatricis aures, quæ hominem maximi ſemper fecerat, allapſa eſt; ipſa cum filio in aſceterio deliteſcentem adit, & de Sacerdotio cum ea ſolitudine, ſe inſciente, commutato graviter expoſtulat. Paulus qua cauſa ad id coactus fuiſſet, Imperatrici ex ordine recenſet, in quam pernicioſo res forent ſtatu, ſcite depingit; & niſi vocato Univerſali Concilio in gratiam Oriens cum reliqua Eccleſia redeat; æternum cunctis interitum denunciat. Perculit ea oratio Irenen, jam antea non male in Cœlites affectam, ut cogitationem de pace in Eccleſiam revehenda ſeriam ſuſciperet; ab eo igitur tempore liberius diſceptationes de Divorum cultu haberi, frequentari ſtudioſius aſceteria, multus inter omnes de reducenda Eccleſiæ concordia ſermo eſſe; ſed demum anno conſequenti compoſitioni datum eſt initium.

Paulus a colloquio cum Imperatrice habito, non diu in vivis fuit; 784
huic ſucceſſorem datura Irene populum ad Divæ Sophiæ accerſitum ſententiam rogat, quem eo Præſulatus honore putarent digniſſimum; univerſi exclamant: neminem Taraſio videri digniorem; erat is cum literarum, tum vero probitatis laude in omnium oculis, & in aula a ſecretis. Longa & gravi oratione dignitatem deprecatur Taraſius; ſe hæreſeos labe infectis, ac ab Eccleſia eam ob rem reſciſſis nunquam in eo Sacerdotio præfuturum; agerent, reſpicerent aliquando tandem ſe, & Majorum Religionem, deque negotio iſthoc per Univerſalem Patrum Conventum componendo ſerio cogitarent, ni id faciant, eorum votis ſubſcripturum ſe nunquam. Ad hæc univerſorum ſublata in Templo vox: flagitare ſe

A) Pleraque hæc de Imperio Conſtantini & Irene ex Theophane, qui tunc vixit.

A. C. Concilium componendi diſſidii gratia, nihil ſibi Majorum Religione antiquius, operam, opemque omnem libenter in eum finem collaturos. Id cum Irene quoque large pollicita eſſet, demum Taraſius maxima bonorum lætitia in throno Pontificio collocatur.

786 Ut primum Pontificatu illo potitus eſt Taraſius, nihil prius habuit; quam per literas Hadrianum Romæ tunc Pontificem convenire, atque de integranda Eccleſiarum concordia, deque publico Patrum Conventu in eam rem Conſtantinopolim indicendo agere. Hadriano nihil illis jucundius literis eſſe potuit; continuo Legati ab eo Conſtantinopolim miſſi in viam ſe dedere; acciti ex omnibus regionibus Præſules, Alexandrinus quoque, & Antiochenus invitati; ſed quod eæ regiones jugo premerentur Arabico, neque Pontifices illi per ſe, nec minores alii Præſules ab ea parte intereſſe potuerunt, per Legatos tamen primi illi adfuere. Bono jam numero affluxerant Patres, ac in æde Apoſtolorum ſacro Senatui datum eſt initium, Principibus quoque Irene, & Conſtantino præſentibus. A) At enim ſanctis horum molitionibus militaris maxime ordo, & Præſules nonnulli eorum auxilio, & animis præferoces intervenere; acriter primum obſtrepunt, mox vim, & cædes minitantur, non paſſuros ſe, quæ recte in ſuperiore Concilio adverſum imagines ſancita eſſent, aboleri; demum fœde turbatis rebus reipſa in ſanctum illum Senatum inſiliunt. Præfracta horum audacia, & tumultu concuſſi omnium tam Principum, quam Præſulum animi, coguntur incepto abſiſtere, deque præſentioribus perficiendo negotio remediis interea cogitare. B)

787 Enim vero cum videret Irene militarem, qui in Urbe, & Thracia erat ordinem, ſceleribus Leonis, & Copronymi in odio imaginum innutritum, daturum rurſus turbas, ſi negotium tam neceſſarium tractandum ſumerent, de iis cumprimum exauctorandis cogitare cæpit; ſed res erat ancipitis plena periculi; ne quod toties jam factum, alio acclamato Principe, & ipſa de Imperio cum filio excideret, & præclaræ hæ Patrum deſignationes irritæ caderent. Dolum itaque in eum modum comminiſcitur; velle ſe Arabibus bello indicto copias in Aſiam transportare; primum igitur apparatus omnis bellicus velut in certam profecturis expeditionem in Aſiam, dein miles ille ſeditioſus Urbe producitur, in quorum locum ſubſtituti e veſtigio alii, ab iſtorum dementia alieni. Porro turbulenti illi, cum in Aſia jam conſtitiſſent, juſſi de improviſo ſunt arma ponere, militiæ cingulum abjicere, neque enim Imperatricem eorum jam opera egere. Ea tam ſubita denunciatione perculſi milites, cum novandis rebus ſpatium non ſuppeteret; ceu Divinitus metu quodam correpti arma projiciunt, ac in patriam, qua quisque ortus erat, deportati ſparguntur.

Pacis in Religione componenda turbatoribus ad hunc modum ſublatis, ſine metu Patres tercenti quinquaginta numero Nicæam Bithyniæ confluxere; ac reſumpto de integro negotio in æde Divæ Sophiæ curas in rem contulerunt. Non longa fuit de cultu imaginum diſceptatio; prolatis in medium ſacrarum literarum, & graviſſimorum Patrum teſtimoniis itum pedibus pro Cœlitum cultu in ſententiam eſt; condemnati quotquot in eas inſaniverunt Imperatores juxta, & Præſules; & quia hæreſis hæc ab Imperatore Leone ſumpſerat exordium, decretum: nihil Principibus poteſtatis in res ſacras eſſe; profanam illis, ſacram Sacerdotibus a Deo Rempublicam eſſe commiſſam; & niſi ita ſit, quod erit inter geminas haſce poteſtates diſcrimen? ad ea, quæ Religionem concernebant, alia quoque adjecta ſunt decreta, quæ diffluentes Eccleſiæ mores, & Iconomachorum ſceleribus convulſas adſtringerent. Demum omni-

A) τῶν βασιλείων ἐν τοῖς κατεχομένοις ὁρίνταν ut inquit Theophanes pag. 309. Imperatoribus e Cathecumenis ſpectantibus, Sacrarium puto intelligi. B) Idem Theophanes Divinitus factum ait, quod nemini e Patribus damnum ſit illatum; armis ergo improborum Concilium disjectum fuit.

omnibus ordine, riteque confectis, itum a Patribus Byzantium eſt, codex decretorum publice perlectus, acceptusque, & a Principibus appoſitis etiam nominibus probatus. A) Ab hoc Concilio crebreſcere ubivis Sanctorum veneratio, res Deo ſacræ in honore, ac cultu eſſe, frequentari majore hominum numero aſceteria, omnis demum diſſenſio in Religione exſtincta videri. Cæterum levior erat populus ille, quam ut hæc malacia diu obtineret; nec tam leve vulnus hæreſis, uno ut ſtatim ictu præcidi ſtirpitus queat; repullulabit identidem atrocius, & vires ſumet malum, quod non ut debuit principio ſtatim oppreſſum, & præfocatum eſt. A. C.

Et reipſa commutatio, quæ ſtatim ſubſecuta eſt, fortunæ, non pau- 788
cos in veteri adverſum Cœlitum imagines odio confirmavit; neque enim ſive domi, ſive belli res ut prius proſpere habuerunt, Deo, cujus judicia ſcrutari nefas, ita permittente, & malo Genio rebus hominum miſere inſultante; quippe & aula nefariis poſtea brevi tumultibus, & paricidiis perturbata, & foris non levia ab hoſtibus accepta ſunt detrimenta. Ac primo ab eo Concilio anno bellum trifariam geſtum, triplici infortunio eſt funeſtatum. Arabes fines introgreſſi, collatis cum exercitu Chriſtiano ſignis, prælio memorabili ſuperiores fuere; plurimos e Ducibus, & vulgo militum enſis Barbaricus hauſit. Dux Thraciæ Philetus ſub idem tempus adverſum Bulgaros miſſus cum indiligentius, quam in ea hoſtis vicinia par erat, bellum adminiſtrat; ab iis de improviſo circumventus, ac obrutus interiit. Denique in Italiam miſſus Joannes militiæ Magiſter cum Theodoto Longobardorum Regis filio exule, Siculicis adjutus auxiliis, ut Carolo loca quædam, pulſis Longobardis, obtenta eriperet, manum cum Francis infeliciter commiſit ab iisdem peremptus; ita malæ res ad malas ſe ab eo tempore Irene velut agglomerabant. Quin dominandi ſpiritu impotentius afflata, ſponſalia quoque cum Rotrude a Conſtantino inita reſcidit: ne videlicet filius tanta adjutus affinitate a rerum adminiſtratione illam depelleret; neve nihil facto huic obtenderetur, bellum quoque, ceu iniquis Italiæ poſſeſſoribus Francis intulit. Quippe jam olim Copronymo Longobardi B) multa in Italia, & Calabria eripuerant; perdomitis porro Longobardis Franci alia Pontificibus ſummo jure utenda, ac fruenda dederant, alia præſidiis ipſi ſuis tenebant, quæ jam antea, ſed fruſtra Copronymus repetierat, & nunc vindicare e manibus Francorum Imperatrici placuit; verum rebus infortunate procedentibus Sicilia, & modica Italiæ pars Orientali Imperio adhuc hærebat.

At gravior adhuc calamitas annis conſequentibus aulæ Byzan- 789
tinæ incubuit: Conſtantinus etſi annum jam viceſimnm ætatis compleſſet, ab adminiſtrando tamen ſubmotus, nomine Imperator, re vero ipſa privatus degebat. Non defuere e Primoribus Stauracio, per quem Imperatrix unum cuncta Reipublicæ procurabat, invidi, qui juveni imperandi cupidiſſimo, & impotenti ſtimulos ſubderent; reſpiceret aliquando ſe, quinam eſſet; & Imperium quando jam per ætatem liceret, agnoſceret pro ſuo, quod jura non conjugibus Principum, ſed filiis decernant; nec fas eſſe, parere muliebribus jam imperiis, qui Principem imperando idoneum haberent. Ejusmodi cohortationibus facile inductus eſt Conſtantinus, ut de matre in ordinem cogenda, & in Siciliam, vel aliorſum amandanda conſilium iniret. Non mediocriter etiam incenſus in matrem fuit Conſtantinus, ob reſciſſa per eam cum Caroli Regis filia nuptiarum pacta conventa; nam etſi deſiderio Rotrudis æſtuaret, invito tamen, & reluctanti Marinam quampiam ex Armenia mater nuptiis illigaverat. Stauracius cum in ſuum potiſſimum caput ea cudi odoratus eſſet, Irenen in filium commovit; Proceres, qui id conſilii Conſtantino dederant, verberibus, & ignominia exagitati, inque exilium disjecti ſunt. Conſtantinus

A) De Concilio hoc annales Eccleſiæ, & acta Concilii. B) Anaſtaſius in vitis Pontificum.

A. C. ipſe a matre ſeverius, quam Principem decebat caſtigatus, A) domi ſeſe continere neceſſe habuit. Ita tum quidem Irenes negotia ſe habuere.

790 Sed cum muliebris anno ſequente ambitio longius procederet, Principatu denique excidit. Non contenta iis, quæ proxime in Proceres, & filium patrarat, Legiones juramento adigere voluit; non agnituros vivente ſe ullum pro Principe, nec dimoveri ab adminiſtratione Imperii paſſuros. Et reliquæ quidem Legiones, ut erant venales, ac verſatili in omnem partem animo, jusjurandum dedere; Armeniacæ contra rejectis cum probro, qui ejus rei cauſa advenerant, reſponderunt: nunquam laturos ſolam Irenen rebus præeſſe, nec illius nomen Conſtantini nomini præpoſituros. Perculit ea denunciatio Imperatricem; alios ex aliis mittit, qui Legionum benevolentiam demererentur; verum illi metu forte ne pœnas tergiverſationis darent, ulterius progreſſi ſeditionem commoventi & niſi Conſtantino gubernacula Reipublicæ tradantur, ad obſequium non redituros aperte profitentur; proinde cæteræ Legiones Armeniacarum exemplum ſecutæ, etſi non ita pridem alia omnia pollicitæ Conſtantinum ſolio depoſcunt, vocibus ſeditioſorum, ac minis complentur omnia. Imperatrix neceſſitate conſtricta, etſi invitiſſima filium in publicum productum Imperio præficit. Juvenis animi impotens Stauracium moleſtam rebus ſuis remoram, reliquosque materni conſilii participes verberibus dire acceptos in exilium proturbat, matrem in ædibus ab eadem exædificatis privatim degere jubet, ipſe demum ingenium ferox, & mobile publicis negotiis addicit.

Et quia juvenilis ardor in res bellicas inexpertum rapiebat, Cardamo Bulgarorum Principi, Imperium vix adeptus, bellum intulit; quod ut leviter ſuſceptum, ita adminiſtratum leviſſime, ac brevi intermiſſum. Exitus incertus plane eſt; nam Cedrenus victorem facit Conſtantinum: Zonaras utrumque exercitum metu quodam pannico correptum ſe mutuo fugitaſſe: Theophanes Imperatorem adventantis hoſtilis exercitus fama conterritum retro fugiſſe narrat; ac crediderim, Theophanem tum ſuperſtitem certiora reliquis longe ſubmotis prodidiſſe. Similis fuit alterius expeditionis in Saracenos ab eodem Conſtantino ſuſceptæ exitus; ſi Theophani fides, etſi Cedrenus re ſat bene geſta multis de hoſte prædis ovantem in Urbem reducat. Interea Irene fœmina inquies in omnem partem verſabat ingenium, quo amiſſam dignitatem recuperaret; nec deerant e Proceribus, & populo permulti, qui ab ea beneficiis aucti id fieri peroptarent; moderatum enim, & lene illius in populos imperium, remiſſaque vectigalia multam illi apud omnes exiſtimationem, & amorem pepererant. Conſtantinus itaque amicorum Irenes hortatu, ac matris ipſius lamentis perſuaſus demum eſt, ut eam aulæ redditam in honoris Imperatorii conſortium adſciſceret. Conſtantini itaque, & Irenes nominibus præfixis rurſus adminiſtratio rerum procedebat; ſic tamen, ut nihil matris, omnia filii arbitrio gererentur. Ea fortunæ commutatio læta Urbi fuit, ſed non Armeniacis Legionibus, quæ admiſſorum in Irenen memores, & ne ea vindictam in ſe effunderet, veritæ, nomen illius recipere, proque Domina habere noluerunt; quin & Præfectis ad ſe miſſis necem intulere, & Alexium quempiam, Ducem antea ſuum, palam in Principem optabant. Alexio etſi innocuo rumor hic fatalis fuit, cæſo verberibus, & in carcerem detruſo; Armeniacæ vero Legiones non prius conquievere, quam aperto poſtea domitæ bello ad obſequia cogerentur.

791 Conſtantinus belli gerendi cupiditate juveniliter ardens rurſus in Bulgaros expeditionem movit, apparatu ſat amplo, quod a circulatore quodam certa illi promiſſa eſſet victoria. Cardamus cunctando gerebat bellum, ſuis in munitiora loca ſubmotis, quo ad aggrediendum animos Græcis adderet; & aggreſſi ſunt tumultuarie nullis ordinibus, nullis aciebus, tan-

A) Zonaras p. 84. excruciatum a matre filium ait: *τὸν υἱὸν αἰκισαμένη καὶ λοιδορησαμένη*, Cedrenus reprehenſum tantummodo ait; Theophanes verberatum.

tanquam ſi ad victoriam, non pugnam veniſſent; at gravi ſuo malo: A. C.
exercitus magna clade ſtratus, impedimenta, Ducesque præcipui amiſſi, 791
Imperator dedecoris plenus in Urbem celerrime refugit. Hic vero alia ex aliis calamitas: militaris ordo, ac populi pars ira in eum accenſi, quod inconſiderato abreptus æſtu florem militiæ Barbarico objeciſſet ferro concidendum, de eo ab Imperio removendo, ac Nicephoro ævi jam maturo in locum ſubſtituendo collatis inter ſe conſiliis tumultus aliquid conciverant. Id metuens Imperator inhumanæ crudelitatis exempla in patruos, etſi ſacris jam mancipatos edidit: Nicephoro oculi eruti, Nicetæ, ac tribus aliis præciſa lingua. A) Stirps Copronymi luctu, & ſqualore completa. Alexius quoque, de quo paulum antea, oculorum orbitate damnatus eſt. Ajunt, in id conſilium Imperatorem a matre præcipitatum, ut ſic inviſum populo, crudelitatisque nota ſugillatum, facilius e rerum adminiſtratione protruderet. B) En ut ex religioſa quondam Irene impotens ſui ambitio furiam effinxerit.

Et vero hæc Conſtantini importuna crudelitas, & ipſi exitialis, & 792
Imperio damnoſa exſtitit: Armeniaci Ducis ſui caſu cognito in apertum proruperunt bellum; adverſum quos reliquarum Provinciarum miſſi Duces, & exercitus cruento decertarunt prælio plurimis utrinque cæſis. Demum ipſe Imperator, exercitu undelibet contracto, in eos profectus quorumdam proditorum opera victoriam luctuoſam, quia de civibus obtinuit. Cæſi conjurationis Principes; cæteri, qui in manus venerunt, mille numero ignominia notati; eorum quippe vultibus voces hæ: Armeniacus inſidiator, inuſtæ ſunt; quibus in varia loca ſparſis perturbatio illa finem accepit.

Pace potitus Imperator, atroci, & quod Chriſtianum hominem cum- 794
primis dedecebat, facinore ſeſe obſtrinxit: juvenili in Theodoten quandam e Gynecæo virginem amore inſaniens, Marinam conjugem aſceterio incluſit, Theodote ſuperinducta. Obſtitit pro viribus Taraſius, ut erat in res ſacras egregie animatus, ne tam fœdum in Principe exemplum ad populum, & poſteros exſtaret; verum libidine ardens juvenis aures ad ſalutaria hæc monita ſic obturaverat, ut ferociter minitaretur; aperturum ſe idolorum c) fana populis, ni ſibi id conjugium permitteretur; perculſus oppido Taraſius, ne grande quodpiam malum pacem in Orientis Eccleſia vix coalitam diſturbaret, non ille quidem Conſtantino aſſenſus eſt, attamen diſſimulatione uti ſe coactum profeſſus. Igitur per aſceterii cujusdam Abbatem perperam, & nefarie Theodote Imperatori eſt copulata. Res hæc ad eam diem Conſtantinopoli inaudita, turbis carere non potuit; namque ferventiores quidam e Monachorum cœtu, inter quos Plato eminebat, acrius inſectati fuere, & factum Principis, & Taraſii conniventiam, quod nec Principem, nec ſcelerum complices a Sacrorum communione arceret; itaque cum Patriarcha, ceu tanti reo criminis nihil ſibi commune eſſe voluerunt; Conſtantinus ira in Monachos incenſus verberibus, carceribus, atque exiliis ſævire perrexit. Illud quoque a Scriptoribus non diſſimulatur; matris Irenes ſuaſu audentiorem effectum Conſtantinum, ad inceſtas eas nuptias animum appuliſſe, in eoque totam elaboraſſe, ut filium, quam maxime inviſum apud univerſos redderet, per ſe ipſam, cum res, ac tempus daret, ſolio deturbandum; quin talibus jam patratis, ut conſpectior eſſet filii improbitas, Monachorum in iis ærumnis partes ſtrenue defenſabat; nec animo jam, nec moribus mater; quin novercalibus in filium inflammata odiis, acerbiora annis conſequentibus deſignavit.

Pru-

A) Cedrenus p. 373. Nicephoro, & Chriſtophoro oculos eſſe erutos ſcribit, *ἐκ συκοφαντίας τινῶν* ut ait, quorundam calumniis id factum. Zonaras, Theophanes Nicephorum oculis, reliquos lingua orbatos referunt. B) Paſſim Scriptores memorati, & imprimis Theophanes. C) Ita Cedrenus citata p. At Ignatius Patriarcha in fragmento quodam ait, minatum eſſe Conſtantinum, niſi ſibi nuptiæ illæ concederentur, aboliturum cultum Imaginum, & Imperatorum ante ſe hæreſes innovaturum.

A.C. 797 Pruſam ſe cum matre Imperator thermarum cauſa contulerat; iſthic commoranti lætis allatum eſt nunciis, filiolum ipſi Leonis nomine in lucem veniſſe; igitur relicta Pruſæ matre, & comitatu aulico præpropere videndi illius deſiderio in Urbem recurrit. Irene opportuniſſimum id rebus ſuis tempus rata, prenſare Procerum, & militum animos, filii in adminiſtrandis rebus levitatem; ac ſocordiam exaggerare, beneficia in eos ſua, & florentem imperante ſe rerum curſum oſtentare, muneribus demum, & promiſſis maximis in ſuas partes aulam pellicere; & reipſa multa adhuc erat, & grata moderati, lenisque illius imperii apud omnes recordatio; eoque factum: ut plerique Primorum fidem obſtringerent, curaturos ſe; ut mater pro filio Reipublicæ gubernacula iterum capeſſeret. Promiſſa hæc non in longum dilata; in Arabes expeditionem adornarat cum exercitu millium viginti Imperator; verum a Stauracio in gratiam repoſito, & reliquis Irenes amicis hoſtem e finibus abſceſſiſſe dictitantibus, deluſus quietem egit, diſſoluto exercitu ludis in circo ſpectandis intentus. Proceres, qui matri fidem obſtrinxerant ſuam, ejus exolvendæ injicere in Conſtantinum manus moliti ſunt; quod ille odoratus cum quibusdam aulicorum navi fugam arripuit. Mater cognita filii fuga aulam cum ſibi adhærentibus occupat, ac inter ſpem, metumque fluctuans de Imperio ſibi aſſerendo conſilia confert. In apertum denique bellum res inter matrem, & filium proruperat; quippe ad filium extra Urbem populi multitudo, ac militaris præcipue ordo confluxerant. Metu correpta Irene, cum extrema a filio ſic ejecto vereretur, ſcribit ad amicos, qui ſpecie officii filium conſectabantur, viam, ac modum inirent, ad ea cumprimum perficienda, quæ animis conceperant; ſecus indicaturam ſe filio eorum nomina, certamque in perniciem acturam. Hac illi denunciatione perculſi Conſtantinum luctu ob mortem Leonis filii confectum, ac precibus vacantem aggrediuntur; arreptum, ac præpropere navigio impoſitum in palatium deferunt, & eodem adhuc die hortatu matris, A) & quorundam Procerum oculos tanta immanitate extinguunt, ut pene in eorum manibus vitam profunderet; qua demum altero poſt menſe ex doloris acerbitate, & animi mœrore excidit. B) Tragœdia hæc decima quinta Junii, eaque ipſa die peracta eſt, qua ante quinquennium patrueles Nicephorum, & reliquos adeo dire, & crudeliter Conſtantinus habuerat; ut non tam matris eum ambitio perdidiſſe, quam Numinis vindicta inſecuta eſſe, videri poſſit. Non defuere e Græcis, qui atrox iſtud in filium facinus in meliorem partem traherent, ipſam Religionis, bonique publici ſtudio, ne levitas, & importunitas illius turbaret, in filium animadvertiſſe; at ſi ea, quæ e Scriptorum fide ſupra retulimus, vera ſunt, ab Irene paricidii notam ægre quispiam depulerit. Facinus hoc Deo quoque inviſum fuiſſe, non obſcuris compertum eſt indiciis; nam & ſol per dies continuos ſeptemdecim, quaſi retractis ob tantum facinus radiis, obſcure adeo micabat, ut medio die naves in mari lucis inopia errarent, & Irene ipſa ſolio poſtea deturbata, inque exilium acta pœnas Divinitus admiſſi in filium ſceleris dediſſe viſa eſt. Verum Principum & præclare facta calumniatores, & perperam geſta defenſores ſemper invenient; quanquam nihil opus utrisque, cum facta pro ſe ipſis loquuntur.

798 Irene Imperio rurſus potita quinquennium rebus præfuit, neque eorum omiſit, quidpiam, quibus populi demereri benevolentiam poſſet: ut nihil ejus imperio fuiſſet optatius, ſi modo Procerum quorundam re-

pri-

A) Non deſunt ut Georgius Hamartolus Scriptor Græcus, qui invita, & inſciente Irene excæcatum Conſtantinum tradant; ſed Theophani tum viventi, & hæc ſpectanti fides potior. B) Anaſtaſius in hiſtoria, interiiſſe tunc ait Conſtantinum; diverſi plane Cedrenus p. 376 & Zonaras p. 96. qui Conſtantinum plures annos ſuperſtitem faciunt, ac poſt matris caſum a Nicephoro Imperatore menſæ adhibitum, qui Nicephoro indicium theſaurorum fecerit. Nihil ſimile Theophanes, & credibilius, brevi poſt excæcationem interiiſſe. Manaſſes p. 75. ait, in eodem cubili excæcatum Conſtantinum, in quo primam lucem aſpexerat. Dicebatur is locus Porphyra, ac qui in eo nati eſſent, Porphyrogeniti.

primere noſſet impotentiam, nec Eunuchis hominum improbiſſimis, cæterisque in regimine uſa eſſet; qui illius in ſe abuſi lenitate, & multa pro libidine ſua paſſim deſignabant; & ipſammet demum ad iniquiorem fortunam ingrati detruſerunt. Candidis equis per mediam invecta Urbem, ſtipantibus latera Principibus viris, aurum ipſa in populum diſperſit, remiſit vectigalia, exactionibus modum poſuit; atque ejusmodi lenitate uſa effecit, ut plus præſens liberalitas ad laudem, quam ſuperior in filium crudelitas ad vituperium valeret; & quod nunquam adhuc factum erat, Imperium Orientis uni fæminæ ſubjectum eſſet. Quanquam non deſuere, qui ſuperſtitibus adhuc Copronymi liberis, etſi membrorum mutilatione deformibus, Principatum vindicare vellent; & factum eorum ſuaſu, ut miſeræ illæ Principum umbræ ad Eccleſiam ſe D. Sophiæ tutelæ velut gratia ſubducerent; arbitrati: exoriturum ea ratione tumultum, & aliquem de iis in Principem ſubvectum iri; adeo illos in extrema etiam hac calamitate ſpes Imperii non deſeruit. Verum pro Principatu majorem adhuc invenere miſeriam; ab Aetio fide data Templo educti, ac Athenas relegati, cum iſthic quoque inquieti Sclavorum beneficio ad Imperium aſpirarent, primum quidem juſſu Imperatricis oculos perdidere, poſtea vero ab incolis ipſis metu ſeditionum interfecti; ita peſſimi parentis infelix ſoboles ſtirpitus interiit. A) A.C. 798

799 Anno ab aſſerta rerum adminiſtratione altero turbarum aliquid domi, foriſque Irene habuit: Arabes gemino in Provincias exercitu irrupere, & alterius quidem furor ultra prædas per Aſiam minorem actas non proceſſit; alter cum Paulo Duce conſertis manibus ſuperior fuit, impedimentis omnibus una cum Duce ipſo occupatis. Domi contra Stauracii, & Aetii, qui in aula omnia poterant, mutuis inter ſe inimicitiis res fluctuabat publica; cum alter alterum Imperii affectati reum ageret, nec æmulum ferre poſſet. Et reipſa uterque ambitione Imperii in familiam ſuam defuncta Irene transferendi ardebat. Verum Stauracium, etſi vatum neſcio quibus ſomniis in ſpem arrectum, cruda mors egeſtis cum ſanguine per os pulmonibus, tumulo intulit; Aetii autem ſpes commota poſtea factio adhuc in herba præfocavit.

800 Dum ſic Orientis Imperium in fæmina nutat, magna ſui mole fractum, aut debilitatum, Occidentale Imperium velut e ruderibus redivivum ſubito apparuit in Carolo Magno Francorum Rege, ejusque ad hunc diem ſucceſſoribus. Jam antea Pontifices Romani improbitatem Orientalium Principum pertæſi, in quibus nec vires jam, quas in Italiam defendendæ adverſus Longobardorum inſolentias, domeſticaque diſſidia Eccleſiæ exporrigere poſſent; nec voluntatem, qua præſto eorum forent neceſſitatibus, videbant; ad Francorum augeſcentes tum opes, & Religionem perfugium habere in difficillimis rebus cæperunt, eorum armis bona Italiæ parte potiti Longobardis prærepta. Leo hujus temporis a nefariis quibusdam Romæ exagitatus ſubſidio accerſiverat Carolum. Vindicata Pontificia dignitate, reque Romana rite conſtituta gratiam relaturus Leo ſolennibus ceremoniis Carolum Occidentis Imperatorem, etſi invitum conſtituit, magno totius Romani populi applauſu exceptum. B) Adverſati diu ſunt Orientales Imperatores dignitati huic, nec nomine, & honore Imperatorio Carolum, & ſucceſſores dignati, cum ſe Romanorum ferrent Principes, nec niſi injuria Italiæ dominatu depulſos. Verum imbellem ejusmodi iram, quæ ultra verba, & minas non procederet, Occidentales pro nulla habuerunt. Et ſane neglectu rerum Italicarum, prævalentibus undique Longobardorum armis, excidiſſe earum dominatu, & jure regionum merito videri poterant.

A) Ita Cedrenus; verum hæc eorum cædes ſerius multo contigerit; nam Theophanes imperante etiam Michaele Rangabe ſeditionis cujusdam eorum cauſa commotæ meminit. B) Contigit hæc coronatio ipſo Natalitio Chriſti die.

A.C. 801 Carolus porro Occidentalis Imperii dignitate potitus ad Orientale quoque, ut erat animi præcelsi, oculos adverterat; cujus rei Divinitus quasi oblata videbatur opportunitas, quod Irene sola Orienti præerat, quam si conjugem sibi necteret, una utrumque Imperium copulaturum videbat; Leoni quoque Pontifici id cum maxime in votis fuit. Missi Constantinopolim a Carolo Legati, non difficilem in spes suas invenere Imperatricem, & perfectum dedissent negotium, ni Aetii interveniisset improbitas; qui cum animo jam pridem Principatum fratri suo Leoni Thraciæ tum Duci destinasset, consilia sua tantis nuptiis, ac fœderibus everti nolebat; itaque nihil non egit, quo animum Irenes a nuptiis alienaret. Non destitere urgere connubium Legati, eapropter diutius Constantinopoli commorati; quoad Imperatricem sinistræ fortunæ turbo ejusdem Aetii odio commotus ex eo apice præcipitaret. A)

802 Is enim eo potentia, & gratia apud Irenen pervenerat; ut non modo Procerum res, & Urbis pro suo arbitratu misceret, verum etiam palam successorem fratrem suum designare non dubitaret. Veriti Primores, ac Eunuchi præcipue, quos tanta Aetii gratia dudum urebat, ne is denique meditata exequeretur; Imperatrice ex morbo decumbente, in Nicephorum Generalem Logothetam B) studia convertunt; non tam quod is Imperio dignus haberetur; improbissimum enim se postea præbuit; quam quod proniorem novandis rebus, ac potentiorem haberent neminem. Cum hoc in unum collecti Irenen noctu adeunt, custodibus ea fraude delusis, quod dicerent Imperatricem ad extrema deductam, Nicephorum, ne Urbs absque Principe laceraretur, Cæsarem & successorem designasse. Viris in ea dignitate positis, ac Reipublicæ curatoribus credidere milites; ac confestim Nicephorum pro Imperatore reveriti, ejus obsequio semet addixere. Itaque Proceres Imperatricem in aula recludunt, constitutisque illic rebus exorta per Urbem de novo Imperatore vociferatione, ad Divæ Sophiæ progrediuntur. Nicephorus Imperatoria hic ornamenta recepit; populo quidem eam inaugurationem maledictis prosequente, attamen a vi, nescio, quo metu abstinente, sive armata amicorum, & militum manu adversus eam sibi providerit Nicephorus; sive volente id, ac jubente Imperatrice fieri putaretur, solennibus denique ceremoniis Nicephorus Imperator renunciatur.

Dignitate tanta tam facile potitus Nicephorus versipelle ingenium fingere in omnem partem gnarus, Irenen adit, ac ceu Dominam, & Imperatricem reverenter habet. Excusat factum necessitate, invito sibi eam dignitatem Reipublicæ causa injectam; nunquam sibi ejus ambitum in mentem venisse, nec spe ejus aliquando tentum; ac se quidem quando ita causa omnium posceret, pro Imperatore rebus præfuturum; attamen omni officiorum genere non secus, ac servum eam pro Domina dehinc quoque habiturum, si modo thesauros Imperatorum reconditos in usum communem sibi manifestaret, nec celaturam se aliquid jurejurando obstringeret. Nicephorum etsi ficta locutum satis animadverteret Irene; ne tamen in extremam ab eo calamitatem detruderetur, de omnibus edocet; id unum cum eo pacta; ut in ædibus Eleutherianis a se exædificatis quiete, quod reliquum erat vitæ, exigere sibi liceret. Nicephorus auro potitus (in reliquo enim vitiorum cumulo avaritia in ejus animo præcipue eminebat) & promissa, & Imperatricem nihili habuit. Ac primum asceterio ab eadem exædificato inclusam tenuit; dein cum se ob gravissimas exactiones invisum Urbi cerneret, nequa populi seditio eandem ad solium reposcere, in Lesbon insulam relegavit; ubi ex animi mœrore non diu post diem extremum Irene clausit; bona Imperatrix, at mater pessima, & digna Imperio, si tam illo carere nosset, quam imperare.

FL.

A) Theophanes p. 319. B) Logotheta Generalis nomine indigitabatur; qui publicis rationibus exigendis præerat, sive ærarii publici Præfectus.

FL. NICEPHORUS LOGOTHETA.



IN rebus hujus Nicephori gestis vix præter scelera, A.C. & infelicitatem vitæ sceleratæ, ut plurimum comitem, 802 quidpiam memoratu dignum invenias. Fuit profecto Copronymo & moribus, & animi habitu, quam simillimus; excepto, quod non pari vesania in imagines, resque sacras insaniret, tametsi Manichæorum sectæ, magicis artibus, & perdito hominum generi, rebus ejusmodi quæstum facienti (Athinganos tunc dicebant, hodie Tziganos, A) vel Tzingaros) insane addictus. Cæterum impudenti libidine, fraudum artificiis, sanguinaria crudelitate, rerum odio sacrarum, vix illo inferior; avaritia inexplebili, & sordibus etiam superior fuit. Ad extorquendum a subditis aurum plurimæ ab eo excogitatæ rationes, quas diffuse Scriptores persequuntur; ut in hoc solo omnes ingenii vires consumpsisse visus sit. Nihil illo in rebus agendis morosius, nihil tectius; vultum in amœnitatem, nisi cum aurum allatum esset, non explicabat; verbo: vir fuit ad evertendam Rempublicam non moribus minus, quam ingenio factus, quam etiam in magnas calamitates, ac perturbationes egit præcipitem.

Inito ut diximus Imperio B) improbum aversatæ hominem Asiaticæ Legiones alium sibi acclamarunt Imperatorem Bardanem, cognomento Turcum, orientalium Ducem copiarum, invitum, raro inter Græcos exemplo, ac reluctantem, C) qui copiis in Asiatico littore ex adverso productis terrorem Urbi, & Nicephoro ostentabat. Verum quo minus majores factio illa vires sumeret, & Bardanis ipsius modestia, & Urbis pro Nicephoro obstinatio fecere. Urbana namque multitudo direptionem, quod sæpe factum alias, ab Asiaticis verita vim armis propulsare parabat. Bardanes autem viri cujusdam solitarii, & virtutis fama clari de futuro eventu sciscitatus sententiam, D) posteaquam didicisset, frustra a se omnes pro adipiscendo Imperio labores susceptum iri, nec sibi a Deo decretum Imperium, sed e numero Satellitum illius Leonem, ac Michaelem olim ex ordine imperaturos, tertium quoque Thomam in spem Imperii venturum, abjecta omni cupiditate clam cum Nicephoro de invisо hoc onere defugiendo agere occœpit, si modo de rerum suarum, vitæque incolumitate cautum sibi ab eodem esset. Nicephorus obicis hujus amoliendi cupidissimus jusjurandum, additis execrationibus, manu sua conscriptum, & a Tarasio, totoque Senatu subscriptum ad Bardanem de iis, quæ petebantur, dedit. Is navigio noctu conscenso ignaris omnibus ad insulam Proten attonso crine monasticum indutus vestitum in asceterium a se

A) Vagum istud genus hominum e Phrygia, & Lycaonia profectum, regnante Nicephoro toto Imperio sparsum esse, post Theophanem, & alios auctor est Zonaras p. 97. ab his pro fluxerint, vagi, hodieque in nonnullis regionibus Tzingari; hinc lingua iis ab Europæis diversa. Hi ab Ægyptiis originem vulgo suam repetunt; quod ab Asia minore in Europam e memoratis jam regionibus, in qua Judæis permisti degebant, transgressi sint, sortilegiis, furtisque infames, & qui pauperiem, sordesque in amoribus habeant, dum sine labore, & cura vitam nobiliter ut ajunt, exigere liceat. B) Trigesima prima Octobris anni supra positi, Theophanes p. 321. C) Theophanes p. 322. D) Cedrenus p. 376. Manasses p. 77.

A.C. 802 quondam exædificatum profugit, Deo illic quietius, & felicius, ut rebatur, militaturus. Verum ſpem hanc ſumma Nicephori improbitas brevi ſubvertit: anno ab ea re vix evoluto, primum quidem facultates, dein etiam oculos homini, alia omnia promerito eripuit, pluribus fraudibus, ac artibus nefariis in eodem hoc ſcelere graſſatus. Lycaonas, quibus plurimum tribuebat, clam ad eam calamitatem Bardanio inferendam conduxit; qui prædonum non cunctanter aſſumpta perſona facinus executi, ingentis in Urbe ob rei atrocitatem indignationis cauſa fuere; non enim latebant Urbem ſubdolæ Principis perjuri artes. Is ut invidiam a ſe facti amoliretur; primum quidem animi ægritudine ob eam rem ſimulata, dies aliquot publico abſtinuit, lachrymis quoque, quas habebat in promptu, dolorem teſtatus; dein acerbas in Provinciæ Lycaoniæ Primores inſtitui juſſit quæſtiones, velut eorum conſilio, & hortatu patratum id foret facinus; nec modicum per eam occaſionem ab iis auri extorſit: ita ad ſcelera ſceleribus innectenda, quibus uni ſibi prodeſſet, Princeps ille ingenio valebat.

804 Porro tumultus ille Aſiaticus capite ſubtracto brevi defluxit; in Duces poſtea factionis ſævitum, multi in carcerem truſi, multis opes ademptæ, & conſuetis ſtipendiis miles in pœnam fraudatus. Ut vero Imperium ſibi, familiæque ſuæ adſtringeret magis Nicephorus, filium Stauracium patre nihilo meliorem corona Imperiali per Taraſium impoſita Auguſtum ſalutavit, prorſus indignum, non qui Orienti, ſed qui cuiquam mortalium præeſſet. Ulturus poſthæc Saracenicas graſſationes in Phrygiam adverſus eosdem duxit exercitum, ſed prælio inito, ut erat in rebus gerendis vecors, & infelix, ab iis ſuperatus, ægre Procerum virtute ſervatus eſt. Direptæ Urbes quædam in Aſia a Barbaris; & factum bene, quod domeſtica in Perſide Arabum diſſidia vires alio diſtraxerint; major enim a Chriſtianis accepta fuiſſet calamitas. Uſus altero poſt anno ea opportunitate Nicephorus, Urbes dirutas reſtaurare, ac vicem Saracenis reponere aggreſſus, exercitum quoque in Syriam prædis agendis, vaſtandæque regioni infudit; qui tamen male mulctatus nihilo Imperatore ſuo fuit fortunatior. A)

806 Externam hanc calamitatem cumulavit jactura domeſtica Taraſii Præſulis, & vitæ ſanctitate, & rerum geſtarum gloria præcellentis; cujus integritas vindicato Cœlitum cultu ſaluti per ea tempora Orienti, & in tanta rerum acerbitate ſolatio fuit. Succeſſorem in Pontificatu habuit Nicephorum, B) qui invitus univerſa pene Urbe eum pertrahente e profano homine (a ſecretis quippe Imperatori fuerat) in throno Sacerdotali collocatus maxima vitæ innocentia reſplenduit. Etſi autem hominis integritas nulli non quam optime foret perſpecta, non defuere tamen, & quidem viri ſanctimoniæ fama præſignes, qui electionem hanc Nicephori pro nulla haberent, inſectarentur acriter, ac demum ab ejus ſeſe conſortio, & communione penitus divellerent; Plato nempe vir Aſcetes, & Theodorus Studiani monaſterii caput, cujus ductu ſeptigenti tum viri eadem in domo Deo militabant. C) Hi primum contendebant, non potuiſſe Nicephorum contra Eccleſiaſticas ſanctiones, contraque conſuetudinem nullo antea in Sacris ordine, continuo ad Pontificatum produci; deinde crimini dabant, quod Nicephorus a rerum ſacrarum communione non repelleret Joſephum illum Abbatem, qui Conſtantini cum Theodote illegitimo connubio e ſacrorum ritu præſto fuiſſet. Cumque diſſidium illud inter viros auctoritatis, & ſanctitatis magnæ diutius obtineret, Imperator vocato in Urbe Patrum aliquot poſt annos Cœtu Platonem cum Theodoro, & adhærentibus in exilium disjecit. Ita viris etiam Deo amiciſſimis ſua non deſunt, ſed opinionum magis, quam animorum diſſidia; & quid mirum, ſi ad animum quoque interdum pertingant? ſic enim homines

A) Hæc poſt Theophanem Zonaras, Cedrenus. B) Idem ille hic eſt Nicephorus, cujus Breviario hiſtorico in ſuperioribus uſi ſumus. C) Theophanes p. 323.

mines ſumus, ut opinione ſæpius, quam veritate ducamur, tum etiam, A.C. cum ab hac nos duci nihil ambigimus; ac ſæpe probis error ipſe pro 806 veritate, & lucro eſt; quippe non tam rem ipſam, quam animi habitum attendit oculus ille, qui omnia pervidet.

Pacatis inter hæc rebus a Saracenorum armis diu non licuit eſſe. Compoſitis in Perſide diſſidiis Aaron eorum Princeps, ſuperiore ferox victoria, cum trecentis propemodum millibus in Aſiam ſe minorem intulit; captæ, ac direptæ Urbes nonnullæ, inter quas loca maximi momenti Herculis caſtrum, Thebaſa, Andraſum; incendia adhæc, vaſtitasque longe, ac late ſparſa. Imperator ſuæ conſcius imbecillitatis his oppido conſternatus, quod ferro non poterat, auro amoliri periculum conatus eſt. Miſſi ultro, citroque Legati tandem in eas ivere pacis conditiones; ut Arabibus quot annis triginta nummum millia Imperatoris, tria inſuper millia filii Stauracii effigie ſignata penderentur; A) nec dirutæ Urbes, ac munimenta deinceps inſtaurarentur. Quibus perfectis cum triumpho Barbarus, velut Imperio Orientis ſub tributum acto ſuam in Syriam abſceſſit. Equidem jactura hæc auri ut ut parum honeſta, ferenda tamen, & optanda præ tot Barbarorum in Provincias graſſationibus erat; verum levitas, & imprudentia Nicephori rem omnem brevi disjecit. Digredientibus ad ſua Arabibus Urbes dirutas continuo reſtaurare aggreſſus in cauſa fuit, quod pacem pro nulla haberet Aaron. Itaque miſſo exercitu, & Thebaſam rurſus ſubvertit, & Cyprum inſulam abſtractis ad alia loca incolis evaſtavit; & denique majora in conſequentes annos mala Chriſtianis eſt minitatus; culpa ſolius Imperatoris, qui nec pactis ſtare noſſet, nec bellum, ut decebat, adminiſtrare ex æquo ferox, & imbellis.

Mirum vero bello hoc ardente Saracenico, alteram quoque in Bul- 807 garos ab eo ſuſceptam expeditionem, velut reparaturo in Europa, quæ in Aſia peſſumdederat; ſed ultra Adrianopolim profectus non eſt, quod initam adverſum ſe conſpirationem detexiſſet; qua detecta occaſio ei oblata fuit ſæviendi in ſuos, non tam morte, & exiliis, quam facultatum direptionibus, quippe civium auro magis, quam ſanguine oblectabatur; id ut auctius corraderet, colonias quoque in Thraciam adventitias ſub idem tempus in ſervitutem redegit.

Major anno conſequente procella Imperio ab Arabibus incubuit, 808 quam non tam Nicephori fortuna, quam barbaries inhumana Aaronis diſſipavit. Rhodo occupata inſulla, & præter unam arcem penitus evaſtata Myram Urbem Divo Nicolao ſacram acceſſerat Aaron, eaque occupata diffringere urnam illius, & contumelia afficere ſacra Divi lipſana tentarat; at vix ad rem aggreſſus fuerat, ingens confeſtim exoriri in mari procella, fulminibus, & fulgetris cœlum micare, horrenda tempeſtate quaſſari claſſis, qua demum disjecta, ingentique clade mulctata, B) cum dedecore ad ſua Barbarus remeavit, anno vix evoluto fatis functus. Cujus filii inter ſe diſcordes, deque aſſerendo Principatu bello diſtenti quietem ab ea parte Chriſtiano Imperio præſtitere; ſed non iis, qui ſparſim per Syriam, locaque Judææ ſacra adhuc morabantur Chriſtianis; eorum enim tumultuum occaſione, & Templa, aſceteriaque iis in locis disjecta, & ipſi plurimis appetiti injuriis in luctu, & ſquallore erant.

Imperator otium a bellis aliquod nactus, in luxuria illud, & ſordibus contrivit, quo ad reponendam Arabibus vicem tam commode uti poterat, ni illum & fortuna, & mens una deſeruiſſent. Stauracio filio conjugem e Græcia Theophanonem dedit, Irenes Imperatricis affinem, contra omne jus, & honeſtum a viro, cui jam ante nupta erat, abſtractam. Nefarias haſce nuptias turpi Imperator ipſe libidine, idque quod pudor fari vetat, in adſtantium quoque conſpectu infames, ac probroſas magis reddidit. Non tulere æquis oculis tantam ad nequitiam exem-

A) Pro Imperatoris, & Stauracii filii capite nominatim tria millia ſibi pendi voluiſſe Barbarum, majoris contumeliæ cauſa auctor eſt Cedrenus p. 377. B) Theophanes p. 324.

A.C. plo Principis aperiri feneſtram plerique Procerum; itaque ad deturbandum monſtrum illud, aliumque Arſaberem dictum de Patriciis unum, literarum, probitatisque laude inſignem eidem ſufficiendum curas clam intenderunt; verum in conatu ipſo deprehenſi viri principes, nec pauci ſacris in Eccleſia dignitatibus clari, verberibus, exiliis, bonorum direptione fœde habiti, Arſabere ipſo in monaſterium truſo, didicerunt viris peſſimis facilius dari in manus Imperium, quam eripi; nec tam facile corrigi, quod in hoc genere peccatum eſt.

809 Quietem hanc a bello Crumus cum Bulgaris ſuis interpellavit: miſſi Duces, qui vocatis e Thracia militibus ſtipendia ab Urbe allata numerarent, rem incautius, ac improſpere geſſerunt. Subodorati enim Bulgari locum, ac tempus, quo pecunia hæc in militem foret eroganda, improviſo occultis eo perlati itineribus impetum faciunt, nec modo auro omni, quod allatum fuerat, verum etiam ſarcinis, ac impedimentis milites juxta, & Duces, nonnullos etiam vita exuunt. Ea præda nondum expletus Crumus, Sardicam Urbem armatus occupavit, millibus Chriſtianorum ſex in ea interfectis. His ad eum modum patratis neceſſe habuit Imperator in Bulgaros exercitum ducere; quæ tamen expeditio non hoſtium cæde, illos enim neque conſpexerat, ſed Imperatoris fraudibus, perjuriis, ac domeſtica rerum perturbatione memorabilis exſtitit. In fines Bulgariæ delatus data ad Urbem ſacra, ut vocabant, epiſtola mentitus eſt, ſe regionem hoſtium evaſtaſſe, Crumi occupaſſe Regiam, damna illata abunde hoſti remenſum eſſe, ac Sardicam quoque fuiſſe ab eo inſtaurandam, ni aliter exercitui viſum foret. Hæc tanta Principis impudentia per exercitum vulgata magnæ in milite commotionis cauſa extitit. Indignari primum ludibrio habitos ſe in Urbe; mendaciis tegi ſocordiam Imperatoris, ac niſi remedium adferant, perituram ab ea Rempublicam. Dein in tentoria Ducum milites involant, execrantur magnis vociferationibus Nicephori auſpicia, eundemque ad cædem aperte depoſcunt. Comperta Imperator ſeditione ultro cum Procerum manu tumultuantibus fit obvius, pollicetur: ſi furorem ponant, omnia quæcunque velint impetraturos; emendaturum dehinc, ſiquid in eos deliquiſſet. Sive Imperatoria majeſtate compreſſa fuerit militaris audacia, ſeu promiſſorum amplitudine mitigata, brevi ſic plerisque animi defluxere, ut veniam delicti, & furoris ſubitanei a Nicephoro ſupplices expoſcerent. Is Primoribus militum per noctem pecuniaria largitione in partem ſuam pertractis, die altero, poſteaquam jurejurando exercitui ſemet de iis, quæ poſcebantur, obſtrinxiſſet, ſubito in Urbem incolumis abſceſſit, dato Ducibus negotio, ut diſtractis jam inter ſe militum animis de auctoribus interea ſeditionis cognoſcerent. Redux vero in Urbem, ubi de idoneis ſibi in futurum præſidiis proſpexiſſet, exercitum illum ſimulatione ſtipendiorum largiendorum in Urbem accitum peſſime habuit, bonorum rapina, exiliis, plagisque impoſitis in plerosque nulla promiſſorum, aut jurisjurandi habita ratione perbacchatus. A)

810 In militarem ordinem deinceps quoque injuſtum ſe, & crudelem Imperator ille præbuit; eos enim, qui per themata Aſiatica ſparſi erant, plerosque migrare in Sclavoniam habitatum, neſcio quo uſus fuco, compulit; vera cauſa erat, ut e fundis relictis, B) & rebus, quas auferre nequibant, quæſtum faceret; mirum enim quam ad ſubditos facultatibus emungendos, ac vexandos ingenio præſtiterit. Lepidum eſt ejus hac in re factum, paſſim relatum a Scriptoribus: fama in Urbe diſtulerat civium quempiam cereis factitandis non contemnendam ſibi paraſſe auri ſummam; hunc ad ſe accerſitum rogat, ut manu capiti Imperatorio appoſita ediceret, quantum ſibi auri eſſet; civis reverentia ductus, ne manum Principi injiceret, haud cunctanter centum ſe auri libras poſſidere edixit. Quid tibi inquiebat Imperator privato cum pecuniaria iſthac ſolicitudine? pran-

A) Hæc paſſim auctores ſupra citati. B) Cedrenus p. 378.

prande mecum, & acceptis tibi centum nummis aurum mihi ſinito. A.C.
Ita miſer ille tot annorum labore fraudatus, nonaginta auri libris Impe- 810
ratorium prandium mercari eſt coactus. Solenne illi fuit egentiorum criminationibus ad ditiorum ſubvertendas uti facultates, veteres dominos ædibus ſubito proturbare, ſervos ad accuſandos heros ſubornare, omnia prorſus ſacra, & profana corradendæ pecuniæ miſcere; A) quarum tamen fructus in Republica nullus appareret. Neque enim profanos modo homines nefariis hiſce artibus divexabat: aſceteria, locaque omnia ſacra ad penſitationem pecuniariam adacta, quin in hos majore, quam in alios odio ardebat, tanta morum ab iis diſſimilitudine disjunctus. Itaque Ductoribus militum poteſtatem largitus eſt; ut Eccleſiarum, ac monaſteriorum bonis non ſecus, quam publicis in uſus militares fruerentur, in iis hoſpitarentur pro libitu, B) nec aliter homines illos, quam mancipia tractarent; quibus rebus detexit liquido in Deum, resque ſacras, quem animum haberet. De hac morum pravitate licentius aliquando ab amicorum quopiam admonitus reſpondit: ſibi ceu quondam Pharaoni cor jam obduruiſſe, nec a ſe expectari aliquid poſſe ab iis, quæ patraret, diverſum. C) Uſque adeo videns, ac volens, in hæc ſcelera præceps ibat. Nullum erat genus hominum, quod perniciem Nicephoro non cuperet. Sed tamen fraudibus, ac perjuriis omnium odia, & conatus vitæ ſuæ infeſtos eludebat; at non eluſit demum extentam in ſacrilegos Dei manum, quæ hominem cum magna Reipublicæ ruina, multorumque, quod ſolum dolori fuit, interitu proſtravit.

Ulturus Crumi in ſe facinora, & clades ſuperius memoratas in Bul- 811
gariam profectionem cum exercitu ſuſceperat ſane magno; quem non e Thracia modo, verum e vicinis etiam Provinciis contraxerat; privatis quoque, & agreſtibus ad militandum compulſis, etſi tam ab armis, quam ab animo ad rem militarem peſſime forent comparati. Ea occaſione diriſſimis pecuniarum exactionibus nulli non hominum generi extitit, quam odioſiſſimus; ut omnes ad malam crucem eam abire hirudinem percuperent. Ingreſſus fines Bulgariæ Junio menſe & præliis aliquot minutioribus ſuperior effectus magnam Crumo, Bulgarisque trepidationem injecit; ut is deſerta Regia, ac rebus, fuga, latebrisque vitam protegere cum ſuis cogeretur. Nicephorus hoc rerum ſucceſſu ad explendam uſus avaritiam totus fuit in præda congerenda, & militum direptioni præripienda, ut & aulam Crumi ſigillis muniret, & quæ corraſerant milites, ærario addiceret. In Bulgaros porro tanta ejus fuit crudelitas, ut nec innoxiæ ætati parcitum vellet. Crumus in eas dejectus anguſtias miſſis Legatis pacem ſupplex expoſcit; dediſſe jam pœnas damnorum Imperio illatorum, debellatum ſe, ac victum, quibus vellet conditionibus fœdera initurum; nec ſe pro rebus, opibusque ſervandis orare, ſumeret ſibi Imperator quæcunque vellet, ab excidio ſolum univerſæ Gentis abſtineret. Nihil his commotus Nicephorus, cum ignominia faceſſere Legatos jubet; uſque eum fortunæ blandientis dulcedo ferocem effecerat. Crumus ex deſperatione animos ſumit, omnes montium, intra quos ſe infuderat Imperator, anguſtias materia, & armatis hominibus præſtruit; ipſe vero quanta maxima potuit collecta manu in hoſtem ducit. Ea cum geri Nicephorus per ſuos accepiſſet, tanto correptus eſt metu, ut jam tum conclamatum de ſe, exercituque judicaret; neque tamen ut rerum erat inexpertus, ad periculum illud defugiendum rationem aliquam iniit. Die igitur viceſimo quinto Junii menſis Crumus cum ſuis ſub crepuſculum matutinum aggreſſus exercitum, jam antea cum meticuloſo

Duce

A) Inter reliquos extorquendæ pecuniæ modos fuit ἀλληλέγγυον, quo æqualiter juxta in pauperes, & divites penſitatio pecuniaria imponebatur; & ſi pauperi facultas exolvendi defuiſſet, vicinus ditior ſupplebat. Item τῦ καπνικῦ ἐπίθεσις, in ſingulos caminos certa penſitatio. Zonaras p. 97. B) Cedrenus p. 379. C) Theophanes hæc ſe ex ipſo Theodoſio, cui talia Imperator narrarit, didiciſſe teſtatur, p. 329.

A.C. 811 Duce pene metu exanimatum, A) ac undique circumcluſum ingenti clade ſternit, Nicephoro ipſi caput reſecat, florem Orientalis Imperii concidit; pleraque enim Nobilitas Imperatorem ſecuta erat, ac maximam militum multitudinem B) incenſis caſtorum vallis a fuga præpeditam ferro haurit; ut adeo pauci ex omni eo numero per montium juga difficillima acti fuga ſalutem invenirent. In his fuit Stauracius tametſi & ipſe graviter ſaucius; qui ægre delatus Adrianopolim, illic a Stephano militari in aula Præfecto Imperator eſt ſalutatus, tametſi obſtarent alii, ac Michaelem Curopalatem, C) cui filia Nicephori in matrimonio erat, ad Imperium capeſſendum hortarentur. Verum is modeſte honorem recuſavit Religione, ne id faceret, prohiberi ſe teſtatus; jusjurandum enim Stauracio, & patri jam antea dederat, iis viventibus non recepturum in ſe Imperium. At Bulgarus victoria, & tot ſpoliis lætus reſectum Nicephori cranium auro includi, ac poculi in formam aptari fecit, quo in Principum Sclavicorum conviviis dehinc uteretur. Tanta, tamque inexpectata clades magno Urbem Byzantinam mœrore confudit, quem ſolus Nicephori interitus aliquantiſper mitigabat; certe vel cum eo rerum diſpendio detrudi ab adminiſtrando Imperio portentum illud expedire viſum eſt, quod annis octo, ac menſibus totidem, cum diebus aliquot deſtruxit magis, quam rexit. D)

Stauracius in Urbem redux pejus in dies ex vulnere habuit, ut actum de ſalute illius plerisque videretur; ipſe tamen ſpem vitæ, Imperiique minime abjecit, nec a Nicephoro Patriarcha, ut injuſte per patrem erepta reſtitueret, adduci valuit, futurus paternæ impietatis æmulus, ſi vitam protrahere licuiſſet. Verum cum vis mali artem eluderet medicam, hærebat incertus rerum quid ageret, cui Rempublicam committeret; ac modo quidem in conjugem Theophanonem rei ſummam poſt ſe transferre, modo vero in populum ipſum meditabatur: nunc iterum ſpe reſumpta alia omnia, quam mortem cogitabat; adeo vitæ, & Imperii cupiditas in omnem partem miſerum jactabant; quin Michaelem illum Curopalatam, in quem vota militum inclinaſſe non erat neſcius, oculis orbare decreverat, ne quid in ſe Urbis, & militum favore ſuccinctus ſiniſtri auderet. Verum Stephanus, quo cum id negotii contulerat, re cum Michaele, & Urbis Primoribus, ac reliquiis militaribus communicata, perfecit denique, ut Michael a milite, populo, & Senatu Imperator acclamaretur. E) Audita re Stauracius attonſis ſubito crinibus die primo Octobris monaſticum induit habitum, die vero undecimo Januarii vita ceſſit, ut adeo non niſi menſes duos, ac dies aliquot Imperio præfuerit.

FL.

A) Zonaras p. 98. omnibus ſine excubiis in exercitu Nicephori dormientibus Crumum caſtra aggreſſum ait: ſed mirum in iis anguſtiis ſomnum eos tam profundum capere potuiſſe; contrarium habet Theophanes. B) Infinitam a Bulgaris multitudinem eſſe conciſam ait Cedrenus p. 380. C) Curopalates nomen dignitatis, & officii eſt, non proprium, vocabulum ex Latino deflexum; ſignificabat eum, qui palatii cuſtodiæ præpoſitus eſſet; iisque viris, qui φίλακες τῦ παλατίϊ vel σωματοφίλακες audiebant. D) Zonaras annos novem attribuit Imperio Nicephori, parum in his putandis accuratus. E) Theophanes pag. 331.

FL. MICHAEL CUROPALATA.



Michael ab Avo cognominatus Rhangabe mores toto cœlo a deceſſoribus ſuis diverſos prætulit; manſuetus in ſubjectos, in ſupplices miſericors, in egenos liberalis, in omne genus hominum munificentiſſimus, ut ſordidam Nicephori avaritiam eluere quodammodo, & afflictas ab ea Provincias; Urbemque deſtinato conſilio recreare velle videretur. Idcirco & ampla Eccleſiis donaria, & monaſteriis reditus, & relictis militum conjugibus levamen non modicum addixit; remiſit vectigalia, novam veluti rebus faciem invexit, ut nihil ejus imperio fuiſſet optatius; ſi modo in rebus bello adminiſtrandis majore animi fortitudine viguiſſet. Eum non prius Imperialibus ornamentis exornavit Patriarcha Nicephorus, A) quam ſcripto pollicitus eſſet, ſervaturum ſe rectam fidem, nec Eccleſiæ, & populo nociturum; verum ſponte, quod ajunt, currentem ſua ad hæc incitare nihil opus fuit. A.C. 811

Etenim quo eſſet in veram Religionem animo, multis continuo indiciis in apertum tulit: nam & Theodorum Studiani aſceterii Præfectum, Platonemque in carcere ad hoc tempus detentos, abolitis diſſenſionibus in gratiam cum Nicephoro Præſule repoſuit; B) & peſtilens illud genus hominum Athinganos, Paulicianosque ſortilegiis, ac veneficiis vulgo illudere aſſuetos, qua exilio, qua vero capite damnavit; & repullulantem adverſus Divorum imagines veſaniam ſevere: repreſſit, ut nihil illi Patrum Religione, & ſanctitate videretur antiquius. Qua uſus occaſione Nicephorus ad Romanum Pontificem Synodicas, id eſt: ſuæ cum eo concordiæ teſtes de more literas dedit, quod facere importunitate Imperatoris Nicephori, ad hoc temporis erat prohibitus.

Porro in Republica adminiſtranda non perinde laudem tulit Michael: quod leni, placidoque ingenio a bellicis rebus abhorreret, deſes, ac timidus, & minime turbulentiſſimo illi rerum ſtatui, circumſtrepentibus undique armis accommodatus; quodve e nutu Procopiæ uxoris fœminæ arrogantis, & dominandi avidæ totus penderet, C) illaque tam Rempublicam, quam maritum haberet in poteſtate; quæ res Urbi, ſed cumprimis ordini militari inviſa extitit: Ac primo quidem Imperii anno res adverſæ proſperis utcunque fuere permixtæ. Legatione ad Carolum miſſa pacis cum eo tractatum jam a Nicephoro affectum perfecit Michael; tametſi non conſtet, quibus hoc fœdus capitibus fuerit conſtitutum; D) crediderim tamen Siciliæ, & Calabriæ, quæ utcunque adhuc Orientis Imperio adhæreſcebant, per illud fuiſſe conſultum. Theophilacto quoque filio filiam Caroli in conjugem ab eo petitam ferunt; ſed calamitas, quæ brevi poſt Michaelis familiam oppreſſit, hæc quoque conſilia tam ſalubria disjecerit. Contra Arabes quoque Aſiæ minoris populatores res bene a Leone Armenio Duce eſt adminiſtrata, iis prælio ſuperatis, ac bis 812

A) Zonaras p. 99. B) Theophanes p. 333. C) Auctor incertus p. 340. D) Theophanes pag. 333.

A.C. mille ferro conciſis; quæ victoria in iis rerum anguſtiis a Leone relata
812 illuſtre ei nomen peperit; fuitque gradus, quo ad Imperium dein occupandum eluctaretur. Denique conſpiratio Iconomachorum, qui ſtirpem Copronymi adhuc in exilio ſuperſtitem, etſi cœcitate, & luctu ſqualli-dam in paternum provehere thronum ſatagebant, tempori detecta, & punita, Michaeli Imperium affirmare viſa eſt. A)

Verum eodem tempore victricia Bulgarorum arma capta Debelto Urbe in Thracia Michaelem in magnas mentis anguſtias conjecere; quibuscum pacem quamprimum, æquis, iniquis conditionibus componere ſatagebat; ſed obſtabant Crumi poſtulata effectu ardua; nam ad alia Imperio parum decora, quæ tamen neceſſitate ferenda erant, petebat, uti perfugæ omnes a Bulgaris ad Chriſtianos, itemque Chriſtiani e captivitate profugi ſibi redhiberentur. Qua ſuper re acris exorta eſt in aulâ diſceptatio; aliis cum Patriarcha cenſentibus, mali majoris ab omnium cervicibus averuncandi gratia paucos illos citra piaculum dedi Barbaris poſſe; aliis contra cum Theodoro Studita obnitentibus, id ſine ſcelere, & dedecore Chriſtiani nominis admitti non poſſe; quam in partem cum major quoque Senatus pars conceſſiſſet, pax a religioſiſſimo Imperatore fuit repudiata. Eo facto irritatus Crumus Meſembriam Urbem ad mare opportunam, portu, rebusque inſtructiſſimam armatus occupavit, vicina circum loca depopulatus. In Oriente quoque ea ætas Chriſtianorum rebus perquam erat inimica, quod Saraceni diſcordiis fœdum in modum inter ſe divulſi, ac in plures minores Principatus diſſecti infinitis Chriſtianos incolas malis peſſumdederint; ut multi Religionis gratia vitam glorioſe profunderent, alii ſolum vertere, & in ditiones Imperatoris commigrare neceſſum haberent; in quos ille licet in tantis rerum anguſtiis poſitus ſinus omnes liberalitatis profudit, dignus, qui ævo pacatiore, ingeniisque minus turbulentis, & regi patientibus imperaret.

813 Crumus rejecta, quam rurſus iis conditionibus obtulerat, pace, porro gerendo bello ſtrenuus incumbit, exercitu menſe Februario in Thraciam producto. Crediderim hyemis intemperie factum magis, quam virtute hoſtium, quod multis ſuorum amiſſis, reque infecta ad ſua remigrarit; namque adverſus eum Michael quoque eduxerat copias, ac nihil inter eos prælii commiſſum lego, ovantem tamen in Urbem rediiſſe Michaelem, quod utcunque diſcrimen a cervicibus depulſum foret.

Verum lætitia hæc non longi temporis fuit: vix bini menſes evoluti, fama perlatum eſt, Crumum rurſus in armis eſſe, ac Thraciæ univerſæ, Byzantioque excidium minitari; adverſum hujus molimina productis ab Aſia minore Legionibus, aliisque undelibet accitis profectionem ipſemet ſuſcipit Imperator comitante eum uxore Procopia B) non citra indignationem militum, Imperatoris mollitiem ſugillantium, qui tractari ſe a fœmina, resque ſuas ſineret; nam & allocuta fuerat Primores exercitus in Urbem reditura, eorum virtuti commendans mariti ſalutem, & ut eum ſibi ſervarent incolumem multum iisdem auri largita; non ſecus, quam ſi tenellum eorum fidei filium, non maritum, & Imperatorem haberet concreditum. Inſtituta hæc profectio Maji menſis principio fuerat; at imprudentia Imperatoris, ac quorum is utebatur conſilio, factum, quod nullo emolumento, ne Meſembria quidem repetita, otioſe per Thraciam maximo incolarum incommodo exercitus oberraret. Altero demum, & viceſimo Junii die poſtquam infeſti inter ſe exercitus non longe Adrianopoli conſtitiſſent, ventum ad manus eſt, resque a Chriſtianis geſta turpiſſime. De modo pugnæ infelicis inter Scriptores non convenit. Theophanes C) auctor eſt, jam ante opportuna pugnæ copia præbita Leonem Orientalium, & Aplacen Macedoniæ, Duces aggredi hoſtem voluiſſe; verum ab Imperatore timidis ſuorum conſiliis perturbato prohibitos; jam vero cum prope Adrianopolim conſiſterent acies, vix

A) Idem Theophanes p. 334. B) Auctor incertus p. 340. C) P. 337.

vix manu conſerta, plerosque confuſam in fugam proruiſſe, ut adeo Cru- A.C.
mus rei inſolentia attonitus, fraudemque ſubveritus, ab inſequendo pri- 813
mum abſtinuerit, non niſi effuſe jam diffugientes acriter cum ſuis conſectatus. Auctor incertus res Michaelis, ac poſt eum Leonis geſtas breviter proſecutus refert, A) quindecim ipſos dies utrumque exercitum in ordinibus conſtitiſſe, quod neutris ad faciendum pugnæ initium animi ſatis foret. Demum Aplacen mora victum obtenta pugnæ venia fortiter cum ſuis in hoſtem invectum, ſed ab aliis, quo neſcio metu correptis deſertum interiiſſe; tam vero effuſe fugitaſſe Imperatorios, ut in ſe mutuo incurrerent, ac protererent; equosque fugæ labore nimio plerique amitterent. Cedrenus, B) ac Zonaras C) contra cladem hanc in Leonis Armenii prævaricationem conjiciunt, qui ſe pugnæ cum ſuis ſubduxerit, tametſi victis jam propemodum Bulgaris, ut Michaelem ea cladis ignominia notatum, ac jam ante militi inviſum facilius ſolio protruderet. Verum in Leonem hunc ob Religionem dire poſtea exagitatam, cum multæ ſint conjectæ criminationes, credibile eſt, odio magis hominis, quam ex vero hanc quoque perfidiæ notam eſſe impactam, & a poſterioribus hiſce Scriptoribus avide exceptam. Certe primus ſi fugam arripuiſſet Leo, nec ut ſuperſtes tum Theophanes refert, ei poſt pugnam, ceu viro magis ſtrenuo reſignare Imperium voluiſſet Michael, nec Legiones ad rem virtute illius reſtituendam Imperatorem illum optaſſent, invitum licet, & Michaeli juratam ſemel fidem ſervare paratum, D) niſi forte hæc omnia ſimulate, ut erat fallendi peritus, & verſute ab eo facta, cum poſterioribus contendas.

Igitur fœda hac accepta clade, poſteaquam Michael fruſtra hortatus eſſet Leonem, ut Imperium pro ſe arriperet, reliquias militares curæ illius concredidit, ut qua liceret, hoſtis Barbari, & victoris refringeret rabiem. Verum ille per Thraciam impune graſſatus eſt, quod Legiones Michaelis execratæ auſpicia in Leone eidem ſurrogando occupatæ eſſent, eumque Auguſtum appellatum in ſolio collocaturi Conſtantinopolim ducerent. Ferunt recuſaſſe munus diu Leonem, & ſtricto ferro a Michaele Balbo, Legionis tum cujusdam Tribuno, ut reciperet adactum, quæ tamen omnia ficte, & ex condicto geſta ſint. E) Michael audita militum in ſe ſeditione ultro ipſe de reſignando egit Imperio, obnitente licet Procopia feroci muliere, multisque, ut armatus jus protegeret ſuum, ſuadentibus. Sed is a Chriſtiano in ea præſertim rerum acerbitate fundendo ſanguine alieniſſimus, miſſis ultro ad Leonem Imperialibus ornamentis, in oratorium in foro poſitum ſecuritatis gratia cum ſuis refugit, atque ita Leo nemine reſiſtente in Urbem, & aulam perductus Imperium capeſſivit; unaque, quam fœcundum fraudibus, & ſceleribus haberet pectus, copiam nactus patefecit, etſi in Republica adminiſtranda non omnino infelix. In Michaelem præprimis, ejusque familiam ingratum ſe, & atrocem præbuit: eo enim in monaſticam, egentemque vitam truſo filios quoque Theophilactum, & Nicetam, qui Ignatius expoſt dictus, Patriarcha Urbis fuit, eadem ſorte damnavit virilibus etiam, ne quando ſibi periculi quidpiam crearent, exſectis. Ita vicem remenſus eſt Leo collati quondam in ſe beneficii; quippe Leonem hunc in exilium a Nicephoro Imperatore pulſum Michael cum primum rerum ſumma potitus erat, in Urbem revocatum priſtinæ dignitati reſtituerat. F) Hæc tamen miti, invictoque animo Michael perpeſſus, & e manu Dei lubentem ſe accipere profeſſus, poſtquam anno uno, decemque menſibus Imperator fuiſſet, reliquum vitæ in aſceterio tranquillus egit. G)

A) P. 341. B) P. 382. C) P. 127. D) Theophanes p. 337. E) Cedrenus p. 382. F) Auctor incertus p. 370. Ejectus in exilium fuerat Leo a Nicephoro, quod auro ſpoliatus per Saracenos fuiſſet, quod is exercitui adferebat. G) Cum Michaele deſinit Chronographia Theophanis. Juſſu deinde Conſtantini Porphyrogeniti quidam absque nomine ſequentium aliquot Imperatorum res geſtas diffuſe contexuit; continuator Theophanis propterea dictus; cui utpote iis temporibus proximo, & a quo reliqui ſua deprompſerint potiſſimum, quam aliis plus fidei habebimus; ſed hactenus, qua ſincerus eſt, non quatenus Baſilio, vel potius ejus Nepoti Conſtantino adulatur.

FL. LEO ARMENUS.



A. C. 813 IMperialibus ornamentis a Præſule Nicephoro undecimo Julii die inſignitus Leo, dato prius de recta Religione conſervanda chirographo A) (etſi non deſint, qui tergiverſando eluſam ab eo Nicephori petitionem velint) B) ad Rempublicam ab ingruente pernicie tegendam animum contulit. Crumus enim ſuperiore ferox victoria Urbem verſus gradum cum exercitu Thraciæ rapina onuſto celerabat, nec diu poſt magna civium trepidatione extrema omnia verentium pro muris conſtitit; ratus, Urbem pavore conſternatam ſubitaneo facile in manus venturam. Leo inter hæc nequidquam conterritus, viribus enim tam corporis, quam animi egregie valebat; diſcurſare ipſe per muros civitatis, machinas ad vim propulſandam idoneas explicare, alacritate ea, & verbis civibus animos addere; utque deſperationem capiendæ Urbis Barbaro injiceret, univerſam Urbanam multitudiuem armis, pulchroque ordine digeſtam in muris oſtentare. C) Et reipſa hac exercitus infeſti ſpecie commotus Crumus, cum machinis quoque ad vim faciendam opportunis careret, viſo fruſtra a ſe laborem illum ſuſceptum, de pace appellari ſe a Leone paſſus eſt. At Leo in eo pacis tractatu vulpem induit, D) Crumum enim cupiens perdere, cujus potiſſimum virtute, & ſolertia niti rem Bulgaricam bene norat, fraudem in hunc modum commentus eſt: Crumum ad conſtitutum diem, & horam in locum ſuburbanum a muris, & mari non diſſitum in colloquium accerſit; navigio ex Urbe Primores miſſum iri, quibus cum pacis fœdera utrinque ſancirentur. Interea in domibus ei loco vicinis bis mille armatos recondit, qui dato ſigno in eum, comitesque irruerent; ſed fabula perduci ad exitum non valuit; Bulgarus equo ad locum condictum delatus, ac delapſus in colloquium, viſo, quod e muris a quopiam turbatius datum eſt ad erumpendum, ſigno, animadverſoque diſcrimine, equo conſcenſo, etſi vulneribus appetitus, incolumis tamen abſceſſit, comites in manus venerunt. Græca iſthac perfidia in rabiem actus Crumus, quidquid extra Urbem ædificiorum erat, erant vero & ampla, & magnifica, incendio demolitus, vaſtata longe, lateque Thracia, ac Selybria, Radeſto, Athyra Urbibus everſis, a nemine vim abſtinuit, ad perurgendam Adrianopolis obſidionem, quam frater acriter jam premebat, regreſſus. Ea Urbs poſt Byzantium ampliſſima deſperatis jam ſubſidiis a civibus Barbaro eſt dedita; ii omnes in Bulgariam abducti, opibus, magnificentiaque ſua victores locupletarunt.

814 Bulgari victoria tam luculenta, prædisque haud expleti, iterata procurſione Thraciam infeſtant, capiunt Arcadiopolim, millia hominum quinquaginta in ſervitutem rapiunt, vires Leonis, & Græcorum ludibrio habent;

A) Incertus Auctor p. 342. B) Symeon Logotheta p. 302. Georgius Monachus p. 374. C) Leo Grammaticus p. 355. D) Auctor incertus p. 344.

habent; cumque in regreſſu cum ea captivorum turba, ſubita fluminum exundatione, & locorum anguſtiis intercluſi cædi paterent, tunc Imperatore nihilominus, aliis diſtento curis, ad ſua incolumes abſcedunt. Is enim ordinandæ Urbi, & Symbatio filio corona inſigniendo, copiisque novis contrahendis tum dabat operam, non vero quod quidam objectant A) Reipublicæ neglectu, ac ſuorum contemptu, a vi reprimenda abſtinuit. Namque & ingenti operarum coacta multitudine Urbem, qua terra adiri poteſt, & qua ſingularis erat murus, foſſa profunda, novoque muro communiit; B) & cum fama ferret, Crumum cum maxima multitudine rurſus adpropinguare, exercitu contracto obviam proceſſit, ut ſtrenui, experientisque in ea rerum difficultate Ducis partes amuſſim expleſſe videri poſſit. C) A. C. 814

815 Bulgaros tot jam victoriis feroces hoſtium contemptus, & præfidentia perdidit; ea enim re prudenter animadverſa Leo, cum hoſtes jam magis, magisque adpropinguarent, repente ſub veſperum in collem quempiam præcipiti ſe fuga proripit; D) rati Bulgari, conſueta ſocordia, metuque hoſtem profugiſſe, in caſtorum reliquias incurrunt, ac diſpalati huc, illucque rapiendis prædis inhiant; contra quos Leo inſtructa progreſſus acie, ac magna vi invectus nobilem reportavit victoriam, plurimis Bulgarorum cæſis, ipſoque eorum Principe Crumo ſagittæ ictu proſtrato; qui E) ex eo demum vulnere in patriam relatus magno Byzantinorum gaudio interiit, quos plurimis per omnem vitam detrimentis affecerat. Per eam victoriam, & Thracia depulſis Barbaris Imperio reddita, & pace in triginta annos cum Bulgaris ſancita, quieti ab ea parte proſpectum. Leo his geſtis cum triumpho Urbem ingreſſus eſt, & collis, in quem ſe ſubduxerat in victoriæ argumentum Leonis F) poſthac appellatione inſignitus. Non deſunt tamen, qui bellici hujus facinoris laudem Leoni detrahant, ac Crumum non bello ſauciatum, verum occulta Dei vindicta ſanguine ab ore, & naribus profluo præfocatum tradant; G) mendacii inſuper arceſſant Leonem, qui Provinciis per literas ſignificarit interfectum a ſe Bulgarum. Sic tamen exiſtimo ex juſto, quo poſtea Scriptores hi in Leonem Cœlitum hoſtem flagrarunt, odio magis, quam a veritate criminationem ejusmodi profectam, nihil enim hujusmodi de Leone vetuſtiores. H)

Hac Leonis ſolertia, & fortitudine felicem ſe putabat Reſpublica, re vero ipſa infelix fuit; is enim rerum a ſe geſtarum gloria elatus, ut qui Imperio pene amiſſo opitulatus eſſet, adſtricta ſibi militum benevolentia neminem jam reveritus ſummo uti jure, omniaque arbitratu ſuo miſcere cæpit. Nam præterquam quod ſeveriſſimus eſſet legum vindex, parvaque cum magnis delicta atroci, & æquali pœnæ ſubjiceret, litibus quoque inter Primores ſerendis, iisque per ſemet dijudicandis dabat operam; quibus plurimi patria, honore, fortunisque exuti, & ærarium Principis auctum. Quamquam fatendum eſt: defluos Urbis mores ſevero ejusmodi correctore opus tum habuiſſe; nec parum hæc ſeveritas profuiſſet Imperio, ſi modo eam in ſuos exercendo Leo publicam magis, quam rem privatam egiſſet.

At ferenda hæc utcunque in viro ingenio feroci, & præduro, hominibusque leviſſimis imperante fuerunt; ea vero, quæ poſthac in ſinceram Religionem flagitia conſcivit, quis ſatis percenſeat, aut digne deteſtetur? certe in ea exagitanda Leoni Iſaurico, aut Copronymo parum, vel nihil conceſſit: quin a bellis vacuus omnes animi vires, ac fraudum artificia in unum illud opus contuliſſe viſus. Eum tali quondam animo in res ſacras fore præcepit jam tum Patriarcha Nicephorus cum tænia Imperiali ejus caput redimiret, I) viſus ſibi videre illud ſpinis horrens;

A) Auctor incertus p. 344. B) Symeon Logotheta p. 308. C) Continuator p. 14. D) Cedrenus p. 384. E) Zonaras p. 101. F) Continuator p. 12. G) Symeon p. 309. Auctor incertus p. 345. H) Continuator. Leo Grammaticus. I) Cedrenus p. 386.

A.C. fœtum nempe jam tum erat nefariis caput illud deſignationibus, quibus Religionem Patrum convulſum iret; ſed diſſimulavit interea animum, publice imagines reveritus, quoad idoneum meditatis exequendis tempus nanciſceretur. Pace vero plena potitus vocatis ejusdem ſecum dementiæ viliſſimis homuncionibus, Joanne quodam Grammatico, Theodoto, & Conſtantino Syllæi Epiſcopo, aliisque id genus, exagitandæ imaginum cauſæ initium dedit; unde vero in eum furorem actus ſit, cauſa non una profertur.

816 Non dubium eſt, jam inde a Leonis Iſaurici temporibus, etſi per alterum Nicænum Concilium compreſſa fuerit Iconomachorum hæreſis, complures tamen eadem in ſententia, & odio imaginum perduraſſe, magnis ſæpe convitiis in Orthodoxos, ceu idolorum cultores invehi, omniaque tam belli, quam famis mala in vindictam irati Numinis ob reverentiam lignis, ac lapidibus tributam referre ſolitos; A) ac forte horum de numero, etſi tectius, fuerit Leo: ex iis certe, qui ita ſentiebant, non pauci gratia apud illum valuerunt, circumſtabant aſſidue, imaginum cultum inſectabantur; eoque demum perpulere miſerum, ut putaret mala graviſſima, quibus Oriens peſſumibat, uno hoc velut a fonte profluere, omniaque continuo cum imaginum veneratione ſublatum iri.

Altera erat cauſa ſolitariorum quorundam, qui falſa ſanctitatis opinione clarebant, projecta ad audendum, & fallendum nequitia. Ferunt B) in Philomeliis Aſceten quempiam, jam olim privato Leoni Imperium prædixiſſe, quo ille potitus nuncios ad eum allegarit, acturos gratiam, & relaturos; verum hominem non amplius in vivis repertum, ſed alium ejus loco prioris diſcipulum Sabbatium, hominem nequam, qui arroganti ſupercilio Leoni denunciarit, periturum brevi, ut alios ante illum Imperatores, ni continuo idolis (ita imagines appellitabat) bellum pro virili inferat. Fuiſſe & alium ejusmodi non longe ab Urbe impoſtorem, cujus de ea re mentem ſuaſu Theodoti Imperator ipſe, ſed tectus tenebris, & perſona diſſimulata explorare parabat. Præcucurrit clam fraudum architectus Theodotus; docet adfuturum conſtituta noctis hora Imperatorem, imagines bello laceſſere jam certum; caveret, ne pro iis quidpiam ediſſerat, periturum ni contrarium ſuadeat: adventantem noctu Leonem, ac Imperatoris nomine a ſolitario appellatum obſtupuiſſe, Divinum quid in homine ſuſpicientem, ac ejus denique hortatu in eam improbitatem pertractum.

Ne vero ipſo ſtatim principio ingens aliqua commotio in Urbe periculum crearet, ſi palam in Cœlites inſurgeret Leo, ut erat fallendi peritus, angi ſe animo, & turbari præfert, C) quod in ea ſententia diſtracti eſſent civium animi, multique pro imaginum cauſa depugnarent; contra obnitentibus aliis, velle ſe proinde excuſſis Patrum antiquorum, & ſacrarum Literarum monumentis certius in rei veritatem inquirere, eaque comperta cunctos in eandem adducere ſententiam. Miſſi itaque, quos ante nominavi, belli hujus anteſignani, qui per aſceteria, locaque ſacra inſpectis libris ſententias Patrum ſcrutarentur. Perculit Nicephorum Patriarcham, reliquosque probæ mentis ea Imperatoris inquies; nam quid opus ſupervacanea ejusmodi ſolicitudine? luſtrata jam, & excuſſa in eum finem omnia ſuperiore Concilio, non ſupereſſe aliquem dubitandi locum, nec citra grande piaculum in quæſtionem vocari rem eandem poſſe. Sed fruſtra hæc Leoni furenti ingerebat Præſul; quin pluribus e populo, Cleroque in ſententiam pellectis, poſita jam ſimulatione aperte adverſus ſacrarum imaginum cultum Imperator inſurgit. Nicephorus in re trepida Patrum, qui in Urbe erant, Conventum habet; quam periculoſo res loco eſſet, exponit, ad defendendam ſtrenue imaginum cauſam cunctos excitat; ac tantus erat animorum ardor, ut cuncti lubentes ſe acer-

A) Auctor incertus p. 345. B) Symeon Logotheta p. 303. Cedrenus p. 385. C) Auctor incertus p. 348.

acerba omnia, mortemque ipſam pro æquitate cauſæ ſubituros pronunciarent. Leo his intellectis cum fruſtra Nicephorum de mutanda ſententia appellaſſet, multitudinem ſubornavit, quæ in domum Præſulis facto impetu tumultum cieret; ex altera vero parte militarem objecit manum ſaluti Nicephori proſpecturam; quo ſic oſtenderet populum jam in imagines efferatum, neque ſe tumultus in eas auctorem, ſed communia hæc eſſe Urbis vota; ſic enim invidiam a ſe facti amoturum, & plures in ſententiam pertracturum rebatur. Demum cum nihil iſtis commoveri Nicephorum videret, nocte concubia ægrum licet corpore per ſubornatos ad id domo rapi, & in adverſum Urbi littus projici jubet, inde in exilium amandandum. Ejecto cuſtode in oves invectus Leo Divina, humanaque omnia permiſcuit; Cœtu ad Divæ Parentis ædem in Blachernis vocato, ac multis, qui ſe morituros antea pro imaginum cauſa jactabant, in partem traductis, earum cultum ex toto proſcribit, extremas iis pœnas comminatus, qui ſuis, Conciliique decretis obſtare pervicaces pergerent; ne vero ea in Divos ſeditio idoneo capite careret, Theodotum A) illum nefarium nec ordine, nec doctrina Sacerdotem, ac nullius, quam fallendi artis peritum in Nicephori locum provehit, prorſus omnia in excidium Religionis inclinat. B) A.C. 816

Non defuere e monaſtico præſertim ordine, qui furenti ſe Leoni fortiter in hac cauſa objicerent; quos inter eminebat Euthymius Sardenſium Epiſcopus ſevera, & acri oratione in Imperatoris perfidiam invectus, quam ille verberibus ultus eſt tam atrocibus, ut in iis vir ſanctus vitam exhalarit. c) Prima hæc in ea Religionis clade veritatis fuit victima; quam innumeræ poſtea conſecutæ Cœlitum, quorum pro honore dimicabant, auxere numerum. Theodorus Studites, Theophanes, D) aliique quam plurimi in exilium deportati, inque carceres truſi, ac verberibus identidem peſſime accepti fruſtra ad defectionem cogebantur. Illud enim tum cavebat Iconomachorum impietas, ne imaginum cauſa paſſim cædes fierent; non enim erant neſcii, plurimos avide in glorioſam hanc arenam convolaturos; aliis igitur morte atrocioribus ſuppliciis eorum tenebatur conſtantia; nec blanditiæ, ut ingenioſa in perniciem eſt improbitas, defuere. Quamquam idoneos habeo auctores E) innumeris poſtea ex omni ordine necem imaginum cauſa illatam; vixque diem fluxiſſe non plurium in certamine tam nobili cæde inſignitum. Miſſi a Paſchale Pontifice Conſtantinopolim Legati, qui auctoritate Primæ Sedis Leonem ab impietate abducerent, operam perdidere; F) quid enim reverentiæ Dei Vicario is haberet, qui omnem adverſus Cœlites Religionem jam exuerat? profuit tamen rebus tam afflictis Legatorum adventus, quorum præſentia & confirmati nutantes ſunt, & aliis vigor ad alacrius decertandum additus. A.C. 816

Etſi vero totus in deſtruenda Patrum Religione eſſet Imperator ille, non tamen profanæ Reipublicæ in meliorem ſtatum reponendæ curam abjecerat; ipſe enim Provincias luſtrando, Urbes Thraciæ a fundamentis inſtaurando, ſevere omnibus nullo ad cujusquam perſonam reſpectu jus dicendo, arma, militemque opportune exercendo, & vicinis gentibus terrori fuit, & ſuis; G) ut alta tum ab exteris bellis, tum a domeſticis diſſenſionibus, & injuriis quies eo regnante Orientem complexa ſit. Verum ſevera hac Rempublicam adminiſtrandi ratione, & perverſo in res ſacras furore factum, ut in odia omnium mortalium incurre- 817

A) Scelera hujus Theodoti perſequitur Auctor incertus; cui præprimis vitio dat, quod carnes ederet, convivia agitaret, & ad carnium eſum Clericos, ac Monachos pertraheret. B) Hæc Cedrenus, Symeon Logotheta, Leo Grammaticus, & alii. C) Symeon Logotheta p. 305. & Georgius Monachus p. 375. Sed alii cædem Euthymii ad tempora Michaelis Balbi referunt. D) Idem hic ille eſt Theophanes, cujus Chronographia uſui nobis hactenus fuit. E) Georgius Monachus p. 379. Symeon p. 305. μοναχὸς ἀπείρως πεφύκευκεν. Innumeros e Monachis ſuſtulit. F) Baronius ex epiſtola Theodori Studitæ. G) Continuator p. 14. Cedrenus p. 387.

A.C. curreret; nam & probi ob tot vulnera Religioni inflicta ei adverſabantur, & improbi ſeveritatem in prohibendis injuriis ferre non poterant; atque ea de cauſa factum poſtea eſt, ut ei conjuratione paucorum appetito nemo præſto eſſet, & eadem ſublatum nemo omnium ulciſci laboraret, quin communis ſceleratorum juxta, ac proborum de interitu illius exiſteret lætitia. Sed ad enarrandum cædis iſtius modum, quando aliæ res illius geſtæ a Scriptoribus præteritæ, ſermo delabatur.

820 Septem jam annos, ac quinque menſes imperaverat Leo, cum eum ſubitanea ab homine ſibi amiciſſimo, quemque pluribus ornarat honoribus, procella ſubvertit. Michael is fuit a vitio linguæ Balbus cognominatus, excubitorum Imperialium Comes; homo ferox, & effræni ad quidvis non minus faciendum, quam loquendum audacia. Is dicacitate hac ſua non raro mores Leonis perſtrinxerat, ac demum Majeſtatis læſæ incuſatus, & in judicium coram Imperatore protractus eo ipſo, qui natalem Domini præcedebat, die convictus, ac morte damnatus eſt. Sententia ejusmodi fuit: ut in caminum intruſus a ſubjecto igne, & fumo periret. Ne vero mora temporis ad ſeditionem aliquam uti poſſet, imminente præſertim feſti ſolennitate, cum primum ſententia lata eſt, hanc exequendi una animus fuit. A) Trahebatur jam miſerabiliter per palatii porticus ad deſtinatum ſupplicio locum Michael, cum Imperatrix Theodoſia omnium, quæ gerebantur ignara, ac ſtrepitu, clamoribusque iis excitata accurrit; attonita novo hoc ſpectaculo in maritum acriter invehitur, quod importuno actus furore, nec diei tam ſacræ reverentia tangeretur; nec myſterii illius ſanctitate, ad quod altera luce percipiendum religioſe aptari tempus poſceret; tum hortari, orareque maritum, ut ſupplicium in tempus opportunius rejiciat. Leo & iis, quæ dicebantur, & uxoris vociferatione commotus ſupplicium differt, ac Michaelem attinendum interea palatii Præfecto committit, metuens jam tum neſcio quid, & ne ea dilatio ſibi, familiæque ſuæ fatalis exiſteret verens; ſe quidem illius clamoribus nunc cedere, ſed videret, ne lenitatem hanc ſuam acerbe aliquando deploraret.

Etenim Imperator præſagiorum quorundam, & prædictionum bene meminerat, queis Michaelem in Imperio ſucceſſurum ſibi prænunciatum fuit; quippe ejusmodi vaticiniis, omnibusque captandis ultra modum addicti fuere Græci illi; quæ Scriptores quoque ſolicitius, quam alia omnia perſequuntur; nec fere geſtum aliquid maxime in aula non quibusdam vaticiniis, & ominibus, ut ajunt, ſignificatum. B) Michaelem itaque Imperio præfuturum prædixerat Aſcetes ille, qui Leonem; præterea idem Leo Imperator, cum primum in Urbem perductus eſt, veſte Imperatorum aſſumpta priorem humeris hujuſce Michaelis injecerat, ac idem Michael poſt Leonem gradiens oram paludamenti extremam calcarat, quæ ſingula peſſimo omini Græculis fuere. Adhæc reperta quædam in aula imago Leonis animantis effigie, ac incertis characteribus notata, ita explicata a quopiam eſt, ut Leoni a Michaele pereundum diceret. Demum mater quoque Leonis variis exagitata ob filium in ſomniis cruda eum morte periturum didicerat. Verum miſſa horum vanitate ea, quæ contigere perſequamur.

Nocte, quæ ſubſecuta eſt, curis jactari Imperator, ſomnum capere non poſſe; nec temperare ſibi valuit, quin per noctis ſilentia in conclave illud progrederetur, in quo vinctus attinebatur Michael; viſurus, quid rerum is ageret. Hic vero ſpecies rerum oblata eſt, quæ gravius eum percelleret; nam Michaelem quidem in molli lecto altum, ceu omni cura liber eſſet, dormientem; Præfectum vero cuſtodiæ humi abjectum deprehendit, ac Michael ne appoſita quidem ad pectus Imperatoris manu ſomno

A) Hanc tragœdiam poſt Continuatorem narrant Symeon, Cedrenus, Zonaras, Georgius Monachus, Glycas. B) Has prædictiones diffuſe & minutatim perſequitur Continuator, pag. 26.

ſomno eſt ſolutus. Tacitus itaque, & geſtu minitabundus Leo ſemet illinc rurſus etulit. Quidam ex occulto rem ſpeculatus Præfectum admonet; is metu conterritus de ſubterfugienda Leonis crudelitate cum Michaele conſilium confert. Michael ſub tempus matutinum Theoctiſtum Eunuchum ad Imperatorem ſupplex allegat, veniam ſibi ut faceret, Sacerdotum cuipiam extra palatium degenti noxas animæ per eundem Theoctiſtum detegendi. A) Quod cum impetratum eſſet, per hunc Theoctiſtum nunciat clam amicis per Urbem, niſi ultimo in diſcrimine verſantem ſe quavis demum ratione ereptum irent, eorum nomina initæ conjurationis apud Imperatorem delaturum. Hac illi denunciatione perculſi primo mane collatis inter ſe conſiliis Sacerdotalibus ſemet veſtibus, quarum in re Divina uſus, amiciunt, B) gladios ſubtus recondunt, & Sacerdotum turbæ, quæ in Oratorium palatii ad feſti ſolennitatem concelebrandam in aurora confluebat, permixti, ac immiſſi in Oratorii illius ſemet angulis recondunt. A.C. 820

Adfuit non longe poſtea, & Imperator ſacros cum Clero verſus cantaturus; erat enim ejusmodi cantus, & vocis oſtentandæ ſtudioſiſſimus, tametſi rauca, & inconcinna ridendum ſe præberet; at cum jam cantui initium datum eſſet, conjurati nudatis gladiis prorumpunt in medium; veſtium tamen ſimilitudine quadam deluſi, ac Sacerdotum coryphæum aggreſſi ſpatium dedere Leoni, ut in Sacrarium ſemet ſubduceret; cognito vero confeſtim errore illic poſitum aggrediuntur. Arrepta de menſa Crucis effigie, vel ut alii, catena e thuribulo diu quidem, ut erat ingenti virium firmitate, ictus eorum eludebat Leo, ſed tandem vulneribus debilitato, ac corruenti caput a quopiam fuit amputatum; corpus per ignominiam in circum protractum, diſſectum, ac ſacco incluſum in Protes inſula fuit tumulatum. Ferunt eodem, quo tragœdia hæc peracta eſt, temporis articulo, vocem de interitu Leonis a navicularis in mari auditam. C) Hic fuit exitus Leonis, Dei, ac Cœlitum hoſtis, digni in Templo, quod profanaverat, interire, utque vindictæ Divinæ victima, quas deſtruxerat aras, cruore ſuo reſpergeret. Familia illius luctu, & ſqualore completa eſt, filii quatuor, Simbatius, Baſilius, Gregorius, Theodoſius virilibus exſectis in monaſterium abditi fuere; & Theodoſius quidem ex vulnere brevi obiit, D) Simbatius, & Baſilius uſum vocis per exſectionem amiſerunt; E) quem Baſilius fuſis ad iconem Divi Gregorii Nazianzeni precibus recuperaſſe, eoque facto mutata patris ſui ſententia imaginum expoſt cultor in monachatu vitam finiiſſe fertur. F) Verum hæc poſtea; nunc quid conjurati patrata cæde?

Ut erant ferro cruorem etiamnum ſtillante armati, in palatium irrumpunt; Michaelem exitum tragœdiæ ſolicitiſſime operientem e conclavi producunt, ac cum compedes, quos pedibus geſtabat, reſerare non poſſent, claves quippe ſecuritatis gratia in ſinu condiderat Leo, ferro ſicut erat, gravem in Regiam inductum, ac in throno collocatum Imperatorem & ipſi, & qui in palatio erant, univerſi conſalutant. G) Hæc mane in aula peracta; compedibus dein, cum claves non reperirentur, multo labore vix diffractis, meridiano tempore ab iisdem iis conjuratis in ædem Sophianam perductus Michael in Imperatorem coronatur, nullo eorum facinori ſemet opponente, nullo vindictam ob cædem ſumere parato. Ita inſolenti fortunæ ludibrio Leo nihil tale magnopere metuens ab Imperio ad fœdam mortem, alter vero a mortis confinio ad coronam ſubito pervenere.

A) Continuator p. 17. Cedrenus p. 388. In eum plane ſenſum uterque; niſi forte in ea ſententia Græci fuerint, ut putarent, abſenti quoque Sacerdoti errata manifeſtari poſſe, & expiationem fieri. B) Ita Symeon p. 309. at Zonaras p. 105. ait: ἐν χήματι κληρικῶν eos introgreſſos in habitu Clericorum. C) Continuator. p. 18. D) Cedrenus p. 391. E) Zonaras p. 106. F) Symeon p. 309. G) Continuator p. 19.

FL. MICHAEL BALBUS.



A.C. 820 Michael Amorio Phrygiæ Urbe oriundus, nec ingenio, nec educatione, nec moribus Imperio dignis fuit. Ingenium habuit agreſte, ferox, inhumanum; nec tam civilibus, aulicisque artibus ad dignitates, quam lacertorum robore, & audacia temporibus maxime turbulentis pertigerat; ut qui ne literas quidem ipſe bene noſſet, nec ab aliis eas ediſci vellet. A) Educatio fuit perverſa inter homines ſortis abjectæ Judæos, Athinganos, quibus Phrygia cum primis abundabat, & quorum errores a puero combiberat Michael, nec Chriſtianus ipſe, nec Judæus, ſed plurium colluvie errorum infectus, etſi Chriſtiani hominis exterius formam præferret. Exin mores feri, luxuria effrænis, ira præceps, atrox crudelitas, ac perverſa in rebus Religionem concernentibus, quod liberet, ſentiendi licentia; hinc & vita functorum in vitam reditum vocabat in dubium, & Sacras Literas, Divinosque viros infandis convitiis inſectabatur, & fornicationem in vitiorum numero non ponebat; malus doctrina, ſed exemplo pejor; ut minime mirum ſit, tam infeliciter adminiſtraſſe Rempublicam, qui rebus per omnem vitam ſuis peſſime conſuluerit. Nunc res ejus geſtæ brevi perſtringendæ.

821 Imperio per vim, & cædem potitus cum ſibi quoque a ſimili exitu metueret, audita præſertim Thomæ cujusdam, ut jam dicetur, defectione, omnium ſibi Orthodoxorum, una ac Iconomachorum ſtudia conciliare ſategit. Per literas itaque a Nicephoro Patriarcha in exilio tunc degente admonitus, ut damnato anteceſſoris ſui in ſacras imagines furore, tranquillitatem Religioni reveheret, illis in locum, & honorem, unde exciderant, repoſitis: reſpondit, integrum ſibi non eſſe, nec utile crebras in Rempublicam mutationes inferre; igitur Religionis negotia ſinere ſe eo loco, quo inveniſſet; nec condemnaturum eos, qui imaginibus reverentiam denegarent, nec contra eos adverſi quid patraturum, qui in honore haberent; nec obſtiturum, quo minus ſuum quisque in ea re animi ſenſum ſequatur. Ac eam verborum lenitatem in rem quoque brevi contulit: nam quos Leo in exilium, aut carcerem truſerat, liber-

A) Continuator; qui diffuſe res Michaelis perſequitur, a quo ſua cæteri mutuati fuerint; quem hic ſequimur.

libertate donavit Michael; ita dein & frequentari cæpere aſceteria, & A.C. Cœlitum honor crebreſcere, ac Respublica inter malam & bonam media erat; quando per Imperatorem, probis juxta, atque improbis licebat eſſe; ſed licebat tamdiu, quoad metus impendens illius audaciam refringeret; hoc vero amoto, quid a ſcelerato ejusmodi capite, niſi probitatis excidium expectares?

Porro cum Thoma prædicto anceps illi, ac varia fuit fortuna, A) 822 a quo oppreſſus propemodum, emerſit quidem feliciter, ſed Republica miſere quaſſata, & quod civilia ſecum bella adferre conſuerunt, domi, forisque magnis paſſibus in ruinam impulſa. Qui vir fuerit Thomas, quo genere & dignitate, dictu inter contrarias adeo narrationes difficile. Namque alii perhibent: hominem fuiſſe vilem, Sclavum genere, fortuna ſervum, qui Byzantii cuidam Senatorum ab obſequiis cum eſſet, conjugi illius ſtuprum offerre conatus ſit, illinc fuga lapſum annos complures apud Saracenos delituiſſe; poſt vero turbato rerum in Urbe ſtatu Conſtantini Irenes filii aſſumpſiſſe perſonam, ac Barbaris forte volentibus, aliisque illuſiſſe, quo in turbido res agerent ſuas; ita copiis ſenſim auctum, ac Antiochiæ, quæ Saracenis tum ſuberat, Imperatorem proclamatum, & a Patriarcha Urbis illius coronatum, Leonem primum cæſis nonnullis ejus copiis, mox & Michaelem bello appetiiſſe.

Verum alii Bardanis Nicephoro imperante ſatellitem fuiſſe prodiderunt, ac Leoni amicitia conjunctum; a quo dein Imperium adepto honoribus auctus ſit, ac Dux fœderatorum conſtitutus; audita vero Leonis ſibi tam chari, per Michaelem privatim antea jam inimicum cæde, in iras exarſiſſe, ac commota omni Aſia, tota virium contentione in ejus perniciem incubuiſſe; videtur narratio iſthæc veriſimilior: Conſtantini enim, quem a matre excæcatum orbe toto conſtabat, qua fronte perſonam homo nihili in ſe aſſumeret, quave ratione toti pene Imperio imponeret? fuit autem Thomas ita ingenio compaiatus, ut facile vulgus ſuas in partes traheret, leni, ac populari affatu, comis ad ſe accedentibus, ac mores e fortunæ habitu gnarus fingere, ſtrenuus ſub initia in rebus agendis, ac robore corporis nemini poſtponendus; non item mentis vigore, qua infirma cum uteretur, ingentem illam hominum multitudinem, quam verborum lenociiniis, magis autem quidvis agendi, & audendi licentia pellexerat, lanienæ, & neci miſerandæ ſecum una objecit.

Contracto e Barbaris, quibus cum arcana, ac nefanda habebat fœ- 823 dera, omnique hominum fæce millium octoginta exercitu totam minorem Aſiam ad defectionem traxit, geminorum modo thematum Catycla Obſequianorum, & Colbiano Armeniacorum Ducibus exceptis; qui non juſtis quidem exercitibus, ſed agminatim, qua poterant, immanem illam, & confuſaneam turbam vellicando inceptis obſiſtere pergebant, interfecto etiam in quadam procurſione adoptivo Thomæ filio, cujus caput ad Imperatorem, ab hoc ad Thomam miſſum ingenti illum rabie concuſſit. Michael ab obſidenda Urbe, quam defendi contra immanem illam vim vix poſſe videbat, in tanto præſertim ſui apud cives odio, hominem ut arceret, exercitum in Aſiam quantocyus expedivit manus collaturum; ſed quia is numero multis partibus inferior fuit, cæſus, ac diſſipatus non niſi ad attollendas Thomæ res, ac Michaelis deprimendas valuit. Igitur claſſe quoque magna parte ad defectionem pertracta, ac navibus ex Græcia, locisque aliis maximo numero comparatis, in Thraciam cum copiis transgreſſus Thomas, autumno jam præcipiti obſidendæ Urbi dedit initium. In tam præſenti rerum ſuarum diſcrimine poſitus Michael cum filio Theophilo, tametſi ab omni pietate, inque res ſacras religione alienus eſſet, metu tamen ſenſum quemdam meliorem animo, ut fieri amat, ingerente, ad res Divinas perfugium habuit, obitis ad ædem Divæ Genitricis in Blachernis ſupplicationibus, & per muros adeo Urbis ſacram Do-

 mini

A) Triennio hocce bellum perduraſſe auctor eſt Symeon p. 310.

A.C. mini Crucem, ac veſtem Sanctæ Dei Parentis religioſe circumgeſtando;
823 cujus pompæ aſpectu turbatus Thomas inſolentes eos non nihil demiſit ſpiritus, veritus, ne Deum, Deique Matrem hoſtes pro Imperatore haberet.

Et vero præter expectationem res ceſſit; nam Urbem terra, marique vi maxima, omnique machinarum genere aggreſſus nihil proficiebat Thomas; claſſem propius admotam tempeſtas a muris diſpulit; machinas, quibus ſaxa ejaculabantur, quod nunquam deſtinatum in ſcopum pertingerent, oppugnantium inſcitia inutiles reddidit; militum denique muris ſcalas admoventium, & aſſilientium molimina civium virtus eliſit. Ac primo hoc ſucceſſu a deſperatione erectus Imperator, & qui cum eo erant, ſtrenui porro eſſe, & imbellem eam multitudinem contemptui habere cæperunt; quæ niſi ordine & Ducum providentia præſtet, ipſa ſibi oneri, ac pro hoſte eſt. Certé res Thomæ ea multitudo evertit; nam cives etſi male Michaelem oderant, direptionem tamen ab ea hominum commixta fæce veriti, partes illius defenſabant ſtrenue, & commeatus exercitui tanto nec parari opportune, nec advectari potuit; itaque cum Thomam anni tempeſtas frigore rigida, & deſperatio Urbis occupandæ una urgerent, exercitum in hyberna per Thraciam ſparſit, reparaturum eo otio vires, & primo vere Urbi rurſus oppugnandæ admoturum.

824 Imperator e tanto diſcrimine, reſumpto velut ſpiritu ſpatium nactus eſt Urbi, & de commeatu, & de viris, & denique de claſſe idonea proſpiciendi; nam & Obſequianorum, & Armeniacorum, qui utcunque in fide manſerant, adjutus manu, validior jam ſibi viſus ad vim propulſandam, opportune omnia diſponebat inter ſpem, ac metum dubius, & tamen deſperanti propior; vix enim præter Urbem reliquum aliquid ex Imperio habuit, nec exercitum ſperare ullum potuit, nubem illam ab Urbis cervicibus depulſurum. Contra Thomas cum eum anguſtæ Michaelis res minime laterent, velut occupato jam Imperio indulgebat animo per Thraciam cum ſuis luxu, ac vino diſtentus, ac præſenti rerum ſucceſſu ebrius, nec ulla de fortunæ volubilitate, aut ſuorum confirmanda virtute, & fide, cura tangebatur; quo factum, ut & in contemptum apud Duces veniret, ingenti antea nominis illius fama pellectos, & res in ſequente expeditione undique peſſime adminiſtraret.

Ut enim primum ſe hyems evolvit, admotis Urbi copiis, majore tumultu, rerumque fiducia ſuarum, quam prudentia in rem incubuit. Neque enim vel foſſas duxit idoneas, vel ſtratis machinarum beneficio muris aditum irrupturis paravit; ſed velut multitudine ipſa naturam loci ſuperaturus, affuſis undique militibus, ſcalisque admotis Urbem occupare adniſus eſt; qua hoſtis væcordia uſus Michael, facta in tumultuantes cum forti ſuorum manu eruptione, luculentam intulit cladem; contemptus enim Urbanorum, quos clauſtris erupturos ſuis non putabant, ſegniores in dimicando adverſarios fecerat; provideratque id ipſum Imperator, voce lamentabili e muris hoſtem obteſtatus, ne rem Chriſtianam, & communem perditum iret. Non mari felicius ſe res Thomæ habuerunt; claſſis enim, quæ ex Achaja appulſa erat, per Imperatorios jacto græco igne exuſta, ac in portum retruſa; unde nautæ, ac milites pedibus ſalutem quæſierunt. In eum modum cum nutare Ducis imprudentia rem conſpicerent nonnulli Procerum, qui Thomam conſectati erant, de eodem deſerendo, ac Michaele ſibi devinciendo cæpere conſilium. Quos inter eminebat Gregorius Pterotus Leoni conſanguinitate junctus, & a Michaele, in cujus poteſtate conjugem & neceſſarios habebat, patrata cæde exilio damnatus. Is parte exercitus ad defectionem tracta a tergo aggredi parabat Thomam eo conſilio, ut facta pariter ab Urbe procurſione in medio occupatum perderent; ſed prius Gregorium oppreſſit Thomas victum, ac captum, quam ejus conſilia ad Imperatorem allaberentur.

Intererea Princeps Bulgarorum Mortagon cum fama accepiſſet, in quam arcto res Imperatoris forent, quo cum fœdus ipſi, & amicitia interceſ-

terceſſerat, ſive ut inſigni hoc beneficio voluntatem ejus ſibi adſtringeret; ſive quod verius, ut inter domeſtica Chriſtianorum litigia medium ſe rapiendis, agendisque eorum rebus inferret, numeroſo collecto exercitu, nec opinatus Thomæ hoſtis ingruit. Ferunt Michaeli oblata a Bulgaro ea fuiſſe auxilia; ab eo tamen, ne in ſummum res Chriſtiana diſcrimen adduceretur, etiam in iis rerum anguſtiis (quod creditu perquam difficile) fuiſſe repudiata: ac nihilominus Barbarum in Thomam expeditionem adornaſſe. Thomas de Barbari conſilio edoctus, ne cum gemino hoſte negotium eodem tempore habere cogeretur, relicta obſidione Bulgaris obviam proceſſit, atque acie cum iis conſerta gravi prælio protritus eſt. Milites ejus per ſylvas, montesque fuga diſperſi, impedimenta, & res bellica amiſſa: Bulgari vero collecta ingenti præda, ceu ejus tantum legendæ gratia expeditionem inierint, ad ſua remigrarunt. Cognito Thomæ adverſo caſu lætus Imperator, aſſumpto, qui in Urbe fuit, exercitu, poſteaquam & claſſis alia, quæ Thomæ ſubſidio affluxerat, infelicitatis ejus pertæſa, ad partes ſuas deſciviſſet: adverſus hoſtem ſic fractum jam, & debilitatum dimicaturus extra Urbem proceſſit. Equidem Thomas ſuis e fuga collectis reparaverat exercitum, de re ſumma cum Imperatore certaturus; ſed cum fraude magis, quam fortitudine victoriam prenſat, ea ad hoſtes tranſiit. Edixerat militibus, ut ſub initium certaminis fugam ſimularent, dein obverſis ſubito frontibus in hoſtem ordinibus diſſolutum fortiter inveherentur; verum ſive tot jam fractæ laboribus, domos in Aſia ſuas reſpectarent ejus copiæ, ſive Michaelis prudentia, qui militem in ordinibus tenuerat, ſpe dejectæ, mandatorum immemores ab inita ſemel fuga neutiquam deſtitere. Ita victoria potitus Imperator ad perſequendum jam, perdendumque æmulum totus incubuit. A. C. 824

Ille a plerisque deſertus in tanta rerum ſuarum deſperatione Adrianopolim refugit, obſidionem toleraturus, quem lente, nequa elaberetur, premebat Michael, bene gnarus: commeatus inopia non reſtituturum diu, nec effugiturum ſupplicium. Etſi vero ceu fera in arcto deprehenſa nihil non moliretur Thomas, quo perniciem evaderet, inſolentiusque ſe, quam victum decebat, adverſum cives gereret; tamen fame ferociter in incluſos debacchante fruſtra fuit. Cives enim miſeriarum impatientes clam cum Michaele collocuti, vinctum Thomam in manus daturos polliciti ſunt; nec aliter actum deinde cum Thoma. Hominem ut in manu habuit Imperator, calcato ejus collo, atroci, & diuturno ſupplicio torqueri juſſit, membris ſenſim avulſis; ita truncatus, & per ignominiam traductus unum illud ingeminabat: qui vere Imperator es, miſerere; illic delicti quærens veniam, ubi ſolum ſperare jam poterat. Eo occiſo omnis brevi perduellio finem accepit; præſertim poſtquam filius quoque illius, quem ex monacho deſertorem adoptarat, Byſæ incluſus, & captus ſimili ſupplicio punitus eſt; ac Urbes quædam ad obſequium ab Imperatore coactæ. Cæſis demum fraude, qui pro Thoma adhuc in Aſia inſaniebant, nonnullis ejus Ducibus, tempeſtas illa poſuit; ſic tamen, ut navi tantum non aquis hauſtæ, ac rebus exinanitæ Respublica ſimilis fluctuaret.

Nam præterquam quod pleraque cives ipſi armis corruperint, Saraceni captatam eam opportunitatem ſtrenue in rem ſuam verterunt. Facta ex Hiſpania in Cretam inſulam procurſione, multum illinc prædæ etulere, inſulanis in ferendo Thomæ auxilio occupatis; ac repetita anno inſequente ad eam procurſione ſoli bonitate pellecti pedem fixere. Dux quippe eorum, ne de reditu cogitare poſſent, naves exuſſit, ac in loco quodam Candace dicto, munimentum ædificavit; ex quo inſulanos non divexaret modo, ſed etiam ſub jugum cogeret; ab eo loco inſulæ Candiæ nomen adhæſit. Ac reipſa haud longe poſtea ſenſim inſulæ totius Saraceni potiti ſunt; maxime poſteaquam Damianum Ducem cum exercitu ab Imperatore miſſum peremiſſent. Qua occaſione in viros quo-

A.C. quoque Deo ſacros exeruerunt rabiem, nec paucis Religionis cauſa cædes illata.

826 Equidem aliquot poſt annos expedierat Craterum cum exercitu Ducem Imperator, inſulam tam nobilem Harpyiarum unguibus extorturum; ſed diſciplina militari apud Græcos jam collapſa lætiſſimis initiis infelix plane exitus reſpondit. Prælio vehementi, ac diuturno, quod integrum prope diem tenuerit, cum Barbaris congreſſus Craterus, nobilem obtinuerat victoriam, hoſtibus cæſis, ac in munimentum illud ſuum retruſis. Inſula in libertatem vendicata videbatur, & reipſa ceu nullus jam ſupereſſet hoſtis, nocte ſubſequa genio indulgebat exercitus; non excubiis idoneis, non vallo communita caſtra; nec ulla futuri providentia apud Duces, & militem fuit. Saraceni in re deſperata, nec enim effugio ex inſula locus ullus ſupererat, viſa ea militum diſſolutione, concubia nocte omnes præſidio effuſi in caſtra impetum faciunt, exercitumque inconſulta ſecuritate torpentem occidione occidunt, ſolo Cratero fuga lapſo; quem tamen in quadam inſula conſecuti Barbari letho dederunt, pluribus nominibus, qui periret dignum. Ita Creta inſula tot opportunitatibus celebrata, in Saracenorum dehinc poteſtate manſit.

827 Defunctus belli periculo Michael licentius jam res Sacras, ac Religionem contemptui habuit, A) hæreſi, & ſceleribus a tenero inſuefactus, ut perperam agere in naturam quodammodo ei verteret. Cultores quoque imaginum peſſimis ab eo modis acceptos invenio, contemptum Ordinem monachalem, alios exilio, verberibus alios dire appetitos; quin etiam ad Ludovicum Pium Imperatorem Legatos ab eo miſſos, qui eundem ad imagines Cœlitum perdendas adducerent. Ac tametſi clades Religioni per eum illatas diſtinctius non meminerint Scriptores, certe non mediocres fuiſſe conjectare licet, quando eum Copronymi res, & vitam ſibi moribus exprimendam propoſuiſſe ajunt; quid enim ab exemplari tam abſurdo, niſi dira in res ſacras, ac amentiæ plena derivari in eum poterant?

Eo uſum exemplari Michaelem in ſtultitia, ac luxuria multum promoviſſe, illud quoque indicio fuerit; quod conjuge Thecla e vivis ſublata nulla rerum ſacrarum reverentia, nullo peſſimi exempli in vulgus dandi metu prohibitus Euphroſinam dicatam Deo virginem ab aſceterio extractam ſibi connubio nexuerit. Ferunt Conſtantini illius Irenes filii filiam hanc fuiſſe; B) de qua tamen mirum, a Nicephoro, & Theophane res Conſtantini enarrantibus, tumque viventibus mentionis nihil factum. Immodico in virginem illam amoris æſtu exarſiſſe Imperatorem, illud quoque argumento eſt; quod etſi filium haberet Theophilum regno jam aptum, egerit tamen cum Senatu, ut ſe demortuo Euphroſina, quique ex illa naſcerentur liberi, Imperio præficerentur. C) Quaſi parum ipſe noxius improbo regimine foret Reipublicæ, niſi jactis, quantum in ſe erat, diſcordiarum ſeminibus, poſt fata quoque eam ſcinderet. D) Sed diſſimulavit improvidas patris deſignationes Theophilus, non jurium modo prærogativa, verum etiam morum diſſimilitudine, & Urbis amore bene in futurum obarmatus.

828 Nefarium illud Imperatoris facinus, quam inviſum Deo fuerit, conſecuta brevi vindicta, ac magna Imperii Orientalis diminutio ſimili ex occaſione profecta patefecit. Militaris quidam Tribunus Euphemius in Sicilia inſano cujusdam virginis Deo Sacratæ amore correptus, Imperatoris exemplo vi e monaſterio protractam ſibi in conjugem acceperat.

Re

A) Continuator p. 22. ait S. Euthymium a Balbo per filium Theophilum interfectum eſſe, quem alii a Leone occiſum ſcribunt. B) Continuator p. 36. Symeon p. 310. C) Errant Symeon p. 312. Leo Grammaticus, & Georgius Monachus, cum ajunt, matrem Theophili fuiſſe Euphroſinam, quæ noverca fuit, ſi tamen vel noverca potuit dici. Id enim aperte Continuator p. 36. D) Continuator p. 36. Sed Theophilum a patre creatum fuiſſe Imperatorem nummus indicat, in quo Theophilus cum Michaele habitu Imperiali eſt expreſſus. Vide in familia Michaelis Balbi p. 112.

Re cognita Imperator in mandatis dederat Prætori Siciliæ, ut virgine in A.C.
locum repoſita jure in hominem ageret. Veritus ſceleris pœnas Euphe- 828
mius, quibusdam in partes ſuas pertractis, fuga ad Arabes ſemet e Provincia in Africam ejecit, pollicitus: magnum illis tributum in annos ſingulos depenſurum, ſi ſe Imperatorem appellatum armis in Provincia collocarent. Nihil jucundius Barbaris Provinciæ tam florenti dudum inhiantibus; claſſis, ac exercitus bene magnus cum ſcenico Imperatore in Siciliam mittitur, ac ea fœdum in modum perturbata res illic Chriſtianæ collabuntur. Potitus horum opera magna Siciliæ parte Euphemius, non diuturnum e ſcelere gaudium habuit, fraude in colloquio a civibus quibusdam Syracuſanis interfectus. Verum Saraceni non amplius Sicilia ejici potuerunt, nec contenti tam nobili præda, Calabriam quoque, & loca quædam Italiæ ſub jugum miſerunt, virtute non propria, ſed ſcelere Imperatoris, ac ſocordia felices.

Accepta & alia ſub idem pene tempus calamitas: Dalmatiæ quippe 829
populi viſo tanto rerum diſpendio, ac neglectu, ſemet ab Imperio abſtraxere Ducibus ſibimet præfectis, quorum ductu, & felicius obſiſterent vicinis jam Barbaris, & res ſuas florentiores haberent. Ita Orientis varias in Provincias fuſum antea Imperium, ad unam pene Græciam, & minoris Aſiæ partem improbitas Imperatorum, tum aliorum, tum imprimis Michaelis contraxit. Neque diu cladibus hiſce ſuperfuit Imperator: anno enim Imperii octavo, A) & menſe nono ex urinæ difficultate, vel ut alii, ex dyſenteriæ malo interiit, adepto malis artibus Imperio, & pejoribus adminiſtrato infamis; quem filius excepit Theophilus, utinam quam moribus bonus, tam Religione integra! ſed enim monſtri fuiſſet ſimile, e tam malo corvo bonum undique prodiiſſe ovum. Fuit Michaeli filia quoque Helena, Theophobo e Regia Perſarum proſapia oriundo nupta; nec alii præterea liberi. Nunc qua ratione Theophili ſe res habuerint, brevi videamus.

FL. THEOPHILUS.



THeophilum ſevera in jure dicundo æquitas, vitæque ſat compoſita ratio laudabilem; ſingularis in gerendis bellis infelicitas, ob quod Δυσύχης hoc eſt, infelix fuit cognominatus, contemptibilem; atrox ſupra modum in Cœlitum imagines odium gravem omnibus, & execrandum fecere. Ut inito ſtatim Imperio ſingulare quoddam ſeveritatis ederet exemplum, juſtitiæ ſiquidem ante omnia laudem affectabat; Leonis Armeni interfectores, etſi per eos faſtigium hocce conſecutus, e medio ſuſtulit; namque populo in Cœtum vocato ſimulaverat, velle gratiam iis referre, quorum beneficio pater ſuus Leone interempto diſcrimini ereptus ſit; prodirent omnes in medium, qui in id operæ aliquid contuliſſent;

A) Error irrepſerit in Continuatorem, qui Michaeli annos ſeptem, menſes octo attribuit p. 39. Diſſident enim cæteri Scriptores.

A.C. liſſent; A) hi magnum ut rebantur, aliquid relaturi, cum ipſi ſuomet in-
829 dicio tenerentur, mortis ſententiam acceperunt; cum diceret Imperator illos quidem patri, ac ſibi ea cæde profuiſſe, ſed tamen tanti facinoris non debere impunitam manere licentiam. Perculit tanta Urbem ſeveritas; nam quid gratiæ alia apud hunc expectarent ſcelera, qui ne huic ſibi tam proficuo ignoverit? nec pauca deinceps ab eo ejuſcemodi ſeveritatis exempla in vulgus edita. Solenne illi erat, quot hebdomadis equo ad ædem Blachernenſem extra Urbem prodire Divæ Parenti ſupplicaturo; ejus enim etſi cætera imaginum hoſtis, cultor fuit egregius; qua occaſione forum prætervectus in rerum pretia, & juſtitiæ curſum rigidus cenſor inquirebat, nec atrocem effugiebat pœnam prona ad injurias auri fames. Navim etſi mercium omni copia refertam exuri in portu juſſit, cum reſciſſet eam ad conjugem Theodoram attinere; indignum Principe ratus, mercatu rem facere, & tenuioribus fortunam ire præreptum, in cujus ærarium cunctorum induſtria elaboraret. Alias viri cujusdam præcipui, quod egentioris fœminæ luminibus contra fas præſtruxiſſet, domum radi funditus præcepit. B) Provinciæ cujusdam Prætor dono equum Imperatori obtulerat generoſum ante alios, viro cuidam militari, quod ne pretio quidem numerato in venditionem conſentiret, vi ereptum. Miles hic equo tam generoſo deſtitutus in bello interiit; at vidua acceptæ calamitatis impatiens Imperatorem eodem illo equo vectum aggreſſa injuriam expoſtulare auſa fuit. Cognita demum cauſa ita injuriam ultus eſt Imperator; ut Prætorem & officio dejiceret, & facultates illius viduæ, orphanisque in perpetuum addiceret. Sed & in vitæ quotidianæ ratione nihil præferebat Theophilus, quod in reprehenſionem incurreret, ſi inſanum illum in imagines ſacras furorem dempſeris: cujusdam e Gynæceo Virginis captus forma in faeinus conjugio adverſum proruerat; cujus tanta eum pœnitentia ſubiit, ut ſupplex ipſe a conjuge errati veniam poſceret, & unius, & nunquam poſtea iterandi.

830 Ab induſtria quoque, & ſtudio bonarum rerum laudem tulit non modicam: aulam, & Urbem pulcherrimis exornavit ædificiis, inter quæ præcipue venit memorandum Triconchum, triplicis in morem conchæ aptatum, tectoque aurato fulgidum, ac vicinum aliud dictum Myſterium, in quo tres hac arte poſitæ fuerunt conchæ, ut cum quid ſilentio muſſaretur in una, in altera ex adverſo poſita diſtincte audiretur. C) Ante alia vero muſicæ fuit ſtudioſiſſimus; cujus inventum ajunt, muſicum e vario fiſtularum ordine organum, quod aura follibus impulſa animari conſuevit; D) non paucas, nec ineleganti verſu ſacras ab eo odas fuiſſe conceptas, miſcuiſſeque ſe in Eccleſia canentium choro velut Majeſtatis immemorem, ac manuum agitatione concentum chori moderatum fuiſſe; arborem adhæc aureis inſtruxiſſe ramis, quibus diverſæ pariter auratæ inſidebant aves, amœnoque, ceu viverent, concentu auras mulcebant.

832 Sed præclara hæc Theophili ſtudia profanum in Cœlitum effigies, monaſticumque Ordinem odium, ac cruda, quæ in hos patravit facinora, perpetuis digna tenebris reddidere. Illud enim propoſitum ſibi habebat, abolere penitus ex Imperio Cœlitum imagines, Sancti illis detrahere titulum, Deo uni, ut dicebat, debitum; ac in hoc ſtudii genere deceſſorum omnium contentionem, quam longe poſſet, ſuperare. Severo igitur propoſito edicto acerbe in cultores imaginum ubivis per Prætores inquiri juſſit; vetuit omnino, in Templis pingi imagines, ferarum vero, atque avium, quæ ad oblectationem valerent intuentium, ſimulacra ſubſtitui; tum qui huic operi manum admoverent, in eos omni ſupplicio-
rum genere animadverti; qui monaſticum profiterentur Ordinem, arcendos aditu Urbium, malis, ut liberet, ceu refractarios peſſime ab omnibus

A) Continuator p. 39. B) Hæc ſparſim de Theophilo Symeon, Leo Grammaticus, Cedrenus, Zonaras, ſed præprimis Continuator; quæ etſi annis diverſis contigerint, ſimul tamen hic congerimus. C) Plura & diffuſe de ædificiis Theophili Continuator. D) Manaſſes p. 18.

bus accipi, contumeliis, ac probris affici, ad communem cum profanis A.C.
vitæ uſum traducendos. Illo igitur imperante carceres, locaque ſuppli- 832
ciis apta plurimis e monaſtico præſertim Ordine ſquallebant, quin ſpelæa montium, & abdita ſylvarum complebantur perfugio Orthodoxorum, cum nusquam iis tuto liceret conſiſtere, inque ea ſolitudine fame, & miſeria peſſumibant. Non paucis vita ſimilem ob cauſam per crudelitatem erepta. Abrahamitæ Monachi cum commmuniter Theophilum improbitatis commonefeciſſent, omnes projecti in exilium, ac verberibus ad necem uſque contuſi triumphum retulerunt. Methodius Urbis poſtea Patriarcha futurus, ſeptem ipſos annos A) in crypta quadam cum duobus latronibus concluſus, etiam poſtquam eorum alter vita functus tetro locum odore inquinaret, vitam trahebat omni morte duriorem. Theophanes cum fratre Theodoro plagis dirum in modum accepti, poſteaquam in eorum frontibus infames quidam verſus eſſent exarati, abjecti in exilium, invicti certaminis ſigna diu glorioſi circumtulerunt. Lazarus Monachus quod Sanctorum pingere imagines deprehenſus eſſet, candens ferrum attrectare coactus, ultimisque excarnificatus ſuppliciis, tamen furori Iconomachorum ſuperfuit.

Verum cum ſic ad imagines toto Imperio abolendas vires intenderet Theophilus, nec de aula, ac palatio exturbare eas penitus valuit: Theodora quippe Auguſta, ejusque mater Theoctiſta mulieres & genere, & moribus ſpectatiſſimæ clam in iis colendis, Divorumque patrocinio invocando totæ erant; ac filiabus etiam Theophili eorundem amorem ingenerabant. Harum minima cum innocenti garrulitate patri retuliſſet, bellas ſe in arca aviæ vidiſſe puppas, in periculum eam conjecerat; ni probitatis maxima apud omnes exiſtimatio, morumque ſanctitas contra furorem Generi illam texiſſent.

Therſites quidam animi, corporisque habitu monſtro, quam homini ſimilior, deridiculi gratia in aula verſabatur; hic quodam die Auguſtam imagines ex arca depromentem, ac venerantem contuitus, lepide poſtea narravit Imperatori, pulcherrimas in manu Auguſtæ puppas a ſe conſpectas. Non latuit hunc conjugis Religio; in eam itaque acerbis convitiis iram profuderat, ſæviturus forte acerbius, ni ingenioſo illum commento Theodora eluſiſſet; nimirum cum ancillis in ſpeculo vultum contemplatam ſe, repercuſsásque a ſpeculo imagines hebetem illum fors pro puppis quibusdam habuiſſe. Quievit eo reſponſo Imperator, at Denderis (id nomen morioni fuit) ab Auguſta verberibus male acceptus, cum rurſus a Theophilo de puppis interrogaretur, manu altera ori, altera tergori appoſita, tace inquiebat obſecro, tace de puppis Imperator. B) Theodora porro ab imaginibus clam honorandis, ac recte de Religione ſentiendo nequaquam abſtinuit, digna per quam olim hæreſis illa tot malis Orientem diſcerpens exterminium acciperet. Verum belli, pacisque negotia, ut ſe interea Theophilo dederint, videamus.

Aliquot Imperii ſui annos tranquillos a bello Theophilus habuit 836
miſſo ad Saracenos Legato; qui opum oſtentatione, munerumque largitionibus oculos Barbarorum perſtringeret; & geſſit eam perſonam ſat commode Joannes Syncellus, olim Theophili adoleſcentiæ inſtitutor, ſagax conſilio; at improbus, & paris cum Theophilo erroris aſſertor, futurus brevi Urbis Patriarcha. Is cum plurimum auri, & gemmarum mandato Principis in Barbaros profudiſſet, omnes equidem in admirationem rapuit, ſed una opum Imperii cupiditatem in iisdem maximam accendit. Numeroſis poſtea exercitibus in Imperii fines ſæpius infuſi Barbari bellum continentes aliquot annos geſſere. Non defuit ſuis quoque partibus Theophilus, etſi a fortuna, vel potius, cujus amicos tam importune divexabat, Deo penitus abjectus; prodibat ipſe in aciem non mediocribus accinctus copiis, & fractus licet ſæpe, furori qua poterat bar-

bari-

A) Symeon Logotheta p. 320. B) Continuator p. 42.

A.C. barico ſemet objiciebat, Perſicis quoque Duce Theophobo, in cujus
836 conjugio ſororem habuit, auxiliis adjutus. Perſæ etenim Saracenico jugo, turbisque ſupra modum jactati, ac calamitatum pertæſi, ad triginta armatorum millia in partes Theophili deſciverant, mutatisque ſedibus in cives ab Imperatore, ac connubiorum fœdera admiſſi, peculiarem in minore Aſia Duce Theophobo Legionem conſtituerant. Is Perſarum ſtirpe Regia oriundus a parente domo ſua profugo, vel ut alii prodidere, Legati munere Conſtantinopoli fungente in lucem prodierat; cumque omnes e Regia illa familia, de qua Dominos legere ſolenne Perſis fuerat, interiiſſent, ægre ibidem a Perſis agnitus, ac in Ducem petitus præclaram non ſemel Theophilo cum iisdem Perſis operam bello locaverat, tametſi fraude, & livore Græcanico interitum poſtea pro mercede conſecutus.

Abuchazar Dux Saracenicus cum millibus octoginta ſemet Theophilo objecerat: diſceptatum diu inter Duces Chriſtianos, tecto, an aperto Marte cum ea multitudine foret belligerandum: prævaluit eorum ſententia, qui indecorum Imperatore putabant, ſuffurari magis victoriam, quam collatis generoſe ſignis extorquere ab hoſte numero quidem ſuperiore, Barbaro tamen, & contemnendo. Sed non ea fuit animorum in dimicando, quæ in conſultando ferocia. Poſt acrem dimicationem vis, & numerus Barbarorum prævaluit; Legiones Imperatoriæ, ipſo adeo Principe in diſcrimine relicto, in effuſam fugam præcipitatæ. Imperator ſalutem Theophobo acceptam tulit; is enim ſuorum aliquot millibus circumdatum ad veſperam uſque ab ingruentibus undique Barbaris protexit, ac demum in collem quemdam ſubduxit. Nocte vero concubia ſublato muſico, ceu novæ affluxerint ſubſidio copiæ, gaudii teſte ſtrepitu perculſi, fraudis metu Barbari, & a collis pede longius ſubmoti ſpatium elabendi Imperatori dedere.

837 Defunctus hoc belli periculo vere ineunte rurſus in Barbaros movit Imperator; & tametſi omnibus aliis præliis ſiniſtre conflixerit, hoc tamen anno ſat rem geſſit fortunate; nam & prælio congreſſus ſuperior effectus eſt, & quina, ac viginti Barbarorum millia in captivitatem duxit. A) Hoc fortunæ blandimento illectus altero quoque anno reſumpſit expeditionem, Methodio etiam, cujus ſupra memineramus, ſecum aſſumpto; ſive ut in rebus perplexis illius uteretur conſilio, ſeu magis, ut virum ſummæ apud omnes exiſtimationis ab imaginum veneratione verbis, ſcriptisque prolatanda præpediret. Verum fortunam hac vice propitiam demereri non amplius valuit; alia aliam continenti ſerie excepit calamitas, armis Barbarorum quaquaverſum victricibus. Commiſſo rurſus prælio conſueta in fugam ſocordia Græci proruerunt, Imperatore cum manu Prætoria medios inter hoſtium cuneos relicto. Actum de ſalute illius videbatur; Manuel unus e Ducibus vir cumprimis manu fortis, ac ſtrenuus, ne cum ſummo Chriſtiani nominis dedecore in manus barbaricas Imperator deideret, per medias hoſtium phalanges viam ferro aperit, periculo Principem erepturus, ſed illum ita timor jam debilitaverat, ut ſtupore quodam defixus Manuelem conſequi non poſſet; ſtricto igitur enſe mortem Theophilo, ni ſequeretur, minitans Manuel novo timore non nihil priorem excuſſit, ut conſequi fugientem, inque tutum erumpere valuerit. Manuelem velut ſervatorem ſuum in pretio deinceps habuit Imperator, ſummis in re militari honoribus admotum.

Verum ille quo ſtrenuus magis, ac in aula gratioſus, hoc invidiæ telis magis erat expoſitus; itaque ab hominibus criminari optimum quemque aſſuetis apud Imperatorem inſidiarum accuſatus, ac in ſummum adductus vitæ periculum ad Saracenos, incertum tamen, an Theophilo, an

ejus

A) Ita Continuator p. 52. cujus forte poſtea in fine vitæ Theophili immemor ait, octodecim expeditiones per omnem vitam a Theophilo in Barbaros ſuſceptas, nec tamen vel ſemel rem proſpere geſſiſſe, aut prælio ſuperiorem fuiſſe.

ejus adhuc patre Michaele rerum potiente, profugit. A) Quibus annos A.C.
aliquot ſtrenuam adverſus hoſtes alios operam locarat. Cognita vero 837
viri virtute, atque integritate, interpoſito etiam de ſecuritate jurejurando, revocavit Theophilus, & dignitatibus auxit. Mirum ſane, impune illi manſiſſe apud Græcos profugium, invidiæ malo ſupra alios æſtuare, ac tuta etiam omnia metuere aſſuetos.

Ejusmodi ut ſe invidiæ periculis expediret, Dux Theophili alius, ac una Gener, Moſeles nomine, aliam iniit vitæ rationem. Hunc Imperator locata in matrimonium filia per omnes honorum gradus Cæſarem demum renunciaverat, & cum claſſe in Siciliam, ac Italiam dimicatum cum Saracenis miſerat. Re Moſeles bene geſta (etſi quid rei geſſerit, adnotatum minime reperiam) maximam ſibi in Urbe conflavit invidiam; ut jactaretur, palam exſtare vaticinium, (in ejusmodi enim nugamentis toti erant) quod Moſeli poſt Theophilum Imperium portenderet. Is itaque redux veniam orabat ſecedendi in vitam monaſticam, ſed non impetrabat, quod filiam marito deſtitui nollet Imperator. Ea vero fato functa, inſciente etiam, ac invito Imperatore, ſanctæ ſemet ſolitudini mancipavit Moſeles, regnum conſecutus terreno hoc quietius, & nobilius, quo minus invidiæ expoſitum. Simile quid etſi invito evenit Martinacio Imperatoris affini; Theophilus enim futurorum ſcrutator oppido curioſus e fatidica quadam muliercula, cum inaudiſſet fore, ut poſt Michaelem filium ad Martinaciorum genus Respublica perveniret, Martinacium illum in monaſticum redegit Ordinem, domo pariter in aſceterium verſa; ita metus amittendi olim Imperii, atrox, quo in ejusmodi vitæ genus flagrabat odium, ſuperavit. Eandem Martinaciorum ſucceſſionem Joannes quoque Patriarcha, magicis neſcio quibus incantamentis, Imperatori prædixerat. Ex quo intelligas, quo loco tali ſub capite Religionis tum negotia forent, quamque præceps ad hæreſim in quævis ſcelera exiſtat progreſſio.

Fervebat interea bellum in Aſia, ſed apparatu, copiisque, quam 839
animis geſtum majoribus; utrumque enim exercitum ſibi mutuo obvium, ac terrore perculſum nullo operæ facto pretio ad ſua hoc quidem anno retroceſſiſſe comperio; at reſumptam poſtea rurſus a Theophilo expeditionem, Syriamque procurſionibus infeſtam habuiſſe, geminis quoque Urbibus, ac ipſa Sozopetra, Saraceni Principis patria exciſis, tametſi literis ille excidium fuerit deprecatus. Reduce in Urbem Imperatore turbarum aliquid in exercitu fuit: Perſæ numero jam auctiore Theophobum in Dominum ſibi, ac Imperatorem optabant; verum Theophobus ipſe rejecta dignitate popularium molimina compeſcuit, & Imperator, nequid deinceps Perſica multitudo turbaret, eam per reliqua Aſiæ minoris themata diſpeſcuit; ac Theophobum quidem ceu virum modeſtum, ac frugi habuit in honore, non tamen omni pro Gentis ingenio ſuſpicione purgatum; quem demum ſua virtus, ſuorumque favor, quo nihil apud Byzantinos proclivius, perdidere.

Princeps Saracenus furore ob everſam patriam ſupra modum perci- 840
tus nihil prius habuit, quam everſa Amorio Urbe, Theophili patria, vicem graſſatoribus reponere; in eum finem maximas ex omnibus Provinciis copias contraxit, utque ſui dolorem animi, ac conſilium altius mentibus militum inderet, Urbis illius nomen clypeis inſcribi fecit, prorſus ad illius excidium obſtinatus. Ut patriam ſervaret Theophilus, produxerat quidem luculentum & ipſe exercitum, verum fugæ, quam pu-

 gnæ

A) Fugam Manuel's in quintum Theophili annum refert Symeon Logotheta p. 315. ac ſi regnante Theophilo profugit, credibilius tum profugiſſe; ſed dubitat Continuator, utro imperante profugerit Manuel. Idem Symeon p. 317. ait, Manuelem ex accepto in hoc prælio vulnere brevi oppetiiſſe; ſed refellitur ex Continuatore, & aliis; quibus ille diu ſuperſtes, ac Michaelis filii a Theophilo Curator conſtitutus, multa adhuc præclare egit; ut dicetur; niſi forte duos ejusdem & dignitatis, & virtutis Manueles fuiſſe velis; cujus rei nullum apparet indicium.

A. C. gnæ poſt tot clades aptiorem. Saracenus Princeps numero ſuorum præ-
840 validus bifariam diviſerat militem, quorum alteros ipſe, filius alteros ducabant; ut ſi tentata pugnæ alea minus filio res e voto cederet, alter ſupereſſet exercitus vim propulſaturus. Cæterum in reprimendo Theophilo ſolicitudine tam circumſpecta haud opus fuit; acri equidem ſub initia certamine, & ſat proſpero in Barbaros pugnatum a Græcis eſt, verum millia Turcorum decem, Saracenis tunc militantium, ut rem ſagittis gerere, & vulneribus eminus debilitare Imperatorios cæperunt, non duravit conſtantia. Fuſæ Legiones celerrima ſe fuga, relicto etiam Imperatore periculo eripuerunt; quem tamen Perſæ, cohorsque Prætoria ad noctem uſque depugnando incolumem præſtitere. Nocte vero concubia, dum quidam Perſarum de prodendo Imperatore cum Barbaris colloqui auditi eſſent, clam per tenebras conſilio Manuelis ſe Imperator ſubtraxit. Hæc Perſarum quorumdam perfidia, licet exitum minime ſortita, Theophobo eorum Duci, alia omnia promerito, fatalis poſtea exſtitit.


Victoria hac elati Barbari gemino expoſt exercitu Amorium obſedere, Urbem ab annona, viris, ac ut in extremo diſcrimine etiam ab animis eggregie comparatam, ut nihil omni ſua immanitate Barbaries proficeret; jamque & moræ, & ſuorum cædis pertæſi reditum in patriam apparabant; quippe ſeptuaginta ſuorum millibus, inter oppugnandum imminuti; cum proditione civis cujusdam in Urbem perducti extremam illi perniciem attulere. Cædibus ergo promiſcue graſſatum eſt: multitudo civium in ſervitutem acta; quam cum oblatis centum auri centenariis redimere Imperator vellet, per contemptum rejectus eſt a Barbaris, tantillum ſibi pro captivis offerri quiritantibus ab eo, qui mille antea centenarios oſtentationis cauſa per Legatum profuderit. E captivorum numero viri duo ſupra quadraginta cum Duce ipſo Cratero carceris ſquallorem ſeptennium ipſum perpeſſi, cum nullis pollicitationibus ad Mahometi deliria pertrahi valerent, fuſo ſanguine illuſtrius, quam ſi Urbem præſtitiſſent incolumem triumpharunt. A) Eorum gloria prodigio quoque oſtenſa; nam capita truncis corporum admota, ceu nunquam reſecta forent, ſubito adhæſerunt. B)

842 Porro Theophilus & Urbis ſibi charæ interitu, & reſponſo Barbarorum ultra modum animo commotus, ac dolore, iraque æſtuans, reſtinguendæ ſiti frigida e nive expreſſa uſus, ad ægritudinem animi corporis quoque morbum contraxit; ex quo diu in Urbem relatus languebat, cum interea aliud ex alio infortunium Imperio ingrueret; nam Saraceni ad Thraciæ uſque littora progreſſi rebus vaſtitatem attulerunt; nec eorum reprimi graſſationes poterant; quod jam olim initio ad Thaſſum inſulam prælio Imperator claſſem perdidiſſet. Neque tamen tot admonitus cladibus a perſequendis Orthodoxis, imaginumque proturbando cultu quidquam remittebat; quin ſevere Joannis Patriarchæ, & conjugis Theodoræ obſtrinxit fidem, c) ne ſe mortuo immutari aliquid in Religione paterentur; dignus his affligi malis, niſi ejus calamitas publica populorum pernicie contineretur: verum ita ſunt res Principum, ut raro admodum ſibi unis mali, noxiique ſint, & ab iis ceu a capite in membra languor, ac pernicies fluat. In deplorato hoc rerum ſtatu ad externa corroganda auxilia, Francorum imprimis diffuſam tum potentiam recurrit Theophilus, miſſo Legato Theodoſio, qui opima a Francis ſubſidiorum ſpe acceptus prius illic lethum oppetiit, quam rem ad exitum perduxiſſet; & ſubſecuta quoque brevi Theophili mors Francorum in opitulando alacritatem exſtinxit. Theophilus enim ex contracta ægritudine in dies habebat pejus, diarrhœa vires omnes abſumente. Inter hæc de Imperio, Michaeli filio forte non tres vitæ annos ſupergreſſo, D) relinquendo cura jactabatur; nequa Procerum ambitio, ut factu pronum erat,

A) Hæc omnia diffuſe Continuator p. 58. & 59. B) Symeon p. 318. C) Zonaras p. 120.
D) Symeon decimo Imperii Theophili anno natum ponit Michaelem.

erat, ſucceſſionem disjiceret. Itaque Theophobum, tametſi virum men- A. C.
tis, & fidei integræ, quem ob ſuſpiciones ſupra memoratas in carcerem 842
incluſerat, e fuga data licet ſecuritatis fide revocatum, cum ſibi mortem jam inſtare cerneret, capite imminui juſſit, illudque ad ſe perferri, quod intuitus dixiſſe fertur: nunc neque tu Theophobus, neque ego Theophilus; A) tam ſolicita Imperii eſt etiam media jam in morte ambitio! Vocato deinde Senatu e mortuali lectulo orationem Imperator habuit, qua filioli curam, fidemque impenſe commendabat, flentibus ubertim omnibus, operamque in eo conſervando pollicentibus; ac poſteaquam filium ſub tutela matris Theodoræ, additis rerum curatoribus Theoctiſto Eunucho, Barda Patricio Auguſtæ fratre, ac Manuele militiæ Magiſtro conſtituiſſet, diem ſuum viceſimo Januarii obiit, cum regnaſſet annos duodecim, menſes inſuper tres. Præter hunc, quem diximus, filium, erant illi filiæ quinque; Thecla, quæ Auguſtæ appellatione decorata aliquamdiu titulo tenus Imperio præfuit; dein Anna, Anaſtaſia, & Pulcheria, quas frater Imperio potitus in monaſterium relegavit; ac minima natu Maria, quæ in Alexii Moſelis, quod ſupra tetigimus, conjugio vitam poſuit. Theophilum hunc, etſi peſſime de Eccleſia, Cœlitibusque meritum, poſt fata a ſuppliciis criminum liberatum Theodoræ, ſacrorumque virorum precibus, auctor eſt Zonaras. B) Idem, etſi non perinde exerte, vetuſtiores innuunt, C) rogatos nempe a Theodora Methodium, Patresque alios, ut pro ſalute mariti preces Deo funderent, ac ſacris tabulis nomen inferrent; ſua enim cohortatione ſub extremum vitæ articulum perfeciſſe apud maritum, ut imaginibus ſacris damnato, quo in eas ardebat, furore, reverentiam haberet, erratorumque a Deo veniam poſceret, quod ab eo uberes inter lachrymas præſtitum ſit; atque huic petitioni Methodium tunc Patriarcham, ac reliquos detuliſſe. Mirum ſane: ſi ſalutem, quam tot aliis eripuerat, conſecutus ſit Theophilus! ſed quis immenſæ metas liberalitati, ac bonitati ſtatuere audeat?

FL. MICHAEL.



THeodora pro impubere Michaele filio annos quatuordecim cum laude præfuit, ut Orientalibus optandum jam videretur fæminarum imperium; quarum auſpiciis melius fere, quam virorum res apud eos ſeſe haberent. Diu jam pro revocando imaginum honore clam Imperatrix ſatagebat; tum vero rerum ſummam nactæ nihil antiquius Patrum Religione fuit, ſed verebatur improbitatem firmis adeo nixam radicibus, ac tempore ipſo corroboratam. Animos dubitanti addidit Manuelis, & Theoctiſti curatorum Michaelis religio, qui in res ſacras optime affecti, & præſertim poſteaquam Manuel prodigio valetudinem recuperarat, Imperatrici, ut rem ſine metu aggrederetur, auctores fuere. Vocati in

A) Continuator, Cedrenus, &c. B) P. 120. C) Continuator p. 70. Symeon Logotheta p. 323.

A.C. Conventum Eccleſiarum, & aſceteriorum Patres, ſententiam magnis ſtu-
842 diis pro Divorum imaginibus tulere; quam cum Joannes quoque Patriarcha domi ſuæ tum forte æger rogatus eſſet, intellecta Theodoræ, & Patrum ſententia, ſceleſtum plane, ut erat, fraudulentumque ſe præbuit. Ut enim Urbem ſeditione adverſus talia molientes compleret, ipſe ſibi lanceola venas, qua nihil metuebat gravius, aperuit, rumore in populum didito, velut ſi Imperatrix milites ad necandum Patriarcham immiſerit, qui vulneribus miſerum in lecto confecerint; hinc vociferatio, ac concurſatio populi Theodoræ crudelitatem ſugillantis. Et atrocibus res turbis involvenda erat, niſi Bardas Patricius extemplo a Theodora ſubmiſſus, certiſſimis fraudem Patriarchæ indiciis detexiſſet, atque improbitate ipſummet ſua confutatum Præſulatu ejeciſſet; hominem non pravo ſolum de Religione ſenſu, verum etiam magicis artibus, occultisque aliis criminibus, Sacerdotio, quin vita ipſa prorſus indignum. Obtinuit ejus locum Methodius certaminibus pro veritate obitis, morum integritate, ac ſapientia celebratiſſimus. Hoc itaque Duce imagines Cœlitum priſtino loco, & honori reſtitutæ, deterſa ex animis contraria de iisdem perſuaſio, damnati partium adverſarum anteſignani, ac dies, quo ſolenni cum cerimonia hæc peracta ſunt, perpetua ad poſteros religione conſecratus. A) Ringebatur ad hæc, ſed incaſſum improbitas; Joannes ne in ſuis quidem latibulis a veſania quidpiam remittens, imaginem Salvatoris ſupra caput poſitam intuitus, æquis ferre oculis non ſuſtinuit, quin ſuorum cuidam præcepit, oculos ut imagini exculperet; res ad Theodoram delata ſic eam commovit, ut excæcationis ſententiam in pervicacem ferret; verum ea executioni data non eſt; ducentis tamen plagis tergori impoſitis infaniam luit. B)

843 Quid non furor livori permixtus attentat? idem ille Joannes conflictis in Methodii famam calumniis per appoſitos ad id homines graſſari cæpit. Hi Patriarcham adulterii reum peragunt, muliere multo pretio conducta, quæ rem ſibi cum eodem fuiſſe dejeraret. Commovit univerſam Urbem accuſationis tam atrocis, tantoque teſtium apparatu inſtitutæ expectatio. Convenit in Cœtum maxima virorum utriusque ordinis multitudo; quorum alios veritatis odium, alios viri perſpecta integritas, reique inſolentia pertraxerat. Hic cum accuſatorum turba periculum creat Methodio, mulierçula quoque ipſa ſcelus in os viro Sancto objectante, attonitis dolore aliis, aliis viri calamitatem in lucro ducentibus; nec jam objecta refelli ulla ratione, ac infamia depelli poſſe videretur, Divino is quodam æſtu correptus, cum videret infamiam hanc ad perniciem Religionis pertinere, inauditam ad id temporis defendendi ſui rationem iniit: palam conſurgens partes, quas pudor celavit, profert, ac oſtentat adeo flaccidas, & exſuccas, nihil ut in iis appareret cum aliis commune, omninoque ei, cujus arceſſebatur ſceleri ineptas. Hic vero ſtupere omnes viri ſanctimoniam, accuſatores rubore ſuffundi, indignari plerique tantam in Urbe criminandi audaciam. Mulier demum quæſtioni ſubjecta fabulam ipſa detegit; nec commeritum effugiſſent ſupplicium accuſatores, ni Methodii obſtitiſſet manſuetudo, contenti ea pœna, ut quot annis ſtatuto die publice in ædem Sophiæ progreſſi, dictum in caput ſuum ob odium in imagines ſacras anathema auribus ipſi ſuis exciperent. Porro Methodius eam corporis imbecillitatem ſui demirantibus recenſuit, qualiter Romam profectus, ardentique libidine jactatus precibus ad Petrum Apoſtolorum Principem fuſis ſenſum, ejus mali omnem in perpetuum amiſerit. Ita demum de impudentia caſtimonia triumphavit, & triumphi quidem genere, quod cadere in ejusmodi virum non poſſe videbatur; at enim mirabilis in Sanctis Deus.

Reli-

A) Sacer hic dies ἑορτὴ ἐορτῆς dicebatur, eratque prima quadrageſimæ Dominica. Symeon p. 324. B) Symeon reipſa excæcatum fuiſſe ſcribit; Continuator, Cedrenus, aliique verberum pœna mulctatum.

Religionis negotio pulcherrime adminiſtrato, penitusque profligata A.C.
Iconomachorum hæreſi, ad bellum cum Saracenis gerendum ſolicitudinem vertit Theodora, Duce uſa Theoctiſto. Is Cretam cum prævalida claſſe aggreſſus ſiniſtram habuit fortunam, non citra cladem a Barbaris rejectus, quam illi prævaricatio quorumdam e comitatu accerſiverat; hi auro a Barbaris empti rumorem ſparſere ſubitaneum, Theodoram Urbe pulſam, novum Imperatorem creatum; cui parum conſiderate fidem habuit Theoctiſtus, continuo ad ferendum auxilium regreſſus; hanc fugam in rem ſuam vertere Barbari, & exercitui detrimentum attulere. A)

Inſequente anno ductis Princeps Saracenus in Chriſtianos copiis, 844
atque cum eodem Theoctiſto prælio commiſſis rurſus ſuperior fuit, exercitu immodica cæde mulctato; quæ infelicitas non parum de Theoctiſti auctoritate detraxerat; non tamen ob virtutis opinionem de Theodoræ gratia. Ut ſe res poſtea cum Barbaris habuerint, an pace compoſitæ, an ii ad alia bella avocati, incertum. Nihil per conſequentes annos belli cum iis Theodoram habuiſſe comperio.

Lætior exin Reipublicæ fuit adminiſtratio; Bulgari hoſtes antea By- 845
zantinorum perpetui, non ad amicitiam modo, verum etiam ad Chriſtiana ſacra traducti illuſtris Theodoræ exultandi materies fuere. Rex eorum Bogor, ingenio ferox, bellum Theodoræ denunciarat, quo illa minime deterrita generoſo Bogorem reſponſo ad quietem compoſuit: equidem copias in eum miſſuram ſe, & ſiquidem Bogor vinceretur a fœmina, maculam ejus nomini perpetuam inhæſuram; ſin vinceret, nihil magnæ laudis e fœminea victoria habiturum. Quievit igitur a bello; ſed ſororem Byzantio captivam repetiit, Chriſtianis ibi ſacris initiatam, atque a Theodora probe imbutam; quæ permutata cum quodam Theodoro Sacerdote, qui prius multa jam Regi Barbaro, ſed fruſtra de Religionis Chriſtianæ ſanctitate ingeſſerat. Cupiebat ſoror Bogoris ejus boni fratrem efficere compotem, quod ipſa e captivitate retulerat; ſed ferocius illi fuit ingenium, quam ut ſuavi illud Chriſti jugo ſubmitteret. Ingruentes demum peſtis, ac famis calamitates fregere hominem. Pollicita ſoror fratri malorum amolitionem, ſi Chriſti fidem amplexurum ſe promitteret, in cauſa fuit, quod malo remittente Bogor ad ſincera ſemet ſacra aggregaverit, Michaelis nomine, concordiæ, atque amicitiæ teſtandæ gratia ſumpto. B) Acceſſit & alia cauſa, quæ vel ad maturandam, vel confirmandam ejus Religionem valuit: Methodius pingendi arte celebris monachus, rogatus eſt a Bogore, imaginem ferarum ſimulacris, quæ ad percellendos terrore animos plurimum valeant, apte diſtingueret, ſcenam aliam protulit terroris plurimum in ſe continentem: ſupremum nempe mundi diem, Judiciique illius horrorem tam aptis expinxit coloribus, ut aſpectu illo attonitus Bogor, de vita ad Chriſtianæ Religionis leges penitus conformanda ſeriam cogitationem ſuſciperet. Et fortis in propoſito fuit, tametſi ob eam mutationem ad rebellionem ſpectarent populi, & Regem dedignarentur. Hos ille parva manu fractos ad eandem ſuſcipiendam omnes compulit; ut vel invitos ejus felicitatis redderet participes, qua præſtare ſubditis majorem nequibat. Ut vero multitudo Bulgarorum habitaret latius, montium anguſtiis conſtricta, regionem ad Debeltum poſitam, Zagoriæ nomine, tunc deſertam, a Theodora petiit, ac obtinuit, fidem, amicitiamque pro ſe, ac ſuis perpetuam pollicitus. C)

Pro-

A) Leo Grammaticus p. 364. Symeon p. 325. B) Diſſidet a reliquis Symeon p. 325. qui Bogorem apparatu bellico perterritum & exercitu, quem in illum Michael produxerit, ad ſacra Chriſtiana & amicitiam Imperatoris transgreſſum eſſe prodidit; nihil de hac expeditione alii. Leo Grammaticus p. 366. ait quidem, graſſatores Bulgaros per cohortes fuſos eſſe, & eorum regionem Imperio ſubjectam, ſed id Theodora adhuc rerum potiente, ut inferius ſequitur. Credibilius autem multo, pietate, & ſtudio Theodoræ, quam armis ignavi Michaelis Bulgaros ad ſacra Chriſtiana traductos. C) Continuator p. 75.

A.C. Progreſſionibus hiſce in Religione prolatanda tam ſecundis animata
845 Imperatrix ad Manichæorum quoque toto Imperio, ſed cumprimis in Aſia ſparſum errorem exſcindendum curas vertit; qui licet demens, ac ſæpe pro merito male acceptus, inveteraverat tamen pluribus ſæculis in oriente, ac plurium commixtione ſordium ſic increverat, ut intolerandus evaderet. Ad hos rectæ fidei aggregandos armatam cum Ducibus manum miſit Theodora; neque enim obſtinatio, ac ſcelerum licentia lenioribus vinci remediis poterat; hi tamen Duces ſeverius, quam pro Chriſtiana manſuetudine rem gerere viſi ſunt. Cæſi diverſa per ſupplicia, quotquot in perniciem ſuam error obfirmaverat. Conſtans omnium eſt relatio: centum hæreticorum millia ea occaſione ferro eſſe deleta; factum ſane cruentum, & inviſum, ac jure ab omnibus deteſtandum! niſi forte in hæreticos, id eſt, ſcelerum omnium ſentinam patratum eſſet. A)

848 Adoleſcebat inter hæc Michael non ætate magis, quam ſceleribus, nactus Pædagogum hominem clam perditiſſimum, qui mollem illius animum, ac forte ſuopte ingenio ad res malas proclivem, ſic fingebat, ut monſtrum ex eo ſpurciſſimum, non Imperatorem effingeret. Factum id præcipue vitio Bardæ fratris Theodoræ; qui curator Michaelis cum eſſet, ſtrenue dabat operam, ut is inquinatis moribus, ac vitæ turpitudini a puero innutritus Imperio regendo impar, ſibi illud pro arbitrio tractandum fineret. Quam mature in ſcelera Michael impulſus ſit, inde liquido conjicias; quod annum vix natus tertium decimum, B) jam infandis Eudociæ Ingerinæ, mulierculæ parum pudicæ amoribus ſeſe implicuerit; & pro bonis, ut decebat, artibus helluari ſolitus ſit. Angebat tam matura filii nequitia Theodoram, quæ illicitos ab ejus animo amores, cum aliud non ſuppeteret remedium, licitis exturbare adniſa, aliam illi Eudociam, Decapolitæ filiam, moribus priori diſſimilem conjugio copulavit; ac in id incubuit, ut a perverſa vitæ licentia filium abſtraheret; verum eluſit piam matris ſolicitudinem impia primæ ætatis inſtitutio; quæ res tanti ad omnem vitam Reique publicæ ſalutem momenti commendabitur ſemper, nunquam tamen pro eo, ac debet, ab hominibus æſtimabitur.

851 Summam dein per annos aliquot ſub Imperio Theodoræ tranquillitatem interturbarunt Bulgaricæ graſſationes, ſive eorum, qui Regi Bogori, ac Chriſtiano jugo ſubdi renuebant, ſive regreſſa ad ingenium Gens fuerit prædationibus aſſueta. Adverſum quos miſſæ cohortes ita rem geſſerunt, ut non reprimerent modo impetum furentium, ſed vice quoque repoſita ad modeſtiam componerent. Grave quoque ſub idem tempus domi acceptum eſt damnum, morte viri Sanctiſſimi Methodii; dolorem tamen mitigavit ſuffectus in locum Ignatius, ille Michaelis quondam Imperatoris filius, priori & doctrina, & vitæ ſanctimonia geminus. Nec præterea annis conſequentibus Theodoræ quidquam memoriæ commendatum invenio; crediderim alta pace compoſitum Imperium nullam tunc ſcribendi materiem ſuffeciſſe.

Læta ergo ſub Theodora omnia; ſed eam angebat vehementiſſime præceps in majora ſemper ſcelera Michael filius; quem nec tractare pro voluntate poterat, annis iis propiorem, quibus arbitrii jam ſui, ac Imperii compos futurus erat; vallatum præterea Bardæ avunculi, aliorumque ſceleratorum auctoritate, in quos ob potentiam nihil Imperatrix poterat; is ergo non privatus ſolum, ſed palam in aulæ, & Urbis conſpectu, peſſima quæque deſignabant facinora, crapulæ, commeſſationibus, & quæ iſta conſequi conſuerunt, ſordibus immerſus. Quin ut omnem jam animo

A) Cedrenus p. 425. crudelitatis inſimulare factum illud videtur, multasque exin turbas, & bella enata. B) Symeon Michaelis ortum in Theophili annum decimum refert, has vero nuptias in ſeptimum annum Theodoræ; vix ergo decennis tum fuit Michael, ut ſuſpicio ſit, mendum in annum irrepſiſſe; præſertim cum idem eodem loco dicat; τὸ βασιλέως Μιχαὴλ ἀνδρωθέντος Michaele in virum adoleſcente datam uxorem; præmature tamen fuiſſe deſponſam ei conjugem, ex aliis quoque conſtat.

animo Dei timorem expuliſſe ſe oſtenderet, ſacra Religionis myſteria A.C.
mimice per jocum traducebat; quosdam enim e ſcurrarum grege Sacer- 851
dotali amictu ornatos primarum Antiſtites Urbium, Gryllum vero quendam horum coryphæum Patriarcham Urbis compellabat, atque horum immixtus gregi mimicis geſtibus, & vociferationibus, verbisque ſpurcidicis ſacris myſteriis perditus illudebat; & ea traducebat, quæ vel nominare præ reverentia probi non audeant; quin publicas quoque per ludribrium & jocum cum iis ſupplicationes duxit Ethnico, quam Chriſtiano Principi ſimilior. Indignum prorſus memoratu: ut Theodoræ cum iſto nebulonum choro illuſerit; Gryllum hunc ſuum Patriarchalibus indutum ornamentis in palatio collocat; tum matri nunciat: adeſſe Patriarcham Ignatium, illius ſalutandi eo ſeſe inferret. Imperatrix audito Ignatii nomine continuo venerabunda accurrit, ornamentisque iis deluſa, ac humi provoluta, bene ut ſibi precaretur, ſupplex poſtulat; tum fœdus ille nebulo edito ventris crepitu, his inquit quæ habemus, te Imperatrix impertimur. Obſtupuit ad tam atrox filii facinus mater, acriter inſectatur impudentem, & vitam infelicem, dirumque exitum prænunciat. A)

In hunc modum cum videret Manuel unus e Curatoribus profliga- 855
tam Bardæ fraudibus, Michaelis adoleſcentiam, nec tutam virtuti inter tot ſcelera commorationem, aula relicta ad privatam ſe vitam retraxit, ut ſalutem ad minus conſervaret, quando auctoritatem jam non licebat. Quod provide equidem ab eo factum; nam Theoctiſtus ejus Collega, Bardæ fraude, & Michaelis ſcelere brevi interiit. Severo is, ac ſubtriſti vultu diſplicere ſibi Michaelis turpem vitam ſæpe cum oſtendiſſet, in odia utriuſque incurrerat; acceſſit nequiſſimi illius Pædagogi improbitas; qui cum præmium egregiæ ſcilicet operæ educati Michaelis a Theoctiſto dignitatem quandam in Republica ſibi imparem poſtulaſſet, B) repulſam paſſus, clientem ſuum ad Theoctiſti exterminium perpulit; cum jactaret, illum non aliud agere, quam ut ducta in conjugem Theodora, aut una ex filiabus ſublato Michaele ex Curatore Princeps fieret. Igitur Theoctiſtus Michaelis imperio dum aula egrederetur, ab aulicis eſt interfectus. Cohorruit ad viri tantæ auctoritatis tam inexpectatam a filio improbiſſimo cædem Theodora; lamentis itaque ac ejulatu implere omnia, execrari filium cæde tam injuſta pollutum; nec conſolationem ullam, etſi id quam maxime ageret Michael, admittere; furore itaque in eam quoque incenſus, ab adminiſtranda Republica ſubmovet; ut cui regendæ par quidem per ætatem, non item per ingenium, vitamque flagitioſam jam erat. Theodora, ne turbis miſcerentur omnia, reddita prius de adminiſtratione ſua in Senatu ratione, ſimul vi magna pecuniarum, quas induſtria ſua paraverat, repræſentata Imperio deceſſit. Erant vero auri centenaria mille nonaginta, argenti tria millia; quæ illa cum Imperio filio velut alteri Phaetonti peſſumdanda in manus dedit, adque tranquilliorem vitam cum filiabus ſeceſſit; ſed ne hac quidem gaudere filii improbitate diu conceſſum eſt; namque cum filiabus in Monacham poſtea attonſa, & opibus omnibus ſpoliata, privatim, & in egeſtate vitam finiit virtutibus ſuis, ut in Cœlitum numero, quorum honori uſque adeo proſpexerat, a poſteris haberetur, promerita. c) Ferunt nonnulli, ejus fortunæ impatientem Theodoram quosdam ex aulicis ad cædem fratri Bardæ inferendam

A) Fuſe hanc Michaelis impietatem depingunt Continuator p. 92. & alii. B) Zonaras p. 123. Idem hic eſt Theoctiſtus, qui in liberando Michaele iſtius avo operam ſuam olim contulit; creatus Caniclæo Præfectus; quam dignitatem præcipuam fuiſſe exinde liquet; quod poſt cædem Bardas eam in ſe tranſtulerit; de hac multæ ſunt conjecturæ; verius dictum a cura Caniclii, ſive inſtrumenti, in quo aſſervabatur liquor purpureus, quo ſubſcribebant diplomatibus Imperatores; Cancellarii igitur, vel Secretarii munere fungebantur, quibus Caniclæi cura erat. Vide Annotationes ad Codinum p. 32. c) Theodoram brevi defunctam eſſe, & Continuator, & alii poſt eum prodidere. Symeon p. 339. Leo Grammaticus p. 373. Superſtitem filio faciunt; cum cæſo poſtea Michaele ajunt cadaver ejus a matre, & ſororibus eſſe defletum.

A. C. dam appoſuiſſe; ſed eos in conamine deprehenſos capitis fuiſſe damnatos; verum notam hanc a Theodora depellunt, & mores illius religioſiſſimi, & antiquiorum de re tanta ſilentium. A)

856 Sui jam juris Michael publicis negotiis avunculo Bardæ permiſſis totum ſe perpotationibus, aliisque turpitudinibus dedit, non modo per eum non retractus, ſed etiam impulſus. Longum foret, facinora illius amentiæ plena percenſere; ab uno vel alio exemplo de aliis conjecturam facere licuerit. Ingentes, quas diximus, opes in viliſſima quæque capita ſic brevi profudit Michael, veſtigium ut vix earum appareret. Cum quis e ſcurrarum grege dixiſſet, feciſſetque riſui commovendo aptum quidpiam, complures auri libras præmii loco auferebat; horum quispiam impudentior aliis ſcurra, quod in convivio Imperatore coram facem crepitu ventris exſtinxiſſet, centum auri libras abſtulit; alius quinquaginta, plures, paucioresve alius prout in ſcurrilitate plus, minusve excelluiſſet. B) Hiſce profuſionibus exinanito brevi ærario, cum poſtea pecunias belli uſus poſceret, neceſſe habuit ſtatuas aureas, ac argenteas in monetam conflare. Ludorum circi multo, quam Imperii major illi cura fuit; ipſe enim abjecta Imperiali Majeſtate auriga in circo decurrebat, ſique curſu vicerat, triumphabat magis, quam ſi hoſtem debellaſſet. C) Cum procurſionis Saracenicæ in circo decurrenti fama eſſet allata, tulit indigniſſime in negotio, quod ſibi multo plus curæ eſſe dictitabat, ſe interpellatum. Jam ea, quæ privatim agebat in palatio, nihilo erant meliora; quotidiana pene crapula obrutus, ut non immerito Ebrioſi cognomentum ei vulgo adhæſerit. Funeſta hæc erant Reipublicæ; ſed illud plus multo noxium ipſi quoque Michaeli; quod homines abjectiſſimæ ſortis minima, quæ ipſi arriſiſſet, de cauſa ad ſummas in aula dignitates protulerit; ejusmodi erat Baſilius quoque Macedo, quem e Senatoris cujusdam ephebo ſupremum equorum Curatorem (Protoſtratorem dicebant) crearat, non alio, quam lacertorum firmitate, & formæ elegantia commendatum, qui indomitum Imperatoris equum prehenſa fortiter auricula ad manſuetudinem traduxerit; D) hunc in Collegam quoque demum in Imperio adſcivit Michael, ab eodem grati animi vice interfectus.

857 Interea bellum a Michaele, vel Barda potius Cæſare, verum inconſulte adverſus Saracenos eſt ſuſceptum; quod illatumne fuerit, an defenſum, incertum eſt; nec cauſa illius profertur. Maximo contracto exercitu Samoſatta contendit Imperator, Urbem amplam, ac Barbaris ſubjectam, nihil de ejus occupatione dubius. Tertium jam diem affuſæ hærebant copiæ, cum feſto Paſchæ, nihil tale opinantibus Chriſtianis, & ad incruentum ſacrificium, ac myſteria percipienda intentis, cum improvidentia Ducum non ſatis de excubiis, ac munimentis proſpexiſſet, Barbari ab Urbe profuſi luculentam ſine certamine victoriam obtinuerunt; cæſi militum plurimi: Imperator arrepto vix equo ſalutem reperit: Tribuni, ac honoratiores ad centum comprehenſi, quos lytro poſtea depenſo redimere Imperator neceſſe habuit. E) Ita nec myſterii illius ſanctitas Imperatorem ſceleratum a pernicie texit.

859 Annus unus, & alter fluxerat, audito Michael triginta Barbarorum millia in fines hoſtiliter invecta, quadraginta adverſus eos millium duxit exercitum; ſed dedignata turpem hunc Ducem ſequi, victoria iterum hoſtium fuit. Victus Michael cum ſuis in collem aſperum ſe fuga retraxerat; verum hoſtes circumfuſi ingenti eum metu compleverunt; nec evaſiſſet diſcrimen, ni Manuelis illius, qui patrem quoque ſimili ex periculo eripuerat, virtus ei opitulata eſſet. Is cum lecta manu Imperatorem plebeo amictu indutum per medios hoſtium cuneos hæſitantem licet

A) Symeon p. 327. Leo Grammaticus p. 367. Silet de hoc Continuator, & poſt eum alii. B) Hæc & plura ejusmodi Continuator. C) Symeon p. 328. D) Leo Grammaticus p. 364. E) Continuator p. 81.

cet præ pavore, incolumem tamen fortiter abduxit. Atque poſtrema A. C.
hæc fuit Michaelis expeditio; nam infortuniorum, ac metus ſatur in circo ſibi dehinc, quam cum Barbaris decertare ſatius duxit.

Itaque cum anno rurſus altero Princeps Saracenus Armeniacum the- 860
ma cum quadraginta millibus ferro & igni vaſtaret, Petronas alter Michaelis avunculus in hoſtem cum exercitu profectus, non tam virtute militari, quam ſummo Numinis beneficio rem præclare geſſit. Divinus enim quidam aſcetes Dei admonitu victoriam pollicitus eſt Petronæ, ſi imago dilecti Chriſto Joannis ſcutis militum adderetur; A) factum id non cunctanter a Petrona: Princeps Saracenus, cum ſe inter juga montium cum exercitu induiſſet, a Chriſtianis undique circumſeptus, exitu adempto ipſe cum ſuis conciſus magno Chriſtianos gaudio complevit; etenim Barbari tanta clade fracti altam dehinc tranquillitatem Orienti præſtitere. At Petronæ poſtremum hoc laborum fuit; cum vate illo ſuo, ab eodem invitatus, brevi ad meliorem vitam abiit.

Alto hoc a bellis otio Imperator, & Bardas ad animi remiſſionem, & ſcelera abuſi majus ferro hoſtili Reipublicæ nocumentum attulerunt, & flagitioſis ipſi exemplis, & pravis deſignationibus prorſus intolerandi. Michaele temulentia perpetim obruto, aut circi ludis diſtento, Bardæ, unius viri verſipellis, & nequam arbitrio res agebantur; qui Cæſar quoque dictus in tantum potentia proceſſerat; ut Imperatori quoque formidandus exiſteret. Hic tamen Bardas inter mala plurima ab eo laudem tulit, quod emortuas veluti apud Græcos, & toto pene Orbe bonas literas in vitam revocarit, publicis in Urbe ſcholis conſtitutis, ac Leone quodam Philoſopho eruditionis laude clariſſimo iisdem præpoſito; in quibus Philoſophia, Geometria, Aſtronomia doceretur; ne vero corporum cura mentem a contentione literaria abſtraheret, ampla Præceptoribus ſtipendia conſtituit. Leo hic Philoſophus magna jam antea clarebat doctrinæ fama; quæ ad Saraceni Principis aures allapſa ita eum commovit, Geometriæ præſertim diſcendæ, ſuisque proponendæ cupidum, ut ampliſſimis eum præmiis invitaret; quin Theophilo tum imperanti pacem, ac centum auri talenta muneris loco obtulerit, ſi virum ad ſe proficiſci ſineret. B) Tam generoſa ſciendi cupiditas in homine Barbaro ardebat; nec immerito: vir enim bellis exercitus odoratus bene fuerat, quantum in hoc genere Geometria, affiniaque ei ſtudia poſſint. Ut vero adoleſcentiam ad hæc ſtudia concitaret Bardas, non auro ſolum, ſed præſentia quoque ſua animabat literas, ſæpe exercitationibus adoleſcentiæ permixtus. Et hæc quidem præclara; ea vero, quæ ſequuntur, quæ oratio pro merito inſectetur?

Prava victus libidine repulſa a thori ſocietate conjuge, turpiter cum 862
nuru ipſe ſua miſcebatur; id cum certo Patriarcha Ignatius comperiſſet, nec monitionibus apud hominem arrogantem, & libidine furentem proficeret, ſacrorum communione repulit. C) Incenſus ſupra modum hac contumelia Bardas, innumeris virum hunc Sanctum calamitatibus exercuit, confictis accuſatum ſceleribus exturbavit Patriarchatu, ac ſepulchro Copronymi (cujus cadaver flammis uſtulavit Michael) incluſum verberibus, frigore, inedia afflictabat; poſtea de inſula una in aliam de carcere in carcerem trahebat, virum & eo loco progenitum, & ſanctitate ſpectatiſſimum; ut his confectus ærumnis manu ipſe ſua Præſulatu ſemet abdicaret; ad quod tamen faciendum induci nunquam valuit; vir ad prodigium fortis, & adverſis omnibus longe ſuperior. Nec in Ignatium modo, verum in omnes, qui ab eo ſtabant, & dejectioni adverſabantur, furore Bardas profuſo ergaſtula complevit; alios vero leviores ſpe Patriarchatus oſtentata traduxit in partes; in quem demum ſubvectus ab eodem eſt Photius; vir & eruditione, & improbitate magnus,

A) Continuator p. 84. B) Idem Continuator, qui fuſe Leonis vitam hujus & ſtudia deſcribit. C) Leo Grammaticus p. 368.

A.C. ex homine profano, a ſecretis quippe Imperatori fuerat. Hunc Photium
862 ceu virum inſignem Scriptorum plerique laudant; at Symeon Logotheta A) hominem depingit omni turpitudine contaminatiſſimum, magum, hæreticum, ac ethnicum potius, Dæmonis mali familiaritate irretitum, quem cum mater geſtaret utero, draconem ſibi geſtare viſa ſit; idque a viro quoque quodam Sancto Divinitus conſpectum. Cum vero jam Patriarcha Crucem pro aris attolleret, viſum ab alio ſerpentem, qui ſpiris manum ejus Cruci innecteret; viro cuidam ſolitario apparuiſſe malum Genium, qui ſe Photio ab obſequiis eſſe dixerit, pluraque id genus. Quam vero frugi eſſet, ab eo, quod cum Michaele inire ſolitus eſt, certamine, liquido conjicias: uter nimirum plures epotare calices poſſet; cum vero Michael quinquaginta exſorbuiſſet, decade integra ſuperior fuit Patriarcha; egregium videlicet inter prima duo Orientis capita prælium! Idem ille Photius quantopere fraudum artificiis valuerit, exinde liquet; quod non modo venales, mobilesque Græcanicæ Eccleſiæ Præſules, ſed Legatos quoque Romani Pontificis ad damnationem Ignatii pertraxerit. His acceptis Pontifex Nicolaus damnavit Photium cum adhærentibus, ac Legatos una ſuos prævaricationis reos. B) Idem Pontifex viciſſim a Photio anathematis, ſed bruto fulmine eſt percuſſus; tumque ſciſſionis inter Græcam, Latinamque Eccleſiam, hodieque miſerabiliter perdurantem poſita fuere fundamenta, eo capite, quo dignius, aptiusque hæreſis, & improbitas optare non potuit.

865 Perdurantibus adhuc hujuſcemodi in Religione turbis, gravem Urbi metum incuſſere Ruſſi graſſatores a Ponto ducentis navibus advecti; hi circum Urbem ferro plurima populati mari eam cinxere; ut Imperator, qui tum in expeditionem Saracenicam proficiſci parabat, Urbemque abs dubie præſidiis idoneis nudarat, cum difficultate in eam penetraverit. Cum vero in humanis præſidii parum, aut nihil ſupereſſet, ad Divina recurſum eſt: Michael igitur cum Photio, ac pleraque civitate ad Blachernenſem Sanctæ Dei Parentis ædem profecti, illius veſtem religioſa ſupplicatione ad mare deferentes extremam oram aquis tinxere; C) qua vix peracta cerimonia tanta cœlo antea ſereno in mari exorta eſt procella, ut quaſſatæ Ruſſorum naves, & disjectæ ab Urbe fuerint, ac ſpes eorum infractæ. Quo prodigio credibile, non parum Photio auctoritatis, ac venerationis accreviſſe. Hic vero Virginis Sanctiſſimæ admirere bonitatem; apud quam plus fiducia Urbis in ſe repoſita ad opitulandum, quam tanta Principum in ea improbitas ad odium valuerit.

866 Eo demum, qui interitum Michaelis anteceſſit, anno Byzantina aula factionibus, perjuriis, cædibusque infandis ſupra modum eſt concuſſa; in tantum enim eorum accreverant vitia, ut ea nec ferre jam ipſi poſſent, nec niſi majoribus ſceleribus, & fraudibus emendare noſſent. Baſilius Imperium poſtea conſecutus, ac ex infimo ad ſumma quæque perductus prima in his tragœdiis perſona fuit, etſi diſſimulet hæc vitæ Scriptor Conſtantini nepotis, hujuſce Baſilii juſſu magnifice res illius proſecutus. Itaque Senatores plerique infinitæ Bardæ Cæſaris potentiæ pertæſi, ac ſibi quoque ab ea metuentes, Baſilius cumprimis, qui ob gratiam apud Michaelem Cæſari ſpina in oculis fuit, perditum cupiebant Bardam Michaelis flagitiis ad potentiam ſuam turpiter abutentem. Sed obſtabat Imperatoris tarditas, nihil de Barda ad animum admittentis, ejusdemque Cæſaris militum plerorumque favore egregie ſuccincta potentia.

A) P. 333. Photius ab eruditione merito laudem tulit; non item a vitæ probitate; quam tamen innuere Scriptores alii videntur: Zonaras p. 161. ἄνδρα ἐπίσημον virum inſignem vocat. Continuator Photio deprecante apud Deum in Ruſſicas naves tempeſtatem ait immiſſam p. 90. Symeon hic, qui ſic Photium depinxit, videtur non diu poſt vixiſſe, ait enim de Dæmone, qui Photio familiaris erat loquens: διηγήσατο ἡμῖν Ιωάννης ὁ ἡσυχαστής. Narravit nobis Joannes Solitarius, &c. B) Annales Eccleſiæ ad annum Chriſti 863. C) Symeon, & Leo Grammaticus p. 371. addit Continuator p. 90. Ruſſos brevi Legatos pro ſacris Chriſtianis ſuſcipiendis miſiſſe; verum eorum converſio ſerius contigerit.

tentia. In id igitur toti incumbunt; ut primum Bardam ex animo Mi- A.C.
chaelis, deinde ab Urbe abſtractum vita quoque exturbent. Sed res 866
hæc operoſior fuit, quam ut levi fraude confieret; ab imis igitur fundamentis omnia fuere commovenda. Baſilius Accubitoris dignitate recens ornatus perſuadet Symbatio Bardæ Genero (A ipſum in amoribus Imperatori eſſe, certoque Cæſarem renunciandum, ſi modo Bardæ auferri ea dignitas poſſet; ac tantum in Symbatio ambitio valuit, ut nec naturæ jura reveritus protinus in ſoceri excidium conſpirarit; idque ipſum agebat Baſilius, ut Symbatii e Bardæ intimis accuſationi promptius Michael fidem haberet, atque ita hominem perderet. Symbatius jurejurando Michaeli affirmat: Cæſarem in illius interitum conſpiraſſe, nec aliud, quam opportunitatem rei perficiendæ expectare. Exin infeſta omnia inter Michaelem, & Bardam eſſe, ſuſpicionibus agi omnia, miſcerique.

Inſtituta poſt hæc in Cretam expeditio adverſus Barbaros eſt, in quam Michael, & Bardas ituri erant; ſed hic præſagiis non unis, ac inſomniis a profectione terrebatur; viſus enim ſibi videre erat, ſe in ædè Sophiæ ad thronum, in quo Divus Petrus ſederit, perductum, & Ignatio vindictam ſuppliciter expoſcente, Geniis duobus traditum eſſe concidendum. B) Cum igitur ab Urbe inſidiarum metu diſcedere dubitat Cæſar, Imperator, ac Baſilius ad Divæ Sophiæ cum eodem progreſſi præſente Patriarcha calamis, quod dictu horrendum, in Sacroſanctum Chriſti Sanguinem tinctis jurijurando ſubſcripſerunt, quo de ſecuritate Bardæ præſtanda cavebatur. C) En quo jam fraudes, & perjuria apud Orientales proceſſerant! Profectione cum exercitu inita, ac caſtris in Thracenſium regione poſitis, forte evenit, ut humiliore loco Imperatoris tentorium, Cæſaris vero eminentiore poneretur. Ex hac occaſione impellere Michaelem inimici in Bardam jam alia accuſatione præventum, faſtum ejus, ac audaciam exaggerate oſtentare; quo demum factnm, ut Imperator in ejus necem conſentiret. Altero mane cum de profectione ſermonem collaturus in tentorium Imperatoris Cæſar veniſſet, acceptus magnifice cum eodem conſedit; inter colloquendum vero gravi a Baſilio ictus vulnere, D) & a Symbatio, reliquisque fœde conciſus interiit; interire quidem, ſed non per tot ſcelera, & perjuria digniſſimus. At Imperator, & Baſilius velut ejus ſolum cædis patrandæ expeditionem iniverint, confeſtim in Urbem recurrerunt, forte militarem veriti ſeditionem, quos Bardæ cædes non parum efferaverat.

Unus jam totum Michaelem poſſidebat Baſilius, turpi aſſentatione quidlibet ejus gratia perpetrare auſurus: illius enim juſſu conjugem quoque repudiarat ſuam, ut Ingerinæ Michaelis concubinæ jungeretur, E) ac quaſi una conjux non ſat eſſet, Theclam quoque ſororem ei deſpondit Michael; credo, ut ea ratione viam illi ad Imperium muniret. Et enim ab expeditione redux, cum nec liberos haberet ipſe (Conſtantinum enim ſerius ex Ingerina ſuſceperat) F) nec adminiſtrando ipſe Imperio foret, Baſilium in Collegam adſcivit, eundemque manibus ipſe ſuis in æde Sophiana coronavit. G) Enim vero deluſum ſe videns Symbatius, tumultuari extra Urbem cum quibusdam militum occœperat, ſed fraude cito oppreſſus, ac oculo, manuque mulctatus nefarias artes ſuas in caput recidiſſe ſero nimis ingemuit.

A) Ita Leo Grammaticus, Symeon & alii; ſed diſſimulat omnia hæc de Baſilio Continuator, quod eidem probroſa viderentur. Accubitor dicebatur, cui cubiculi cuſtodiæ, in quo ſomnum Imperator capiebat, demandatæ erant; idemque Præfectus cubiculariorum, dignitas una inter præcipuas aulæ Byzantinæ; Codinus p. 56. B) Continuator p. 94. C) Symeon p. 335. Leo Grammaticus p. 370. D) Diverſa hic Continuatoris narratio; non enim a Baſilio ictum fraude Bardam prodidit; Verum cum juſſu Imperatoris aulici in Bardæ tentorium irrupturi erant ad eum concidendum, omnibus animos, & vires præ rei magnitudine defluxiſſe; cumque jam res in diſcrimen adducta eſſet, Baſilium voce animos dubitantibus addidiſſe; ac negotium ad finem perductum. E) Hoc quoque diſſimulat Continuator. Non item Symeon, & Leo Grammaticus: Illud de Thecla non video, ut verum ſit; quæ in Monacham pridem detonſa fuerit; niſi permiſcuerint omnia Græci pro libidine. F) Symeon p. 337. Menſe nimirum Septembri hujus anni. G) Adoptatum in filium fuiſſe Baſilium a Michaele habet Continuator, aliique.

A.C. 867 Ita rebus conſtitutis Michael, ceu omni jam liber metu ad conſueta ſcelera majore etiam, quam antea contentione revolutus, nihil pro ſano egit, perpetuus in circo, aut commeſſationibus, ut dies ſobrio vix abiret; quæ temulentia hoc erat magis deteſtanda, quod per eam multa crudeliter ageret, jamque hunc, jam illum cædi juberet, huic aurem, illi naſum præcidi, quorum dein ſibi redditus nihil meminerat. Et ſi ſatellites in parendo promptiores fuiſſent, peſſime plerisque ex aula recesſerat; verum diſſimulabant illi quandoque imperata, interdum morem gerere metu adacti. De hiſce flagitiis cum aliquando commonefeciſſet Michaelem Baſilius, in magnum illius odium incurrit, ut de Baſilio exauctorando, aut fraude interimendo cogitaret Michael; nec cogitavit modo, verum per quemdam armigerum inter venandum telo appetiit. Quod cum non proceſſiſſet, cuidam Baſilicino remigi, antea ſuo ob formæ elegantiam charo, quem ad Patriciatus honorem provexerat, Imperium temulentus in cœna obtulit, quod ſuam in aurigando dexteritatem laudaſſet; ac ornamenta Imperialia juſſit ſumere. A) Quibus rebus in metum adductus Baſilius, Michaelis iterimendi cæpit conſilium; itaque poſtquam is ad S. Mamantis palatium, ubi tunc cœnaverat, ad quietem ſe dediſſet, Baſilius, qui ei cœnæ aſſederat, cum fida ſuorum manu irrumpens in lectulo ſtertentem per eos trucidavit; poſtquam Michael Imperio cum matre quatuordecim, ſolus vero annos undecim præfuiſſet, aut magis in Imperio helluatus eſſet.

FL. BASILIUS MACEDO.



PAtrata cæde, occupatoque e veſtigio palatio, cum jam antea Senatum, Urbemque induſtria, & officiis præparaſſet, nemine ſemet adverſum objiciente Baſilius Imperium ſolus capeſſivit, convulſum adeo, & exinanitum; ut tria non niſi auri centenaria ærario ſuppeterent; neceſſeque haberet edicto ad ſemiſſem accepti auri repræſentandum omnes compellere; in quos inconſulta largitione Michael æra-

A) Ita Symeon p. 338. Leo Gramm. p. 372. at Continuator non in cœna id factum ait; ſed Baſilicinum a Michaele ornamentis indutum in Senatum eſſe perductum, & quibusdam verſiculis in laudem ejus prolatis in Imperatorem commendatum. Cædem quoque Michaelis in ſolos aulicos rejicit, ne indignum quid Baſilio dicat; contigit hæc cædes 23. Aprilis.

ærarium prodegerat. A) Ter centum hoc modo centenaria palatio illata Imperatoriam egeſtatem utcunque levavere. His adjutus Baſilius ad res domi, forisque ordinandas pro eo, ac decebat, totum ſe contulit; & malis licet artibus conſecutus Imperium, non malis tamen, nec infeliciter præfuit; quamquam non deſint, qui omni Baſilium crimine liberent, nec illo volente, aut ſuadente occiſum Michaelem; ac coram Senatu de ea cæde purgatum. B) Id creditu inter contrarias narrationes difficile; attamen cum conſtet, nullum de occiſoribus Michaelis a Baſilio ſumptum eſſe ſupplicium, C) etſi Divina ob cædem inſequente vindicta per varios caſus non diu poſt omnes interierint, ſuſpicionem ſaltem eorum, quæ illi vulgo impinguntur criminum, non defugit. Ejus non res modo geſtas, quæ tametſi illuſtres, non omnino maximæ fuerunt, ſed ortum quoque & Generis claritatem multum amplificavit adulatio; & hanc certe de nihilo confinxit, cum conſtet infimo in Macedonia loco progenitum, in Bulgariam captivum abſtractum eſſe; D) illinc vero reducem commigraſſe in Urbem adeo egenum, ut pro foribus cujusdam aſceterii temere abjectus ſomnum ceperit; tum a loci Præſide viro cuidam Senatorii ordinis pro equorum curatore additum; exin virium, ac formæ præſtantia commendatum, fortuna res hominum miſcente, ad ſumma, ut dictum eſt, perveniſſe. Conſcripta ſtudio Conſtantini nepotis huiuſce Imperatoris hiſtoria dicam, an Panegyris? diffuſa eſt in recenſendis ominibus vaticiniis, ac ſomniis de Imperio Baſilii; itemque in genere ad Arſacidas, ipſumque Teridatem referendo, quæ generis claritas ex aſſentatione, ut dicetur, Photii profluxit. Sed cæcus ſit, qui palpum non videat; ac reipſa ſic ſunt res hominum, ut cum fortuna nobilitas quoque, & cætera ornamenta continuo ſeſe congregent. A.C. 867

Ut Urbis, & populorum amores colligeret Baſilius, Imperii in ſe, familiaque ſua confirmandi ſolicitus, nihil eorum omiſit, quæ vulgo placitura cognorat. Judiciorum ordinem novo legum codice concinnato reformavit, vetuit munera a Judicibus capi, actoribus e publico annonam conſtituit; ipſe quoque perſæpe dijudicandis litibus dabat operam, optimum quemque in Magiſtratus urbanos juxta, & militares provexit, vectigalia, & tributa diminuit, quibus rebus & generis ignobilitatem ſui, & artes, per quas rem ſummam adeptus erat, non ſat forte honeſtas obliteravit, magnum, & illuſtre apud omnes nomen conſecutus.

Quia vero non eum latebat, quam acerba bonis omnibus exſtitiſſet Ignatii e Patriarchatu Bardæ unius ſcelere procurata depulſio, in ea quoque re gratificari populi, & proborum ſtudiis voluit, allegatis Romam ad Nicolaum, & hoc e vivis diſcedente ad Hadrianum Pontifices nunciis, qui ad Univerſalem Patrum Conventum Conſtantinopoli in cauſa Ignatii celebrandum invitarent. Quamquam diverſam ab hac cauſam prodiderint Scriptorum nonnulli. E) Baſilium a Photio, ceu improbum, ac homicidam a Sacræ menſæ perceptione cum probro repulſum in iras exarſiſſe, neque conquieviſſe, quoad vocato Univerſali Patrum Cœtu Photium 869

A) Conſtantinus Porphyrogenitus, vel qui ejus juſſu vitam Baſilii diffuſe ſcripſit p. 117. & p. 118. B) Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum p. 120. vel qui Anaſtaſii librum continuavit. C) Conſtat id ex Leone Grammatico p. 373. Symeone Logotheta p. 340. D) Occaſione hujus in captivitatem abſtractionis, & in patriam reditus Leo Grammaticus p. 365. & Georgius Monachus p. 397. primam faciunt Ungarorum, quos modo Ungaros, modo Turcos appellitant, mentionem; Theophilo ſcilicet imperante duodecim millia virorum Macedonum, qui olim ſub Michaelis Rangabe Imperio in ſervitutem a Bulgaris abſtracti & trans Iſtrum habitare permiſſi fuerant, in unum congregatos, inter quos fuit Baſilius, reditum in patriam armatos adornaſſe; obſtitiſſe quidem Bulgaros, ſed vi a Macedonibus repulſos; a Bulgaris victis accitos eſſe vicinos Ungaros in ſubſidium; qui cum Macedonibus integro fere die præliati ſint, ſed tamen rejectis Ungaris, Macedonas feliciter in patriam fuiſſe regreſſos; ex hac narratione duo utiliter pro patria hiſtoria collegeris; primum Ungaros jam Theophilo imperante, adeoque longe, quam communis ferat opinio, prius in Europa habitaſſe; deinde habitaſſe in iis regionibus, quæ nunc Valachiæ, & Beſarabiæ nomine veniunt, antequam in Pannonias infunderentur. E) Symeon p. 340. Leo Grammaticus p. 374.

A.C. tium poſſeſſo per nefas Pontificatu detruderet. Mirum profecto, ſi tan-
869 ta animi firmitudine adverſus Imperatorem ſeſe geſſerit vile illud aulæ, & honoris mancipium Photius. Legati ſedis Romanæ, Damianus Oſtienſis, & Marinus Diaconus Byzantium miſſi præfuere octavo Univerſali Concilio; in quo ordine, & ex æquo geſta omnia, damnatus Photius cum adhærentibus, Ignatius in dignitatem repoſitus, vibrata iterum in Iconomachos ſententia, omnia, ut probi cupiebant, rite compoſita. A) Turbarum tamen non nihil nata recens Bulgarorum Eccleſia dedit; utrius nempe veteris, an novæ Romæ Præſulis jurisdictioni foret attribuenda; qua ſuper re non levis erat inter Legatos, Orientalesque diſceptatio, ac tametſi toti in ea re obluctarentur Romani Pontifices, diraque omnia tam Ignatio, quam aliis intentarent, vicinitas tamen, & potentia Orientalium in præſenti prævaluerunt; expoſt vero Bulgaria inter Græcam, Romanamque Eccleſiam diſtracta multarum litium exſtitit ſeminarium. B) Adfuere in hoc Concilio alterius Ludovici, qui Italiæ, ac quibusdam aliis Provinciis Imperatorio nomine præerat, Legati affinitatem inter geminas haſce aulas conciliaturi; ſed neque titulum Imperatoris, nec laudes a Pontifice Ludovico attributas ferre Græci poterant; nam qui prælivoris acerbitate ſua ipſi mutuo decora limis aſpiciebant oculis, qua ratione æquas alienis laudibus, & ornamentis aures darent?

871 Pacis rebus ita compoſitis ad belli curas animum vertit Imperator: Chriſochir Tephricæ Princeps e Manichæorum ſecta, vaſtabat Aſiam, qui a Theodora, uti meminimus, dire exagitati, patriaque extorres in finibus Aſiæ minoris Urbes quasdam, & in his celebrem Tephricam condidere, Duce ſibi conſtituto, cujus auſpiciis, & tuto impii eſſe pergerent, & Imperium, in quo tam male accepti fuerant, divexarent; quod aſſiduis procurſionibus impigre per plures annos ab iis factitatum. Impatiens hujusmodi vaſtitatis Imperator, copias magno numero in eos produxit, & regionem quidem omnem ferro populatus vicem remenſus eſt hoſtibus, ac Tephricam, quo ſe robur Manichæorum abdiderat, expugnare non valuit. Illinc igitur in Saracenorum digreſſus fines, tranſito etiam Euphrate fluvio, multa eorum oppida, Urbesque diripuit: Zapetram, Samoſattam, Rhapſatium, Abdela, aliaque minoris nominis; tum ad Melitenen admovit exercitum, Urbem amplam, & adverſus vim probe communitam; ac Barbaros quidem in contrarium effuſos cum cæde repulit, Urbis tamen ipſius potiri non valuit; hisque rebus geſtis redux triumphantis more Urbem ingreſſus eſt. C)

Dux Manichæorum Chriſochir anno inſequente Tephrica pro more effuſus agebat, ferebatque prædis omnia, in hunc Prætorianorum Dux ordinum cum exercitu miſſus fruſtra acies oppoſuit, hoſte Parthicum in morem fugitando, ac celeritate bellum ducente. Suismet poſtea appetitus telis brevi occidit: paucam, ſed lectam militum manum opportuno in loco abdidere Chriſtiani; quæ ex edito acta præceps ita hoſtem in vallibus poſitum perterruit, ut deſertis caſtris ad plura ſe milliaria in fugam ejecerit; paucis pedum velocitas opitulata eſt; Dux ipſe Chriſochir interfectus; qua clade Tephrica potens antea, & formidabilis cecidit. Diverſa quorumdam eſt de Tephricenſi expeditione narratio: D) Imperatorem in eam profectum, ac præliis aliquot ſuperatum propius abfuiſſe, ut in manus hoſtium veniret; dein vero Chriſtophorum Generum adverſum eos cum exercitu miſiſſe, qui hoſte debellato, regionem, Urbemque exciderit.

Interea Saraceni alia ex parte orbem Chriſtianum infeſtabant, Italiæ, ac Dalmatiæ magno molimine, ac multiplici claſſe inhiantes; harum una validior Raguſam in Dalmatia Urbem acri premebat obſidione, veriti extre-

A) Annales Eccleſiæ ad hunc annum Baſilii. B) Anaſtaſius in Hadriano Pontifice. C) In vita Baſilii p. 123. D) Symeon p. 341. Leo Grammaticus p. 374. apud hunc error irrepſit: pro Tephrica enim Africam habet.

extrema cives ad Baſilium recurrere, parati ad veteres redire dominos, A.C.
ſi extremo hoc in diſcrimine opem ſentiant. Miſſa confeſtim Byzantio 871
centum navium claſſis adeo perculit Barbaros, ut deſperata Raguſa ante illius adventum vela Italiam verſus facerent; quo delati magnam Calabriæ, quæ tum Longobardia dicebatur, partem occuparunt, cum jam antea loca quædam in Italia poſſiderent. A) At Dalmatæ gratiam pro auxilio relaturi ſemet rurſus Imperio Orientis addixere, quin Chrobati B) quoque, ac Servii miſſis ad Baſilium Legationibus amicitiam, fœderaque obtulere; Religionem quoque Chriſtianam antea a ſe ejuratam ultro ſuſcepturi; quo utroque nomine gratiſſima accidit Imperatori Legatio.

Occupatum a Saracenis Barium, & reliquam Calabriam communibus armis Baſilius, & Ludovicus Imperatores poſtea repetierunt; tametſi quo hæc anno geſta ſint, non perinde exploratum. C) Quadriennio integro, & amplius eam perduraſſe obſidionem Latini memorant, Græci præterea expugnato Bario, receptaque Calabria, cæſo, ac capto Soldano Principe Saraceno, fraudis quo Capua, & Beneventum Ludovico perierint, meminerunt; D) Soldanum nempe virum vaferrimum Capuæ, & Beneventi cum Proceribus, ceu captivum honoratiorem crebrius verſantem perſuaſiſſe, Imperatori conſtitutum, eos omnes vinctos in Franciam abducere, quo ſibi plene Calabriam ſubderet; ex adverſo auctorem fuiſſe Imperatori, ne Procerum Calabriæ mobilitati fideret, arrogantiores illos, quam ut Imperatori longe poſito ſubeſſent; abductis vero in captivitatem Primoribus futura omnia in vado. His perſuaſum: Imperatorem catenas iis vinciendis parari juſſiſſe, tum Soldanum Proceribus adhuc de voluntate Imperatoris ambigentibus catenarum indicium feciſſe; quo illi metu correpti Ludovicum e venatione reducem Urbe excluſerint, furentem licet, & extrema omnia, ſed fruſtra comminantem; Soldanum vero pro mercede indicii libertatem a civibus accepiſſe; at brevi eundem numeroſo cum exercitu Carthagine rurſus advectum Capuam, & Beneventum obſidione circumvallaſſe; cives in extremo poſitos recurriſſe pro auxilio ad Baſilium, ab hoc vero claſſem ſubſidio eſſe ſubmiſſam, ſed non expectatam a Barbaris; quippe interceptum ab illis venturæ claſſis ad cives nuncium, ac pro muris, ut deſperatione ſubſidiorum deditionem ſuaderet, conſtitutum, contra quam Barbaris placuerit, ad defenſionem ſpe venturi auxilii cives animaſſe, continuo ab iisdem Barbaris ferro diſcerptum; exin vero Calabriam in fide, ac clientela Baſilii Imperatoris hæſiſſe.

Diverſa ab his Latini Scriptores: E) Ludovicum ſtrenue quadriennio, aut quinquennio inter varias bellorum vices Barii obſidionem urſiſſe, quadringentarum poſtea navium claſſem ſub finem a Baſilio eſſe ſubmiſſam, occupatum vero Barium, poſſidendum a Ludovico Græcis datum eſſe. Porro offenſiones inter utrumque Imperatorem enatas; tum quod filiam Ludovicus, quam Baſilii filio pactus erat, mittere renueret; tum quod Imperatoris Romanorum aſſumpto nomine lividos Græcorum oculos ureret; acerbis etiam literis cauſam hanc inter Imperatores ventilatam,

A) Vita Baſilii p. 133. Errat vero in eo, quod dicat relicta Raguſa Saracenos Barium adortos expugnaſſe; ſiquidem ex Latinis ejus ævi Scriptoribus liquet, plures ante annos Barium a Saracenis occupatum. B) Symeon hæc ad conſequentes annos refert. C) De Chrobatis, quos Croatas jam dicimus, non uno loco Imperator Porphyrogenitus in Commentario de Adminiſtratione Imperii: duplicem vero ait Chrobatiam; non Baptizatam, quæ & Alba dicebatur ad fines Franciæ (intellige Germaniæ) & Turciæ, intellige Ungariæ ſitam; alteram vero Baptizatam in finibus Dalmatiæ in undecim Zupanias diviſam; ita olim Præfecturæ, quos hodie Comitatus dicimus a Sclavicis populis appellabantur; & Præfecti dicebantur Zupani, unde hodieque Ungarice Ispan dicuntur; Latine vero Comites, quod in bello regem comitarentur. p. 80. Idem ait, Chrobatis a Pontifice, ſub quo Chriſtianam Religionem amplexi erant, promiſſionem fuiſſe factam, quod quicunque injuſto eos bello aggreſſuri eſſent, vincendi ab iis ſint; contra vincendos, ſi ipſi bellum intulerint. Tantam vero eorum fuiſſe potentiam, ut centum peditum, & ſexaginta equitum millia in campum ducerent. D) In vita Baſilii p. 135. Ex quo reliqui deprompſere. E) Vide de his eruditam diſſertationem R. P. Joſephi Pichler S. J. in Ludovico ſecundo Imperatore de rebus ejus bellicis.

A.C. demum a Basilio Ducem Beneventanum Adalgisum eo esse impulsum,
871 ut Ludovicum variis delusum artibus carceri manciparit, nec liberum dimiserit prius, quam is conditionibus a se propositis jurejurando subscriberet. Ne vero factum hocce perfidum ulciscereturLudovicus, veritum Adalgisum ad Basilium recurrisse, atque illius clientelæ Beneventum, Capuamque subjecisse. Utris autem, Latinis, an Græcis in hisce narrationibus fidem habeas? certe Porphyrogenitus, e cujus historia Cedrenus, reliquive Græcorum sua deprompserunt, non ita longe ab his gestis submotus vixit, ut indignus appareat, cui fides habeatur; nec credibile Imperatorem, aut cui Imperator sui vice provinciam scribendæ ævi sui historiæ detulerit, ista pro libidine confinxisse; ac fieri potuit, ut & Græcorum fraus, & Soldani vafricies, & Adalgisi perfidia simul ad Ludovici infortunium confluxerint; etsi illud diversimode non nihil a Græcis, & Latinis relatum sit. Basilium porro multis deinceps quoque præliis in Italia cum Saracenis contendisse, ac Orientales Calabriam expost quoque pro sua habuisse ex dicendis patescet. Illud etiam profertur: Soldanum in captivitate biennio detentum, a nemine unquam ridere visum, quodam autem die conspecta curruli rota risu solutum; cujus rei causam a Ludovico rogatus dixerit; in rota fortunæ imaginem suæ animo fuisse oblatam, quæ susque deque instabilis volvatur, risuque magis, quam solicitudine digna sit; eo vero responso usque adeo delectatum Ludovicum, ut familiarius dehinc Soldano uteretur. Sed hæc belli, & longe domo; quid interim in aula Byzantina?

874 Photius in exilio longe positus versutum in omnem partem jactabat ingenium, siqua in gratiam Basilii, spemque amissæ dignitatis adrepere valeret; ac ita Ignatium rursus, inimicosque consuetas per fraudes, e quibus totus constabat ulcisci. Librum antiquis, ac obsoletis characteribus conscribillat, A) quem se præter hominum nemo intelligeret, in quo auguria quædam, resque incerto prorsus sensu continebantur, non nescius prurientes popularium, aulæque cumprimis ad ejusce. modi figmenta aures. In hoc libro annotarat quædam de futuro Basilii Principatu, qui ex Arsacidis, ac Teridate, genus suum ducturus esset, apposita voce Beclas, ex initialibus, quæ in Basilii, conjugis, natorumque nominibus occurrebant, literis conficta, nimirum Basilii, Eudociæ, Constantini, Leonis, Alexandri, Stephani, antiquissimis, ac corrosis membranis; involutum hunc librum veteratoria arte per Theophanem quemdam in Imperiali bibliotheca reposuit Photius, monuitque simul; uti ex re nata velut forte repertum Imperatori porrigeret; atque ita, ut vaferrimus homo volebat, evenit. Cum in eo intelligendo libro Imperatori, aliisque hæret aqua, suggerit Theophanes, Photium pro sua summa eruditione intellecturum fortasse librum, præterea neminem; tantumque noxia curiositas in Imperatoris animo valuit, ut ejus rei gratia Photium Concilii auctoritate in exilium projectum in aulam revocaret, tumultibus, ac discrimini Ecclesiam objiceret. Redux ille ab exilio explicata prompte vir scilicet eruditus libri sententia, cum multa illinc de nobilitate generis Basilii attulisset, incredibile, quantum ejus sibi animum demeruerit; cum enim summa omnia virtute adeptus fuerit Basilius, generis claritatem solam nullis sibi parare facinoribus poterat; ita & hac illustratum se, ac fama per Imperium dilata, celebratum in sinu miser gaudebat. Utebatur igitur ab eo tempore familiariter Photio in aula Imperator, imbuendisque filiis præposuit; qua ille usus occasione securius jam, nec segniter aulicis, subdolisque artibus ad amissam dignitatem grassari cæpit.

Adolescebant enim jam quatuor, quos diximus Basilio filii; tametsi enim Constantinus ex Michaele progenitus feratur, B) vulgo tamen pro filio Basilii habitus est, isque Imperatori ante alios in deliciis fuit. Tres pri-

A) Symeon p. 341. B) A Leone Grammatico, & Symeone p. 342.

primos corona Imperiali decoravit pater, postremum aris futurum ali- A.C.
quando Patriarcham addixit. Filias vero quaternas Deo ad S. Euphemiæ 874
monasterium consecravit; sive ne conjugibus elocatæ cupiditatem, spemque Imperii in iis accenderent; sive re ipsa pietate in Deum actus; A) neque enim pauca, aut levia hujus edidit documenta; primum sacras in Urbe ædes exstruxit, aut instauravit, præsertim vero honori Divi Michaelis, quo sic, ut a quibusdam proditum, B) scelus cæde Michaelis Imperatoris contractum expiaret. Deinde Judæis quoque Christo aggregandis dabat operam, qui vel inviti ad sacrum pertracti sunt lavacrum, sed abluti Æthiopes isti nihilo inde puriores abscessere. In aliis quoque occasionibus non raro probitas ejus eluxit. Cujus demum assentatione aulica, ac nimia ad credendum facilitate naufragium subiit.

Bellum interea Saracenicum pluribus terra, marique annis tam in 875
Oriente, quam Italia gestum fere inter alternas propitii, aut adversi Martis vices constitit. Saraceni Tarsenses Eurippi arcem valida aggressi classe diro furore obsidionem urgebant; jamque amplissimis propositis præmiis assultu in muros evolaturi erant Barbari, cum repentino ax arce procursu Duce eorum cæso furor Barbaricus civium virtute est oppressus. Cretensem Barbarorum classem par fortuna depressit. Nicetas classis Imperialis Præfectus vi valida in hostiles naves invectus viginti græco igne exultis, captis aliis, dissipatisve victoriam sat illustrem est consecutus. Ejusdem Nicetæ prudentia alteram quoque de iisdem Cretensibus victoriam peperit; partes illi occidentalis Peloponesi rapinis pro more funestabant in littus e navibus effusi, quod nihil sibi a classe inimica metuerent, quæ in altero mari ex parte orientali posita, non nisi longa circa Maleam promontorium plurium navigatione dierum advenire posse videretur. At Nicetas sagaci consilio, etsi labore immodico, naves per Isthmum Corinthiacum operarum multitudine in aliud mare transportavit, ac hosti prorsus ignaro, suique securo, vi magna ingruit; cæsi cum Duce Barbarorum plerique, sævitum in captivos, eos præsertim, qui Religionis desertione infames Mahometo se initiarant; res undique bene, & feliciter gesta. Validior altera fuit Arabum Africanorum classis, haud disparem tamen experta fortunam; quæ Nasaris Ducis Byzantini virtute, dum citra metum in portu solutis in curia Barbaris delitescit, subito obtrita illustris victoriæ, & gaudii materies fuit. Atque idem hic Nasares fortunam secutus invitantem, vela Siciliam versus fecit, loca insulæ illius, ac Calabriæ plura subjecit, aut diripuit, navalique iterum superior factus prælio res Arabicas depressisse multum visus est. c)

Cæterum Barbari illi nullis unquam cladibus exhausti, & velut ab ipsis infortuniis non minus, quam prospera fortuna numero semper auctiores, nequaquam cæptis audacibus abstiterunt. Multa illis & atrocia per hoc tempus in Italia fuere bella, quorum tamen & pauca, & obiter Græci attingunt. Terrestres Ducibus Procopio, & Leone copias in Calabriam miserat Imperator, quæ ab Harpyiarum unguibus regiones illas tutarentur; & gessere illi rem sat fortiter, sed Ducum discordia cæptum victoriæ cursum infregit. Consertis aciebus pars, cui Leo præerat, jam victoriam manibus prehenderat, altera, quam ductabat Procopius, in fugam declinante, cui tamen Collega lividus nulla submisit auxilia laboranti; quo factum, ut & Procopius eo prælio cæsus, & res Arabica superior fuerit. Leo instauratis rursus copiis, notam hanc invidiæ egregio facinore deleturus, Tarentum prævalidam arcem aggressus est; nec prius pedem retulit, quam præcipuum hoc Saracenicæ in Italia dominationis caput sub jugum mitteret. Captum ergo Tarentum, & direptum, quotquot inerant, in servitutem abstracti. Nec tamen propterea

A) In vita Basilii p. 122. ubi multa de Basilii pietate, pluriumque templorum extructionibus. B) Zonaras p. 135. c) Hæc omnia diffuse, & magnifice in vita Basilii, sed absque ulla temporis nota; ex contextu tamen narrationis huc referenda videntur.

A.C. Leoni ſcelus impunitum manſit; proditi enim Collegæ arceſſitus primum exilio, dein cum iniquius fortunam ferret, aliis calamitatibus affectus docuit, invidiam cum aliis, tum invidenti præprimis eſſe pernicioſiſſimam.

876 Poſt ſuperiores navales victorias velut debellato jam hoſte quietem navales Baſilii copiæ in Urbe cæperant; quies hæc ne citra emolumentum abiret aliquod, Imperator nautarum opera in ædificanda Salvatoris Baſilica uſus eſt, A) etſi enim munificus in Deum, ejusque ædes, compendio ſtudebat tamen, nec pauca e veteribus Templis ornamenta ſumebat, ut novis a ſe exſtructis decorem adderet. Arabes cum nusquam mari claſſem Imperatoriam conſpicarentur, uſi opportunitate Syracuſas in Sicilia, quæ Urbs ad hoc tempus Orientis Imperatoribus in reliquæ inſulæ naufragio adhæſerat, vi magna, & ſubita aggreſſi modis omnibus urgebant; dum claſſiarii e portu Byzantino ſerius expediuntur; dum Adrianus claſſis Dux in Peloponeſo ventos faventes exſpectat; dum ſive metu, ſive auxilii majoris ſpe diem ex die ducit, Syracuſana Urbs demum in Barbarorum manus miſere eſt devoluta; B) nobiliſſima inſulæ civitas cum ſacris ædibus ex fundamento verſa, cives in ſervitutem abſtracti magno Baſilium dolore affecere. Adrianus in Urbem redux, ac Imperatoris iras veritus ad Divæ Sapientiæ aſyli gratia confugit; & licet capitale hoc modo effugerit ſupplicium, non tamen impunita ei manſit ceſſatio; in tam inſtanti enim Urbis tam amplæ periculo vel nihil attentaſſe ſubſidii gratia ſupplicio certe dignum fuit.

877 Inſtabant ſucceſſibus hiſce Saraceni in Calabriam transgreſſi, ubi multa illis cum Italis non minus, quam Græcis fuere prælia; ac fractis licet ſæpe major fuit ad aliena diripienda, quam Chriſtianis ad propria defendenda alacritas, atque concordia. Miſſus in Italiam a Baſilio Dux Maxentius timiditate, ac ſocordia corrupit fortunam; nec impedire valuit, quo minus Urbs Amantia jugum ſubiret Barbaricum. Hæc expeditio ſecutane priorem e veſtigio fuerit, an annorum mora aliqua interceſſerit, non habeo dicere; nec quibus nominatim infortuniis notatus fuerit ille Maxentius, quod neutrum memoriæ conſignatum inveniam. Nicephorus poſtea Phocas Patricius cum novo exercitu ab Imperatore miſſus in Calabriam rem illic Chriſtianam reſtituit; namque & Amantiam Urbem Barbarorum manibus eripuit; & prælis congreſſus majoribus ſuperior fuit; tametſi quantis, aut qualibus ſignanter expreſſum non occurrat; uti nec temporis nota aliqua; crediderim tamen ſub extrema Baſilii tempora Phocam victoriis inclaruiſſe; quod easdem Leone Baſilii filio rerum arbitro, idem Phocas in Italia continuaſſe dicatur. C)

879 Alternante ita foris belli fortuna pernicies maxima domi accepta eſt a Photio, homine, quos ſol vidit, omnium verſutiſſimo. Vivente adhucdum Ignatio totum jam is poſſidebat Imperatorem, & aulam, ut parum abeſſet, quin illum throno exturbaret; illo vero fatis hoc tempore ſancte, ut vixerat, decedente (etſi non deſint, qui procuratum illi a Photio veneno interitum contendant) D) nihil pronius erat, quam ut ad Pontificium illum thronum, jam vacuum conſuetas per artes adreperet; itaque triduo ab illius morte magno proborum gemitu, impiorum tripudio in Pontificatum Photius reponitur. Quam furioſe in ea dignitate pedem rurſus poſuerit, ut crudeliter exagitarit adverſarios, ut acerbe expulſionem ſuam ultus ſit, dici vix poteſt; expectari certe a tali capite potuit, ac debuit, ſi Baſilio mentem bonam adulatio non ademiſſet. Indicto Præſulum Conventu, Legatis quoque, quos Romanus Pontifex miſerat, in partem a Photio Grajas per artes attractis damnatur

A) Zonaras p. 135. B) Continuator p. 142. C) In vita Baſilii p. 143. meminit victoriarum Phocæ etiam Zonaras p. 135. Sed quales illæ fuerint, non profert; uti etiam Cedrenus p. 460. Baſilii plures prodidere res geſtas, ſed non appoſuerunt annorum ſeriem, præter unum Symeonem, cui tamen tuto fidere vix poſſumus; certe Barii obſidium ad annum Baſilii decimum ſeptimum refert; cum tamen ex Latinis Scriptoribus exploratum ſit, Barium ſub initia Baſilii obſeſſum. D) Nicetas in vita S. Ignatii.

tur rurſus Ignatii memoria, dira in fautores ſententia profertur: laudibus in cœlum Photius, adhærensque factio attollitur, omnia in favorem improbi aſſentatoris inclinant. In hoc Conventu, quem Græci in locum prioris pro octava Oecumenica Synodo venerantur, aperte jam caput ſupra Romanam Eccleſiam erigere cæpit Photius, ſive Græcanico inflatus faſtu, ſive ulturus Romani Pontificis, qua detruſus erat, auctoritatem; nec primum igitur in conſidendo Legatis locum in Concilio dedit, nec primas auctoritati Pontificiæ detulit. Quin imo multa in Latinam Eccleſiam probra ab eo congeſta, ceu a veteri legum ſeveritate, rectaque Religione penitus deflexerit; præcipueque objectabat illud: quod Latini in fidei ſymbolo vocem, Filioque adderent, nequaquam a veteribus uſurpatam. Hinc diuturnum inter Græcos, Latinosque de Divini Spiritus, a Filio proceſſione enatum eſt diſſidium; hinc jurgia, & contentiones, hinc odia, hinc receſſio; qua ſenſim Religio Chriſtiana bifariam diſſecta, ac altera ſui parte velut emortua Barbaris in prædam ceſſit. Joannes Pontifex, quod minus ſtrenuum, ac fortem adverſus Photium, & Baſilium ſeſe præbuiſſet, velut fæminei vir animi non parum a ſuis ſugillatus, hodieque in ore multorum eſt. Sed auxilii adverſus Saracenos inopia, ac domeſtica, quibus conflictabatur, mala ſegniorem forte in longinquis hiſce procurandis fecerant; ab eo tamen nihil Pontificia auctoritate indignum eſſe admiſſum, quin potius & defenſam Ignatii defuncti memoriam, & ubi de Photii impietate comperit, pronunciatam adverſus illum ſententiam, & partes denique Pontificis ſtrenue ab eo obitas defendunt Annales Eccleſiæ; A) quibus hac in re multo, quam inanibus nonnullorum ſycophantiis, libentius deferimus. A.C. 879

Conſequentibus annis in Oriente quoque cum Barbaris bella fuere Baſilio; adverſus quos expeditionem ipſe reſumpſerat, ſed ea direptionibus, Urbiumque occupationibus magis, quam inſigni aliquo prælio memorabilis fuit. Receptum de Barbaris Lulum, exciſa Catabatula, in Syria locis plurimis illata vaſtitas, Cataſama, Robana, Ardela, incenſa, ac direpta; quibus perfectis cum ingenti captorum grege reduxit exercitum Baſilius, captivorum non paucis, quod oneri eſſent, in reditu interfectis. Equidem non deſunt, B) qui multis prælis ſuperiorem rediiſſe affirment Baſilium; ſed ea non omiſſurus fuiſſet Baſilii laudator, minima quæque tam ſolicite proſecutus. Prædationibus itaque quam prælis ſuperior redierit Imperator; nec Adatam Urbem occupare valuit, quod reſiſterent alacriter cives, dicerentque in fatis ſe habere non occupandam a Baſilio Adatam, ſed a quodam illius nepote Conſtantino, illo nempe, cujus imperio res Baſilii geſtas Scriptor iſte proſecutus vaticinium hoc poetico magis more commentus eſſe, quam hiſtorico prodidiſſe videtur. 880

Adverſus Tarſenſes Barbaros direptionibus ſuis formidabiles Andreas Scytha Patricius, ſummus copiarum Dux a Baſilio miſſus rem Dei, ac Deiparæ auſpiciis geſſit fortunatiſſime; Princeps enim Saracenus datis ad eum literis ſuperbe comminatus eſt, venturum ſe cum copiis, facturumque periculum, ſi Chriſtus, ejusque Mater præſidio ipſi, & auxilio futuri ſint. Arrectns hac contumelia Andreas alacer non jam pro ſalute, ſed Dei honore dimicaturus Barbaro occurrit; commiſſi prope Tarſum exercitus fortiter licet contenderent, Deo tamen Chriſtianis vires, animosque ſufficiente ingentem Barbari cladem acceperunt, Duci impio caput reſectum, plura Barbarorum millia ferro conciſa. Atque hoc profuit Andreæ expoſita ſuppliciter Divæ Parenti, ejusque Filio, qua a Barbaro appetiti eſſent contumelia, plenum fiduciæ in hoſtem duxiſſe. C)

Sed quem cœli favor victorem, & illuſtrem ſuſtulit, hunc pro ſolenni Græcorum more invidia mox depreſſit. Andreas etſi victoria potitus

A) Ad annum Baſilii duodecimum ex Niceta partim, partim ex actis ipſius Concilii. B) Symeon Logotheta p. 342. C) Vita Baſilii p. 131. Leo Grammaticus p. 376.

A.C. insigni, seu dubiam Martis aleam reveritus, seu idoneis ad oppugnandum
880 machinis destitutus, seu qua alia de causa victoriæ non institit, nec Urbi Tarso copias oppugnandæ admovit. Criminari itaque aulici Ducem apud Imperatorem, socordiæ aut perfidiæ notam impingere, ut qui tanta affectis clade Tarsensibus tam nobilem offam, certo occupandam supinus neglexerit, nec reditura facile occasione uti noverit. Hæc talia auribus Imperatoris sæpe ingerendo perfecere demum, ut gradu moveretur Andreas, Stypiota quodam in ejus locum surrogato, & adversus eosdem Tarsenses cum exercitu velut ad certam victoriam expedito. Sed quanto facilius sit calumniari præclaros, ac circumspectos Duces, quam iisdem paria facere infelix expeditionis exitus patefecit. Stypiotes ille Ducum ignavissimus, ut si nullus Tarsensium superesset, contemptim copias Urbi admovit; illi hostium temeritate in rem usi suam, sopitum noctu exercitum pauci licet, cum incondito strepitu aggrediuntur; quove multitudinis specie perterrerent hostem, equos plurimos sessoribus vacuos, ac terriculis quibusdam instructos una in castra immiserunt; quibus rebus externati Græci defluentibus animis nec ad pugnam, nec ad fugam expediti fuere; ita ingens accepta est clades, apparuitque moderationem cum in omni re, tum præprimis in victoria auream esse. Andreæ ex hac calamitate virtus magis eluxit; isque dignitatem, de qua calumnia invidorum exciderat, glorioſius recuperavit, quam fœde antea amiserit.

881 Sinistra hac Martis alea, pluribusque aliis infortuniis, quæ Basilius sub finem accepit, castigaverit forte Deus perdita adversus Photium illius studia, quibus subnixus veterator ille triumphabat in scelere, sese-que Urbi, & orbi furiose ostentabat, scriptis, factisque atrocissimis, tum in eos, qui adhæresçere sibi nollent, tum præcipue in Pontificem, & Latinos invectus. Constantinus quoque natorum Basilii maximus acerbum eodem hoc tempore patri dolorem morte sua incussit; si Basilii tamen hic filius fuit; A) certe dolentius ille pene, quam filii occasum luxit, perpetuo illius desiderio mœrens. B) Santabarenus quidam habitu monachus, animo vero magus impurissimus fucata sanctitatis specie turpiter illusit Imperatori mortem filii deploranti. A Photio enim cui in amicissimis fuit, dignum scilicet tali patella operculum Euchaitarum factus Præsul, & in aulam productus veteratoriis artibus totum se in animum Imperatoris penetravit, nescio, quibus ostentis, ac præstigiis misero illudere solitus. Is igitur redivivum Basilio stitit per nemus inambulanti suis incantationibus Constantinum, aut verius Constantini umbram, cujus amplexu aliquamdiu ille perfunctus solatio, & vano, & improbo animum recreavit. C) Sive ista sanctitate nebulonis illius contingere crediderit, seu amore, ac vanitate videns, volensque superatus sit; certe sæpius impuri hominis præstigiis imponi sibi passus est. Ejusdem illius Santabareni malitia, unde Dæmonum satellitem noscerem, pene paricidio familiam Imperatoriam cruentavit, miseris certe, & indignis modis confudit.

888 Leo morum integritate, ac sapientiæ laude clarus Imperatoris filius non semel significarat, displicere sibi tantam patris cum homine nequam familiaritatem, ac ob reprehensam vitæ pravitatem bilem homuncioni vaferrimo commorat; alias quoque tam Photius ipse, quam Santabarenus perditum cupiebant Leonem, male sceleribus, ac fraudibus suis ominati, si pro patre moderator sapientiorque filius Imperii gubernacula apprehenderet. Itaque præstigiatior ille Leoni sicam, sive breviorem offert dono pugiunculum, factum affabre, quo is in venatu uteretur; sæpe enim evenire, ut gladius præ manu non esset, atque ita ictum fera effugeret. Ignarus artis Pelas-

A) Symeon p. 342. at fortiter illius tulisse mortem narrat Cedrenus. B) Scriptor vitæ Basilii Constantinum non dubie Basilii fuisse filium ait, quem alii nonnulli sequuntur, nec deesse putant argumenta, quibus id probetur; sed exerte contrarium habent Symeon, & Leo Grammaticus iis temporibus proximus. C) Symeon p. 342. Leo Grammaticus p. 174. Dissimulat hæc velut probrosa vitæ Scriptor.

Pelasgæ Juvenis sicam sub veste secum inter venandum eum in finem cir- A.C.
cumfert; at consutus e dolis Santabarenus apud patrem criminatur Leonem, 888
ut si imperandi avidus vitæ illius insidias struat, nihilque, quam occasionem rei gerendæ expectet; faceret ipse rei periculum, de improviso nudari vestibus filium jubeat, & nisi sicam subtus vestem deprehenderit, nihil dehinc sibi rerum credat. Suspicione motus pater in venatu sicam apud filium quærit, & invenit; atque ita innocentem juvenem carceri includit, oculorum quoque usum adempturus continuo, nisi Procerum preces moræ aliquid interponendum evicissent. In familiares Leonis acerba exercita est quæstio, subjecti tormentis, & exilio nihil adversus herum indicii protulere. A)

Trium jam spatio mensium in carcere gemebat Leo, B) hoc miserabilior, quod omnis prorsus defendendi sui ratio impostoris illius nequitiis esset adempta. Die quodam cum Principes viros convivio accepisset Imperator, forte evenit, ut psittacus, credo in eum finem condocefactus in palatio hujusmodi crebro voces iteraret: Heu heu Domine Leo. Proceres hac arrepta occasione velut tristibus hisce gemitibus admoniti assidebant mœsti dejectis vultibus, nec ciborum aliquid contingebant, cujus mœstitiei causam scisçitanti Basilio respondent: Leonis se optimi vice vehementer angi, cujus acerbo fato bruta quoque animantia ingemiscerent; tum efflictim obsecrare Imperatorem, reduceret ad mansuetudinem animum, vanis suspicionibus modum poneret. Imperator bono jubet esse animo Proceres, nihil siniſtri eventurum filio; atque ita pristinæ libertati, & dignitati redditus est Leo, ringente licet improbitate, ac commeritam factis mercedem exspectante. Hæc Leonis restitutio eo gratior universæ Urbi exstitit, quo ampliores ille de se ipso spes, amoresque in populo excitarat, jam antea corona Imperiali redimitus, & cum Theophanone ex Martinaciorum genere conjugio innexus; quam olim familiam imperaturam magicis prædictionibus Theophilum accepisse meminimus; quamquam sunt, qui Eudociam quoque Basilii conjugem e Martinaciorum familia ortam prodant. C)

Inter res gestas Basilii memoranda quoque venit Russorum ad Religionem Christianam traductio, quam Gentem feram tum, atque ab omni humanitate alienam Legatiionibus, donisque ad mansuetudinem revocare satagebat Imperator; ac: Ignatius Patriarcha Præsulem Religionis inserendæ ad eos jam olim destinarat. Hic cum multa de legis Christianæ sanctitate, deque prodigiorum, quibus illa inclaruerit magnitudine differeret, Princeps Russorum, Proceresque nihil eo verborum apparatu movebantur, ut qui sensu omnia magis, quam cogitatu metiri didicissent; quod si miraculo, quam prædicabat legem, confirmatum iret, non cunctanter in ejus se verba concessuros. Conventum postea inter eos, ut idem ille, quem prædicabat Evangeliorum codex ignibus injiceretur, pro portento omnium maximo habituros, si vim ignis eluderet. Præsul spe in Deum optima fretus rogo librum injicit, cui Divinitus nihil flammæ nocuerunt. D) Ita Russi Christo dedere nomina futuri longe feliciores, si ad partem illius Religionis saniorem, minusque in perniciem propendentem aggregati essent.

Ultimo Imperii anno periclitatus de vita Basilius est ob conjuratio- 889
nem a sex, & sexaginta Proceribus primi nominis Duce quodam Curcoa initam; E) quæ causa viros Principes in eam impulerit, an Basilii severum regimen, an perpes Græcorum morbus invidia, & inquies, non profertur. Tempori tamen detecta conjuratio non erupit; verberibus, ac

A) Hæc passim de Leone Scriptores omnes jam citati. B) Tres menses Symeon huic captivitati attribuit; alii absque nota temporis diu in carcere desertum innuunt Leonem. Septennium integrum captivitati huic attribuunt Ecclesiæ Annales, nescio quo auctore. C) In vita Basilii. D) Scriptor vitæ Basilii; Cedrenus, Zonatas. E) Symeon p. 345. Leo Grammaticus p. 376.

A.C. 889 ac exiliis plerique temeritatem luerunt, futuri cæteris exemplo, ſi exempla ejusmodi in turbidis, ac mobilibus Byzantinorum animis quidpiam potuiſſent.

Hoc defunctus periculo non exiit brevi aliud, a quo minus ſibi metuere poterat Baſilius. Venatu cum oblectat animum a cervo furente proſtratus, ac læſus ægrotare diu cæpit, atque accedente alvi profluvio, febribusque primum Martii menſis diem ſupremum egit, poſteaquam annos novemdecim non prorſus integros Imperium moderatus eſſet. Illud etiam additur inhumanum ſane, ſi verum facinus: aulicorum quempiam, qui cum cervo luctanti Imperatori ſtricto ferro auxiliator accurrerat, neci fuiſſe ab eo datum, quod in Principem ferrum ſtringere viſus eſſet. A) Vix tamen videtur in hominem ſanæ mentis cadere potuiſſe tam nulla de cauſa liberatorem ſuum neci dedere; nec certe cum aliis rebus pie geſtis ejusdem Baſilii hæc talia conſentiunt; tametſi diſſimulandum non eſt, Baſilium Photii ſcelere, ac Santabareni præceps fuiſſe actum, a Romanis Pontificibus acriter ſæpe reprehenſum, ſuis etiam gravem, & odioſum, quæ fortaſſe cauſa memoratam antea Procerum ſeditionem conciverit. Quin ipſe quoque Baſilius in ultimo vitæ articulo poſitus dementatum ſe a Photio, alteroque ejus congerrone vehementer indoluit; fertur enim Leonem filium, atque Stylianum liberorum Curatorem ita allocutus: ſe per Photium, & Santabarenum a Deo, veraque ſcientia abſtractum eſſe, jamque in idem cum iis interitus barathrum præcipitari; quibus dictis loquendi una, & vivendi finem fecerit. B) Quæ vera ſi ſunt, plurimis, maximeque inexſpectatis eventis varia Baſilii, tragœdiæque ſimillima fortuna triſti demum & infelici ſcena concluſa eſt.

FL. LEO SAPIENS.





B ſtudia bonarum artium ſplendido Sapientis cognomento decoratus a Græcis eſt Leo; cujus ingenii monumenta non pauca, nec levia in vulgus exſtiterunt, quorum pauca quædam fragmenta temporum invidia ad nos transmiſit. C) Aſtrologiæ quoque, ut vocant, Judiciariæ, & divinatoriæ arti deditus perhibetur, D) quæ id temporis a Græcis utut Chriſtiana Religione imbutis pro ſapientia habita in vitiorum numero poſita fuiſſe non videtur. Certe futura quædam præſagiſſe Leonem, ac prænunciaſſe ex dicendis clarebit. Exſtant hodieque oracula, quæ dicuntur Leonis Sapientis, ſive Icones quædam animalium, atque hominum effigiebus expreſſæ, ac quibusdam literis inſignitæ, adjectis quoque verſiculis, per quæ futuræ in Imperio Orientis, Urbeque Conſtantinopolitana viciſſitudines ſignificari dicuntur, E) ſed omnia hæc tam

A) Symeon, p. 345. Leo Gramm. Zonaras; diſſimulat factum hoc vitæ Scriptor, & poſt eum Cedrenus. B) Solus quod ſciam Symeon hæc talia de Baſilio prodidit. Kalendis Martii e vita migravit Baſilius, C) Annales Eccleſiaſtici ferunt, in Vaticana Bibliotheca aſſervari complura hujus Leonis manu ſcripta. D) Zonaras p. 178. E) Recenſentur hæc oracula inter antiquitates Conſtantinopolitanas poſt Codini librum de officiis Conſtantinopolitanis p. 158.

tam obſcura, ut Delio natatore opus habeant, & conjecturis ſolum pro libitu confingendis inſerviant; quæ tamen ut ſacra quædam vetuſtatis cimelia, ac prænuncia feliciorum temporum oracula Græci venerantur. A.C. 889

Cæterum Leo iſte tametſi pro Sapientiſſimo habitus, non omnino ſapienter quandoque rebus ſuis conſuluit; nec paucas, ac leves tam a Saracenis, quam a Bulgaris clades accepit, cum abhorreret ipſe a rebus bellicis; tametſi librum feratur de expeditione bellica ſcripſiſſe, A) ſed ſtylo, quam enſe melior fuerit; ac ſcripſerit melius, quam egerit; quod Principibus nimio in literas amore abſorptis uſuvenire non paucis jam exemplis innotuit. Primum illi operum fuit cadaver Michaelis, qui ante patrem ſuum imperarat, in Urbem Imperatoria pompa delatum magnificentius tumulare; ſive ut cædis per patrem illatæ ignominiam elueret; ſive forte e Michaele progenitum ſe putaverit; nam & illud a quibusdam proditum B) Leonem putaticium fuiſſe Baſilii filium, re autem vera Michaelis ex Ingerina, illius antea concubina exſtitiſſe. Sed hæc incerta, & in obſcuro.

Ultus poſt hæc Leo ſeipſum de Santabareno eſt, cujus technis tam prope a pernicie abfuerat; quem in Urbem a ſuo Epiſcopatu accerſitum reum calumniæ apud patrem ſibi quondam irrogatæ peregit, nec ſolum illum, verum etiam Photium, conſiliorum vel participem, vel moderatorem. Quin & alterius poſtulatos ſceleris verſipelles hoſce aulæ Protheos invenio; conjurationem nempe in caput Leonis cuſam, ut quidam de conſanguinitate Photii ſolium conſcenderet; huc enim prorupiſſe jam infinitam hominis ambitionem. C) Santabarenus cæſus verberibus Athenas relegatus eſt; quo ut venit, oculos Leonis mandato, ne alienis illudere deinceps poſſet perdidit; Photius vero Pontificatu deturbatus, ac in monaſterium quoddam compactus, ut vitam finierit, incertum; neque enim viri deinceps occurrit memoria, D) ſive quod hac indignus, ſive magis, quod Photii aſſeclæ infelicem patris ſui exitum de induſtria tenebris occuluerint. Locum illius occupavit Stephanus Imperatoris frater, cui tamen brevis fuit Pontificatus altero, tertiove abhinc anno ad extrema perducto. Hic magna vitæ innocentia reſplenduiſſe, ac Sanctorum honores conſecutus perhibetur. Quo Patriarchatum obtinente redintegrata cum Romano Pontifice Orientalium fuit concordia, datis ultro citroque literis; E) ſed veneno Photii per animos multorum jam diffuſo concordiam iſtam plurium ambitio Patriarcharum Græcanico ſupercilio ſecuturis annis miſere disjiciet.

Alterum, ac tertium Imperii annum gemino implicitum bello, ac utroque infortunatiſſimum Leo habuit. Primum quidem Conſtantinus Dux cum magno Legionum nunero in Calabriam miſſus, captis, aut cæſis militum plerisque luculentan a Saracenis cladem accepit; ut propemodum perditæ eo loci res Græcorum fuerint, non tamen penitus ab Italia tunc dejecti. F) Alterum bellum fuit Bulgaricum cum Symeone eorundem Rege, ſimili infelicitate funeſtatum; expeditus in eundem Dux Procopius, conſertis in Thracia aciebus fœde ſuperatus eſt; Symeon ferociter in victoria graſſatus, ignominia quoque Græcos affecit; naribus enim præciſis in Urbem remiſit, quosquos apprehenderat. Leo facto hoc tam atroci oppido commotus, ac vindictæ cupidiſſimus, cum anguſtiores domi res haberet, ad externa ſeſe auxilia corroganda vertit; miſſo itaque ad Ungaros Gentem præferocem, ac militarem per Iſtrum flumen Niceta Patricio promiſſis, & auro eorum ſollicitavit operam; a tergo invaderent, deſtruerentque interea Bulgariam, dum a fronte Symeoni Phocas Nicephorus cum exercitu occurrit; ut occupatus in medio 890

A) In Annalibus Eccleſiæ. B) A Zonara p. 130. Vitæ Baſilii Scriptor; aliique Leonem pro Baſilii filio habent. C) Continuator p. 163. tam hic tamen, quam Zonaras, & Cedrenus criminis ejus expertem innuunt Photium, & ficto crimine accuſatum. D) Symeon tamen in Gordonis monaſterio apud Armenios eum obiiſſe refert p. 346. E) Annales Eccleſiæ ad annum Leonis primum. F) Paſſim citati auctores.

A. C. 890 Bulgarus crudelitatis pœnas dependat. A) Non multis opus erat machinis ad eam Gentem bellorum, ac prædarum avidiſſimam in partes trahendam; ſine mora collecto milite transgreſſi Danubium Ungari Bulgariam fœde devaſtant, ac vicem Symeoni in Græcos ſævienti remetiuntur. Audito tam inſperato infortunio recurrit cum exercitu, ac pedem cum Ungaris confert Symeon, ſed ab illis magna cæde fuſus, ac fugatus ægre Doroſtolum Urbem incolumis tenuit. Ungari captivos Bulgaros Imperatori pretio vendiderunt. Symeon in magnas conjectus anguſtias cum utrisque reſiſtendo non eſſet, paribus armis cum Græcis bellum geſturus, pacem Imperatori offert, quam ille non cunctanter admiſit togatæ, quam armatæ Palladi amicior. Compoſitis ita in ſpeciem rebus, cum revocatas jam Byzantium copias intelligeret, nec metu ab ea parte premeretur, ulturus Ungarorum in ſe facinus raptis ſubito copiis in imparatos, & ab Imperatore deſertos ducit, eorumque regionem fœda populatione exſcindit. Retractis iterum trans Iſtrum copiis cum Imperatore egit; pollicitus ſervaturum pacem, ſi ſibi captivi Bulgari per Ungaros venditi redhiberentur; quos pacis amore ductus Leo remiſit; ſed vix etiam compoſitum fœdus vafer Princeps dirupit, adverſus eum miſſus Byzantio exercitus, Ducibus Cataclo, & Theodoſio obtritus ita a Symeone eſt, vix ut quispiam fuga ſemet eripuerit; ut vero res cum Symeone finem acceperint, nemini Scriptorum, quos viderim, referre placuit. Forte quia parum honeſta, & Imperio decora referenda erant.

Hoc ergo primum erat poſt iteratum Ungarorum e Scythia egreſſum cum Byzantinis fœdus; qui eodem pene tempore ab Occidentis quoque Imperatore Arnulpho B) in ſubſidium adverſus Suendoplocum magnæ Moraviæ, ſeu Pannoniæ dominum acciti geminis ſimul Imperatoribus operam locarunt; ut viros bello ſtrenuiſſimos neceſſe ſit fuiſſe, quorum tam late nominis, & geſtorum fama pertigerit. Clades vero, quam Ungari a Symeone pertulerunt, magnæ ipſis exſtitit felicitatis occaſio: ut enim Porphyrogenitus Leonis hujuſce filius ſcriptis conſignavit, C) eo tempore, quo Symeon in Ungaros irrupit, alio illi tunc bello occupati longe domo abfuerunt; ac crediderim, Arnulpho adverſus perduelles opem tuliſſe; ut pronum fuerit Symeoni imbellem domi multitudinem ferro concidere. Reverſi autem a bellica expeditione Ungari, cum ſuos cæſos, regionem evaſtatam inveniſſent, damnata Paczinacitarum, ut vocat Porphyrogenitus, inter quos adhuc locorum commorati erant, ſocietate, ut qui Symeoni operam præſtitiſſent, in Pannonias habitatum commigrarunt, ſolum fertile, ac patens, & ſi naturæ ſpectes liberalitatem, omnium feliciſſimum, perdomitis jam ante Pannonibus conſecuti. Ex hujusmodi narratione primum conficies, Ungaros ab Arnulpho non ex Scythia, ut male quidam prodiderunt, ſed ex iis regionibus, quæ Moldaviæ, Valachiæ, Beſarabiæ nunc nomine veniunt, accerſitos eſſe; deinde Ungaros, prius quam Pannonias occuparent, diu jam antea in memoratis regionibus hæſiſſe; tum quod uſque adeo cogniti in utroque Imperio jam tunc fuerint, tum quod Theophilo imperante, quod ſupra adnotavimus, eas incoluiſſe regiones inveniantur; ut non immerito ſuſpicari liceat, multo plures ante annos, quam vulgo putetur, in Europam rurſus exiiſſe Ungaros, ſedesque mutaſſe inter varias bellorum viciſſitudines, quoad beata iſthæc, quæ nunc incolunt, arva iis obtingerent.

Idem

A) Symeon, Continuator, Leo Grammaticus Turcos hos vocant; Zonaras quoque p. 139. ſed addit; οἱ καὶ ἔγγροι καλῦνται, qui & Ungari dicuntur. Duas Gentes videtur innuere Cedrenus p. 467. πρὸς τὰς τόρκας τε Οὐγγρας Ad Turcos, & Ungaros, ſed Ungaros Turcos quoque a Græcis fuiſſe appellatos, tum ex ſupra dictis, tum ex Porphyrogeneta conſtat. B) Aventinus Annalium Bojorum Scriptor l. 4. ait, Ungaros anno Chriſti 889. in Pannonias ingreſſos, ac quarto poſt anno ſedes ab Arnulpho in Pannonia accepiſſe, ut plane in idem tempus utrumque hoc bellum coinciderit. C) Porphyrogenitus de adminiſtratione Imperii p. 89.

Idem Porphyrogeneta pluribus migrationes Paczinacitarum, & Ungarorum perſequitur, ſed tam fere, quam illa erant bella confuſe: A) Uzos, & Mazaros in Paczinacitas, qui tunc ad Atel, & Geich fluvios incolebant, bellum moviſſe, atque ſedibus eos ſuis proturbaſſe, qui ad Danubium, locaque ſupra memorata delati Turcos (ita ſemper Porphyrogenitus Ungaros appellitat) ſedibus ſuis ejecerint, hos vero Pannonias domitis Moravis occupaſſe; eaque annis quinquaginta prius, quam ille ſcriberet, geſta eſſe. Sed mihi plane perſuadeo, Mazaros hoſce eandem plane cum Ungaris fuiſſe Gentem, B) ac perperam Porphyrogenitum inter hoſce Turcos, & Mazaros diſcreviſſe; fieri equidem potuit, ut Tribuum aliqua eſſet diverſitas, & altera, quæ Turcorum venit nomine, prius jam loca Daciæ occuparit, alteram vero, quam Mazari conſtituerint, ad Atilam C) flumen adhuc hæſiſſe, ab eaque Paczinacitas expulſos. Huic opinioni inde quoque lucis aliquid advenit, quod alio loco ajat idem Imperator D) Turcorum, ſeu Ungarorum Gentem bello a Paczinacitis appetitam bifariam eſſe disjectam, ab una parte occupatas Pannonias, alteram in Perſidis fines progreſſam eſſe; atque inter utrosque rerum communicationem, nuncia, reſponſaque, tum etiam, cum ille ſcriberet interceſſiſſe. Ex quibus illud quoque intelligas: Ungaros revera ab Atel, ſive Volga fluvio, atque adeo ab Aſia in Europam, non vero e neſcio quibus Moſcoviæ angulis, quod quidam ſomniarunt, profuſos. Porro idem Imperator ita de Ungarorum Principibus; E) eos Duces prius ſeptem habuiſſe, quos in bella ſequerentur, cæterum ſummo jure neminem; poſtea Arpadem ſumma inter cæteros poteſtate ornatum, cui filii quatuor fuerint: Tarcaczus, Jelech, Jutocza, Zaltan; porro Tarcaczo filium fuiſſe Tebele, Jutoczæ vero Philiczin, qui rerum in Pannonia potiebatur, dum Porphyrogenitus ſcribebat, & imperabat. Zaltano demum filium fuiſſe Taxin; quæ vocabula etſi non nihil in Grajum ſermonem detorta Ungaricam certe originem aperte redolent. F) Atque hæc licet a rebus Byzantinis fors aliena videantur, quia tamen minime a nobis aliena, interſeruiſſe hoc loco e re viſum eſt. A. C.

Leo pace potitus facinus perpetravit, & Principe, & Sapiente prorſus indignum; etſi enim conjugem haberet Theophanonem moribus ſpectatiſſimam, Zoes tamen cujusdam, quæ Stylianum habuit parentem, illicitis turpiter amoribus irretitus Urbi offendiculo, & probro fuit, nec ab ejus amplexu divelli pudore ullo, aut proborum hortatu valuit; uſque adeo etiam oculatiſſimis cæcus ille puer oculos quandoque adimere conſuevit. Quin quod mirere, cum inſidias neſcio qua de cauſa parens hujuſce Zoes, atque propingui commoranti in eorum prædio Leoni ſtruxiſſent, quas ille admonitu Zoes effugerit, nihil tamen in ingratos acerbius ſtatuit; quin recepit in gratiam Stylianum, quem jam antea ſummis admorat Magiſtratibus, atque nova excogitata dignitate Imperatoris patrem compellari voluit; G) ita mollem, ineptumque amor ex prudentiſſimo fecerat. 895

In hoc contaminato vitæ genere annos aliquot commoratus eſt Leo, cum interea Theophano ejus conjux in aſceterio tota cœleſtis ſponſi amoribus, ſanctisque occupationibus vacaret; illa demum felici fine e vivis diſcedente Zoen illam tantopere amatam in conjugem Imperator accepit; 896

A) P. 86. B) Magyaros Ungari lingua ſua ſe appellant, & jam olim appellaverint; unde apud Porphyrogenetam vox Mazari; ita enim hodieque Orientales populi Ungaros nominant, quod liqueſcens illud gamma aliter proferre non valeant. C) Atel, vel Atila fluvius, qui nunc quoque Tartaris Etel dicitur, non alius eſt, quam Volga in Aſia, ut alibi quoque adnotavimus. Certis documentis oſtendere poſſim, eſſe hodieque in ea orbis regione populos, qui Ungarico idiomate, etſi fortaſſe a noſtro jam multum diverſo utantur. D) P. 88. E) P. 90. F) R. P. Samuel Timon S. J. præclare de Ungaria nova, & vetere meritus non videtur ad manum habuiſſe Porphyrogeniti commentarios; ſecus enim de noviſſimo iſto Ungarorum in Pannonias adventu dilucidius, certiusque nonnulla prodidiſſet. G) Continuator, & alii fere in eundem ſenſum. Zoen vero hanc a marito fuiſſe abſtractam, eumque veneno necatum aperte innuunt.

A. C. cepit; ac cum prodigiis poſt fata inclareſceret Theophano, ejusdem ho-
896 nori ædem ſacram exſtruxit, habiturus Patronam, quam Dominam, & conjugem nolebat; A) illa enim in Sanctarum numero mulierum deinceps apud Græcos aras, & honores obtinuit. Improbatum hoc Leonis facinus a Præſule Urbis Antonio, qui Stephano ſuffectus erat, ac pro merito fuiſſe reprehenſum, exinde manifeſtum fit; quod Sacerdotem, qui ſecundas haſce nuptias conſecrarat, Sacerdotio demoverit Patriarcha. Divina quoque non defuit vindicta; in conjugio quippe iſto annum non niſi unum cum menſibus aliquot exegit Leo, erepta præpropero fato Zoe; cui Leo honeſtum, decus, æquitatem, ac pene vitam ipſam poſthabuerat.

897 Ejusdem hujuſce Zoes propingui ſive inuſtam Genti ſuæ ignominiam ægrius ferrent, ſive qua alia de cauſa inſanirent, ad Imperatorem perdendum conſilia contulerant, Baſilius præſertim Styliani conſobrinus; verum cum is incautius in aures cujusdam Samonæ, qui a Saracenis profugus, Chriſtianum exterius hominem mentiebatur, meditata effudiſſet, liquido in ſcelere deprehenſus, pœnas cum familia Zoes in exilium actus dedit. At Samonas totam in ſe gratiam, & animum Leonis facto hoc tranſtulit, ut gratiſſimus in aula, ac ſummis dignitatibus conſpicuus eſſet; ac tametſi manifeſtus poſtea in crimine teneretur (ad Barbaros enim cum iis, quas corraſerat opibus, fugam arripuerat, ab eadem retractus) tamen gratia, ne tum quidem Leonis excidit; ad quam ſibi, qua fraudibus, qua obſequiis demerendam præprimis Vertumnus iſte valebat, ſuis ipſe demum artibus utut ſerius, & levius, quam ſcelera poſcerent opprimendus. B)

899 Ne vero prole maſcula, cujus erat cupientiſſimus, careret Leo, tertiam uxorem nomine Eudociam, forma præſtantem, ſed quæ breviſſimo perfuncta matrimonio una cum prole, quam ex Leone ſuſceperat, in partu interiit, magno conjugi deſiderio ſui relicto; quod is e ritu Græcanicæ Eccleſiæ a quartis nuptiis, unaque ſpe ſuſcipiendæ prolis maſculæ excluderetur. Paruit tum quidem ei conſuetudini Leo annos quinque viduus, ſed demum viduitatis, orbitatisque una pertæſus in quartam conjugem accepit virginem Zoen pariter cognominatam; quod conjugium apud Præſules Byzantinos conſuetudinum antiquarum, ritusque tenaciſſimos perturbationibus carere omnino non potuit. Etenim Græci tertias nuptias ſine pœna gravi non admittebant; quartas ceu nefandas, Chriſtianoque homine indignas penitus aſpernabantur; ac videtur, annos aliquot in hoc conjugio egiſſe Leo, quin e Sacrorum ritu Sacerdos iis nuptiis adſtiterit, & bene precatus ſit; agitata enim diu hac cauſa, ac ad Pontificem quoque Romanum translata, cum Leo non ſe libidine, ſed prolis tantummodo ſuſcipiendæ deſiderio impulſum ad quartas haſce nuptias animum adjeciſſe obtenderet, ac veniam ejus rei a Romano obtinuiſſet; poſt quadriennium a ducta Zoe, nato jam ex ea filio Conſtantino Thomas quidam Sacerdos nuptias has ſacravit, ac Imperatrici corona eſt impoſita. C) At enim obluctabatur acriter huic facto Nicolaus, qui Antonio ſucceſſerat, Patriarcha; nec ulla ratione placatus, Leonem a Templi ingreſſu, & Sacrorum communione repulit, Thomam dejecit Sacerdotio; ita altercationibus, ac ſententiarum diſſidiis viri etiam ſacri inter ſe disjuncti turbas in Urbe creabant.

900 Leone connubialibus hiſce curis implicito ſtrenue interea diripiendo Imperio operam dabant Saraceni, non paucis per continuos hoſce annos Urbibus, qua in Sicilia, qua vero in aliis locis potiti; captum in Cappadocia Corum, in Sicilia Tauromenium, expugnata Lemnus inſula, Deme-

A) Symeon Logotheta p. 347. Idem Symeon ait, extructam fuiſſe a Leone titulo Zoes Eccleſiam, in qua tumulata Zoe fuerit; non credo autem, eo dementiæ prolapſum fuiſſe Leonem, ut conjugi, qua cum in ſcelere vixerat, ceu ſanctæ aras poneret; alterius ergo Zoes honoribus extructa fuerit. B) Symeon, Continuator, Leo Grammaticus, aliique. C) Symeon p. 349. Cedrenus p. 471.

Demetrias occupata, Theſſalonica auro excidium redimere compulſa; A) A. C.
quæ per plures annos geſta brevi Scriptores meminerunt; ſenſim enim nec totis viribus Imperium Orientis carpebant Barbari, ut ſegniores ad defenſionem Chriſtianos facerent; id quod ſocordia, vel incogitantia Leonis factum; qui claſſiarios Templis in Urbe ædificandis diſtinebat interea, dum Imperii oras agerent, raperentque Saraceni; B) conſilium certe minime ſapiens, viroque ejusmodi docto indignum! quaſi Deo plus muri, & lapides cordi ſint, quam hominum vita, & ſalus.

Intentus eo modo ædificiis, ac etiam piis in Urbe ſupplicationibus 901
Leo in grave vitæ diſcrimen a furioſo quodam homine conjectus eſt: cum enim Pentecoſtes die S. Mocii ædem ingreſſus eſſet, vir quidam in medium proſiliens vi tanta fuſtem Leonis capiti impegit, ut perimendus continuo fuerit, ni obſiſtens pone candelabrum ictum aliquantiſper hebetaſſet, attonitis ad rei atrocitatem omnibus. Sanguine diffluens relatus eſt Imperator; nec levis erat ſuſpicio Alexandri fratris, qui ei pompæ non adfuerat, inſidias haſce fuiſſe: ex furioſo tamen homine nullis tormentis exprimi quidquam potuit. Illud quoque adjungitur: virum quendam Marcum nomine, Templi illius œconomum, Leoni ſupplicantem, ne ſtatam ejus diei ſolennitatem in ea æde, quod facere volebat, abrogaret, prædixiſſe: non periturum ab eo caſu, ſed poſt decennium; atque hac mora temporis evoluta, eundem Imperatori diem fatalem fuiſſe.

Repulſus, ut ſupra inſinuatum, a ſacræ, & principis ædis aditu Leo, 906
ſimultates cum Patriarcha Nicolao graves habuit: & ne vel offendiculum plebi crearet, ſi contra Præſulis edictum Templum ingrederetur; vel reum ſe, ac juſte repulſum profiteretur, ſi ſacrificiis in ea æde intereſſe omitteret, non ille quidem publice Templum ingreſſus eſt, unde religioſam utcunque Principis mentem agnoſcas; ſed in ædiculam aris vicinam, Mitatorium C) tunc dicebant, ex quo omnia ſpectare poſſet, ſeſe inferebat. Verum cum in propoſito durus perſiſtit Patriarcha, aulicorum hortatibus inductus, ac contumeliæ impatiens eundem Pontificatu exturbavit, forte ultra etiam, quam rigor veteranus Eccleſiæ poſceret, progreſſum; certe Romano Pontifici, qui ejus legis gratiam Leoni fecerat, reluctantem. Illius locum occupavit Euthymius e Syncello Divinitus, ut quidam putavere, ad recipiendam eam dignitatem admonitus; & ni eam reciperet, nique Imperatorem reſacraret, minabatur is edictum propoſiturum, per quod liceret tres, quatuorve conjuges Chriſtianis accipere. Quod qua ratione accipiendum ſit, an ut ſimul, an ut aliam poſt aliam ducere liceret, in ambiguo eſt; nam in utramvis partem intelligi ea poſſunt, quæ Scriptores ſuper hoc prodiderunt. D) Quod ſi altero ſenſu ea accipienda ſint, inſaniiſſe præ furore Leonem neceſſe eſt, ut qui tam abnormia, atque a Religione tantopere aliena minitaretur. Sed graves Principum iræ; qua nonnunquam elati magis reſpiciunt, quid poſſint, quam quid deceat, ignari minimum licere iis, qui plurimum poſſunt.

Cum Saracenis nulla deinceps diu pax fuit; nec bella fœderibus, 908
ſed vel tædio laborum, vel cladis acerbitate interrupta; adverſus ingruentem Barbarorum vim Himerium claſſi præfecit Ducem Leo, ac pro-

A) Exſtat longa Joannis Cameniatæ de calamitate iſthac Theſſalonicenſi narratio; at is Urbem a Barbaris direptam, captivos, inter quos ipſe fuerit, ex ea plurimos abductos refert; ſolumque Urbis incendium pretio ab iis fuiſſe redemptum. B) Symeon p. 347. Cedrenus p. 470. Zonaras p. 140. Continuator p. 167. C) De voce Mitatorium litigant Scholiaſtæ; ac nonnullis videtur, detortum eſſe vocabulum, ut locus ille dictus olim fuerit menſatorium, quod eo loci feſtis in templo cantoribus frugalis menſa e pane, & vino apponi ſolita fuerit. D) Symeon, Continuator, Leo Grammaticus ſimpliciter, ut attulimus, rem enunciant; Cedrenus addit particulam κατὰ τὰυτον id eſt ſimul. Zonaras vero pag. 141. ait, ἄγεσθε κατ' αὐτὸν &c. ducere ipſius exemplo tres, quatuorve uxores, adeoque non ſimul, ſed ſucceſſive; nec credibile; eo progreſſum fuiſſe Imperatorem; præſertim cum addatur, multos viros prudentes auctores fuiſſe Imperatori; ut eam legem ferret.

A.C. gredi in hoſtem juſſit, adjuncto illi Andronico Duca, viro auctoritate,
908 rebusque geſtis claro; ſed hunc livor, & fraus illius, quem tam charum Leoni diximus, improbi Samonæ perdidit, quod olim per filium illius Conſtantinum a fuga, quam ad Saracenos arripuerat, retractus eſſet. Quemdam e familiaribus Andronici conducit Samonas, qui literis ad eundem datis ſignificaret, habere ſe pro explorato, Samonam exitium ipſi apud Imperatorem machinari, eoque rem perduxiſſe; ut Imperator oculis orbare Andronicum conſtituerit. Andronicus vera eſſe, quæ ſcribebantur, ratus, oculisque ipſe ſuis metuens nequaquam proficiſci in expeditionem cum Himerio voluit; qui collatis brevi cum Barbarorum claſſe navibus, illuſtrem mari victoriam reportavit. Salute itaque deſperata Andronicus moliri cæpit defectionem; verum cum ab Urbe copiæ in eum miſſæ eſſent, incerta belli inteſtini mala permetuens ad Saracenos fuga ſe cum familia ſua etulit. Viri talis, ac tanti fœdam ad Barbaros defectionem ægre ferens Imperator hominem conducit, qui literis Imperatoriis errati veniam Andronico perferret, adque reditum invitaret; ſed ejusdem illius Samonæ verſutia effecit, ut literæ in manus barbaricas delaberentur, carcerique includeretur Andronicus; de quo cum aliter exitum non inveniret, ad Mahometi deliria infelix animum adjecit. Ejus filius Conſtantinus fuga a Barbaris Conſtantinopolim relatus, & cupide ab Imperatore acceptus, honoribus quoque primis ornatus eſt. Ferunt Leonem cum reduce Conſtantino peramice collocutum, ac quaſi futurorum præſcium conjectis in Chriſti imaginem oculis monuiſſe: ne nominis augurio ſui deceptus ad Imperium aliquando aſpiraret; non enim alium poſt ſe Conſtantinum, quam filium ſuum Imperio præfuturum; caveret, ne inquieto illi ac rapere Imperium molienti caput truncо reſectum eadem, qua tum ingreſſus erat, porta olim inferatur. Quod reipſa ita evenerit. A)

910 Samonas vero iſte nequam, & in aliorum infortunia ſolers ſuis ipſe demum artibus concidit. Gratum aliquid facturus Imperatrici Conſtantinum quemdam nomine, officioſum ut apparet, & ad rapiendos Principum oculos natum, ac factum, qui ſibi ab obſequiis fuerat, dono addixit; atque hic Conſtantinus obſequiorum promptitudine, ac elegantia ſic brevi in Imperatoris, ac conjugis illius gratiam ſeſe penetraverat, ut herum pene jam ſuum ex ea protruderet; etſi ille in maxima eſſet dignitate Imperatorio cubiculo præfectus. B) Ad conſuetas igitur artes Samonas recurrit, noxiæ cum Imperatrice conſuetudinis Conſtantinum illum defert, efficitque; ut is in monachum detonſus aula ejiceretur. Verum Imperator quodam die ad aſceterium illud inviſens, cum Conſtantinum illic conſpexiſſet, velut faſcino quodam repente immutatus, adeo in hominis amorem exarſit, ut mutato triſti illo amictu continuo in aulam reductum charum in paucis haberet. Samonas pene invidia ad factum iſtud rumpebatur; ſcriptum itaque quoddam concepit, in quo plurimis in Leonem aggeſtis convitiis virus ſuum evomuerat; illudque in loco, quo preces fundere ſolitus erat Imperator, repoſuit; lectis convitiis multum animo turbatus Leo, cum deinde reſciſſet, a Samona ſcriptum illud prodiiſſe, aula ejectum, ac tonſum in monaſterium relegavit, alio exilio, quin furca ipſa longe digniorem. C)

911 Poſtremus Imperii Leonis annus clade a Barbaris accepta funeſtus exſtitit; Himerius enim Dux nupera illuſtris victoria geſto per octo menſes navali bello, tandem totis congreſſus viribus cæſus a Saracenis eſt, plerisque omnibus ſuorum amiſſis. Fuiſſe & alia Leoni cum iisdem Saracenis bella, etſi exerte eorum Scriptores non meminerint, conjectura

sequi-

A) Continuator pag. 171. Symeon pag. 350. B) Accubitores, ſeu παρκείμενοι, dicebantur, qui Imperatorio cubili præerant; quaſi intimæ Imperatoris cuſtodiæ deputati in eodem cum illo cubili ſomnum cœperint. C) Continuator, Leo Grammaticus &c.

ſequimur; nam & Porphyrogeneta Nicephori Phocæ præclara in Italia A.C.
fuiſſe imperante Leone adverſus Saracenos prælia in exitu Baſilii memo- 911
rat; & reliqui Euſtaſii cujusdam dicti Argyri, a quo illuſtris Byzantii Argyrorum Gens profluxerit, egregiorum in Barbaros facinorum meminerunt; verum hæc oblivioni Scriptorum incuria dederit. Inter hæc contracto morbo cœliaco ſenſim contabeſcere cæpit Leo, adque metam omnibus præſtitutam properare; id cum ipſe quoque ſatis animadverteret, vocato Senatu, commemoratoque ſuo in eos leni, ac moderato Imperio hortari cæpit, ut beneficiorum memore Conſtantino filio tum ſeptenni Imperium conſervarent; quia vero huic regendo per ætatem non erat, Alexandrum interea fratrem ſucceſſorem deſtinat, ſic tamen, ut ne is Conſtantinum a ſolio excluderet. Rurſus autem præſagus futuri vates fuiſſe perhibetur Leo, ita ad Alexandrum ambigue locutus: A) malus temporis poſt tredecim menſes articulus; ac reipſa tantum fere in Imperio poſtea Alexander vixit. His ita conſtitutis, deflentibus ubertim diram fati neceſſitatem Senatoribus, ac vitam, fortunasque pro filio Conſtantino devoventibus, undecimo Maji menſis die vitam, & Imperium Leo liquit; poſteaquam annos viginti duos, menſesque aliquot moderatius, quam felicius eidem præfuiſſet. B)

FL. ALEXANDER.



BRevi, ut ejus poſcebant ſcelera, potitus Imperio Alexander nihil præter omnium odia, & vituperia retulit; ob mores ad omnem impudentiam, & turpitudinem profligatos, non tam Imperator, quam vile Bacchi, Veneriſque mancipium. Circus illi, venatio, ac commeſſationes curæ, Reſpublica in poſtremis fuit; quam perditiſſimis congerronibus ſuis, quibus cum in ſceleribus jam antea conſueverat, regendam, an vexandam magis tradidit. In Religionem quoque quam male eſſet animatus, ſcelerata illius vox patefecit: ſtatuas deorum veteres, quæ Roma allatæ Byzantii aſſervabantur, contemplatus aliquando dixiſſe fertur: bene tum, feliciterque rem Romanam habuiſſe, cum iſthæc Numina colerentur; C) easque aulæis operiri, ac decenter aſſervari juſſiſſe; ob quod apparens in ſomnio Divus Petrus, verberibus male impium acceperit. Quin alius quoque teſtis non deeſt idoneus, D) qui affirmet, ſtatuas ejusmodi in circenſibus ludis ab Alexandro propoſitas, eisque accenſis cereis, atque peripetaſmatis appenſis honorem tributum; eo etiam ſacrilegii progreſſum eſſe; ut ſacra Templorum ornamenta circo in hunc

modum

A) Symeon Logotheta pag. 352. B) De annis Imperii Leonis dubium eſt: Continuator p. 162. aſſignat ei annos viginti quinque, menſes octo; Symeon annos pariter viginti quinque, ac menſes novem; hos reliqui ſequuntur, uti etiam Annales Eccleſiæ. P. Philippus Labe S. J. in Apparatus ad hiſtoriam Byzantinam delineatione viginti duos Leoni aſſignat cum tribus menſibus; Hunc interim ſequimur, eſto promiſſam ab eo novæ Romæ Chronologiam nondum nobis videre contigerit. C) Vide Annales Eccleſiæ de Alexandro. D) Georgius monachus p. 421.

A.C. modum exornando adhibuerit. Magicis quoque præſtigiis addictum per-
911 hibent; ut qui ſtatuæ cuidam, quæ aprum referebat, in publico poſitæ, ac verendis, dentibusque deſtitutæ utrumque hoc addiderit, fore ſic ratus, ut ævum ſibi, quam maxime diuturnum obtingeret. A) Is ergo, talisque fuit Alexander; cujus in Republica res geſtæ, & paucæ, & pro hominis captu ſtolidæ iſthæc fuerunt: Euthymium Patriarcham a moribus ſuis alieniſſimum habito Senatu, ceu invaſorem, raptoremque Pontificatu depulit, Nicolao in eundem repoſito. De Euthymio illud perhibent; fœde ab adverſariis Clericis, quorum compreſſerat vitia, habitum, barba per ignominiam vulſa, verberibusque impoſitis, omnia miti, placidoque animo perpeſſum eſſe, brevique vita tranquille in aſceterio functum; B) nec defuiſſe vindicem Deum, qui percuſſores Euthymii variis continuo immiſſis calamitatibus ultus fuerit. Himerium Ducem, qui claſſe in Saracenos alternante, ut vidimus, Marte bellarat, quod ſibi vivente Leone adverſatus eſſet, in Urbem revocatum, dignitate, libertateque exuit, in monaſterium detruſum; ubi ille ex animi mœrore, mortem brevi oppetiit. Legatos Bulgarorum pacem, amicitiamque, quæ cum Leone ipſis fuerat poſcentes, crude, ac per contemptum audivit; qua re irritatus Symeon bella rurſus, & excidia Imperio intentavit. Demum Baſilyzæ cuidam compotori ſuo Imperium poſt ſe relinquere cupiens, Conſtantinum orbare virilibus, Imperioque ineptum reddere ſatagebat; ac perfeciſſet meditata, ni Procerum quidam promiſſorum Leoni factorum memores tergiverſando, ac in longius imperata ducendo, periculo Conſtantinum eripuiſſent; quod dicerent tenellam illius ætatem, ac morbidam doloris acerbitatem laturam non eſſe. Atque hæc neque plura de geſtis Alexandri.

912 Anno vero Imperii illius cum diebus aliquot evoluto, ultio Divina monſtrum hoc tam abnorme, e ſolio deturbavit; cum enim die quodam pro ſolenni more, ventrem vino, & epulis infarciſſet, poſt ſomnum meridianum pila luſurus e palatio deſcenderat; hic dum crudum, & grave e tot perpotationibus corpus ludendo exagitat, vena quapiam dirupta, copioſum ab ore ſanguinem cæpit egerere, ac in palatium relatus non diu poſtea vita, qua indignus omnino erat, Imperioque excidit. C) Alii referunt, inviſibili Divinitus gladio percuſſum non ab ore modo, verum etiam e veretro ſanguine ubertim defluente ſceleratam animam egiſſe; D) non nemo denique, juſſiſſe illum in circo ſtatum Baccho ſacrificium peragi, ac eo nondum patrato ſacrilegio, ſanguinem egerere cæpiſſe. E) Moriens porro Alexander ſucceſſorem reliquit Conſtantinum, appoſitis ſeptem viris, qui rem interea publicam curarent, dum Conſtantinus Imperio matureſceret. Alexandrum Cedrenus annos unum ſupra viginti natum e vita migraſſe ait; at ſi fides Symeoni Logothetæ anno Imperii Baſilii quinto natum Alexandrum referenti, quadragenarium propemodum vixiſſe neceſſe fuerit; ut ſcelera illius non tam vitio adoleſcentiæ, quam corroboratæ jam nequitiæ imputari poſſint, ac debeant.

FL.

A) Cedrenus, Zonaras, Symeon. B) Continuator pag. 177. & alii. C) Cedrenus pag. 477. Zonaras pag. 143. D) Symeon pag. 353. Leo Grammaticus pag. 387. E) Aretas Cæſarienſis.

FL. CONST. PORPHYROGENITUS, ET ROMANUS LACAPENUS.



SEptennis a patre Conſtantinus, Leonis filius Imperium hæreditate cæpit; quod licet diuturnum, multis tamen adverſis caſibus, ut fere pupillis ejusmodi Regnorum hæredibus uſuvenit, permixtum, ac varie interceptum, non ultra quindenos annos in ſolidum pe- A.C. 912
nes Conſtantinum fuit; nam annos ſeptem, octove ſub tutorum, matrisque cura transegit; quinque poſtea, ac viginti ipſos annos cum ſocero Romano Lacapeno, verbo Imperii Conſors, re vero ipſa privatus magis in aula duxit, reliquos poſtea annos ſolus Imperator fuit, inter malum, bonumque medius; ſed bono tamen propior vel eo nomine, quod & ipſe literatiſſimus fuerit, & natas olim apud Græcos ſcientias velut e veterno ſuſcitarit.

Inter Conſtantini, quos diximus, tutores eminebat præcipue Nicolaus Patriarcha, A) qui totam ad ſe rerum adminiſtrationem trahebat; hinc diſſidia, invidiæ, rixæ, pluribus pro libitu Rempublicam tractare expetentibus, & decedere ſibi arbitrantibus, quidquid aliis accederet. Sive erepturus e tutorum manibus Imperatorem Prætorianarum cohortium Præfectus B) Conſtantinus Ducas, ſive rei ſummam ad ſe translaturus, cum ad id faciendum, a turbulentis quibusdam in Urbem invitaretur, válida ſuorum fretus manu in eandem venit, ac palatii fores armatus eſt aggreſſus; ſed obſtitit tutorum providentia, qui objecta militari manu cupiditati hominis armis obluctabantur; excitato deinde in Urbe tumultu, dum Conſtantinus ille in turbam ſibi infeſtam furioſus equo invehitur, eodem forte prolapſo, cæptis temeritate plenis, & ſpebus excidit. Hic a quodam ſatellitum caput illi dextre reſectum, ac palatio, quod petebat, illatum, quietem Urbi reddidit. In complices, & conſcios acerbe a tutoribus ſævitum eſt; multi exilio, nonnulli capite facinus luerunt; quidam etiam furca, & palis ſuffixi terriculo aliis fuere. Plurimis etiam e Senatu, & Patriciis tutorum immoderata ſævitia res ad incitas deveniſſet, ni importunitas eorum, gravis cujusdam viri auctoritate, ac minis repreſſa foret. C)

Bellicoſiſſimus Symeon, Bulgariæ Princeps, ac quietis impatiens audito penes puerum ſummam Imperii eſſe, tutorumque diſcordiis fluctuare gubernacula, in ſpem adductus occupandi Byzantii, prævalido cum exercitu direpta Thracia profectionem eo inſtituit, Urbique obſidendæ fecit initium; at enim & magnitudine operis ſuſcepti expenſa, & firmitate Urbis, propugnatorumque multitudine intellecta, retraxit ſeſe ab incepto, ac de pace cum Byzantinis integranda agere occœpit; miſſi ab Urbe viri

A) Zonaras p. 145. B) Scholarum Domeſticum id temporis eum vocabant, qui Legionibus urbanis præerat; hæc ſumma in re militari dignitas tum fuiſſe videtur; ſæpe enim integris exercitibus præfuiſſe leguntur. C) Continuator, Symeon, & alii.

A.C. Principes, ac in his Patriarcha reverenter a Rege acceptus, de fœderibus ſanciendis cum eo egere; invicem Symeonis filii in Urbem ad juvenem Conſtantinum viſendum magnifice inducti, donisque regium in morem culti fuere. Pacem alii A) tradunt certis pactionibus concluſam; alii impotentia Symeonis conditiones rejicientis fuiſſe infectam. B) Idque alterum videtur verius; quod non ita multo poſt gravi rurſus bello res Imperatorias Symeon affixerit. Interea in patriam ſuam prædis, donisque dives abſceſſit Bulgarus.

913 Hoc amoto utcunque a cervicibus periculo non licuit aulæ Byzantinæ diu conquieſcere, maris, quo alluitur in modum fluctibus perpetim tumeſcenti. Mater Conſtantini Zoe ab Alexandro ex aula pulſa, ac in aſceterium relegata, diu conſpectu filii, aulæque honoribus, atque deliciis carebat; dignitatis itaque, ac filii una cum imperio tractandi cupiditate ardebat fœminea ambitio; hic enim non viros modo Byzantii, ſed fœminas quoque dire morbus vexabat. Sive igitur clanculario matris inſtinctu, ſive puerili ingenio aſſiduis querelis, ac gemitu matrem appellabat, & a ſuis repoſcebat Conſtantinus; cujus cum finem nullum faceret, tandem mater in aulam adducta filii in ſe curam tranſtulit. Ut primum potuit aliquid, confeſtim animum imperandi cupidiſſimum patefecit; primum Alexandri fautores, & in ſceleribus adjutores aula exturbavit; dein eos, quos ſuarum eſſe partium cognorat, in dignitates produxit; denique ut ſola poſſet omnia, Patriarcham quoque, cujus nutu rerum adhuc cardo vertebatur, ex aula pulſum ſacra, miſſis profanis, curare juſſit; ita Zoe non pueri modo ſui, ſed & imperii dehinc potens fuit. C)

914 Sub puerili hoc, fœmineoque imperio non poterat in tanta Procerum ambitione non varie agitari, jactarique Reſpublica; itaque & extero bello, & domeſtico peſſumibant omnia. Symeon, cui bella ſemper, & prædationes cordi erant, educto iterum in Thraciam exercitu Adrianopolim oppugnare adortus, cum vi non poſſet, corrupto Urbis Præfecto, potitus eſt. Locum hunc tam opportunum recuperare armis Zoe cum non valeret, auro, quod in fœmina utcunque ferendum, mercata ſuum fecit. Quod quo ſenſu accipiendum, utrum a Symeone eam emerit, an milites præſidiarios corruperit, non facile definieris, emptam certe pretio Urbem omnes conſentiunt. Ac mihi videtur verius a Præfecto, vel præſidiariis; ſiquidem bello inter utrosque adhuc perdurante vana, futilisque fuiſſet ejusmodi emptio, ac venditio. D)

917 Ut indomitam Symeonis cupiditatem retunderet Imperatrix, copias omnes ab Aſia in Europam transportatura pacem tandem cum Arabibus plenam componere ſtuduit; cui rei bonam quoque præbuit occaſionem Ducis Saraceni, qui Strobelum inſulam magno armorum, & navium apparatu oppugnabat, e vita exceſſus; ab hoc enim reductis ab obſidio copiis, appellari ſe de pace paſſi fuerunt Barbari, eaque demum confecta eſt, etſi, quibusnam comprehenſa fuerit capitibus, incertum. Omnibus itaque Aſiaticis, Europæisque in unum contractis copiis, datum Leoni Phocæ Prætorianorum Duci negotium eſt, ut in Bulgaros duceret exercitum, in quam expeditionem nobiliſſimi quique ab Urbe profecti ſunt; quove majoribus in pugnam animis iretur, ſacro Crucis ligno in exercitum prolato, E) debitaque reverentia excepto univerſi jurejurando in ſacra hæc ligna, ut tunc in more poſitum fuit, ſeſe obſtrinxerunt, ad mortem uſque una fortiter depugnaturos. Ut vero undique in Bulgaros perniciem accerſerent, Romanus Lacapenus claſſi Præfectus oſtia Danubii cum navali exercitu legere juſſus eſt, præſto terreſtri cum tempus poſceret, futurus; Bogas vero quidam Patricii dignitate auctus, miſſus

A) Cedrenus p. 479. Symeon p. 355. B) Continuator p. 178. Zonaras p. 145. C) Symeon p. 355. Leo Grammaticus p. 389. D) Leo Grammaticus tamen p. 389. ait, miſſis ad Symeonem donis Adrianopolim eſſe receptam. E) Continuator p. 179.

miſſus ad Patzinatas eſt, ut oblato auro in belli ſocietatem, Gentem illam pelliceret, quam & facilem in vota habuit. A.C. 917

Omnia quam optime in excidium Bulgarorum comparata videbantur, omnia in perniciem Græcorum vertere; Deo tot diſcordiarum, levitatis, ambitionis, & aliorum, quibus Conſtantinopolis conferta erat, vitiorum pœnas repetente. Leo Phocas viceſimo menſis Auguſti die prælio cum Symeone ad Acheloum congreſſus, ingenti clade fuſus, ac fugatus eſt; Romanus Lacapenus laborantibus in tempore cum claſſe non adfuit; Patzinatæ viſis inter Bogam, & Romanum diſſenſionibus damnata tali ſocietate ad ſua ſe retulerunt. Ita res malæ inter ſe velut conſpirabant. Infelicis pugnæ modus non perinde ab omnibus narratur; quidam ſimpliciter cladis, quanta non alias relata ſit, meminerunt, A) protritas, necatasque magna ſtrage Legiones; alii B) contra pugna inita ſuperiorem primum fuiſſe Leonem ingenti edita Bulgarorum cæde, Regeque Symeone in fugam conjecto. Poſtea feſſum labore Ducem ex equo ad fonticulum delapſum, equum vero forte liberatum diſcurſaſſe inter acies, omnesque metu correptos, quod Ducem interiiſſe arbitrarentur, ab inſequendo hoſte pedem preſſiſſe; id e loco editiore contuitum Symeonem reparata acie fortiter denuo invectum, & Græcos putatitio Ducis caſu jam attonitos loco motos eſſe, ac pene internecione deletos. Alia quoque diverſa ab hac non deeſt narratio: velut ſi rumore pugnanti Leoni perlatum ſit, Romanum cum claſſe ad occupandum Imperium retro ceſſiſſe; qua ille de cauſa remiſſo pugnæ ardore aliorſum curas verterit; verum apud Græcos ſuſpicione, odiis, & inſano ambitu permixta cum omnia fuerint, nihil mirum, earum quoque rerum Scriptores in diverſa adeo abiiſſe. Romanus Lacapenus deſerti exercitus, corruptæque expeditionis poſtulatus oculorum jacturam Judicum ſententia fecerat, ni ejus amici de venia apud Zoen, & Conſtantinum eidem proſpexiſſent. Verum ille pro jactura oculorum brevi aulæ gratiam, quin Imperium adeo ipſum referet; tam volubilis, incertaque apud Græcos fortuna. Bulgari victoriæ ſtrenue interea inſiſtebant, terrore Urbi propius admoto; hic vero bifariam inter ſe Scriptores rerum illius temporis ſcinduntur: commiſſo enim rurſus prælio hi C) Græcos victores faciunt, illi D) Bulgaros; noctu iſtos in caſtra Leonis feciſſe impetum, ejusque copias internecione iterum cæſas; utris vero aſſentiare? vetuſtiores illi ſunt, qui Bulgaris victoriam adſcribunt; attamen cum pactorum cum Bulgaris tunc initorum nulla apud quemquam exſtet mentio, & tamen inter omnes conveniat, ab ea pugna finem huic bello impoſitum non eſt, cur poſterioribus fidem omnem derogem; certe turbulentus ille Symeon, niſi vel prælio victus, vel pace compoſitus quietem Imperio indulturus non erat.

Bello iſthoc Bulgarico utcunque compoſito, etſi qua demum ratione compoſitum fuerit, pro explorato non ſit, magnis, ac inteſtinis tempeſtatibus aula Byzantina jactari cæpit; quod Conſtantino adhuc puero, dedignati muliebria imperia Procerum nonnulli, procurationem Reipublicæ ad ſe ſe traherent, tametſi ita illam bello ſuperiore geſſiſſent, ut exilio, ac pœna magis, quam honore aliquo, rerumque gubernaculis digni haberentur. Præcipuus in his Leo Phocas Prætorianorum Dux; qui ſive Conſtantini e matris, & aulicorum, ut præferebat, mancipatu liberandi, ſive Imperium ad familiam ſuam, quæ geſtis ea ætate bellis inclaruerat, transferendi, aperte res novas moliebatur; fretus etiam Conſtantini cujusdam affinis ſui in aula potentia, qui Imperiali palatio Præfectus juvenem Principem, aulamque e nutu habere videbatur. Sed importunum Leonis ambitum ſufflamminavit Pædagogus, qui mollem Conſtantini 918

A) Continuator p. 180. Symeon p. 356. Leo Grammaticus p. 390. B) Cedrenus p. 480. Zonaras p. 146. C) Cedrenus p. 481. Zonaras p. 146. D) Leo Grammaticus p. 390. Continuator p. 180.

A.C. 918 ætatem manu, ut vellet, tractabat; is enim perſuaſit puero, ut Leonis ab aula depellendi cauſa in Romanum Lacapenum, virum gravitate morum, ac pietate ornatiſſimum, A) quique apud patrem Conſtantini fide, & gratia valuerat, ſtudia ſua, ac favores inclinaret; inque aulam acceſſitum gerendis negotiis præficeret; & quia non erat neſcius, non defore, ſi id conſilii in vulgus emanaſſet, qui adverſum niterentur, ita rem inſtituit, ut Romanus claſſi eo tempore ſumma poteſtate Præfectus arma in portu Byzantino oſtentet, ac adverſarios metu percellat; ad quod ipſum faciendum literis eum Conſtantinus clam matre, & Proceribus e nutu Theodori Pædagogi invitabat. Ferunt, Romanum ejusmodi diu invitationi obluctatum B) quod in modeſtiamne hominis, an metum turbandæ Reipublicæ referendum ſit, non facile affirmes; certe Romanum hunc in honoribus recuſandis parum fuiſſe modeſtum, ſuo deinde malo Conſtantinus didicit; ac ſi attentius ad rem ſpectes, omnia hæc compoſito, & Romani ambitu, ac Pædagogi artibus gerebantur; nam Romanus in portu cum claſſe accinctus nec navales in hoſtem, uti juſſus erat, C) copias eduxit; nec ipſe privatus in ædes abſceſſit ſuas, inſuper Conſtantinum, cujus modo facta mentio, palatio Præfectum, in portum egreſſum, velut præcipuam deſignationibus ſuis remoram ſubito comprehenſum carceri mancipavit; quo facto ingens exſtitit in aula, & Urbe adverſus Romanum, ceu turbatorem Reipublicæ commotio, Imperatoris matre, aliisque cupiditatem hominis apud populum incuſantibus, ſed fruſtra cæptis obnitentibus. Namque Imperatorem cum totum poſſideret Theodorus, eo rem perduxit, ut matrem quoque aula proturbare filius voluerit, ni lachrymis ejus placatus eſſet; certe rerum adminiſtrationem ab ea abſtractam in ſeſe tranſtulit, Patriarcha, nonnullisque aliis in curarum conſortium adſcitis.

Interea Phocæ Leoni Magiſtratus militaris aufertur, D) novi homines a Romano non alieni in dignitates provehuntur, omnia in favorem ambitioſi illius inclinant; qui admonitu ejusdem Theodori admota propius aulam claſſe tantum incuſſit Proceribus terrorem, ut de eo in regiam deducendo, ac rebus pro juvene Conſtantino interea præficiendo conſilium fieret; ac tametſi ei rei adverſum ſe ferret Patriarcha, & quidam alii; tamen repugnantibus illis Romanus, poſteaquam ſuper ſacram Domini Crucem jurejurando obſtrinxiſſet ſemet, nec inſidiaturum vitæ pupilli, nec Imperium aliquando affectaturum, in palatium perductus, ac fœderatorum Comes conſtitutus rebus pro Conſtantino præeſſe cæpit.

Hæc tam inopina Romani ad ſumma quæquæ progreſſio, etſi in calamitoſo illo Imperii declinantis ſtatu minime invidenda, mirum tamen, ut plerosque Procerum uſſerit, & ſpecioſo pupilli Conſtantini e ſervitute vindicandi obtentu in arma, turbasque exſuſcitarit. Plurimis exin conjurationibus appetitum Romani caput, incolume tamen ſtetit; is enim & prudentia, ad antecapiendas adverſariorum molitiones, & affabilitate ad devinciendos plebis, aulæque animos, & probitatis opinione ad ſubjectos in officio continendos valebat. Ut primum aulæ potens fuit, Conſtantini adoleſcentis ita demeritus eſt animum, ut patris eum loco haberet, nec aliter, quam Imperatoris patrem E) compellari vellet; inſuper filiam illius Helenam conjugio ſibi necteret. Non potuit Phocas inuſtam ſibi ignominiam tacitus concoquere, nec tantam æmuli gloriam æquis oculis intueri. Igitur in Cappadocia, quo habitatum privatus ſeceſſerat, datis quaquaverſum literis Provincias arma juſſit capeſſere, quo Principem, ut ajebat, ſuum ex impotenti Romani Lacapeni ſervitute, qui ad Principatum malis artibus niteretur, ereptum irent. Tam viri talis auctoritas, quam cauſæ, ut apparebat, bonitas Provincias in arma

A) Laudat viri virtutem multis Continuator, Symeon, Georgius Monachus. B) Symeon p. 357. Leo Grammaticus p, 390. C) Leo Grammaticus p. 391. D) Continuator, aliique. E) Βασιλεοπάτωρ dignitatis fuit nomen a Leone primum excogitatæ.

arma excivit. Progreſſus Chryſopolim Phocas, explicata ex adverſo Urbis acie, ni Romanus aula ejiciatur, vim, ac ferrum intentabat. Non defuit ſibi in hoc rerum articulo Romani ſagacitas; literas manu Conſtantini ſubſcriptas ad exercitum per Symeonem, A) qui ab epiſtolis Imperatori erat, primæ dignitatis virum mittit; harum tenor fuit: velle Imperatorem, ut omnes ab armis diſcedant, neve Phocæ fidem habeant, tecta, & prava cupiditate Imperium prenſanti; ſe enim ultro Romanum in conſilii Moderatorem ſui acciviſſe, nec ab eo injuria adhuc ulla appetitum; pro hoſtibus, non liberatoribus habiturum, ſi qui pervicaces inceptum urgeant. Literis hiſce in exercitu recitatis, defluere ſenſim animi militum, tutiora dubiis, ac incertis anteponere, ſenſim alius poſt alium ab exercitu dilabi; quod conſpicatus Phocas ab æmulo male metuens fugam & ipſe arripuit; verum in itinere a Romani amicis interceptus oculos cum ſpe Imperii eorum crudelitate perdidit; Romanus enim invito, ac inſciente ſe eam viro principi calamitatem illatam ſancte poſtea aſſeveravit. Utcunque res ceciderit; certe per hunc Phocæ caſum duo Romanus inter ſe pugnantia conſecutus eſt, ut & in acerrima plurimorum Procerum odia incurreret, & ad infenſos fortunæ ſuæ conatus eludendos multo fieret potentior; quin eo ſenſim progreſſus eſt, ut Procerum, Urbis, quin Conſtantini quoque ipſius ingratiis non Curator modo Reipublicæ, ſed Dominus, ac Imperator fieret; omniumque opinione diutius Principatu fungerentur; in tantum politicis, aulicisque artibus vir ille præſtabat. A.C. 918

Vix ſeditio ſuperior Romani ſagacitate finem acceperat, altera rurſus Procerum quorundam conjuratio, ejusdem vitam impetiit; B) ſed eorum quoque machinationi ſolerter a Romano itum obviam eſt; cæſi verberibus conjurati, ac luminibus orbati, dignum invidia facti præmium acceperunt. Repreſſa videri poterat hominum ambitio pœnis hujuſcemodi, ea vero magis in dies efferbuit: Zoe quoque Conſtantini mater præreptam ſibi a Romano rerum adminiſtrationem non ferens, illum epulis veneno medicatis non aula modo, ſed vita quoque exturbare adniſa eſt; C) verum in conatu deprehenſa, ac a Romano in aſceterium retruſa, monacha pro Imperatrice fuit. Denique Theodorus quoque ille Pædagogus, Romani in aulam perductor, fors non pro eo, ac ſperabat, acceptus, aut clienti ſuo ab hominis ambitione ulterius jam progreſſa verens, cum adverſa quædam in Romanum moliri deprehenſus eſſet, in exilium depulſus, non parvo illum metu liberavit.

Ita omnibus jam ſuperior Romanus perfecit demum apud generum ſuum Conſtantinum, ut primum quidem Cæſar ab eo renunciaretur; mox etiam corona in æde Sophiæ donaretur; neque jam tutorio, ſed Imperatorio nomine rebus cum eodem moderandis, ringente nequidquam Procerum invidia, præeſſet. Id quo animo Conſtantinus perfectum dederit, ultro obtulerit dignitatem, an petitam recuſare auſus non fuerit, in ambiguo eſt; coronam certe ſua manu ſocero gener impoſuit; nec crediderim Romanum tam cito jurisjurandi, ac promiſſorum oblitum; quamquam nihil tam Sanctum, Sacrumque eſt, quod non ſubvertat ſenſim, ac proculcet libido dominandi. Quin ulterius progreſſa hominis ambitio perfecit, ut filius quoque illius natu maximus, cui Chriſtophoro erat nomen, corona per eundem Conſtantinum inſignitus Imperator diceretur. Sunt, qui invito Conſtantino, ac iram metu premente Chriſtophorum Imperatoria dignitate ornatum prodant; D) at certe ſi is magnopere obluctatus fuiſſet, non exiſtimem, Romanum hæc talia auſurum fuiſſe; præſertim cum invidia apud Primores Urbis conflagraret, continuisque ejus vita inſidiis, & conjurationibus peteretur; ſed Conſtantinus hic animo molli, & muſis amico, magis honore Imperatorio, 919

A) Continuator p. 183. B) Symeon p. 183. C) Continuator p. 183. D) Zonaras p. 148. Cedrenus 485. Nihil de hoc Continuator, Symeon, & Grammaticus.

A.C. quam onere, rerumque turbis oblectatus fuerit; certe omne hoc tem-
919 pus, quo Romanus imperium tractabat, bene longum annorum, videli-
cet quinque supra viginti, nomine quidem, & honore Imperator, re au-
tem ipsa privatus in molli otio cum musis Constantinus transegit, lite-
ratus ipse, ac literatorum amator; qui multa ipse scriptis consignavit,
quorum aliquibus in superioribus usi fuimus; quamquam credibile, inju-
ria temporum plurima ingenii illius monumenta intercidisse. Pluribus
quoque aliis, idem ut facerent, auctor erat Constantinus; quorum præ-
claris studiis factum, ne scientiæ, quas hæreditario velut jure Græci
possidebant, inter tot Reipublicæ perturbationes, & ipsæ elingues, ac
emortuæ jacerent.

920 Illud vero admiratione dignum; quod injuriam modo memoratis
etiam majorem a Romano sibi irrogatam tacitus concoxerit Constanti-
nus. Cum enim plurimi Proceres in dies pene ad perdendum Romanum
conspirarent, quorum tamen semper ille molitiones, castigata pœnis con-
dignis Græcanica levitate, anteverterat, hoc arrepto prætextu: ut se ma-
gis formidandum, venerandumque faceret; sicque inimicorum conatibus
elidendis securius insisteret, non rerum modo procuratione, quod ad-
huc fecerat, sed honore quoque publico penitus ad se pertracto, primo
deinceps se nominari loco ante Constantinum, ac in tabulis publicis scri-
bi sanxit; quod nunquam facturum se, jurejurando olim receperat. Id
voluntate rursus Constantini, an ingratiis Romanus fecerit, expressum
non est; certe tamen perjurii illum arcessere Scriptores non omittunt.
Ita nunquam ambitioni justitiæ fucus, quem gestorum iniquitati præten-
dat, deesse potest.

Cæterum Romanus esto ulterius, quam par erat, in aula progres-
sus, eam tamen justitiæ, & generi sui rationem habuit, ut neque vitæ
illius, quod tanto annorum spatio nullo negotio in rem conferre pote-
rat, insidiatus sit; nec illum, familiamque illius dignitate Imperatoria or-
bare in animum induxerit; quin senio postea confectus, etsi filios quoque
suos corona cinctos communiter post se cum Constantino, illum tamen
loco principe, & potestate imperare voluerit. A) Non ergo ita totum
ambitioni se Romanus permisit, ut æquitatis penitus oblivisceretur, cu-
jus probitas aliis quoque in rebus egregie eluxit; etsi in eo deceptus
sit, quod magna vitia, magnis virtutibus misceri, attemperarique posse
crederet; quæ res, morte jam vicina glaucoma ab oculis detergente, acer-
bum deinde luctum, doloremque animi eidem peperit. Sed quæ eo Im-
perium moderante evenerint, strictim nunc a nobis memoranda sunt; in
quibus recensendis illud molestе nos habet, quod nulla pene temporum
nota res illius, & Constantini gestæ a Scriptoribus adstrictæ dissoluta,
& incerta narratione ferantur; ut conjectura annorum seriem magis sequi,
quam certo, exploratoque ordine prosequi cogamur.

Itaque Romani Imperium, qua statis Bulgarorum in Thraciam pro-
cursionibus, qua Procerum nunquam satis compresso ambitu, & inquie-
tudine turbulentum fuit. Inter alios Bulgarorum incursus, ut minora ne
memorem, referri meretur expeditio, quam Manicus Symeonis Dux ad
ipsam prope Urbem valido cum exercitu susceperat. B) Ut periculum
amoliretur Romanus, exercitum non contemnendum Joanni cuidam Pres-
bytero, qui summus erat rerum pro Imperatore administer, ducendum
in hostem dedit; hunc duo quoque Argyri, Leo Romani gener, & alter
Photus, cum plurimis e Procerum ordine assectabantur. At enim Bul-
gari ingenti cum clamore, ferociſſimeque in Græcos ab editiore loco de-
voluti, adeo molles eorum animos timore concusserunt, ut continuo in
fugam verterentur; non pauci e Principibus viris desiderati; incendia, &
vastitas propius Urbem a Bulgaro admota.

Iidem

A) Ita in fine Romani historiæ Continuator, exque illo alii. B) Continuator p. 186.

Iidem Bulgari altera rursus inita expeditione, successus enim isti ad A.C.
audendum semper magis eos proliciebant, prope Urbem delati, consueto 921
pro more in vicos sæviebant, & suburbana. A) Imperatoris hortatu ani-
mis aucti Procerum quidam, & in his præcipuus Sactices, in Bulgaros
prædis colligendis intentos ab Urbe effusi, castraque eorum aggressi,
multitudinem illic repertam ferro conciderant; quod propulsaturæ vim
acies castris abessent; revertentibus vero iis, pauca suorum manu obvius
Sactices, etsi pro virili decertasset, saucius tamen in Urbem relatus ex
vulnere interiit. B) Ita non impune semper Bulgaris sua cessit grassatio;
quos ignavia magis hostium, quam virtutis conscientia feroces, &
victores faciebat.

Imbelles in hostem Byzantini, ad domesticas factiones miscendas for- 922
tes, audacesque erant; nube illa Bulgarica ab Urbe recedente, perduellio
adversus Romanum in Chaldia, quæ in extrema minore Asia prope Tra-
pezuntem Provincia erat, a potentioribus quibusdam Adriano, Barda,
aliisque commota; de qua aliud memoriæ proditum non est, quam quod
Joannes Curcuas Dux bello strenuissimus adversum eos missus captis an-
tesignanis rebellionem viriliter extinxerit; ex his Tazaces, & Bardas By-
zantium perducti lenius, quam eorum poscebat audacia, initio habiti sunt;
ille honesta custodia, hic asceterio detentus; sed horum prior, dum in-
quietus de fuga circumspicit, oculorum jacturam subiit. Frequens ist-
hoc apud Byzantinos supplicium, capitalis jam pœnæ passim vicem subi-
bat; & multum de lenitate sibi blandiebantur Principes, si vita concessa
lucis usuram adimerent; quamquam quænam isthæc lenitas, pro brevi
corporis afflictione longum, & gravissimum animi cruciatum substituere?

Non diu suis cum Bulgaris quietem pati potuit Symeon: sive Præ- 923
fecti Adrianopoleos, cui Moroleon erat nomen, facinoribus in se bellicis
ira accensus, sive inexplebili prædarum cupiditate allectus, admovit ei
Urbi exercitum; post longum obsidium, cum fortiter eluderet molimina
Præfectus, tandem fame adacti cives vinctum illum Symeoni cum Urbe
dedunt; quem ille inhumana, ac indigna morte sustulit. Sed non diu
Urbis potiti sunt Bulgari; validum enim adversum se exercitum venire
edocti, metu ne paria in se severitatis exempla ederentur, Urbe relicta
ad sua refugerunt. Eodem fere tempore felicius multo alia ex parte
bellum in Barbaros fuit administratum: Tripolitani enim Saraceni Le-
mnum hostiliter aggressi, a summo rei navalis Præfecto Radino tanta cla-
de affecti sunt, vix ut fugam præter unum Ducem quispiam invenerit. C)

Annis dein aliquot cessatio ab armis Imperio Orientis videtur indul- 928
ta, duratura in longius, ni Bulgarus Symeon sui nunquam dissimilis, &
juratus vicinorum hostis eam abrupisset. Maximo cum exercitu Thra-
ciam, & Macedoniam non innoxie pervagatus, ad ipsam rursus Urbem
copias admovit; D) non quidem animo armis eam appetendi, quam ex-
tra ictum, & amplitudine, & naturæ positu esse videbat; sed a Romano,
& Urbe adventu suo perculsa pacem sibi proficuam, muneraque extor-
quendi. Terrore igitur foris ostentato, viros ad se Principes delegari pe-
tiit, quibus cum pacis negotia tractarentur. Missus Nicolaus Patriarcha
cum Primoribus; sed illos rursus cum fastu aversatus, Romani ipsius
colloquium expetiit. In locum igitur ab omni insidiarum suspicione
alienum Imperator, & Rex progressi inter sese sermonem contulerunt.
Romanus verborum qua pollebat lenitate Regem hortari cæpit, ne in-
noxiorum cædibus a Christiani hominis officio, qualem ille præferebat,
alienis semet impiaret; ne alienæ Regioni diripiendæ per fas, ac nefas
magis, quam suæ excolendæ daret operam; nihil sanctius Christianis,
nihil a Deo magis commendatum amicitia inter se, atque concordia; ad
hanc si animum referat, plura etiam, quam speret, ultro ab Imperato-
ribus

A) Cedrenus p. 487. & Continuator p. 187. B) Continuator p. 361. Cedrenus p. 388.
C) Symeon Logotheta p. 361. D) Symeon p. 362. & alii.

A.C. ribus obtenturum; ſin inquietus eſſe pergat, non defore ultionem Numi-
928 nis; quæ quo ſerius, hoc gravius eum opprimat. Et dicentis majeſtate, & eorum, quæ dicebantur veritate permotus Symeon, ſervaturum ſe pacem dehinc pollicitus, maximisque ab Imperatore excultus muneribus ad ſua abſceſſit. Ut ſe deinceps in Romanum, Thraciamque geſſerit Symeon, incompertum: quamquam enim nullius deinde inter utrosque belli Scriptores meminerint; non deſunt tamen, qui infecta pace Bulgarum abiiſſe memorent; A) idque ſignificatum jam tunc eſſe, dum in ſuburbano una colloquerentur; duas enim ſupra eorum capita volitaſſe aquilas, quæ invicem congreſſæ, ac divulſæ, Urbem altera, altera Thraciam petierit; quod pro ſiniſtro omine Græcis fuit.

Aliis fortaſſe bellis Symeon a vaſtanda Thracia, non pace avocatus fuerit. Certe gravi ipſum cum Croatis implicitum bello exin manifeſtum fit; quod plures referant: poſt aliquot a jam memorata expeditione annos, prælio tam cruento fuiſſe ab iisdem Croatis protritum; ut omnes in eo copias delatas viderit, ægre ipſe in Bulgariam profugus. Sed quam effugerat bello, domum redux mortem invenit. Mira, ſi vera ſunt, quæ de hac a quibusdam ſunt prodita. B) Aſtrologiæ quempiam, verius ut puto magicæ gnarum impoſturæ ad Romanum acceſſiſſe, auctoremque fuiſſe, ut ſtatuæ Symeonis, quæ in Urbe poſita erat, caput præcideret; id ſi fiat, Symeonem ipſum in Bulgaria mortem oppetiturum. Id cum Imperator per ſuos perfectum dediſſet, fatalem illum Symeoni fuiſſe ictum, qui eodem, ut cognitum poſtea, temporis articulo animam egerit. In Aſtronomiæ arcana ſtudia Scriptores Græci factum iſthoc referre videntur; miri, ac ſubtiles, ſi Superis placet, in vaticiniis, & ominibus captandis, ejusquemodi deliriis. Fieri potuit, ut mago illi extremus Symeonis morbus mali genii ope cognitus fuerit, isque venditandæ ſcientiæ, ac operæ ſuæ Imperatori, Urbique illuſerit. Illud admiratione dignius, quod Romanus vir cæteroqui ſapiens, hominis admonitioni morem geſſerit; ſed tot erant Symeonis in Byzantinos maleficia, ut ejus mortem quavis demum ratione procuratam in lucro ducerent. Ab illius exceſſu, Petro filio Regnum occupante, cum fames quoque in Bulgaros ferociret, vicinæ Gentes Ungari, & Croatæ magnis illos malis, ac direptionibus affecere, ut ii non ſolum de pace cum Imperatore, ſed de affinitate, pactisque connubialibus ineundis cogitarent.

Interea Imperator Romanus, quo plurium clancullariis in dies petebatur artibus, hoc ſolicitior fuit Imperii in familia ſua conſervandi. Igitur non contentus Chriſtophorum filium jam olim Auguſtum appellaſſe, duos quoque alios filios Stephanum, & Conſtantinum corona per Nicolaum Præſulem redimitos, Imperatores ſalutavit, C) Conſtantino interim Porphyrogenito ſuis cum muſis in palatio privati in morem deliteſcente, & nec hiſcere contra auſo, tametſi Procerum plerique eidem magno ſuo malo efflictim ſtuderent; nam & Joannes ille Romano intimus, ac negotiorum arbiter in herum ſiniſtri aliquid moliri cæpit; proditus cum quibusdam aliis ſupplicium de ſe ipſo ſumpſit, ut majus exiret, ad aſceterium crine detonſo profugus; ſi ſupplicium tamen dicendum eſt, in ſupremi Regis familiarem recipi; at ſic apud Græcos erant mores, ut res omnium præſtantiſſima in pœnam, & probrum verteret; quæve ne ſuſcipi quidem, niſi libera animi inductione poſſit.

930 Nicolao Patriarchæ ſupremum hoc operum fuit: fato enim ceſſit novemdecim a ſua reſtitutione annos Pontificatu perfunctus. D) Locum ejus occupavit Stephanus Amaſeæ antea Epiſcopus; ſed ſuccreſcebat jam in

A) Zonaras p. 148. Leo Grammaticus p. 397. B) Factum hoc Scriptores omnes referunt ſupra citati, præter Leonem Grammaticum. C) Continuator, & alii. Zonaras addit etiam: Nepotem quendam Romani ex Chriſtophoro coronatum tunc eſſe; ſed ex aliorum ſilentio refellitur. D) Nicolao paſſim Scriptores, tredecim Patriarchatus reſtituti annos aſſignant; at ſi ab Alexandro reſtitutus eſt, ut traditur Indictione prima, & fato functus Indictione tertia, ut Cedrenus, & alii adnotant, diutius a reſtitutione ſua præfuerit.

in ſpem Patriarchatus Theophilactus Romani filius; quem pater, ne ſuæ A.C.
quondam obluctaretur voluntati, ſpadonem fieri, A) & ſacris initiari curaverat; adeo ſumma omnia in Republica illius ad ſe rapiebat ambitio.

Symeone vivis, ut diximus exempto, Petrus ſuos Byzantium allega- 931
vit, qui de pace, pactisque connubialibus Romanum appellarent, utriusque cupidiſſimum; itaque Chriſtophori filia, Romani neptis Bulgaro in conjugem oblata eſt; cujus deſiderio Petrus ipſe ad Urbem accedens initis pacis fœderibus, nuptiisque magnifice in ſuburbano celebratis, ad ſua Mariam abduxit. In hac ſolennitate nova iterum Porphyrogenitus injuria Romano permittente eſt appetitus: nam Bulgari in uſitatis acclamationibus ferre non poterant, ut Chriſtophori ſoceri Regii nomen Conſtantino poſtponeretur; præponi igitur petiere a Romano, & obtinuere; ita ſenſim de gradu honoris ſibi debiti deſcendebat Conſtantinus, tacitus tum quidem, & quietus, ac opportuniora, quod magnarum eſt mentium, præſtolans. B)

Bellum ſub idem tempus cum Melitenſibus Saracenis gerebat Joannes Curcuas, Dux maximi nominis; qui ad eas Saracenum Principem anguſtias compulit, ut ultro ad Romanum veniens, in clientelam ſe recipi, & amicitiam expeteret; quod & impetravit, eundem Curcuam in alios Saracenos egregie bellantem ſequi ſolitus. Cæterum hoc Duce demortuo, cum ad ſuos reſpectarent Saraceni, rurſus Melitenen aggreſſus Joannes ſubvertit penitus, Regionemque in Provinciæ formam redegit. Equidem illius Curcuæ plurima, ac illuſtria adverſus Barbaros geſta prælia laudibus mire extollit Continuator, C) majus operæ facturus pretium, ſi ſingillatim, ut conveniebat, præclara illius facinora, ac bella percenſuiſſet. Illud igitur in ſumma refert: Curcuam fines Imperii Orientalis aduſque Euphratem, & Tygrim protuliſſe: duplo auctius ab ea parte illud victoriis ſuis reddidiſſe: per annos duos ſupra viginti Ducis officio perfunctum, Urbes millenis plures Barbaris eripuiſſe: Belliſarioque factis heroicis, ac rebus geſtis ſuperiorem fuiſſe: illius denique bella a Manuele quodam octo libris conſignata; quos certe interiiſſe, aut a Continuatore, vel alio in ſummam ad minus contractos non eſſe, merito indignamur.

Cum hæc foris geruntur, domeſticis viciſſitudinibus, ac perturbationibus 933
aula nequaquam carebat. Nicetas, cujus Chriſtophorus habebat filiam in matrimonio, generum adverſus parentem ſollicitaſſe deprehenſus, in aſceterium detruſus eſt; adeo pro mortis jam ſupplicio genus illud vitæ tam Sanctum irrogabatur. Stephano eodem tempore Patriarcha e vivis decedente, Tryphoni cuipiam aſcetæ probitatis laude claro, ea ratione Pontificatus eſt attributus, ut Theophilacto, cum ætatem ad id debitam contigiſſet, ab eo decederet; cujus rei exemplum apud majores nondum exſtiterat; ſed quid exempla reſpiciat, quæ jusjurandum, ac fidem dudum proculcarat ambitio?

Romani interea etſi ambitioſi in aliis rebus pietas, ac virtus calamitoſiſſimo Imperii tempore egregie eluxit; nam cum frigorum vis immenſa terris incubuiſſet, eamque fames, ac hominum lues cognata mala excepiſſent, magna illius in pauperes, & aſceteria extitit liberalitas; multorum ſervata eſt vita, commodis etiam egentiorum proſpectum. Monachi præcipue, quorum cultor maximus erat Romanus, liberalitatem ejus experti ſunt, quos large munerabatur; interdum menſæ adhibebat ſuæ, moribus quoque ipſis exprimere ſtudebat, appoſito dum cibum caperet anagnoſte, qui pii lectione libri animum recrearet, dum corpus eſcis expleretur. D) Ad ſacrarum quoque ædium ſive inſtaurationem, ſive ornatum ejus ſe exporrigebat munificentia; ut eo hac quidem ex parte meliorem Respublica Principem non requireret. Piis hiſce curis occupato Imperatori dolorem morte ſua incuſſit Chriſtophorus natorum maximus; quæ tamen ſecutane illico ſuperiorem calamitatem fuerit,

A) Symeon p. 363. B) Cedrenus, aliique. C) P. 199. D) Leo Grammaticus.

A. C. an temporis aliquid interceſſerit, definiri vix poteſt; nam ſi uſpiam, hic certe in temporis ſerie adnotanda dormitaverint Scriptores; adeo implexa, & pugnantia apud eos invenias.

934 Triplex dein ſecutum eſt bellum: primum inteſtinum Duce pravo quodam, & audaci homine, Conſtantinum ſemet Ducam mentiente; qui a Præfecto thematis Obſequiani comprehenſus, manus jacturam pro facinore attentato pertulit; ſed melius caput amiſiſſet; nam eo minime emendatus ſupplicio, redux in Aſiam haſta manui ſuæ alligata ſeditioni rurſus dedit initium, ut Ducibus cum exercitu miſſis ingens faceſſeret negotium; comprehenſus demum, ac in Urbem adductus, ignibus furorem luit. Bellum alterum cum Ungaris A) ad ipſam pene Urbem hoſtiliter progredientibus fuit; quibuscum auro, non ferro res compoſita; Patricius quippe Theophanes ad eos a Romano miſſus verborum lenitate, ac moderatione, munerumque largitionibus ita Gentem cæteroqui præferocem deliniit, ut laude multa virum proſecuti, accepto pro captivis pretio quieti in patriam abſcederent. Licet itaque ſtrenui, & feroces tum fuerint Ungari, non tamen etiam in ea barbarie ab omni humanitate alieni; qui verborum, rationumque vi ad quietem ſe traduci paſſi fuerint. Sed qua ratione, quibusve viis Ungari ad ipſam Urbem Conſtantinopolitanam arma protulerint, non ſane diſpicio; niſi vel Bulgaros antea debellarint fœdere tunc Romano conjunctos; vel certe arma ſocia iisdem ad vaſtandam Thraciam adjunxerint, neutrius tamen exerta apud Scriptores mentio: niſi illud fuerit, quod paulum ante Ungaricam procurſionem adnotat Continuator: B) Michael Bulgari Regis germanus in fratrem, etſi monachum antea profeſſus, arma ceperat, pertractis in partes Procerum plerisque, & populi multitudine; quæ Græciam, Thraciamque Petro amicam armis infeſtaverit. Fieri ergo poterat, ut in ſubſidium acciti, operam iſtis ſuam ſolemni pro more Ungari locaverint. Quamquam non unam hanc, aut uno hoc tempore ſuſceptam fuiſſe ab Ungaris in Byzantinos expeditionem, & hactenus claruit, & porro clareſcet.

935 Ungarico huic bello adnectunt Scriptores illico Ruſſicum, etſi annorum ſpatio alterum ab altero multum divellant; cumque Ungaricum indictione ſeptima, Ruſſicum quarta decima eveniſſe referunt; id certe vix fidem invenit, & prius e Labyrintho, quam ex hac annorum confuſione temet evolvas. Ruſſicum vero hoc bellum paulo quam Ungaricum ceſſit Imperatori melius. Decem Ruſſorum millia C) navibus invecti Euxinum habebant infeſtum, nec levia per eos damna continenti illata; in hos profectus Theophanes, quem nominavimus Patricius, ac prælio navali congreſſus, navium alias cepit, alias depreſſit, reliquis in fugam actis; quæ ad partem orientalem in Aſia minori ſtationem cepere, egreſſos e navibus Bardas Phocas, & Joannes Curcuas Duces ſeorſim invecti cladibus afficiunt; tandem commeatus preſſi inopia, dum domos ſuas remigrant, prælio iterum a Theophane appetiti, ac pene internecione deleti, ſanguinariæ crudelitatis, qua in incolas cujusvis generis perbacchati erant, pœnas luculentas dedere.

Joannes Curcuas Heros tot palmarum inclytus, etſi ſerius, invidiam tamen Græcanicam non effugit; nam cum ob præclara facinora filiam illius Romano Conſtantini filio nepoti ſuo Imperator locare vellet, concitata in eum Auguſtorum invidia, dignitate motus eſt; propiusque aberat, ut grave hominem infortunium opprimeret Majeſtatis læſæ falſo incuſatum, niſi vitæ innocentia, ſtrenuitateque ſua calumniam depuliſſet.

Non

A) Continuator, & Cedrenus meminere hujus procurſionis. B) P. 195. C) Continuator, & Cedrenus; verum alii hos Francos, aut Nortmannos fuiſſe referunt. Symeon p. 366. ait, e Francis genus duxiſſe; vocatos autem Ruſſos Dromitas, ſeu quod idem vagos, & curſu expeditos. Sed credibilius, veros fuiſſe Ruſſos; qua enim iſthuc Franci penetraſſent? Zonaras a cæteris diverſus ait, naves fuiſſe Ruſſicas decies quinquies mille, quod fidem pene ſuperat.

Non major in ſacris dignitatibus retinendis Byzantii erat ſecuritas, paucis Præſulatus ipſe ad mortem uſque citra perturbationem conſtitit. Tryphon, quem vel certa tantum, ac definita annorum ſerie Patriarcham conſtitutum, vel vicaria ſolum, quod quidam volunt, poteſtate Eccleſiæ illi præfectum retulimus, decedere e throno Pontificio, & Theophilacto locum dare cogebatur; A) cumque moroſius ipſe reſtitat, juraque, ac leges obtendit, lepida, & Graja arte deluſus, dignitate excidit. Stropha eum in modum adornata fuit: defertur ficto crimine ad Imperatorem fabulæ conſcium Tryphon, ceu literaturæ omnis ignarus, & Patriarchatu indignus, ut qui ne literas quidem exarare noſſet; idcirco vellicare, qui circumſtabant Præſulem, ne pateretur hanc ſibi dicam tam injuſtam impingi, depulſurum calumniam, inque ruborem accuſatores acturum, ſi vel nomine manibus ſuis in charta exarato, adque Imperatorem miſſo ſcribendi ſe peritum oſtendat. Credidit priſcæ vir ſimplicitatis; nomen ſuum appoſita dignitatis prærogativa a ſe perſcriptum Imperatori deferendum tradit; at qui ferendum acceperat, præcipuæ licet in ea Eccleſia dignitatis, Protothronum dicebant, verſipellis tamen, ſuperne renunciationem a Patriarcha ſedi ſuæ factam exaravit, Romanoque detulit; quæ in Concilio perlecta, quod manu Præſulis ſubſcripta eſſet, omnium ſententia Præſulatus Thryphoni abjudicatus eſt. Huic poſt anni, & menſium aliquot intervallum ſuffectus denique eſt Theophilactus nulla re alia, quam quod Imperatoris eſſet filius, ad ſacerdotium illud commendatus, quo indignum omnino ſe poſtea præſtitit. Illius in Præſulatum promotio præſentibus Romani Pontificis Legatis peracta eſt; qui literas ea ſuper re Pontificias protuliſſe, ac Theophilactum in throno collocaſſe memorantur. B) Forte immaturo adhuc Theophilacto legis gratiam Pontifex Romanus fecerit; ex quo intelligas, nondum Græcanicam id temporis Eccleſiam a Romana penitus diſciſſam fuiſſe, etſi altius Photii memoria, ac virus animis plerorumque inſideret, quam ut æquo in Romanos animo eſſent. A. C. 943

Anteceſſerit, an ſecuta ſit res modo memoratas iterata Ungarorum in Thraciam expeditio, non eſt, ut dicam, cum ordo narrandi annorum ſeriei apud Scriptores non ſat reſpondeat. C) Ungari igitur rurſus in Thraciam delati, ab eodem illo Theophane Patricio donis ad quietem traducti, in quinquennium inducias pepigere. Qua vero ratione Bulgariam, cui nihil cum Byzanttinis diſſidii tunc fuit, transgreſſi bellum Thraciæ infuderint, omnino incertum; niſi tanta eorum fuerit vis, ac potentia, ut Bulgari reſiſtere non auſi tranſitum indulſerint; vel certe debellati Gentis prævalidæ viribus fuerint.

Fœdere cum Ungaris conſtituto, lætitia nuptiali, & magnifica quidem aula perſonuit; Romano enim Porphyrogeniti filio allata inde ab Italia eſt Berta, Hugonis Italiæ Regis filia, Eudocia a Græcis cognominata, ac connubio nexa; D) quæ tamen vitam ultra quinquennium, & virgo quidem non produxit. Non ergo Romanus Imperator familiam Conſtantini oppreſſam cupiit, eſto filiis quoque ſtuderet ſuis, quam celebri adeo connubio, & affinitate provehebat, in eo falſus; quod plurium in eadem aula Imperatorum concordiam perennem fieri poſſe ſperaret; quæ nec penes fratres, nedum penes affines integra facile conſtitit.

Sacris, & idcirco pretioſis cimeliis ſub idem pene tempus Conſtantinopolis aucta eſt: Edeſſam Urbem Saraceno tunc jugo ſubditam Imperatorius premebat exercitus; Syria victricibus, ut ſupra innuimus, armis perdomita; cives ad extrema adacti pacem expoſcunt a Romano; quove animum mollirent, imaginem Chriſti Edeſſenam, quæ a Chriſto terras quondam incolente, Abgaro loci Principi miſſa, in eum diem aſſervabatur, dono daturos pollicentur; linteum iſtud omni pretio majus

A) Cedrenus p. 492. B) A Symeone Logotheta p. 366. C) Continuator p. 200. D) Luitprandus ait, hanc Hugonis, ex concubina Notham fuiſſe; atque Romano annum decimum quartum primum agenti junctam, virginem obiiſſe.

A. C. cupidiſſime complexus Romanus pacem Edeſſenis conceſſit. Sacrum poſtea pignus per Theophanem in Urbem magnifice perlatum, ac in æde ſacra magna celebritate, ac pompa repoſitum, ſolatio Chriſtianis, & præſidio fuit.

944 Propitia hactenus Romano fortuna, nihil de ingenio ſuo remiſiſſe viſa eſt; nam quem adverſus tot Procerum molitiones ſuperiorem, & in Republica adminiſtranda non infelicem præſtitit, extremo jam in ſenio per filios eundem ſuos, quod illi dolori maximo fuit, & quorum gratia jus, fasque antea neglexerat, e ſolio deturbavit, inque egentem vitam, ac obſcuram demerſit. Id qua ratione perfectum ſit, nonnulla eſt inter Scriptores diſſenſio: Cedrenus, A) atque Zonaras Porphyrogeniti artibus ajunt, concitatum Stephanum Romani filium in parentem, ceu ille ſenectute effœtus minus eſſet jam regendo idoneus; ac per appoſitos ad id aulicarum artium, & adulandi peritiſſimos homines Stephani virtutem, vegetamque indolem verbis efferendo, eo perpuliſſe, ut is in patrem denique ſuum inſurgeret. Contra alii, quod longe vero videtur ſimilius, iique vetuſtiores B) a Romano ajunt, conditis teſtamenti tabulis Porphyrogenitum loco Principe Imperatorem eſſe relictum, ab hoc vero loco ſecundo filios Stephanum, & Conſtantinum; addidiſſeque, dejiciendos omnino, ſi quid contra priorem molirentur; ea demotione velut ſi ambitionem hæreditate a parente ceperint, in iras illos exarſiſſe; nec conquieviſſe, quoad parentem menſe Decembri comprehenſum, extremo jam in ſenio in Protes inſula aſceterio includerent ritu monachi detonſum. Ejus facinoris pœnas, & filii improbi, & qui in Romanum manus injecerant, Proceres brevi exolvere. C) Et hi quidem alias licet per cauſas, & occaſiones brevi e vivis, aut patria exturbati; illis vero vix menſis unius ſpatio poſt patrem aula potiri licuit. Cum enim rem ſummam quilibet e tribus Imperatoribus ad ſeſe rapit, orta diſſenſione Porphyrogenitus jam dudum vitæ pertæſus privatæ, paternique dominatus cupidus, cum e Procerum quoque numero plerosque ſibi addictiores haberet, omnibus rite, & clam præparatis, Stephanum, & Conſtantinum, cum una pranderent, ſubito comprehenſos, in varia loca extorres egit. Et Stephanus quidem in Lesbo inſula annos complures vixit; Conſtantinus vero, cum inſolentius, quam ſuæ rationes ferrent, adverſum cuſtodes ſe gerit, fugamque identidem arripere tentat, ab iisdem illis cæſus vitam quoque poſt Imperium brevi perdidit. Ejus filius Romanus a Porphyrogenito caſtratus, inter Cubicularios cenſum fecit; Michael vero Chriſtophori inter Clericos relatus.

Romanus interea eorum genitor in Protes inſula monachorum conſuetudine, præcipueque Sergii cujusdam, qui Theophilacto in Patriarchatu adjutor erat, ſæpeque Romani in filios indulgentiam reprehenderat, infortunium utcunque ſuum leniebat. Horrifico quadam nocte inſomnio admonitus, ſerio denique de ſe ipſo Numini ob patrata aliquando crimina ſatisfacere ſtuduit; viſus ſibi videre fuerat, a tetris quibusdam Geniis arreptum ſe ad ſupplicium, ignesque tartareos rapi; D) jamjamque mergendum, a Sancta Dei Parente ob ea, quæ in egenos miſericorditer egerat, retentum, ac inducias ſibi indultas; verum filium Conſtantinum cum Epiſcopo Heracleæ ſe coram iisdem ignibus miſerabiliter injectum; quem eodem plane tempore interfectum eſſe, poſtea cognoverit. Hac viſione ſupra modum perculſus Romanus, vocato in ædem ſacram monachorum Cœtu palam noxas animæ, cum Sacerdos Euchariſtiam in ſublime tolleret, de ſcripto recitavit; ignoſcique ab iisdem ſingillatim petiit; exin nudatum verberibus ſe cædi juſſit, atque ita noviſſimus ad ſacrum Epulum acceſſit. Ad diſſitos quoque in monte Olympo aſcetas preces, & aurum miſit, criminibus etiam ſuis in charta conſignatis, ſibi ut

A) P. 495. B) Continuator p. 203. Symeon p. 368. Leo p. 408. C) Recenſet horum pœnas Divinitus velut immiſſas Continuator p. 205. D) Continuator p. 205.

ut propitium Numen redderent. Hic monachorum Coryphæus jejunio duarum hebdomadarum cunctis indicto vocem cœlitus allapſam excepiſſe fertur: vicit Dei clementia, & humanitas. Aperto poſtea libello, cui inſcriptæ erant Romani noxæ, puram ſine literis chartam fuiſſe inventam. Quapropter Romano calamitas iſthæc ad germanam felicitatem plurimum profuerit. A. C. 944

Illud vero non ſatis admireris, ne in hac quidem fortuna, animique in melius commutatione ab ambitione, & ſpe adeundi poſtliminio Imperii deſertum omnino fuiſſe Romanum: Theophilactus enim Patriarcha cum Theophane Patricio, nonnullisque Romani amicis moliri quidpiam pro reſtitutione illius in Urbe, ipſo etiam conſentiente Romano, cæperunt; at enim a Porphyrogenito detecti fruſtra erant. Theophilactum Pontificia dignitas, paternusque amor a pœna texerint; reliqui qua verberibus, qua exilio facinus attentatum luerunt. Non diu poſt, & alia extitit pro reducendo in aulam Stephano Romani filio quorumdam perduellio; quorum perinde compreſſa audacia, & Gentis leviſſimæ utut nunquam ſatis, caſtigata inquies. Demum Romanus poſt triennium ab amiſſo Principatu, in Protes inſula vitam tot fortunæ viciſſitudinibus jactatam poſuit. A) Nunc Porphyrogenito ut ſeſe negotia dederint, brevi eſt expediendum.

In hujus rebus geſtis memorandis geminos habeo Duces inter ſe omnino diverſos: Continuator B) multus eſt in prædicandis Porphyrogeniti virtutibus, amore literario, artium inſtauratione, aulæ, Imperiique adminiſtratione, bellica etiam fortuna; quam Ducum virtute ſuorum, at ſua providentia, & auſpiciis faventem ſemper nactus ſit. Quæ ſingula oratorio magis, quam hiſtorico more in faſcem collecta, ac verbis exornata magnifice oſtentat. Cedrenus C) contra minus Conſtantino æquus eſt: expectationem quam de ſe maximam fecerat, illum fefelliſſe, vino, deſidiæque deditum, ſegniorem in Republica ordinanda fuiſſe, in provehendis ad dignitates improvidum, in plectendis ſuorum erratis inexorabilem; nec fortunam belli ita ſemper ei propitiam fuiſſe, ut non quandoque novercam ſe oſtenderet. Quem vero e duobus conſectabimur? videtur Continuator idem hic eſſe, qui e nutu Porphyrogeniti Imperatorum quorundam, ac præcipue Baſilii illius avi res memorandas ſuſceperit; quod ſi ita, vix idoneus nobis auctor eſt, cui in omnibus fides habeatur; certe qui viventium adhuc Principum res geſtas ſtylo excipiunt, ac auiæ nidore paſcuntur, fieri vix poteſt, ut undequaque ſinceri ſint, aut adulandi ut minimum ſuſpicionem defugiant; & absque hoc fuiſſet, magna confuſione libera eſſet res hiſtorica. Verum ita aurem unam dabimus Continuatori, ut alteram Cedreno ſervemus. 945

Quod rem attinet literariam, ne Cedrenus quidem reclamat; plurimum ſubſidii, & ornamenti Philoſophiæ, Aſtronomiæ, reliquisque ſcientiis a Porphyrogenito accerſitum eſſe; Præceptores e publico conſtitutos, diſcipulos præmiis ad navandam operam invitatos; magnasque, ut ſemper ingeniis abundavit Græcia, progreſſiones in iis factas. Addit Continuator: ne ſellularias quidem artes ab Imperatore illo ſquallere permiſſas, ipſummet mira in his ingenii dexteritate viguiſſe; in pictoria ita excelluiſſe, ut nobiliſſimos ejus artis vinceret; D) architectonicen quoque ac muſicam cordi habuiſſe, ædificiis privatis, ac publicis exornaſſe Urbem, E) naves quoque præter morem magnas, aptasque ædificaſſe; quibus certe ad felicitatem publicam, ac decorem nihil poteſt eſſe accommodatius.

Ut primum ejectis æmulis Imperator ex vero fuit, Proceribus, qui jam antea clam eidem ſtuduerant, primis collatis dignitatibus gratiam retulit;

A) Sepultus Byzantii in monaſterio Myrilæi, quod ipſe condiderat. Leo Grammaticus p. 403. B) P. 205. C) P. 497. D) Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis, qui Legatus a Berengario Byzantium venerat, in deſcriptione ſuæ Legationis. E) Recenſet præclara ejus ædificia Continuator.

A.C. tulit; inter quos Phocarum genus eminebat, Bardas ſcilicet pater cum
945 duobus filiis Nicephoro, & Leone; patrem Prætorianorum, filiorum priorem orientalium, alterum Cappodociæ Duces juſſit; tum in Marianum Argyrum, Manuelem Curticen, aliosque beneficentiæ, ac grati animi ſinus profudit. Illud vero mirari ſubit; quod in Baſilium Romani Imperatoris ex pellice filium non modo gravius nihil conſtituerit, ſed Principem quoque Senatus, ac cubiculo Præfectum eſſe voluerit; quin imo in vitio ponit Cedrenus, quod hujus, Helenæque Baſilii conjugis arbitrio tractandam Rempublicam ſiverit; uſque adeo etiam in familiæ illius odio, acceptaque injuria humanitas illum non deſeruerat.

946 Nec poterat Conſtantinus a perpetuo muſarum commercio non humaniſſimus, atque erga omnes affabilis eſſe. Hæc forte Principis fama exterorum Legationes attraxerit. Gemini Ungarorum Principes Buloſudes alteri, alteri Gylæ cognomen fuit, ipſi per ſe Urbem illam, ad cujus muros antea armati, & feroces proceſſerant, jam quieti adivere. Prior venit Buloſudes, ac ſacris Chriſtianorum initiatus, Patricia inſuper dignitate ab Imperatore exornatus, magno, ſi illud æſtimare noſſet, bono auctior rediit. Alter Gylas priorem ſecutus, non contentus initiari Chriſtianorum ſacris, ut radices Religionis apud ſuos jaceret, Hierotheum Epiſcopum a Theophilacto inſtitutum in patriam duxit. Et melius res ceſſit Gylæ; hic enim firmus in Religione eam apud ſuos quoque protuliſſe, neque bellorum quidpiam cum Orientalibus habuiſſe memoratur. At Buloſuden ejurata non diu poſt Religione, ſæpius arma Thraciæ infudiſſe, demum in Francos quoque geſſiſſe bella; ibi pœna eum Divinitus conſequente a Francis captum, ex infelici arbore pependiſſe. A)

Buloſudes iſte, Zonaræ Bulogudes, crediderim non alius fuerit, quam Bulcso ab Othone Imperatore poſt horribilem Ungarorum ad Urbem Auguſtanam cladem captus, & cum duobus aliis itidem Ungarorum Ducibus in furcam actus. Certe hic idem Porphyrogenitus, cujus res modo damus, in commentario ſuo meminit B) Bulcsonis, dum ait, Termuczen Tebelis filium, nuper in gratiam cum tertio Ungarorum (ille more ſuo Turcorum) Principe, & Carcha Bulcsone in gratiam rediiſſe; ſubditque, Carcham nomen eſſe dignitatis, quemadmodum & Gylas ſit; Gylæ tamen dignitatem majorem eſſe, quam Carchæ. Ex quo illos quoque refellas Scriptores, qui vaniſſime prodiderunt, ab Othone tres Ungarorum Reges patibulis eſſe appenſos, cum Primores ſolum, Ductoresque fuerint.

Hic idem abs dubie Bulcso Ducem ſe Ungaris paucos poſt annos, antequam in Germaniam moveret, Thraciam infeſtantibus dederit; Continuator quippe auctor eſt, Porphyrogenito Imperium moderante Ungaros ad ipſam uſque Urbem Byzantinam exercitum adduxiſſe rapinis Thraciæ gravem, adverſus reduces miſſum ab Imperatore Photum Argyrum cum exercitu ab Aſia traducto; qui concubia nocte facto in hoſtes impetu, victoriam ſopitis extorſerit, magna eorum edita cæde. Ita undique male Bulcsoni perjuro, ac deſertori res ſe dabant. Porro eum exercitus fuiſſe Ducem, etſi non meminerit Continuator, ex Cedreno liquet; cum ille ajat: ſæpius Buloſuden Imperio bellum intuliſſe, nec belli Ungarici Conſtantino imperante mentio niſi ſemel tantummodo ſe offerat. Ex quibus tam bellorum, ac prædarum inexplebilem aviditatem, quam virium, potentiæque magnitudinem illius Gentis facile æſtimaveris; qui eodem pene tempore, & a Berengario in Italiam acciti, & in Germaniam, Galliasque ipſas ſponte ſua infuſi, & ad Byzantii uſque mœnia hoſtiliter progreſſi Europam metu, vaſtitateque compleverint. Illud quoque ex hac narratione pateſcit, Ungaros non una omnes Chriſto nomen dediſſe, ſed ſenſim

A) Cedrenus p. 499. Zonaras p. 152. Græci Scriptores Germanos quoque Francos nuncupant. Errat vero Cedrenus, cum ait, Buloſuden a Joanne Francorum Rege occiſum; Othonem quippe primum nominare debuerat. Sed exigua Græcis Scriptoribus in iis referendis accuratio, quæ Byzantio longe aberant. Porro clades hæc Ungarorum ab Othone contigit anno Chriſti 955. B) P. 90.

ſenſim & per partes oculos ad veritatem advertiſſe, quoad Geiza, ac A.C.
poſt eum Divo Stephano Gentem moderante, clara Evangelii lux eorum 946
oculos perſtringeret, ab antiqua felicius, quam a nova Roma petita, & accepta.

Ad eundem quoque Porphyrogenitum venere Legati a Berengario ex Italia; Elga quoque Ruſſorum Principis, qui bello ſuperius memorato Euxinum turbarat, conjux; eque ritu Chriſtiano inſtituta, ac honoribus exculta, Religionem, quam ſuſceperat, patriæ ſuæ vel illatura, vel antea jam illatam, ſed oppreſſam erectura, ad ſuos remeavit. Legatorum quoque e Gallia miſſorum, qui amicitiam, fœderaque Porphyrogenito offerrent, memoria eſt; A) ita extremas orbis partes fama eruditi, humaniſſimique Principis eſt pervagata. Is ut filium quoque ſuum Romanum, qui ad prioris diſtinctionem Junior eſt appellatus, ſapientia imbueret, Imperioque præpararet, nihil non egit; ad quem extant admonitiones de adminiſtrando Imperio a patre conſcriptæ; ſed Romanus iſte nequaquam ſapiente patre dignum ſe præbuit filium. Deſponſa illi fuerat Hugonis Itali Regis filia; ſed ea brevi, ut dictum, elata, duxit aliam Romanus conjugio tali prorſus imparem, & vilem Anaſtaſiam, quæ dicta poſtea Theophano, cauponis ut Cedrenus, filiam, etſi Continuator e nobili proſapia ortam jactet. Idem ille Romanus imperandi cupidine ardens juvenis, patris quoque vitæ inſidiatus poſtea fuiſſe refertur, veneno purganti medicinæ, quam pater ſumpturus erat, admixto, ſed potionem forte effuſam, ac partem tantum ab Imperatore acceptam, e qua tamen diu, graviterque ægrotarit. B) Nec probum igitur, nec ſapientem Porphyrogenitus nactus eſt filium, fato quodam viris magnis, & ſapientibus familiari. Ita res aulicæ, & urbanæ ſe per ea tempora habebant.

At in bellicis fortuna pro more varia fuit. Claſſis Saracenorum 947
Tarſo profecta, ac egregie apparata, oris Chriſtianorum vaſtitatem, terroremque illatura navigabat; in hanc cum non multa manu Cibyræotarum, qui mari operam præſtabant ſuam, Dux Baſilius invectus, conſerta manu illuſtrem conſecutus eſt victoriam, cum prior ipſe in Prætoriam hoſtium navem fortiter deſiliiſſet, ac cum græco igne perniciem eorum navibus injeciſſet. Capti Duces Saracenici, ac Byzantium in triumpho ducti, gaudio Porphyrogenitum, & Urbem compleverunt. His animatus ſucceſſibus Imperator trans mare quoque bellum portari juſſit, in Calabriam, & Neapolim, quæ Provinciæ variis Saracenorum incurſibus, ac Tyrannorum diſcordiis pene diſcerptæ, ultro ſemet ab orientalium Principum obſequio abſtraxerant. Miſſus in hos Marianus Argyrus Neapolim obſedit, ac in eas conjecit anguſtias, ut miſſis ſuppliciter Byzantium Legatis veniam, ac clementiam exorarent; ita nutans in Italia Græcorum potentia, ſi Græco fides C) rurſus affirmata eſt. Bellicis hiſce ſucceſſibus conterriti Saraceni, maxime poſteaquam ingenti rurſus navali prælio ab Imperatoriis ſuperati eſſent (etſi quo loco, quo Duce, qua ſtrage, adnotatum minime ſit) fœdus cum Porphyrogenito, & qui Siciliam, & qui Africam habitabant, inierunt.

Cum Barbaris Aſiam incolentibus, etſi compoſita interdum pax, diu 949
tamen firma Chabdani eorum Ducis ferocia non conſtitit. Hujus copiæ Bardam Phocam copiis Imperialibus Præfectum tantum non intercepere, affectum vulneribus, & a Legionibus ſuis deſertum. D) At poſtea geminata victoria res Chriſtiana fuit ſuperior. Nam Leo Phocæ iſtius filius cum Aſiaticis copiis Barbaricum agreſſus exercitum, illuſtrem fertur conſecutus victoriam, Duce ipſo capto, Byzantiumque ad triumphum miſſo. Tertius Phocæ filius, cui Nomen Conſtantino erat, interceptus a Chabda-

A) Apud Continuatorem p. 213. B) Cedrenus p. 501. Diſſimulat hæc, ceu probroſa Continuator. C) Continuatori nempe, qui hæc in laudem Porphyrogeniti; cum alii de bello iſthoc non meminerint quidpiam. D) Sugillat hunc Phocam Cedrenus p. 499. Extollit mire Continuator.

A.C. Chabdano, & quod Chriſtianam ejurare nollet Religionem, veneno ſublatus tanto Phocam furore complevit, ut quotquot in captivis habebat Chabdani cognatos, e veſtigio juberet interfici. Ulturus factum Chabdanus valido adfuit cum exercitu; ſed in loca quædam iniquiora, & a Phocæ inſidiis occupata perductus, univerſum pene exercitum perdidit. Hic deinde Phocas in Syriam quoque intulit copias, expugnavit Urbem Adatam, Regionem in ſolitudinem victor egit. A)

950 Adverſus eundem Chabdanum expeditus ab aula cum exercitu Baſilius palatio Præfectus obſedit Samoſatta, ac repulſis cum clade, qui auxiliaturi adventabant Barbaris, Urbem armatus occupavit; ejus Urbis manubiæ Byzantii in circo cum pompa productæ, triumphi veteris ſpeciem aliquam præbuerunt. Porro in locum Phocæ ſenectute jam effœti ſucceſſit prior filiorum Nicephorus Phocas; qui præclariſſime in Saracenos rem vice non una geſſit. Illuſtriſſimas illum victorias ſub Porphyrogenito conſecutum, & Byzantii priſco more triumphum duxiſſe, Continuator memorat; B) ſed pugnarum ſingillatim non meminit, ut videantur egregia Nicephori facinora magna ex parte conſequentes potius in annos, quod ipſum Cedrenus innuit, referenda.

952 Lætitiam porro e victoriis hiſce natam interturbavit clades in Creta accepta; ad hanc de Barbaris vindicandam expeditus cum exercitu Gongylas quidam Patricius, nihil Duce experiente, ac ſtrenuo dignum egit. Cum negligentius, quam in hoſtico conveniebat, ejus agerent copiæ, repentino Barbarorum incurſu cæſæ, protritæque ſunt; quam cladem difficili Dux ipſe fuga vitavit. Accepta & mari clades a claſſe Imperatoria eſt; quæ tamen ſerius, an citius, quove anno contigerit, prorſus incertum. C) Saracenis ne perpetua procurſione infeſtam haberent Calabriam, duo ſupra viginti aureorum millia in annos ſingulos pendenda pollicitus fuerat Romanus, quam pactionem, velut Imperio probroſam reſcidit Porphyrogenitus, miſſo mari, terraque exercitu Duce Malaceno, qui tutam a Barbaris præſtaret Calabriam. Verum claſſe magno prælio depreſſa, coactus fuit Imperator ratam habere Romani cum Saracenis pactionem. At enim penſitatio iſthæc pecuniaria non diu Barbaros in quiete continuit. Rurſus in Calabriam delati cum infeſtam haberent Provinciam, novos terra, & mari exercitus in eos expedivit Imperator; qua fama conterriti Saraceni e Calabria profugerunt quidem, at claſſis eorum tempeſtate jactata prope univerſa intercidit; quo factum, ut eadem, qua ante conditione pax inter illos coaleſceret.

956 Hæc & iſtis ſimilia, dum belli geruntur, in Urbe diem ſuum obiit Theophilactus Patriarcha, qui ad eum Pontificatum nihil præter generis claritatem, & vitia ſane immodica attulit. D) Sub pædagogorum adhuc cura, quod ea ætate, & in ea Eccleſia monſtri ſimile fuit, Patriarcha conſtitutus, tres, & viginti annos ei muneri præfuit, ſi præfuiſſe tamen dici poteſt, qui alia omnia, quam ſacra, resque Dei curæ habuerit. In reliquo vitiorum numero præcipue eminebat inſanum equorum & equitandi, venandique ſtudium: duo illum equorum aluiſſe millia, nec vulgares illis cibos, ſed uvas paſſas, caricas, balſamo, ac cinamomo admixtis, idque genus alia apponere conſueviſſe, Scriptores prodiderunt. Quinta ſacræ hebdomadæ feria Myſteria peragenti, cum allatum eſſet, equarum pulcherrimam peperiſſe, deproperata utcunque re ſacra, ab ara ſubito in ſtabulum videndi pulli recens editi deſiderio cucurriſſe, eoque conſpecto rediiſſe in ædem ſacram, reliquas ejus diei cerimonias obiturum. Modum adhæc res ſacras occinendi in divinam ædem induxiſſe prorſus a ſanctitate loci illius alienum, per riſus quosdam, ſaltationes, & inſanos clamores. Denique dignitates in Eccleſia venales, ut plurimum habuiſſe. Illum vero

A) Continuator p. 215. B) P. 215. C) Cedrenus p. 411. D) Depingunt ſuis hunc coloribus Cedrenus, & Zonaras; at Continuator panegyriſta magis, quam hiſtoricus hæc diſſimulat.

vero divina conſecuta eſt vindicta; nam equo propter mare aliquando vectus, & ab eo in parietem vicinum illiſus, egeſto ab ore ſanguine, biennium æger decubuit, ad extremum ab aqua intercute extinctus. Vetus quoque Roma ſub idem pene tempus Pontificem habuit, Theophilacto fortuna, & moribus ſimillimum Joannem, qui Octavianus antea dicebatur; Alberici Tuſciæ Comitis filium; qui factione familiæ ſuæ omnia Romæ potentis ſummum illud Sacerdotium puer adhuc arripuerat, & pro puero, id eſt, impudenter, ſcelerateque adminiſtrarat. Tanta tum erat rerum ſacrarum in orbe calamitas, & profanatio; futuraque ſemper eſt, quoties in mandandis ejusmodi Sacerdotiis generis ſolius, & fortunæ, non item ſapientiæ, ac virtutis ratio habebitur, Theophilacto ſucceſſor datus eſt Polyeuctus vitæ ratione, & ſapientia probatiſſimus; qui tamen fuci expers cum eſſet, nec ſatis ad aulæ gratiam verba, & ſenſum gnarus componere, non diu Principis favores obtinuit; acerbius enim in Procerum quosdam, Baſilium præcipue aulæ tunc potentem, ob avaritiam multitudini Urbanæ noxiam invectus, ac Imperatorem palam, ut in eos animadverteret, hortari auſus, animum illius penitus a ſe alienarat; ac futurum forte fuiſſet, ut Præſulatu deturbaretur Polyeuctus, ſi vita diuturnior Imperatori obtigiſſet; ſed ad communem omnibus terminum magnis in dies paſſibus ille properabat. A.C. 956

Inteſtinorum enim dolore aſſiduo vexatus, ſenſim corpore, & animo tabeſcebat Porphyrogenitus, veneno rurſus, ut Cedrenus ſuſpicatur, a filio potus. A) Cœli igitur mutandi cauſa, ac pietatis obtentu in Olympum, montem virorum Deo ſacratorum Cœtibus frequentatum, ſeſe contulit; ſed obventuram ſibi brevi mortem quorumdam prædictionibus cum accepiſſet, in Urbem navigio revectus magno populi, aulæque luctu poſt quatuor & quinquaginta vitæ annos nonum diem Novembris egit ſupremum; Princeps utramque fortunam expertus, quique adverſa pene major, quam proſpera apparuerit. B) Paucos ante exceſſum dies per noctis ſilentia prægrandes in aulæ tectum decidere lapides, quos obſervare juſſi aulici, ſeu prædictio futuræ brevi mortis, ſeu admonitio hæc fuerit, non humana jactos manu intellexere. Reliquit in Imperio ſucceſſorem Romanum ex Helena conjuge filium; cui præter hunc filiæ quoque erant, Theodora Tzimiſcæ poſtea Imperatori nupta; Zoe, Agatha, Theophano, Anna. C) 959

FL. ROMANUS JUNIOR.



ROmanus dein ad prioris diſcrimen Junior cognominatus D) unum ac viginti natus annos Orientale rexit Imperium; ſi rexiſſe tamen dicendus, qui omni Republica in Procerum quosdam translata, venatui, jocis, luxui,

A) Meminit veneni etiam Zonaras; at nihil Continuator, ut plane Scriptorem hunc iis temporibus vixiſſe mihi perſuaſerim; nihil quoque Symeon Logotheta. B) Errat Manaſſes p. 57. cum Conſtantini Imperio annos tantummodo quinque attribuit, quem omnes alii quindecim annos in ſolidum præfuiſſe conſentiunt. C) Harum de nomine meminit Continuator p. 221. Et Symeon p. 272. D) Puerum fuiſſe cognominatum, Zonaras auctor eſt: ὃς ἐκ παιδίου ἐλέγετο, aitque, hanc appellationem moribus ejus convenientem fuiſſe.

A.C. luxui, ac vanitati, idque ut plurimum extra Urbem cum viliſſimis ho-
959 muncionibus indulſerit: quæ etſi non omnino diſſimulet, attamen præclaram indolem, egregiam formæ ſpeciem, populi amorem, & curam, lenitatem in Proceres etiam minus promeritos, laudibus effert Continuator. Igitur amotis ab aula, quos pater ſuus dignitatibus ornarat, Joſepho cuipiam Bringæ claſſis antea, jam vero cubiculi ſui Præfecto aulam, & una Imperium, Siſinio Urbem Byzantinam, geminis vero fratribus Nicephoro, & Leoni Phocis, qui præclariſſimis in hoſtem facinoribus jam antea inclaruerant, res belli tractandas, regendasque tradit; quorum quidem providentia, ac labore ſat feliciter Respublica habuit.

960 Ut vero quod a patre acceperat, ad filium tanto certius transmitteret Imperium, vix anni unius infanti Baſilio ex Theophanone progenito per Polyeuctum diadema ad D. Sophiæ impoſuit. Hic ille eſt Baſilius, qui diuturno ante omnes alios Byzantii Imperio potietur, & perdomitis late circum Barbaris, res Græcorum in altum efferet. Porro inter Polyeuctum, cujus modo mentio, offenſio quædam, & Imperatorem interceſſit; quod hic Joannem quendam a patre ob ſcelera in monachum attonſum (quotidiana enim hæc, & vulgaris ſceleratorum erat pœna) ab eo vitæ genere abſtractum, in profanam vitam, & aulam tranſtulerit; id ferre diu non poterat Patriarcha; at demum edoctus a Joanne, vitæ illud genus ſimulatum tantummodo fuiſſe, nec eum a quoquam Sacerdote conſecratum, quietem egit. Non ergo tum etiam omnino, ut primum monachi habitu quis apparuit, ex vero monachus fuit; quanquam certum, apud illos liberrimam ad illud vitæ genus complectendum animi inductionem requiſitam non fuiſſe; ſed certis precibus inſtitutos invitos etiam ac reluctantes, pro talibus habitos. A) Ita Græcorum moribus conſtitutum fuit. Sed Phocarum egregia nos virtus, & facinora ad ſeſe avocant.

Phocas Nicephorus ſummam in Republica nactus poteſtatem, Legiones novas inſtituendo, militem labore, ac umbratili certamine exercendo, armis, ordine, animis egregie inſtruendo, veterem, deſuetamque dudum ſeveritatem in omnibus inducendo, plurimum publico commodavit. Parata enim prævalida adverſus Cretam inſulam claſſe, nequidquam obnitentibus Procerum aliis, cladesque toties in ea inſula acceptas objectantibus, expeditionem iniit; ferunt, illum bis mille naves græco igne inſtructas, mille celoces, onerarias amplius trecentas habuiſſe; atque hoc tanto apparatu appulſa in Cretam claſſe excenſionem e ritu militari, & circumſpecte feciſſe. Primum quidem prælio Barbaros fudit; dein occupatis eorum Urbibus, ac Candace quoque præcipui nominis munimento, ac ipſo Principe Curupa capto inſulæ potitus eſt. Recurrerant equidem ad vicinorum Saracenorum auxilia Barbari; at ii in plures minores Principatus, quod ipſos perdidit, per Aſiam, & Africam diſſecti infirmiores jam erant; & audita Nicephori virtute, & apparatu, deſperatione rerum ſuarum ſubvenire noluerunt. Urebat hæc tanta viri virtus, & gloria lividos Procerum in Urbe oculos; quid igitur Græca verſutia attentat? fama differunt, extare prædictionem quandam, illum Imperio in Oriente præfuturum, cujus auſpiciis Creta inſula debellanda, Chriſtianisque rurſus adjungenda foret. Sive Joſephi illius, qui pro Romano agebat omnia, ſtropha hæc fuerit, ſive alterius, certe juvenis incautus fidem habuit, ocyusque detractum Creta Nicephorum, ac ne in Urbem quidem redire permiſſum, in Aſiam adverſus alios Saracenos operam navaturum tranſtulit. Ita præclara omnia livoris intemperies opprimebat. B)

961 Eodem enim tempore, quo in Creta Nicephorus, in Syria Leo hujus frater adverſus Chabdanum Calepi Ducem rem geſſit peregregie. Con-

A) Hujus rei frequentia in hac Hiſtoria exempla. B) Cedrenus pag. 504. Continuator pag. 223.

Conſertis ad Andraſſum aciebus ingens conciſa eſt Barbarorum multitu- A.C.
do, præter eos, qui vivi in manus venerant; quorum tanta erat copia, 961
ut Conſtantinopolis, agrique iis conferti eſſent; Chabdanus ipſe ægre inſequentium manibus ſeſe explicuit. Tanta licet fractus clade, reparato aliquanto poſtea milite, denuo ſemet Chriſtianis objecit; adverſus quem progreſſus Nicephorus collatis ſignis fregit, ac fugavit Barbaros, Urbem Beræam occupavit. Atque ita virtute Phocarum res Barbarica in Oriente deprimi, Chriſtiana caput rurſus erigere viſa eſt.

Dum in Oriente bellum totis viribus geritur, neque in Europa penitus ab armis ceſſatio fuit. Ungari repentina in Thraciam procurſione invecti agebant, ferebantque omnia; in hos miſſus Marianus, Europæarum Dux copiarum, cum Macedonicis cohortibus luculentam, ſi Græco fides, A) de iis victoriam retulit. Non igitur ita ab Othone cæſi in Germania fuerint Ungari, ut iis vires ad utrumque Imperium bello etiamnum appetendum deforent.

In Urbe quoque ipſa turbarum aliquid fuit: nonnulli e Principibus viris, quos inter eminebat Baſilius, cognomento Volucer, in necem Principis conſpiraverant; quid enim aliud a turbulentis iis capitibus expectares? Verum ab uno de conjuratis proditi, atque excruciati, in exilium abjecti fuere; quos tamen miti Princeps animo brevi revocatos ſuis reddidit. Alteri quoque, quod Urbem divexabat, incommodo proſpectum eodem tempore eſt a Joſepho rerum pro Imperatore Adminiſtro, qui ex magna annonæ caritate providentia ſua vilitatem magnam effecit; cujus equidem ſolertia laudem promeruit; ſed ambitio vituperium.

In Romani hujuſce tempora incidit S. Nicon genere Armenius, B) qui cum videret ſcelera, erroresque in Religione nefandos ſupra modum in Oriente inundaſſe, Divinæ gloriæ æſtu correptus, primum quidem Armeniam, dein Cretam Barbaris recens extortam, demum Græciam peragravit, ac ubivis locorum homines ad ſatis faciendum Numini de erratis, vitamque in melius referendam ardenti oratione adhortando, illud ſuum μετανοεῖτε pœnitentiam agite, aſſidue hominum auribus ingerendo, prodigiis etiam animos percellendo, magnam in mores mutationem invexit; quo certe ad Reipublicæ etiam profanæ felicitatem conſtituendam ſalubrius eſſe nihil poteſt.

Romanus interea Imperator flaccеſcere ex nimia luxuria, C) vel ut 963
ſuſpicio quorundam, a veneno ſibi propinato, etſi a quo, incertum, ac in dies pejus habere, quoad ad extrema perductus, poſt breve annorum trium, menſiumque quatuor imperium, in flore ætatis quatuor ac viginti natus annos tumulo inferretur. Filios reliquit Baſilium, & Conſtantinum; quos ſub tutela matris potiri poſt ſe Imperio volebat; ac filias geminas, quarum altera Theophano Othoni II. poſtea Imperatori, altera Anna Vladimiro Ruſſorum Principi in conjuges locatæ ſunt.

Elato Imperatore cum Theophano, filiique Romani admodum pueruli tractandæ Reipublicæ non eſſent, arrecti Procerum ambitione tumentium animi circumſpectabant, quem rerum procuratio, quem aula e viris Principibus maneret. Et Joſephus quidem Bringas rerum hactenus potens eripi ſibi aulam, & pupillos e manibus omnino nolebat; quin altiores fortaſſe animo ſpes exemplo Romani ſenioris agitabat. Contrariam huic ſe ferebat Theophano; quæ in aula, & Imperio ſemet conſervatura, non obſcuris jam indiciis de marito, quem in Imperium proveheret, circumſpiciebat; inque Phocam Nicephorum tanta rerum geſtarum gloria illuſtrem tota propendebat; quo cum in Urbe adhuc commorante turpiter ipſam conſueſſe ſuſpicio quorundam fuit; quamquam ea erat Nicephoro virtus, ea a conceſſis etiam voluptatibus abſtinentia, & qua jejuniis, quave aliis aſperitatibus afflictandi ſui ſtudium, ut vix

A) Continuatori nempe; ſilent enim de hoc reliqui. B) Meminit hujus Baronius ad hunc annum: mirum vero, reticeri ab hiſce Scriptoribus. C) Cedrenus p. 505.

A.C. 963 ea niſi ab animis malevolis proficiſci in eum potuerit. Marito fatis functo, continuo Nicephorum, quem Urbe antea excluſum diximus, revocavit, ac magnificentiſſimo ob hoſtes debellatos per Urbem triumpho invehi voluit Theophano; etſi id omnimodis præpedire cuperet Joſephus, nec obſcure animum heræ compertum haberet. Nicephorus ne ſiniſtri in ſe quidpiam Joſephus moliretur, interea perſonam aliam induit; hominem domi ſuæ convenit, tum monet, ne ſe Imperii cupiditate flagrare exiſtimet; ſibi enim conſtitutum e rerum terrenarum curis expedito, quanto poſſet citius, in ſacram ſecedere ſolitudinem, ſeque aſceterio recludere; idque facturum dudum antea fuiſſe, ni Reipublicæ negotiis abſtractus eſſet; ejus rei, ut fidem faceret, veſtem cilicinam, qua intus obarmatus jam erat, eidem oſtentat. Ita deluſo Joſepho, tutus ab inſidiis Nicephorus bello rurſus in Aſia præfuturus abſceſſit. A)

At enim ab ejus in Aſiam diſceſſu cum videret Joſephus famam Nicephori, bonamque apud omnes exiſtimationem in dies magis increſcere, favoresque in aula nimium amplificari, rebus ſuis male metuens pœnitentia duci cæpit, quod elabi illum e caſſibus ſiviſſet. Quamobrem Joannem Tzimiſcam Orientalium Ducem, itemque Romanum Curcuam ampliſſimis in Republica propoſitis Magiſtratibus per literas hortatur, ut Nicephorum ab exercitu abſtractum, vel aſceterio includant, vel omnino perimant. Averſati illi facinus tam indignum, literas Nicephoro exhibent, utque Imperium unius hominis nulla virtute, aut majoribus, cupiditati ſubjectum capeſſeret, & pro pupillis ipſe interea adminiſtraret, auctores fiunt; ac cum alienus ab eo conſilio Nicephorus duriorem ſeſe exhiberet, mortem illaturos comminati, eo demum perpulere, ut ab exercitu Tzimiſcæ adhortationibus concito Imperatorem ſalutari ſe pateretur.

Imperator in eum modum appellatus Nicephorus exercitum ex adverſo Urbis ad Chryſopolim explicat, Urbs tumultu, ac ſeditione completur; Joſephus conſilii incertus huc, illucque ſe jactat; ac ut erat animi impotens, importunius populum allocutus omnes a ſe alienat. Bardas Nicephori pater, itemque Baſilius cubiculariorum intimus pro Nicephoro ſatagebant interea, ac in tantum Urbanam commovere multitudinem, ut armati etiam in eos furerent, qui a Nicephoro alieni erant. Itaque ſummis ſtudiis Imperatorem proclamant Nicephorum, obviamque, ceu victori glorioſo, effunduntur. Decima ſexta Auguſti die ab eodem Baſilio Nicephorus navi in Urbem perductus, ſolennique pompa a populo acceptus, in æde Sophiana a Patriarcha Polyeucto diademate ornatur, patrem ſuum Bardam Cæſarem renunciat, omniumque applauſu in aula pro pupillis Imperatoribus Imperator ipſe præfuturus collocatur.



FL.

A) Zonaras pag. 155. Cedrenus pag. 506. Glycas, Manaſſes.

FL. NICEPHORUS PHOCAS.



NOn facile Græcanicorum Imperatorum illuſtrius quispiam de Barbaris triumphavit, præ ut Nicephorus hic Phocas, cujus victricibus armis late fines Imperii protenſi, Saracenorum potentia, & vires in Aſia depreſſæ; neque tamen facile Imperatorum aliquis majore in odio populis fuit; quod quam belligerando pararat laudem, nimia in milites indulgentia, avaritia, atque exactionibus, quas Græci ad rem attenti præ Imperii diminutione execrabantur, penitus detriverit. A) In aulam perductus Joſephum illum Bringam relegavit in Paphlagoniam, Theophanonem Imperatricem aula depulit, Romani filios Baſilium, & Conſtantinum habere pro ſuis, ac paterne complecti cæpit; demum animum laboribus a tenero militaribus conſuetum, ad res belli, in quibus omnia reponebat, tractandas majore etiam, quam antea contentione transtulit. Cæterum Theophanonis ab aula depulſio in ſpeciem tantummodo facta eſt, ne illius conſiliis ad ſceptrum vocatus videretur Nicephorus; neve turbandi occaſionem dare: iis, qui de prava cum eadem conſuetudine ſuſpectum illum habuerant. Nam non longo poſt tempore revocatam in conjugem accepit, etì adverſum ſe ferret Patriarcha Polyeuctus; omniaque in contrarium moveret; tum quod ſecundæ illæ erant nuptiæ, quas citra pœnam non indulgebant Græci, tum quod filiam Theophanus in ſacro lavacro ſuſcepiſſe Nicephorus, itaque cognatione ſemet illigaſſe diceretur; hinc cum Nicephoro ab æde quoque ſacra depulſo, nihil commune ſibi eſſe volebat Polyeuctus. At cum Stylianus Princeps eorum, qui in aula erant ſacerdotum teſtimonium dediſſet, non fuiſſe a Nicephoro ſuſceptam Theophanonis filiam, quietem egit Patriarcha; quem tamen non tacite inſimulant Scriptores, B) quod tam magnum, ut ajunt, delictum ductæ alterius conjugis impunitum ſiviſſet. Ita rigidi in quibusdam Græci, in gravioribus molles, diſſolutique erant, & curabant reduviam, cum capiti medendum eſſet. A.C. 963

Interea ne quid a bello vacaret, Manuelem valida cum claſſe Siciliam Saracenis ereptum miſit, filium illius Phocæ, quem ſub Romano cæcatum meminimus; non ferebat enim tributarium Barbaris eſſe Imperium; quibus ne Calabriæ moleſti eſſent, duo ac vicena dabantur quot annis aureorum millia. Porro Manuelem conſilii nullius juvenem nequaquam fortuna Imperatoris comitata eſt; is enim ad iniquiora pertractus loca, & anguſtiis quibusdam intercluſus cum exercitu ſuo male periit; claſſis quoque disjecta, aut capta, cujus Præfectus quoque in Africam abreptus.

Melius ab alia parte in Cilicia, ubi Tzimiſces Orientalium Dux, vir ſolertia, fortitudine, fortuna ſingulari curabat, ſeſe negotia habuere; cum magnis enim apud Urbem Adatan Barbarorum copiis congreſſus, primum exercitum eorum prælio fudit, dein millia quinque in collem quemdam

A) Zonaras p. 157. Manaſſes p. 97. B) Cedrenus, Glycas, & alii.

A.C. refugientium fortiter aggreſſus, ad unum cecidit; denique regioni hoſtium ferro, & vaſtitate inſultavit. A)

964 Minime vero contentus Ducum manu ſuorum incommodare hoſtibus Nicephorus, anno Imperii altero ipſe in eos profectus eſt in Ciliciam; in qua occupatæ Urbes Anabarſus, Adana, Roſſus, aliæque, & Provincia omnis ſub jugum miſſa foret, ſi non hyemis rigor, vel mage Theophanonis, quam in Orientem ductam in arce quadam collocarat, cura a rebus eum gerendis avocaſſet.

965 Vix tamen ſe ver explicuerat, diſtracto bifariam exercitu, cum parte Leonem germanum ſuum ad Tarſum Urbem oppugnandam mittit, alteram ipſe Mopſueſtiam oppreſſurus abducit. Favit utriuſque virtuti fortuna: Mopſueſtiam poſt acerrimam aliquot dierum dimicationem armatus occupavit Nicephorus, ut ne uni quidem Barbarorum lethum effugere licuerit; Leo vero, etſi pars præcipua militum, quos præmiſerat, a Tarſenſibus cæſa eſſet, in eas demum anguſtias, qua vi, qua occupatæ Mopſueſtiæ terrore Barbaros adegit, ut arbitrio Nicephori Urbem dederent, parte aliqua opum accepta, pleraque autem Chriſtianis relicta. Equidem magna iis in ſubſidium affluxerat Barbarorum claſſis, ſed prohibita excenſionem facere, inſuper ventorum vi quaſſata, & oppreſſa operam non citra gravius detrimentum perdidit. Atque hiſce rebus feliciter exantlatis Urbi ſe reddidit Imperator. Acceptus per quam magnifice, portas, ſpoliaque captarum Urbium ſecum allata, quo conſpectior eſſet victoria, palam in arce appendit, partemque prædarum ædi Sophiæ, ut æquum erat, attribuit. B)

Sub idem pene tempus in Duce quoque ſuo Niceta, quem ad Cyprum repetendam cum claſſe expediverat, fortunatus fuit Nicephorus; is enim, perdomitis brevi Barbaris, nobilem eam inſulam totque annis ab iis poſſeſſam, Orientali rurſus Imperio reddit. Et licet brevius, quam tanti dignitas operis poſcebat, Scriptores expeditionis hujuſce meminerint, totam tamen aſſertam ſub Nicephoro inſulam minime inficiantur.

Exacta in Urbe hyeme, quietis impatiens Nicephorus reſumit bellum in Syria, Urbes ad Libanum montem plurimas occupat, Damaſcum ipſam, Tripolimque præcipuas Saracenicæ dominationis ſedes tributarias ſibi efficit; demum ad Antiochiam quoque exercitum propius admovet; ſed cum & Urbem adverſus præſentem ictum probe communitam cerneret, & longius duci obſidio per anni intemperiem non poſſet, ab ea tum quidem abſtinuit, munitionem tamen quandam propius exſtruxit; e qua Burtza Præfectus, & commeatus convectandi facultatem adimeret civibus, & ad Barbarorum molimina animum intentum haberet. Demum exercitu in hyberna per Ciliciam diſpertito, ac curæ Petri Ducis commiſſo, in Urbem regreſſus eſt, allata ſecum Chriſti effigie non manu facta; quam Hierapoli repererat; & parte capillorum Sancti Joannis Dominici Præcurſoris. Quamquam quænam iſthæc fuerit imago, non ſatis diſpicias; equidem per non manu factam, Edeſſenam illam a Scriptoribus intelligi, indubium eſt; quam tamen ab Edeſſenis ipſis ad Romanum ſeniorem miſſam, atque celebritate ſumma in Urbe acceptam non ita pridem conſpeximus. C)

966 Interea per hyemem Burtzas ille ſuo in munimento de gloria, non quiete cogitavit, crebrius ſecum reputando, quanam ratione, & qua fraude Urbis Antiochenæ potiri poſſet, æternamque nomini ſuo celebritatem parare. Itaque ſæpius ad Urbem procurrendo locum inſidiis opportunum animo deſignavit. Ferunt, Nicephorum vaticinio quodam occupatum, quo ſignificabatur, periturum Imperatorem, cum Antiochiam cepiſſet, in mandatis Burtzæ dediſſe, ne quid adverſi in eam Urbem moliretur, neve capi-

A) Cedrenus p. 512. Zonaras p. 158. B) Hæc Cedrenus, & jam citati. C) ἀχυρότευκτον ἐκτύπωμα vocat eam imaginem Zonaras, ut plane Edeſſenam videatur intelligere. Idem Credrenus quoque.

capiendæ illi, quamlibet ſpes certa affulgeat, operam navet. Mirum ſane, ut fertilis illa ætas vaticiniorum præ aliis fuerit; ac fieri potuit, ut A.C. 966 commento hoc uſa ſit invidia, ad Nicephorum e Syriaco bello detrahendum, gloriamque viri infringendam; cui ille fidem temere habuerit; non enim tam publicæ rei, quam privatæ æmulationis, ac commodi cura Genti leviſſimæ fuit. Utcunque ſit; certe Nicephorum alieno ab Urbis ejus occupatione fuiſſe animo, ab eventu patuit. Is igitur Burtzas locum inſidiis opportunum contemplatus, geminas nocte concubia Urbis turres cum delectis ſuorum trecentis furtim ſuggreſſus occupavit; atque in trepidationem maximam Barbaros conjecit, non neſcios, adfore brevi cum exercitu Petrum Ducem, forisque, ac intus hoſtem eodem tempore habituros. Quod & reapſe ita evenit: Petrus enim a Burtza per internuncios ad opem cum exercitu ferendam ſollicitatus, etſi renueret initio, Nicephori imperia veritus, tamen ne trecenti illi, qui triduum jam hoſtilem ſuſtinebant impetum, interirent, adfuit denique cum exercitu, & reſerata per ſocios, quæ pone turrim fuit, porta in Urbem invectus, eandem cæſis, captisque Barbaris ingenti cum præda occupavit; quæ jam inde ab Heraclii temporibus Saracenico nunquam jugo caput exemerat. Tantæ Urbis occupatio lætitia perfudit Orbem Chriſtianum, ſed non Nicephorum; qui ſive commento jam memorato illuſus, ſeu Ducum gloriæ invidens, Petrum quidem graviter increpitum infra dignitatem habuit, Burtzam vero eadem omnino dejecit; quod factum tam a re alienum multorum a Nicephoro animos abduxit.

Et hæc quidem bella Nicephoro in Aſia fuere: in Europa res ut- 967
cunque quietas habuit; Ungari pro more Thraciæ moleſtiam creabant; horum ut amoliretur impetum, per literas egit cum Rege Bulgaro, ne Ungaris per ditiones ſuas, perque Iſtrum tranſitum in Thraciam indulgeat. Repoſuit Bulgarus, ſibi quoque cum Ungaris pugnanti, ac auxilia Byzantii corroganti negata eadem fuiſſe, jam vero non eſſe e re ſua, fœdus, quod cum illis icerit, Imperatoris cauſa abrumpere, ſeſeque diſcrimini objectare. Eo reſponſo nimium quam irritatus Nicephorus Ruſſorum Principem Svendoſtlabum muneribus delinitum ad ferenda in Bulgaros arma, regionemque vaſtandam pertraxit. Is non ſegniter per biennium diripiendæ Bulgariæ, occupandisque Urbibus dedit operam magno Gentis illius exitio; quod demum in grave, & periculoſiſſimum Byzantinis bellum degeneravit. A) Atque ex hac demum narratione planum fit; quonam Ungari modo, quod ſupra dubios nos habuit, bellum in Thraciam, adque muros adeo Conſtantinopolitanos portarint, aut non volentibus bellorum metu tranſitum præpedire Bulgaris, aut non valentibus.

Poſtremis duobus Imperii annis vacuus a bello fuerit Nicephorus; nihil enim armorum Scriptores Græci per eos meminere, B) tametſi fatendum, res Nicephori geſtas ſtrictius ab iis, quam illarum amplitudo poſceret, ad poſteritatem transmiſſas; illud in ſumma addunt: a Nicephoro centum amplius in Syria Urbes Barbaris ereptas, Imperium latiſſime protenſum, militem, Urbemque ſpoliis completam; quæ cum illuſtria omnino eſſent, nequaquam tamen illum ab odio ſuorum, & pernicie texerunt. Hic vero cauſæ produntur permultæ, & graves, ob quas in offenſionem populi Imperator tot hoſtium victor incurrerit: præcipua fuit immodicus in ordinem militarem amor; cujus milites abuſi bene-

A) Cedrenus pag. 517. qui Ungaros more ſuo hic Turcos appellat. At Zonaras expreſſe τῶν δὲ τούρκων τῶν ἔγγρων δηλαδὴ. &c. B) Non meminere quidem Græci; at Vitichindus Saxo meminit belli, quod Nicephoro cum Othone Imperatore interceſſerit, ob negatam filio ejus itidem Othoni in conjugem Theophanonem, Junioris Romani filiam. Occupatam nempe ab Othone fuiſſe Calabriæ partem; dein vero a Græcis vindictam ſpirantibus, ſimulatam per fraudem fuiſſe Theophanonis in Italiam advectionem; ad quam excipiendam comitatus aulicus cum manu militari ab Othone miſſus fuerit, a Græcis autem ſingulari fraude deletus.

A.C. 967 benevolentia, graves, & intolerandos ſe reddiderint. Bene quippe cognorat Imperator ille, ſalutem Reipublicæ in militum dextris collocatam eſſe, nec melius fœnerare pecunias, quam quæ in viros fortes congeruntur; omnia ſine illis fluxa, & brevis ævi, remque communem in ſe ruituram, ni eam fidi cuſtodes a vi injuſta protegant. Attamen vir militaris ultra æqui limites progreſſus fuerit; quo certe nihil perniciosius; ſi nimirum ex defenſoribus raptores indulgentia Ducis efficiat, & quos cauſa ſolum arma deferendi ab hoſtibus, non animus, resque ipſa ſecernat.

Altera odii cauſa fuit corradendæ ſtudium pecuniæ, quo ad bilem Græcis concitandam nihil eſſe potuit accommodatius. Namque frumentum in horrea congeſtum, cum ejus caritas invaleſceret, exaggerato pretio populis venundabat, monetam fingebat, ac refingebat, eo artificio amplius quid a populis expreſſurus, quam in Reipublicæ uſus impendiſſet. Cumque ab odio populi, vaticiniisque neſcio quibus, ſibi metueret, veluti ſi in palatio pereundum ſibi ferro eſſet, illud fortiter adverſus vim communivit non ſine ædium vicinarum, civiumque detrimento.

Sed ante omnia iram in eum Subjectorum inflammarunt ea, quæ circa res Deo ſacras turbare improvidus occæperat. Etenim decreto ſanxit, ne quis templis, aut viris Deo dicatis bona immobilia conferret, alienatis etiam Imperatorum ante ſe largitionibus; ne Epiſcopus injuſſu ſuo uſpiam præficeretur; quos cum per internuncios conſtituiſſet, ſumptus iis faciendos definiebat, reliquo proventuum in uſus militares ablato; tum ſi quis eorum vita migraſſet, unus in relictas opes involabat. Ferunt, illum militaris ordinis amore eo quoque progreſſum, ut in acie cæſos Martyrum albo cenſeri, parique in honore haberi cuperet; decretoque id publico perfecturum fuiſſe, ni Præſules acriter hac in re obluctati eſſent. His itaque rebus, & ſimilibus Nicephorus, etſi optime de Imperio armis meritus, odiis populorum conflagrabat, ut inſidiis ſublatum nemo omnium ulciſci pergeret. In hunc Imperatorem Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus ab Othone Occidentis Imperatore Legatus Conſtantinopolim miſſus, ut Conſtantini filiam Othonis filio conjugem expeteret, non ſatis pro dignitate Legati acceptus, nec obtento eo, cujus gratia venerat, calamum ſtrinxit in deſcriptione Legationis ſuæ; in qua illum, ceu & ab animo, & a corporis habitu peſſime comparatum fœde depingit; ſed odio hominis, & Græcorum crediderim magis, quam ex vero; ſi quidem res præclariſſime per hunc Imperatorem geſtæ nequaquam cum talibus conſentiunt. Præterquam enim quod in bello ſtrenuiſſimus fuerit Nicephorus, virtutis quoque, & quidem horridioris illius cultor, ac voluptatum oſor acerrimus extitit; A) ſolenne illi fuit, humi temere abjecto ſomnum capere, veſte aſpera corpori moleſtiam creare, conceſſa etiam voluptate fraudare genium; quin poſteaquam filium in ludicro quodam forte a quopiam e cognatis interfectum vidiſſet, ab omni carnium eſu eo uſque, dum Imperator fieret, abſtinuit.

Mores iſti tantopere ab aulico ſplendore alieni ejus conjugi Theophanoni placere diu non poterant; itaque averti ſenſim a Nicephoro; adque alios amores reſpectare, & præ aliis in Joannem Tzimiſcam copiarum Ducem, virum tanto faſtigio, conjugioque ſuo, ut rebatur, dignum, oculos cæpit conjicere; nec conquievit inſana mulier, quoad Tzimiſcæ illius opera conjugem indigno prorſus lethi genere e vivorum numero proturbaret.

969 Tzimiſcam Ducem etſi cætera bello ſtrenuum, ob quas neſcio ſuſpiciones (id enim non proditum) gradu moverat forte Imperator, atque domi ut ſe contineret, præceperat. Exulceratum cum cerneret Tzimiſcæ animum Theophano, ipſa amore illius dudum ſaucia, effecit apud conjugem, ut libertas ei, ac reditus in Urbem permitteretur. Eadem

A) Manaſſes pag. 98.

dem igitur Theophanone agente, Tzimiſca nocte concubia Chalcedone, illinc vero freto transmiſſo ad palatii mœnia conſtitit, in corbe Imperatricis ſolertia ad aulam ſublevatus cum ſociis Burtza, cujus in occupatione Antiochiæ facta mentio, Abalantho, & Atzipotheodoro. Hi ferro armati in conclave Imperatoris penetrant, eundem ſomno ſopitum occiſuri; at cum vacuum Imperatorium lectulum inveniſſent, deprehenſos rati ſe, metu præcipites e palatio deſilierant, ni indicio cujuspiam Nicephorum humi, quod ſæpe factitabat, ſomnum capientem inveniſſent. Illum tumultu a ſomno excitum Abalanthus ferro in cranio graviter vulnerat; dein contumeliis fœde onerant, Deum, ac Deiparam tantummodo ingeminantem; poſtremo cum tumultu perſtrepente militares excubiæ Nicephoro ſuppetias laturæ accurrerent, reſectum caput per feneſtram oſtentant; quo aſpectu fracti militum animi nihil deinceps in interfectores moliti ſunt; A) eum in modum aulæ, & Imperii per ſcelus potitus eſt Tzimiſces. Porro Nicephorus exegit annos vitæ ſeptem ſupra quinquaginta, Imperii vero ſex, ac menſes quinque cum diebus aliquot, altero Decembris interfectus; dignus utique longiſſimo, quod tantum prolatarat, Imperio, ni ſacra, & profana ſolis armis ſervire coegiſſet; quæ in horum defenſionem, non oppreſſionem leges Principibus porrigunt: ſed in tanto præcipitio medium, rectumque incedere, res una eſt omnium difficillima, & pene viribus humanis ſuperior. A.C. 969

FL. JOANNES TZIMISCES.



IN Joannis hujus rebus geſtis ſolam hanc Nicephori Phocæ cædem nullo unquam prætextu cohoneſtandam jure reprehenderis; cæterum tam belli, quam pacis artibus, ac ſingulari in utrisque felicitate ita eminuit, nihil ut maximis, & primi nominis Imperatoribus concederet. Patrato facinore cum neminem vel in Urbe, vel in aula moliri quidpiam adverſum ſe cerneret, compoſita primum aula, Baſilioque Romani ſenioris ex concubina filio Eunucho, qui Imperii Adminiſter ſub Nicephoro fuerat, iterum rebus pari jure præfecto, ad Divæ Sophiæ coronam de manu Polyeucti accepturus ſe confert. At enim duriorem opinione ſua invenit Patriarcham; qui ne ingreſſum quidem in ædem ſacram, ne dum coronam Joanni tanto ſcelere contaminato indulſit. Hic vero repulſus in omnem ſe partem verſare Tzimiſca, ne tam nobilem prædam rebus nondum confirmatis repens aliqua ſeditio eriperet; excuſare factum, atque a ſe in ſceleris complices Abalanthum, & Atzipotheodorum amoliri; qui juſſu Theophanonis ferro Nicephorum appetierint; promittere expiationem patratæ cædis, bona, quæ privatus poſſederat, largiturum in pauperes, & Numini de ſe ſatisfacturum; adhæc edicta Nicephori adverſus Eccleſiaſticas libertates reſciſſurum; quod poſtremum crediderim, pondus ad permovendum Patriarcham maximum attu-

 lerit;

A) Cedrenus p. 519. Zonaras p. 103.

A.C. lerit; qui demum Joanni ipſis Chriſti Natalitiis ad Sophiæ admiſſo coro-
969 nam impoſuit, conditione tamen prius appoſita, ut & Theophanonem, & qui manum Nicephoro attulerant, aula dejectos in exilium amandaret; quæ continuo executus Tzimiſca, etſi non ſine Theophanonis, & imperio, & amore ſuo dejectæ furiis; demum pro Imperatore agnoſci ab omnibus, dextreque Imperii habenas moderari occæpit. A)

Primum pacis, dein res belli curæ fuerunt: Baſilium, & Conſtantinum pupillos Conſortes Imperii adſcivit magna eo facto collecta populi benevolentia, velut ſi tutor eſſet, non invaſor Imperii. Qui Nicephorum vel ſanguine, vel penitiore amicitia contigerant, ne quid turbarum crearent, diſperſi per varia loca, inque exilium acti ſunt; in quibus fuit Leo Phocas Nicephori germanus, cum filiis Nicephoro, & Barda, multarum palmarum heros, eaque fortuna, & deteriore poſtea, quam ambitione ſua ſibi paravit, indignus. Poſt hæc promoti in Magiſtratus, qui rebus Tzimiſcæ ſtudebant: ita enim illius Reipublicæ ferebant mores, ut novam fere ſemper novi Imperatores faciem aulæ, & Urbi adferrent; nec ſua alicui fortuna facile in longius conſtaret. Filia Romani Junioris Theophano, negata Othoni a Nicephoro, a Joanne ſimul, ac Imperio potitus eſt, in Italiam transmiſſa. B) Præſules in exilium, quod decretis Nicephori ſubſcribere noluiſſent quondam ejecti, ſedibus ſuis reſtituti, cæteraque, quæ curationis egebant, ordinata fuerunt. Manichæi per Orientem ſparſi, compreſſi toties, ſed oppreſſi nunquam, ne latius diffundere virus ſuum poſſent, ad petitionem Theodori Antiocheni Præſulis collecti per Aſiam ſunt, atque in Europam unum in locum Philippopolim translati; ut ſi libido pereundi eſſet, ſibi unis, non etiam aliis interirent. Polyeucti demum vita functi monachus quidam Scamandarenus locum occupavit. Atque ita res pacis brevius opinor, quam earum dignitas poſceret, a Scriptoribus (quorum nuſquam ut hoc loco inopia major) C) proditæ ſeſe habuerunt.

970 Inter hæc Arabes ira correpti, quod res Chriſtianas ſuperioribus victoriis tantopere erigi, deprimi ſuas viderent; atque imprimis Antiochiæ præreptæ dolore æſtuantes, inita inter ſe ſocietate Chartaginenſibus quoque Barbaris ſubſidio accitis, ad recuperanda, quæ amiſerant, vires ſane immanes contulerunt, obſeſſa Antiochia, terroreque Chriſtianis injecto. Verum præſto fuit rebus turbidis Joannis providentia; a quo miſſus in eas oras cum copiis Nicolaus Patricius familiarium Imperatori intimus, contracto etiam ex Meſopotamia exercitu, utut præ hoſtium numero, viribus multum inferiore, collatis tamen ſignis victor nubem eam Barbaricam ab Antiochia, & Chriſtianorum finibus feliciter diſpulit.

Diuturnius, multoque difficilius fuit Joanni cum Ruſſis bellum; qui a Nicephoro in Bulgaros commoti, quod Ungaris iſti tranſitum in Thraciam prædabundis concederent; devictis poſtea Bulgaris, ac Principibus eorum captis, nec ſtare jam pactis conventis, nec pedem Bulgaria efferre volebant; quin Calocyri cujuspiam ad Imperium malis artibus aſpirantis, ac ſi eorum armis id conſequeretur, maxima quæque pollicentis cupiditati morem geſturi, rejectis cum probro Imperatoriis Legatis, arma, & incendia Thraciæ finibus intulerant. Tercentorum millium numerum copiæ eorum ſuperabant, non e Ruſſis modo, verum e vicinis Ungaris, Patzinacis, Bulgarisque ipſis male conſarcinatæ. D) Ad vim tantæ multitudinis cohibendam miſſus cum paucis admodum millibus Bardas Sclerus affinis Imperatorius, ingenio, quando viribus non poterat, fortunam demereri, eſt aggreſſus. Barbari tanta multitudine impediti magis; quam adjuti, tripartito ſemet diſpeſcuerant: præibant Patzinacæ, hos Ruſſi, ac Unga-

A) Cedrenus p. 510. Qui etiam refert, Theophanonem populi in Tzimiſcam commovendi cauſa in ædem Sophiæ, ſed fruſtra confugiſſe. B) Annales Eccleſiæ ad hunc annum. C) Nam præter Cedrenum, & Zonaram, breviſſimaque Glycæ, & Manaſſis compendia, nulli e Græcis hanc ætatem attigere. Stzylices eadem, & fere verbis iisdem cum Cedreno habet. D) Diffuſe bellum Ruſſicum perſequitur Cedrenus a p. 522.

Ungari excipiebant. Sclerus itaque Patzinacas primum aggreſſus conſul- A.C.
to hoſti ceſſit, ut a reliquo corpore abſtractum longius, atque inſidiis 970
exceptum facilius perderet, quod & ceſſit peregregie: illi ſiquidem a ſuis abducti, & ipſo victoriæ fervore ordinibus diſſoluti, atque ab hoſtibus circumventi, magna cum clade ad ſocios rejecti ſunt; hi re inopinata turbantur, rem gerunt timidius; reſiſtunt tamen, impetumque ruentium retundunt; quoaduſque viſo inſigni Scleri Ducis facinore, qui Barbarum mole, & ordine reliquis potiorem ferro medium diviſerat, animo dejecti, ac effuſi plenam hoſti victoriam relinquerent. Nox ſola a pernicie quosdam texit; quos tamen perpaucos e tanta multitudine fuiſſe, eosque omnes ſaucios Cedrenus narrat; fidene integra, merito dubites; uti & illud, e Byzantinis non periiſſe quinque & vicenis plures, attamen a vulnere neminem fuiſſe eximium.

Ne tantæ victoriæ fructum legeret Sclerus, Leonis Phocæ, & filiorum in Aſia perduellio impedimento fuit. Non poterant viri illi, cætera ſtrenui, eam fortunæ commutationem taciti concoquere; itaque Bardas, Leonis filius, occupata cum amicis Cæſarea Cappadociæ, inſignia Imperatoris aſſumſerat, perſtricturus, ut rebatur, ea ſpecie mobiles Græcorum animos, pluresque in ſocietatem ſceleris, ſpe rerum novarum pertracturus; Huic ex occulto ſtudebat pater cum altero filiorum, & animos Nobiliorum præparabat, transgredi in Thraciam ex Aſia molitus, quo utrobique ſeditione in Tzimiſcam omnia compleret. Initia hæc ſerpentis incendii oppreſſurus Imperator dat in mandatis victori Sclero, ut miſſo bello Ruſſico in Aſiam copias transportet. Quod & factum continuo; ſed bello in Aſia nihil opus fuit; qui enim ſocios ſe Bardæ addiderant, dubiam fortunæ aleam veriti, nec reſiſtendo pares, alius poſt alium, deſertis ejus partibus, ad Sclerum ſemet aggregarunt. Undique deſtitutus Bardas in arcem quandam Tyropæum fuga ſat equidem generoſa, in ea quippe Ductorem quempiam acrius inſequentem manu ipſe ſua peremerat, ſeſe recepit; ubi diutius a Sclero preſſus victoris ſemet clementiæ dedit; quem Imperator in Chium inſulam relegatum, ne dehinc arma adverſum ſe ferre poſſet, Clericali militiæ adſcribi voluit; cum jam antea pater illius cum altero filio proditus, & morte damnatus eſſet; verum Imperator excæcationem mortis pœnæ ſubſtituit. Quanquam ea fuit humanitate, ut clam in mandatis dederit lictoribus, ne oculorum uſum iis adimerent, ſed ſimularent tantummodo, fore ratus; ut ſimilis periculi metu quieti poſthac viverent; verum id a viris tanta rerum geſtarum gloria illuſtribus, & Græcis ſperare, erat arenæ ſemen mandare. Sub idem pene tempus altero ſe conjugio Tzimiſca illigavit cum Theodora Porphyrogeniti Imperatoris filia, plaudente populo, quod ipſum familiæ illi, ac nepotibus bene velle ex eo intelligeret.

Cæterum non ita nuptialibus ſemet gaudiis hic dedit Imperator, 971
ut bellorum, quibus a puero inſueverat, obliviſceretur. Traductis enim ab Aſia copiis, claſſe, omnique apparatu inſtructo, in Ruſſos ſuperiore victoria haud parum perterrefactos exercitum millium non plus novem ipſe produxit; quem tamen cum aliis copiis Baſilius cubiculo Præfectus brevi conſecuturus erat. Itum recta ad Principem Bulgariæ Urbem Periſthlavam eſt, Regum ſedem a Ruſſis eo tempore inſeſſam. Octo hoſtium millia armis ſeſe ante Urbem exercentium inopinata equitum Græcorum procurſione adeo confuſa ſunt, ut vix tentato Marte in Urbem refugerent; accurrunt ſubſidio ex Urbe plures; ſed & priorum tumultuaria impediti fuga, & ab expedito equitatu præventi, ac a reditu intercluſi cladem ſane immodicam accipiunt; viæ, & campi cadaveribus complentur.

Imperator novis copiis cum Baſilio opportunum ſubinde acceptis, Periſthlavam propius univerſo accedit cum exercitu, explicatisque caſtris oppugnandæ dat Urbi initium. Non longus labor in oppugnando inſum-

A. C. 971 ptus : altero enim die inflammatus Imperatoris cohortatione miles in muros Urbis, amplæ crediderim magis, quam adverſus vim communitæ enititur, timide reſiſtentibus Ruſſis; moxque reſeratis portis univerſus infunditur exercitus, ac prædis, captivisque expletur. Venit inter alios in manus Borizes quoque, Bulgarorum Rex regiis cum inſignibus, quem uti & Bulgaros benigne habuit Imperator, hoſtem ſe Ruſſorum profeſſus, non Bulgarorum. Reſtabat adhuc Regia, natura munitior, in quam octo armatorum millia refugerant; hanc altero die ſubigere animus erat: ſed reſtitabant languidius milites loci difficultatem cauſati, quoaduſque Imperatoris exemplo, qui primus adverſus munimentum procurrerat, in ruborem acti ad oppugnationem provolaſſent. Jactis proinde confertim ignibus, quod aſſultu tentari res non poterat, ſubito Regiam incendunt. Qui intus fuerant, recepto hoſte longe atrociſſimo de fuga circumſpiciunt, atque e muris aguntur præcipites; verum illa paucis ſaluti fuit, plerique aut igne, aut ferro, aut ſaltu periere.

Occupata hunc in modum Periſtlava, a) Caſtellisque circum minoribus adverſus Doroſtolum Urbem Iſtro adſitam, atque præmunitam Imperator duxit. Sed experiri prius cum Svendoſthlavo Ruſſorum Duce debuit; qui audito Imperatoris adventu, copias trecentorum & triginta millium contraxerat, numero, quam vel armis, vel apparatu auctiores; ut quibus ne equitatus quidem ad hoſtiles excipiendos impetus, atque peditatum protegendum adeſſet. Septem Ruſſorum millia exploratum miſſa, atque ab hoſtium tercentis tantummodo inter ſylvas, deprehenſa metu inſidiarum ad Svendoſthlavum non citra cladem refugerunt. Is de adventu Imperatoris edoctus univerſum agmen explicat, decretorio Marte certaturus. Non defuit partibus ſuis Joannes; ſuos enim ad ſtrenue agendum cohortatus, vi magna militis, Ducisque officia explebat. Concurſum animis eſt ſane ingentibus; nec moveri alterutra partium loco poterat; iſtos virium conſcientia ſuarum, illos ſuperioris recordatio victoriæ in pugnam acuebat. Ita magna diei pars pugnæ impenſa. Duodecies jam Ruſſicæ inclinarant acies, totiesque reſtitutæ; cum demum Imperator ipſe ad eam hoſtilis exercitus partem accurrens, ſubſidiaque adducens, quæ infirmior videbatur, maximo cum impetu perruptis hoſtium cuneis in effuſam omnes fugam conjecit. Cladis magnitudinem, hoſtiumque cæſorum numerum Scriptores non meminere; attamen in tanto bellantium numero, cum ad effugiendum quoque equis carerent, immodicum fuiſſe, conjectare licet. Svendoſthlavus acie inferior cum reliquis Doroſtolum refugit, extrema omnia conſervandæ Bulgariæ, hoſtisque repellendi toleraturus. Et diuturnior opinione, difficiliorque ea fuit obſidio; ad quam certatum non ſemel plenis aciebus fuit; nec Marte utrinque incruento, quoaduſque fortuna Joannis Deo, & æquitati nixa palmam denique obtineret. Is cum animadverteret, Urbem manu armata, muris, foſſaque præmunitam tam facile capi non poſſe, diuturna obſidione fatigare aggreſſus eſt; bene gnarus, minorem obſeſſis, quam pro eo hominum numero eſſe commeatum; quod ipſum metuerant Ruſſi; atque extrema omnia hoſtis depellendi cauſa moliti ſunt, crebris procurſionibus laceſſendo, integrasque acies in eos producendo. Die quodam Græcis ad cibum capiendum per caſtra dispalatis, repente numeroſis cum cohortibus affuſi ingruunt, turbant, confunduntque imparatos; verum reparata acie Scleri maxime Ducis virtute fracti, incepto abſiſtere coguntur. Alias ſub crepuſculum veſpertinum imparatos oppreſſuri, producto ab Urbe exercitu ad multam noctem pugnam miſcuerunt, quin alterum quoque diem dimidiatum in acie fortiter ſubſtiterunt, inferendo vulnera & excipiendo; nec, niſi amiſſo præcipui nominis e ſuis Duce, retulerunt pedem; non ſatis equidem feliciter, quod a reditu in Urbem per celeres equitum turmas intercluſis, ac per campos ſparſis cædem effugere paucis licuerit. Repo-

a) Hanc de nomine ſuo Joannopolim Tzimiſces appellari dehinc voluit.

Repoſuit haud ita multo poſt vicem Svendoſthlavus, commeatus quippe parandi gratia navibus per Iſtrum progreſſus corraſis, quæ ſors obtulerat, præpropere cibariis redux in calones, ac quosdam Imperatorios per Iſtri ripam temere diſperſos clam cum armatis incurrit, nec paucis e medio ſublatis Urbi ſe reddidit incolumem. Inter has bellorum vices dies fluxerant quinque ſupra ſexaginta, cum Imperatori de iterata Leonis Phocæ, filiique ejus Nicephori perduellione allatum eſt; quibus ille vitæ primum, dein etiam oculorum gratiam fecerat. Hi etenim abſentia Imperatoris in rem uſi ſuam, pecuniis, & promiſſis non paucos ſibi paraverant in Urbe venali, apud quos non res tantum, ſed fides quoque, & Imperium pretio veniebat. Jamque in eo res erat, ut ab inſula, in quam relegati fuerant, profugi in Urbem irrumperent, tumultuque in ea concitato Imperium pro ſe arriperent. At enim in ipſo ſceleris conamine proditi, atque ab æde Sophiæ, quo refugerant, a Baſilio protracti, oculorum denique jactura ſolemni ea ætate ſupplicio puniti ſunt; magno, & miſerabili, ſi viros e priore fortuna æſtimes; digno autem, vix tamen probando, ſi ex attentati facinoris atrocitate. A. C. 971

Svendoſthlavus ſuis cum Ruſſis obſidioni ferendæ præ rerum inopia cum non amplius eſſet, periclitari in campo Martem ſummis, & extremis viribus conſtituerat. Itaque productis ab Urbe copiis diuturno iterum certamine cum Græcis eſt conflictatus; nec cædis utrinque modus erat, quoaduſque Icmor, præcipui nominis Ruſſicus Ductor, ab Anema Cretenſis Ameræ filio neci datus, animos ſuis ademiſſet; qui haud paucis ſuorum relictis Urbem rurſus cum Svendoſthlavo ægre ab interitu ſervato repetiere. Fracti tot ſiniſtris caſibus Ruſſi orabant Svendoſthlavum, ut icto cum Imperatore fœdere bellum tam infelix abrumperet, ſeſeque miſſa Bulgaria ad ſua reciperet. Verum altiores ille gerebat animos, quam ut tam facile Regione armis parta, & felici excideret. Igitur producto ab Urbe univerſo exercitu, occluſis etiam portis, aut pereundum omnibus, aut vincendum edicit. Itum dein validiſſimo cum impetu in hoſtem eſt. Imperator viſo cum deſperatis ſibi rem eſſe, ut impetum hebetaret furentium, atque elideret; conſulto ſuis antea præmonitis cedere inſtituit, quoaduſque ad determinatum quempiam locum inſidiis opportunum veniretur; quo ut perventum, obverſis ſubito frontibus acerrime in Ruſſos pugnatum eſt in multam diem; nec ii partibus defuere ſuis, ut adeo victoria in medio, ancepsque ejus diei fuerit; nec retro in Urbem conceſſere Ruſſi, altero, ut ſperabant, prælio rem denique confecturi. Imperator ſuorum laborem, totque funera miſeratus ad ſingulare certamen Ruſſicum Principem provocat; verum rejecta cum probro Imperatoris petitione, iterum prælio, eoque maxime cruento decernitur; in quo ipſe quoque devolutus ab equo, ac vulneribus appetitus ab interitu propius abfuit Svendoſthlavus. Multi ab utraque parte cæſi, plures ſauciati, dum utrique extremo conatu victoriam ad ſeſe trahunt. Præſens Numinis, Cœlitumque pro Imperatore auxilium demum res Ruſſicas evertit: validiſſima enim exorta procella Ruſſis adverſa excedere illos acie compulit; quin vir quidam candido invectus equo, nec antea, nec poſt conſpectus, turbabat præ reliquis hoſtium ordines, & convellebat; quem Divum ajunt fuiſſe Theodorum, cujus luce ſacra pugnatum eſt. a) Eum in modum profligati Ruſſi, & magnam partem cæſi, quod rurſus Imperatorii reditum antecepiſſent, ægre in Urbem profugere; ac tum demum rebus jam conclamatis ſeriam de pangendis cum Imperatore fœderibus cogitationem ſuſcepit Svendoſthlavus, miſſis Legatis, qui illum eapropter appellarent. Imperator belli tam difficilis terminandi cupidiſſimus convenit cum Ruſſis, uti incolumes relicta Bulgaria ſuam in patriam concederent, dehincque Imperatorum amici viverent; quod illi largiter polliciti, poſt brevem moram

a) Prodigii & Cedrenus, & Zonaras meminerunt.

A.C. itineri ſe per Regionem Patzinacarum dederunt. Verum iſti Ruſſis ob
971 fœdus cum Imperatore initum perinfenſi, reduces internecione una cum Svendoſthlavo deleverunt. Ita bellum Ruſſicum opinione omnium celerius, ac felicius terminatum.

Imperator re tam proſpere geſta minime elatus, victoriam Deo, & Cœlitibus, non virtuti ſuæ acceptam tulit; itaque & Divi Theodori Martyris honori amplam poſuit ædem, & in Urbem cum exercitu victore regreſſus, cum magnifica ei pompa triumphalem adornaſſent currum, egregium modeſtiæ ſuæ edidit ſpecimen; impoſita enim currui Dei Genitricis effigie, eam triumphare voluit, cujus auſpiciis victor de tanto hoſtium numero redierat; ita utroque nomine & fortitudinis, & modeſtiæ extitit Urbi quam gratiſſimus. Coronam Regum Bulgaricorum in æde Sophiæ Deo dedicavit, qua exuerat Borizen; hunc tamen in honore habuit Magiſtri dignitate ornatum.


A bellicis ad pacis opera animum exin retulit: Salvatori humani generis magnificam extruxit ædem; cujus effigie, ne vel in re maxime profana profani aliquid eſſet, nummos aureos ſignari deinceps voluit; qui mos ad poſteros quoque fluxit. Vectigalia, quo gratius nihil eſſe Græcis poterat, imminuit. Cætera ejus præclare geſta, quæ ex his odorari poſſumus, Scriptorum ſilentio involuta jacent.

974 Poſt anni unius, aut alterius quietem in Saracenos hic movit Imperator, ulturus defectionem quarundam Urbium olim a Nicephoro occupatarum; quarum alias vi, ac ferro, alias promiſſis, atque indulgentia in partem traduxit ſuam, armis adusque Tygrim amnem promotis. A) Quo tempore non dubium eſt, multa eum memoratu digna edidiſſe facinora, nec leviter cum Saracenis conflictatum; ſed hæc, aliaque illius præclare geſta hominum incuria obliteraverit.

975 Ab hoc opere exantlato ira Numinis inſecuta eſt Joannem, in vindicanda Principum cæde non facile cuipiam in præſentiarum exorabilis. Cum enim per Anarbum, atque Podandum in Aſia iter faceret, opulentiſſima illic prædia contemplatus quæſivit: cujusnam illa forent? pro reſponſo accepit: Baſilii cubiculo Præfecti ea omnia eſſe, Ducum ductu diverſorum a Barbaris occupata. Excanduit hic ira Joannes, non ferendum dictitans: ut unius ſpadonis cupiditati tot opes famulentur publicis quæſitæ impendiis, cum interea miles, & Respublica præ inopia peſſumeant. Dictum illud Imperatoris Baſilio perlatum ſic hominem impotentem inflammavit, ut non prius conquieſceret, quam corrupto, qui in aula a poculis miniſter erat, Imperatorem lento quodam veneni genere e medio ſublatum iret. Epoto hoc toxico, languere diu cæpit Imperator, ac totus interne depaſci; quoad erumpentibus in dorſo carbunculis, ſanguineque per oculos egeſto, animam denique exhalaret. Imperavit annos ſex, ac menſes totidem, ſi Cedreno fides; ſex tantum annos, ſi aliis; B) digniſſimus longiore Imperio, ſi tam bonis artibus illud adiiſſet, quam adminiſtravit. Reliquit Principatum Baſilio, & Conſtantino Romani Junioris filiis, ad quos hæreditate ſpectare videbatur a Baſilio Macedone progredientibus; cujus familiæ continuatam in regnando ſeriem Nicephori, atque Tzimiſcæ, aliorumque ambitio interpolarat.

A) Manaſſes pag. 99. B) Manaſſi pag. 99.

FL. BASILIUS JUNIOR, ET CONSTANTINUS FRATRES.



GErmani Baſilius, & Conſtantinus diuturno quam A.C.
maxime Imperio, idque, quod apud Græcos videri mi- 975
rum poſſet, concorditer perfuncti ſunt; quamquam concordia iſthæc non tam a virtute, quam a moribus utriuſque plurimum diſſimilibus profluxerit. Baſilius ingenii acris, ac vividi in agendo, bellandoque omnia reponebat, aſſiduus in expeditionibus bellicis, hoſtibus, ſuisque formidandus; cui a perdomitis penitus Bulgaris illuſtre Bulgaroctoni cognomen A) adhæſit. Conſtantinus vero animi vir molliſſimi aulæ delicias, ac luxum unice amplexabatur; nec ferebat ægre fratris arbitrio adminiſtrari cuncta, dum ſibi in umbra inter voluptuarios homines curarum experti helluari liceret; quo factum, ut ſua contenti vivendi ratione, alter alterius rebus nihil obturbaret. B)

Tzimiſca e vivis ablato, Baſilius annum agebat ætatis viceſimum: ſeptimum decimum Conſtantinus; quorum ætas cum moderando nondum apta Imperio eſſet, a Baſilii cubiculo Imperatorio Præfecti arbitratu res ſumma pendebat; qui dum plus æquo alumnis, ſed mage rebus ſuis a Procerum ambitione metuit, viasque omnes conſervandi in eo ſtatu Imperii, plus ſatis ſolerter init, in maximam perturbationem conjecit Rempublicam; ut continuatæ cuipiam tragœdiæ, ſero demum terminandæ, ſimillima eſſet ea temporum conditio.

Etenim cum ante alios Sclerum tot geſtis rebus, tanta gloria præſignem haberet ſuſpectum; ſpecioſo obtentu fines Imperii adverſus Barbaros tutandi, Ducem Meſopotamiæ conſtituit, ablata ei Orientali, quæ inter præcipuas erat dignitates, Provincia; quo ſic remotior ab aula minusque potens eſſet; in ejus porro locum Petrum quendam jam Patricium, olim Phocæ ab obſequiis C) virum cætera ſtrenuum ſubſtituit; Burtzam vero a Scleri familiari convictu abſtractum præfecit Antiochiæ, in tranquillo omnia ſic fore ratus. Verum contra evenit; Sclerus enim gloria, quam bellando aquiſiverat, ſuique opinione ſupra modum tumens, ac pro gravi contumelia rem interpretatus, non exiſtimabat adverſus ſpadonem illum vindicaturum ſemet pro merito, niſi in Imperatoriam dignitatem, etſi adeo apud Græcos fluxam, incredibili tamen ambitu optimo cuique concupitam, per nefas involaret. Itaque & ſuamet ambitione impulſus, & ſomnio cujusdam viri aſcetæ arrectus, qui videre ſibi viſus fuerat, Sclero in ſublimem quandam ſpeculam educto Imperatoriam in manus virgam D) a muliere auguſta ſpecie datam, eo progreſſus eſt, ut

A) Nicetas p. 1. B) Zonaras p. 175. C) Filium Phocæ videtur ſignificare Zonaras τέτρος ὁ τῦ φοκᾶ; ſed errorem credo irrepſiſſe omiſſa voce δῦλον, quam habet Cedrenus. D) Flagellum videtur ſignificare Cedrenus: μάστιγα αὐτῷ ἐπιδῦναι βασιλικήν. At certe flagello armati non fuerint Imperatores.

A.C. ut assumpto ornatu Imperatorio, copiis undelibet cogendis, Barbarisque ipsis in societatem armorum pelliciendis operam daret; ac pro ea, qua apud omnes valebat virtutis opinione, in societatem sceleris plurimos attraheret.

976 Perculsus re inopina Basilius aulæ Præfectus, ad placandum Scleri animum consilia confert, misso eum in finem Nicomediæ Præsule, qui tamen præter factum Scleri retulit nihil; cum ille diceret, coccineum A) ostentans calceum, non pronum factu, ut qui in conspectu multitudinis eo indutus esset, rursus exueretur. Armis igitur persequenda fuit hominis cupiditas. Verum in tanto apud militarem ordinem Scleri amore, & admiratione omnia infida, metusque plena erant. Petrus copiis pro Basilio præpositus adversus Sclerum in Cappadociam missus, manum quandam exploratorum ab hoste præmissorum fuderat feliciter, non dubius de pari majoris prælii successu; sed eam spem stratagema Scleri, longo rerum usu probati Ducis, subvertit. Cum enim castra castris forent opposita, crebris extructis ignibus, velut solenne suis daturus epulum, alia omnia, quam prælii expectationem in eum diem simulaverat. Hostibus re visa ipsis quoque ad convivia agitanda, quietemque capiendam versis, subito cum suis vi magna Sclerus ingruit. Instruxerat equidem ex tempore Petrus aciem, sed cum extentis cornibus a latere quoque hostes affunduntur; alii vero expediti equites a tergo circumvenire Imperatorios pergunt; hi metu internecinæ cladis confusi, desertis castris in fugam effunduntur. Non defuere, qui Burtzam Antiochenum Ducem, Basilii tum adhuc partes sequentem, proditi exercitus arcesserent; ut qui primus sua cum ala recedendo in fugam reliquos traxerit. Hac victoria res Scleri immane quantum crevere; mobiles quippe ad omnem fortunæ auram Græci catervatim in partes affluebant; nec contemnenda classis Imperatoriæ pars ad eam vela deflexit.

Clades hæc Byzantium perlata magno aulam timore, sed Basilium cumprimis, præcipuum fabulæ hujus actorem confudit. Consiliis in unum collatis optimum factu visum, si Dictatoria quadam potestate vir aulicarum una rerum, & bellicarum peritus ei bello præficeretur; qui donis, promissisque a partibus Scleri abduceret, quos posset, reliquos extremis viribus insectaretur. Leo Protovestiarii munere conspicuus, ei rei visus est idoneus; cui additus Collega Joannes Patricius: verum istis nec artes clancularie, nec apertæ ad perdendum Sclerum quidpiam profuere. Sollicitata nonnullorum fide, adeo eos non abduxit Leo ab inceptis, ut etiam confirmaret, non nescios, metu, & diffidentia rerum suarum ista ab Imperatoriis fieri. In Phrygiam postea itum ab utroque exercitu; cumque non sat haberet animorum ad prælium faciendum Leo, ita rem ordinat; ut præterito perduelli exercitu, in Orientem proficiscatur oppressurus Provinciam, aut metu domestici excidii ad sanam mentem revocaturus. B)

Id consilii optime Leoni cesserat; res enim tam inexpectata & conturbaverat Sclerum, & non paucos domesticorum amor ad partes Imperatoris pertraxerat. Sclerus ad molimina adversarii præpedienda, Burtzam suas jam partes, desertis Imperatoriis, sequentem expedita cum manu mittit, præmonitum: ne prælio cum hoste contenderet; ipse cum reliquo exercitu festinus subsequitur. Verum Burtzas, seu mandatorum immemor, seu necessitate coactus, sive quod verius, auri Saracenis Berrœnsibus; quod illi tributi nomine Græcis adferebant, præripiendi cupiditate pellectus, manus cum Leone etsi copiis inferior conseruit, fusus cum suis, ac fugatus. Adfuit magnis itineribus restituendæ rei Sclerus; præliique, quo uno mederi jam suis poterat, opportunitatem avidus præstolatur. Quod si Leo prudentiorum secutus consilia, ducere bellum, suumque institutum prosequi porro voluisset, næ ille hostem & consilio, &

A) Calceus coccineus insigne erat Imperatorum, & peculiare solis indumenti genus.

B) Hæc diffuse narrantur a Cedreno; breviter, & carptim tantum a Zonara.

& armis superior facile ab incepta Tyrannide retraxerat. Verum superioris dulcedine victoriæ illectus, ac temere suorum pugnam poscentium fervori obsecutus, a Sclero tot palmarum Duce ingenti clade profligatus est; ut & ipse in manus hostium veniret, & Procerum plerisque cum Joanne occisis, maxima exercitus illius pars aut interiret, aut victoris semet partibus aggregaret. Prorsus res Imperatoriæ pro deploratis habebantur. A.C. 976

Victor Sclerus Nicæam Bithyniæ suum admovet exercitum; cui defendendæ Eroticus Manuel fortuna non minus, quam genere illustris erat Præfectus. Firmiorem suis cum cerneret viribus eam Urbem Tyrannus, fame obsessos perdomare instituit, itineribus, ne quid commeatus illabi posset, diligenter observatis. Hoc ariete omnium potentissimo prostrata demum Urbs deditionem cogitabat; sed metuebant obsessi, ne victoris cupiditas præter Urbem fortunas quoque victis eriperet. Rem ita Eroticus comminiscitur: in horreis publicis cumulos arenæ prægrandes aggerit, frumento leviter aspersо obtectos, tum Legatis Scleri eos ostentans significat, non metu famis, sed hominis, & amicitiæ privatæ causa Urbem velle se dedere, modo migrandi cum opibus omnibus potestas sibi, & Urbanis fiat. Metu diuturnæ obsidionis avidus conditionem Sclerus accipit, Eroticoque cum suis jam in tuto existente, ingenio delusum se Græcanico indignatur.

Non perinde ut terra, sic & mari favens fuit Sclero fortuna: Curtices quippe navalium ab ejus parte copiarum Dux a classe Imperatoria diligenter in portu Byzantino instructa victus, & fugatus in causa fuit, quod in Europam Sclerus victoriam transferre non valeret. Basilius aulæ Moderator animum non nihil ea victoria arrectum versare in omnem cæpit partem: qui tandem terra quoque affligere insolentem tot victoriis Tyrannidem posset. Cumque cerneret, neminem seu virtutis opinione, seu gestarum rerum gloria jam parem Sclero supereſſe, præter unum Bardam Phocam; quem ob Tyrannidem sub Tzimisca arreptam Clero fuisse adscriptum meminimus, protrahere illum e latebris, exercituique præficere animum induxit; erat enim vir ille & manu promptissimus, & ingenio. At enim consilium isthoc plenum videbatur periculi, ne victor postea Phocas Tyrannidem non tam opprimeret, quam olim meditatam potentius instauraret, tanta præsertim patris, fratrisque sui calamitate irritatus. Horrendo itaque jurejuramdo a Basilio obstringitur Phocas, ne unquam simile quid attentare audeat; ac demum potestate summa exercitui in Asia præficitur. Consilium profecto non ineptum, si quam pronum erat Græcis juramentis semet quibusvis obligare, tam facile fuisset cupiditatibus indomitis, ambitionique moderari. Sed obtinebat apud illos vetus illud, & Tyrannicum: si violandum jus sit, regnandi gratia violandum esse.

Accepta Ducis potestate Phocas in Asiam vitatis hostium insidiis 977
transgressus, atque reliquiis copiarum ad Cæsaream conjunctus, non levi Sclerum solicitudine complevit, quem viri virtus, atque prudentia non latebant; cupiebatque quam primum, eum eodem prælio contendere, ne auctis, confirmatisque ejus copiis anceps nimium redderetur pugnæ alea. Concurritur itaque prope Urbem Phrygiæ Amorium; & tametsi nihil non e Ducis dignitate, & prudentia a Phoca gestum sit, miles tamen illius superioribus præliis ad fugam consuefactus, in eandem rursus inclinavit. Phocas quod unum poterat, sufflamminavit impetum victoris, ne stragem late ederet; lenta, ordinataque recedens fuga, & sæpe hosti fortiter obversus; e quibus etiam Constantinum Gabram præcipua auctoritate Ducem ab equo deturbavit. Insequitur recedentem Sclerus æmuli opprimendi cupidissimus, quo solo amoto obice omnia sibi expeditissima prospiciebat; atque rursus prope thermas Imperatorias (loco id nomen fuit) ad prælium provocat. Non detrectavit conditionem, licet non numero tantum, sed & animis militum longe inferior Phocas; verum rursus

A.C. 977 post acrem, ac diuturnam dimicationem, etsi plurimis ille manu tum sua, tum aliorum exitium attulisset, copiæ illius in fugam præcipitatæ, dissectæque sunt.

Non defuit in tanta fortunæ iniquitate rebus suis Phocas, neque animo concidit; verum ad Davidem Iberiæ Principem sibi privatim amicum cum reliquiis copiarum progressus, acceptis ab eo auxiliis, strenuam de instaurando bello, Scleroque perdendo cogitationem suscipit. A) Ut idoneam bello manum sibi esse vidit, non cunctanter in hostis conspectum, exercitum produxit; atque juxta Alyn flumen pleno Marte pugnatum rursus est. In ambiguo diu fuit victoria; jamque nutabant pro more Imperatorii, deserturi Phocam, munia Ducis, & militis strenuissime obeuntem, pedemque etiam haud pauci retulerant; cum Phocas ad extrema tentanda progressus, in Sclerum ipsum ordines obequitantem vi summa invehitur, ac cum eo nihil pugnam detrectante singulari certamine, attonitis ad tale spectaculum reliquis, congreditur. Ictum in Phocam vibrarat Sclerus, verum eo declinante auriculam tantummodo equi abstulit; at Phocas vi tanta clavam in caput Scleri, etsi galea protectum, vibrarat, ut is continuo in equum proruëret, atque a suis pugnæ subductus juxta fontem quempiam recreari necesse haberet. Equus Scleri forte fortuna liber effectus, discursat late per exercitum, Ducisque interfecti opinionem militi ingerit; qua turbatus, metuque quodam pannico correptus in fugam effunditur, atque magnam partem in Alyn flumen præceps conjicitur. Phocas e colle, in quem patrato egregio facinore refugerat, rem conspicatus, collectis in unum suis tam acriter fugientes consectatus est, ut paucis admodum cum Sclero cædem effugere licuerit.

Castris & exercitu hunc in modum exutus Tyrannus, unius siniştri prælii eventu tot victoriarum, existimationis, spei demum suæ jacturam fecit; neque enim ausus uspiam subsistere, Babylonem ad Saracenos cursum contendit, bellum ut rebatur, eorum suppetiis instauraturus. At enim Barbarum Principem suis Basilius literis hortatus est, ne Tyrannidem commune Principibus malum exemplo neque sibi, neque aliis profuturo fovere pergeret; alias vero ad Sclerum, eumque secutos dedit, quibus delicti fiebat gratia, si ad quietem redire animus ferret. Hæ literæ in manus Saraceni Principis delapsæ suspicionibus omnia compleverunt; idcirco Sclerum cum suis in carcerem compegit, diuturno squallore ambitionis pœnas Deo vindice daturum. At Phocas dignitatibus, opibusque ob rem præclare gestam ab Imperatore cumulatus, magnus, & illustris fortunæ filius, sed si uspiam hoc certe in Imperio lubricæ, & inconstantis habitus est.

979 Expeditus Scleri perduellione Basilius Imperator, jamque ætatem regendo idoneam adeptus, toto nisu ad rem suopte arbitratu gerendam incubuit, ne Proceribus quidem magnopere in consilium adhibitis; quod stomachum movebat Basilio illi spadoni, cujus voluntate rerum adhuc cardo versabatur; qui cum licentius res Imperatorias carpit, ab eodem primum quidem aulæ honoribus, mox etiam opibus magna ex parte exutus in exilium pellitur, consuetam a volubili hac aula mercedem laborum consecutus. Visum post hæc Basilio est, clades a Bulgaris per annos priores distractis alio Orientalium animis illatas ulcisci. Ii siquidem Tzimisca fatis concedente Græcorum excusso imperio e nobili quadam prosapia (Comitopuli vocabantur) quaternos sibi fratres præfecere, quod Borizes Constantinopoli cum filio Romano in aula exsecto, ac Regiæ ejus familiæ ultimo asservaretur. Tribus prioribus partim varia fortuna, partim Samuelis minimi fraude interemptis, rei Bulgaricæ summa ad Samuelem pervenit; qui omni eo tempore, quo civilia in Oriente bella ardebant, Græciam, Thraciamque strenue populatus præda, ac Urbibus etiam

A) Aliter ista Zonaras p. 171. ait enim, post prælium prius memoratum, altero die ex condicto in singulare certamen Duces hosce progressos.

etiam opimis potitus est. In hunc itaque ipse exercitum produxit Basilius, nec Phoca, neque aliis in Oriente Ducibus ei expeditioni, aut consilio adhibitis; ne videlicet gloriam militarem, cujus erat appetentissimus, cum pluribus divideret. A.C. 979

Jam Sardicam (quæ hodie Sophia audit) pervenerat, machinis admotis Urbem oppugnaturus, Samuele e vicinis montibus, neque enim planitiei se credere audebat, vim hostilem utcunque propulsante; cum ecce Contostephanus Europæarum Dux copiarum anhelus sub vesperam Imperatorem convenit, remque in summum adductam discrimen clamitat; quod Melissenus, præcipui nominis Ductor, cum parte copiarum ab Imperatore angustiis post tergum tutandis relictus, Tyrannide arrepta Constantinopolim properet, daturus turbas rursus insanas, ni e vestigio opprimatur. Commentum id fuit Contostephani, sive quod Melisseno foret inimicissimus, A) sive ut Basilium ab incepto retraheret; qui ut feroci erat indole, si rem contra Bulgaros ductu suo bene gessisset, Duces omnes contemptim habiturus fuerat. Audita re Imperator extemplo vasa jubet colligi, maximisque retro itineribus properare. Conspecto isthoc recedentium e collibus tumultu erumpit cum suis Samuel, & pugnæ imparatos a tergo aggressus fundit, fugat, impedimentis omnibus exuit. Ut fuga in locum evasit Basilius, Melisseni curæ concreditum, videt, illum cum copiis quietem agere, nec defectionis moliri quidpiam; quo spectaculo incensus acriter objurgat Contostephanum, mali tanti auctorem, & respondenti audacius pugnos etiam manu sua ingerit; & quid non tam atrox mereretur insania, quæ rem communem, salutemque plurimorum privatæ cupiditati impudenter posthaberet? sed ita tum erant mores, ut æquum, atque a cupiditatibus, & fraudibus alienum gerere animum, pene jam probro verteret.

Unius hominis livore expeditione tam necessaria frustratus Basilius, 986
bello rursus civili, & suorum perduellione involutus, ægre Rempublicam servavit; quod tamen bellum domesticum sexennio, ut minimum ab expeditione priori sejunctum fuerit; ut adeo neque exiştimem, causam belli hujus eam fuisse, quam Cedrenus narrat; infensos nempe Principi fuisse Bardam Phocam, & Proceres, præsertim Orientales, quod iis neglectis, in bellum Bulgaricum profectus esset; idque pro sui contemptu interpretatos Phocam ipsum pro Imperatore acclamasse. Crediderim magis, non, ut sperarant, cupiditati eorum tractandam a Basilio relictam fuisse Rempublicam; aut forte non pro merito opibus, & honoribus expletos; neque quies diuturnior cum feroci, ac levi eorum ingenio congruebat. Utut sit, Charsiani in domo Eustathii Maleini insignia Imperatorum Phocas ille, oppressa Scleri perduellione, celeber sumit, ac bello adversus Imperatorem gerendo facit initium.

Sed vix bellum auspicatus erat Phocas; adest velut ex machina 987
Sclerus captivitate Saracena liberatus, atque assumtis ipse quoque Imperatoriis insignibus, velut si non satis ad perniciem publicæ rei unius foret perduellio, turbis, & metu cuncta permiscet. Varia ille apud Saracenos usus est fortuna; nam primum quidem squallores carceris diu pertulit; dein vero Persis Duce Inargo jugum Saracenum excutere volentibus, cum Saraceni sæpe profligati, resistendo non essent, a Principe Babylonio carcere eductus, atque Christianis captivis præfectus, bellum adversus Persas gerere jussus est. Collectis e captivitate tribus Christianorum millibus, atque ad rem militarem probe institutis in Persas duxit Sclerus, ac a Barbaris novæ apparatu militiæ, & modo pugnandi insolenti perterrefactis victoriam extorsit. Ditato in hunc modum spoliis exercitu, non jam ad Barbaros, quibus operam navarat suam, sed in Orientalis Imperii fines progressus sub idem plane tempus, quo Phocas insanire cæperat, de asserendo sibi rursus Principatu olim arrepto curas intendit.

A) Prius hoc in causa fuisse narrat Cedrenus, alterum Zonaras.

A.C. Posteaquam vero comperit, distractas jam civili bello Orientis vires,
987 diu hæsit anceps; quamnam in partem vela deflecteret, Imperatorem, an Phocam æmulum sequeretur, an utrumque bello appeteret? sed metus erat, ne illi periculo arrecti sancitis inter se fœderibus rursus Sclerum opprimerent. Tale proin comminiscitur consilium: filium Romanum specie transfugæ ad Basilium destinat, curaturum postea res suas, si Phocas deterius haberet; ipse vero ad Phocam, ictis prius cum eo fœderibus, se confert; ei Phocas, si victor Imperium occuparet, pleramque Asiam cum Imperatorio nomine cessurum spoponderat. Verum ut hominem in potestate habuit, Arci Tyropææ inclusum custodiæ mancipavit; ita tunc omnia sursum deorsum fraudibus, atque perjuriis apud Græcos miscebantur.

988 Occupatis in Asia locis plerisque omnibus, Abydum jam tentabat Phocas; ut eo subacto loco in Europam transferret Tyrannidem; Delphinam vero Patricium cum parte copiarum ad occupandam Chrysopolim ex adverso Urbis sitam expedit. Verum huic infortunate cessit obsidium. Basilius acceptis Russorum suppetiis (cujus soror Anna Uladimero horum Principi nupta erat) clam sub noctem fretum transgressus, exercitum illum, sui prorsus securum, internecione delet; Ducem ipsum palo suffigit, partes Phocæ eo facto plurimum conturbat. Tradueto postea ab Urbe rursus exercitu, uterque Imperator Basilius, & Constantinus in expeditionem adversus Phocam ipsum profectus est. Cognito Imperatorum adventu, relicta ad Abydum copiarum parte, pugnaturus cum exercitu accurrit Phocas. Jam explicatæ stabant utrinque acies, concursuræ ut signum datum esset; cum Phocas Basilium ordines obeuntem contuitus, generosum capit consilium opprimendi in Principe ipso adversarium exercitum, unoque ictu bellum omne præcidendi. Singulare itaque, quo valebat plurimum, certamine dimicaturus, tanto cum impetu in Basilium irruit; ut actum de vita Principis omnes existimarent; at enim subita correptus vertigine cæpto abstinet, flexisque habenis in collem proximum refugit; hic ab equo desiliens, humique extensus mortem subitaneam oppetit. Suspicio fuit, admixtum illi fuisse venenum in frigida, quam prælium initurus bibere consueverat, atque eo lethi genere extinctum, cum in ejus corpore nullum esset vulneris vestigium. A) Quamvis jactaverit postea Constantinus Imperatorum alter, manu sua interfectum Phocam; sed cum molli ejus ingenio illustre hoc facinus non congruere notius erat, quod ut cuiquam persuaderet. B) Didito per exercitum perduellem Phocæ occasu, relicta pugna omnes effusam in fugam se dant; quorum alii cæsi, alii victorem secuti; non pauci cum Sclero custodia id temporis elapso alia omnia, quam pacem malebant.

Sclerus quippe oppresso Phoca libertatem nactus, vetus urgere institutum, ac lubricam toties fortunam prensare minime destitit. Eum Imperator per literas hortari cæpit, ne infinitis perturbationibus, atque cædibus rem Christianam objectaret; neve cum tanto patriæ excidio res dubias sequeretur; futurum se omnium, quæ ab eo patrata sint, immemorem, & Curopalatæ, quam ante jam gesserat, dignitate illum ornatum iri. Accepit conditionem Sclerus, non tam crediderim promissis, aut petitionis æquitate illectus, quam quod præ senio rebus jam gerendis non esset, atque cum Basilio in gratiam rediit.

Cedrenus refert C) Sclerum cum ad Basilii castra iter haberet, cæcitate subitanea percussum, aliena duci manu ad Imperatoris conspectum debuisse; alii ferunt, præ senio, & gravitate corporis id accidisse; ut duci debuerit. Addit Zonaras, D) depositis Imperatorum insignibus cæteris, Sclerum per incogitantiam puniceos adhuc calceos retinuisse, nec sustinuisse Basilium cum eo colloqui prius, quam invidiosum hunc ornatum

A) Hæc Cedrenus pag. 545. & sequentibus. B) Zonaras pag. 174. C) Pag. 548.
D) Pag. 175.

tum abjiceret; exinde vero una epulatos rebus rite constitutis pacem A.C.
habuisse. Ita domestica per tot annos sub Basilio perturbatio vicissitu- 988
dinibus tam inexpectatis implexa finem demum accepit.

Neque civilium dehinc bellorum quidquam fuit Basilio; qui servato feliciter Imperio prætumidus, tum primum insolescere cæpit magis, asperrimumque in populos, ac Proceres exhibere se, totisque viribus ad perdomandas vicinas circum Gentes niti. Et asperitatem quidem illius in Gente tam desultoria quis jure improbet? illud reprehensione non caret; quod immodicis populos tributis exhauserit, inducto rursus celebri illo tributi genere Allelengio, quo videlicet cogebantur tributum, quod tenuioribus defuit, aut eorum vice, qui decesserant, ditiores e suo repræsentare; quod ea ætate alienum a recta ratione facinus visum est; ut adeo Præsul ipse Byzantinus sæpe Imperatorem tanquam de re iniquissima commonefaceret, nihilque ejus tributi abolendi causa non ageret; quæ tamen quid sunt, si cum hodiernis apud eam Gentem moribus conferantur? ita nihil tam acerbum, quod longæva dies non mitiget, ferendoque demum levius fiat.

Non diuturnam sibi ab his rebus gestis quietem indulsit Basilius 989
Thessalonicam profectus; partim ut vota Divo Martyri Demetrio exolveret, partim vero ut adversus Bulgaricas grassationes Regionibus iis prospiceret; quibus reprimendis Gregorio Taronita valida cum manu illic relicto rediit Constantinopolim; hinc vero trajecit in Asiam, Iberiam a Davide ejus Regionis Principe testamento sibi relictam occupaturus; quod & præstitit feliciter, sancitis cum fratre Davidis fœderibus; cui partem Regionis utendam, fruendam reliquit. Illinc iter habuit in Phœniciam ulturus Damasci, Tyri, & Tripolis Principes Saracenos; qui inita non ita pridem armorum societate Antiochenum agrum incursaverant, cæso etiam loci illius Præfecto. Quid rerum cum hisce Barbaris, ac bellorum Imperatori fuerit, silent Scriptores; unum illud addunt: coactos fuisse Barbaros illos parere Imperatori, missisque cum eo obsidibus pacem colere; nisi forte sola adventus, & nominis fama ad modestiam Barbaros Imperator composuerit. Reducem illum a bello per Asiam, Eustathius Maleinus de Procerum numero unus, cum universo exercitu hospitio, tantæ homini privato fuerunt opes, liberaliter accepit. Verum hæc liberalitas nemini, quam Eustathio noxia fuit; qui ab Imperatore in Urbem accersitus, & ne illum opes suæ ad prava consilia adigerent, pedem ex ea amplius efferre vetitus est; quin lege lata cavit Basilius, ne privati, quive in Provinciis Magistratus gerebant, possessionibus supra modum crescerent, A) legem profecto egregiam, latam sæpius, sæpiusque desuetudine abolitam, & tametsi silice, aut adamante foret firmior, tamen potentiorum cupiditate perrumpendam.

Nihil dein per consequentes aliquot annos sive foris, sive domi 994
gestum a Basilio apud Scriptores comperio; unum illud meminerunt: Nicolao Chrysobergio, Patriarcha e vivis post duodecim Sacerdotii illius annos decedente, successisse Sissinium; qui dissidium ob quartas nuptias quondam exortum, ac ut erant Græci sententiæ suæ tenacissimi, ad illud tempus perseverans, tum demum sustulerit; quod tamen ab aliis Nicolao tribuitur. Sissinio vero post triennium vita exuto, successisse Sergium ex Photii genere, infelicem prorsus, non tam genere improbi hominis, quam quod cathedram obtineret illius scelere contaminatam.

Samuel interea Bulgarus quietis, si quis alius impatiens, populationibus suis ad bellum provocavit Imperatorem, quod, nisi cum iterato Regni Bulgarici excidio, finem non habuit. Gregorius Taronita tutandis Macedoniæ finibus Præfectus, filium præmiserat Asoten Samuelis itinera exploraturum; huic in insidias præcipitato genitor dum opem ferre vult, cæditur; Samuel in intimam Græciam exercitum, & rapinas trans-

A) Cedrenus pag. 549.

A.C. transfert. Uranius Europæ Dux, objecit ſeſe Samueli ad flumen Sperichium, qui utrumque dirimebat exercitum, forte imbribus tunc auctior, quam ut vado transmitti poſſet. Securus itaque ſui moras trahebat Bulgarorum exercitus; at Uranius, invento clam vado, noctu transgreſſus ſopitos ſomno Bulgaros internecione delet, caſtris, ac præda exuit. Samuelem cum filiis vulneribus debilitatum, ac inter cadavera deliteſcentem nox inſequens a pernicie tutata eſt; quam ille per varias viarum ambages in patriam fugiendo demum vitavit.

996 In hunc ipſe non multo poſtea expeditionem ſuſcepit Baſilius, non paucis in Bulgaria arcibus potitus, ipſoque Dyrrachio proditione Aſotes Taronitæ illius filii. Namque is a Samuele captus, cumque inſano illius amore Samuelis filia correpta eſſet, gener adſcitus, & Dyrrachio Præfectus fuit; qui tamen una cum conjuge Imperatoris partes ſocero, & Bulgaris antetulit. Ordinatis poſtea per Myſiam rebus, ac nonnullis Procerum, quod Bulgaris ſtudere viderentur, adempta earum cura Regionum, quietem egit Baſilius. Inter bellicas vero haſce curas rerum pacis quoque non immemor ſororem Argyri Romani in aula præcipui, Principi Venetiarum (qui tunc Joannes Urſeolus erat) A) Reipublicæ illius ſibi demerendæ nuptum locavit. Fœmina hæc molliſſimi, & exquiſiti luxus, Dei poſtea, & hominum odia promeruit; ut carne ejus putiſcente, vivum cadaver omnes tetro a ſe odore repelleret, miſerrimamque demum mortem infelix oppeteret.

999 Ut cæptam in Bulgaros victoriam ad ſummum perduceret Baſilius, rurſus exercitum Ducibus Theodoricano, & Nicephoro Xiphia eo miſit; hi occupata Periſthlava, & Pliſcoba, reque geſta feliciter regreſſi memorantur. Conſequente vero anno ipſe in expeditionem profectus eſt Baſilius, Berrœam deditione cepit; Serviam vero (arcis id nomen) vi expugnavit capto Nicolitza arcis Præfecto; ac ut virtutem placere ſibi vel in hoſte oſtenderet, Patricii honore ornato. Verum is ad Samuelem Byzantio profugus, cum eodem Serviam iterum oppugnavit; hos adventu tantum ſuo citra prælium in fugam egit Imperator, arcemque præſtitit incolumem; exin per Theſſaliam arces dirutas inſtaurat, alias Bulgaris eripit, inter quas primi nominis Bodena, ſaxo præcipiti impoſita.

1001 Non minus in Aſia ſuos per Duces fortunate rem adverſus Barbaros geſſit Imperator; qui pro more Cæleſyriam, & Antiochiam divexantes, triplici fracti prælio ad quietem ſemet vel inviti compoſuerunt. Porro Baſilius ipſe Bulgaricum perurgebat bellum, capta Urbe Vidina; cui non auſus obviam ſemet ferre Samuel, latrocinando ducebat bellum, adortus Adrianopolim nundinarum celebritate occupatam; plurimisque abreptis mercibus ad ſua refugit. Hunc in reditu prope Urbem Scopiam trans Axium flumen habere caſtra obſervavit Baſilius, ſui omnino ſecurum, quod fluvius ille præter morem tunc tumidus pro vallo Bulgaris fuerat. At enim invento Græci vado flumen ſilentio tranſeunt, attonitosque ſubitaneo adventu Bulgaros, ne quidem tentato prælio in fugam conjiciunt, omnes impedimentis, nec paucos vita exuunt. Imperator poſthæc oppugnato ne quidquam Pernico arce prævalida, neque paucis ſuorum deſideratis, Urbi ſemet victorem reddidit.

1009 Per ea tempora in remotioribus orbis partibus varia erat Græcis fortuna; nam a Barbaris non leve accepit vulnus Religio everſo Domini ſepulchro, deſtructis in Ægypto aſceteriis, virisque Deo devotis indidem depulſis. In Calabria, quæ Græcorum Dominatum faſtidire cæpit, Marte alterno certatum eſt; nam perduelles Duce Melo Barenſi cive primum quidem a copiis Baſilii prope Bitontum ſuperati ſunt; dein vero iidem Barenſes inſtauratis viribus Baſilium Argyrum, & Contoleonem Duces ab Imperatore cum claſſe miſſos illuſtri prælio fuderunt. Nec deſti-

A) Carolus du Freſne in familia Argyrorum.

deſtitere deinceps, Normannis quoque adjuvantibus, Græcos bello laceſ- A.C.
ſere, quoadusque ſex poſt annos Melus ille ab Andronico Tornicio in 1009
Calabriam miſſo binis prœliis ſuperatus, ac rurſus duos poſt annos a Baſilio Bojoanne gravi clade fractus fuga ſibi in Germaniam conſuluiſſet. Quæ in ſumma hoc loco recenſuiſſe juvat, A) cum ejus belli velut domo longe geſti Scriptores noſtri vix meminerint; eaque ex Latinis ævi illius repetenda veniant.

Illud vero admirationem meretur; quod pari præterierint ſilentio bellum ſub initia Imperii Baſilii adverſus Othonem, alterum ejus nominis Imperatorem in eadem Calabria geſtum; cujus multa apud Latinos ejus ævi mentio; & quo illuſtrius vix quidquam Baſilio Imperium obtinente a Græcis patratum invenias. Otho Imperator ſive univerſam Græcis Italiam, quos domeſtica tunc diſſidia dire vexabant, prærepturus, ſive qua neſcio injuria ab iisdem provocatus, Calabriam armatus invaſerat, plurima Germaniæ Nobilitate, Epiſcopisque adeo ipſis Imperatorem ad id bellum ſequentibus. Græci, adſcitis in belli ſocietatem vicinis e Sicilia Saracenis, claſſem prævalidam Imperatori objecerunt; ac denique conſerto navali prælio ingenti victoria potiti ſunt; qua & pleraque Germaniæ Nobilitas concidit, & ipſe Otho, dum elabi nando cladem parat, in nautarum manus delapſus eſt, ab iis non agnitus, a conjuge lytro perſoluto continuo repetitus; tantumque mœrorem ex re improſpere geſta idem Imperator contraxit; ut animo, & corpore langueret diu, eodemque adhuc anno vitam cum morte commutaret. Eo prælio confirmatæ res Græcorum in Italia ſunt; & mirum ſane, tot inter domeſticas, externasque Imperii illius viciſſitudines, in tanto præſertim Italorum odio partem aliquam ejus Regionis Græcanico dominatui adhærere tot per annos potuiſſe; ſed enim firmata longo tempore Imperia, ut arbores annoſæ non facile corruunt, etſi ruinæ proxima videantur.

Imperatori quoque Baſilio plus curæ erat vicina Bulgaria, quam re- 1013
mota Italia; in quam Provinciam nullo pene non anno expeditionem ipſe faciebat Gentis penitus ſubigendæ cupidiſſimus. Samuel cum arma ſibi non procederent, conſilio Imperatoris molimínibus adverſum ſe ferebat. Itaque anguſtias itinerum in Bulgariam ducentium occupat, muris, foſſa, vallo præmunit; easque cum armatis ipſe obſervat. Baſilius cum exercitu ad anguſtias, quibus Chlidium nomen erat, delatus, fruſtra aditum quæſierat, Præfectus Philippopoleos Xiphias, aſſumta militum manu, longas per montium ambages penetrat in Bulgariam, atque e jugis undique in exercitum Samuelis delapſus, ſimul Baſilio rem ex adverſa parte ſtrenue curante, formidinem tantam injicit Bulgaris, ut tentato vix Marte in fugam præcipitarent; at enim locorum difficultate concluſi, parte ſuorum maxima aut capti, aut cæſi diem illum vere funeſtum habuerunt paucis cum Samuele ad tutiora profugientibus. Quindecim Bulgarorum in captivis fuiſſe millia memorantur; hos omnes Baſilius inhumana prorſus crudelitate luminibus orbatos cuivis centuriæ uno monoculo viæ duce relicto ad Samuelem remiſit. Bulgarus viſa tam atroci ſuorum calamitate turbatus animo ſimul, ac corpore concidit; ut aqua, & unguentis revocandus ad ſe fuerit; ſibi vero redditus hauſta frigida cardiagmo correptus eſt, biduoque poſt, mortem pari Græcorum gaudio, & Bulgarorum damno oppetiit. B)

Hanc Imperatoris e victoria inſolentiam ulti non diu poſt fuerunt Bulgari: Theophilactum ille præmiſerat Ducem, aditus Strumpitzam verſus ducentes perrupturum; Bulgari non prohibuere, quo minus ille anguſtias ſuperaret; verum rebus, ut putabat e ſententia confectis, reducem ſuo cum exercitu in vallibus concludunt, atque internecione maximo Imperatoris cum dolore delent. Ita non facile diuturna e crudelitate exiſtit

A) Lupus Protoſpata ad annum 1010. B) Diffuſe de his Cedrenus, & Zonaras; ſtrictim Glycas, & Manaſſes.

A.C. exiſtit lætitia. Non auſus ultro progredi Baſilius, Zagoriam iter deflexit; exinde Melenicum deditione occupavit; incendit Regiam Gabrielis Butelianum (hæres hic Samuelis patris in Regno, & bello hocce Bulgarico fuit,) ac hyemem acturus, Theſſalonicam belli velut in Bulgaros gerendi ſedem profectus eſt.

1014 Reſumptum a Baſilio cum vere bellum eſt: primum arx Bodena victoris impetum non ſuſtinuit deditione occupata, cives aliorſum translati; Regio autem propugnaculis duobus ad anguſtias excitatis communita. Dein Xiphias cum Diogene Duces ab Imperatore miſſi Moglenorum Urbem, quorum Princeps a Bulgaris ſtabat, oppugnare adorti ſunt; ſupervenit eorum labori Baſilius, atque dejectis mœnibus ſupplices in fidem cives accepit; plurimi in captivis e Primoribus, atque adeo ipſe Moglenorum Princeps fuit. Rex Gabriel viſo Baſilium præter Græcanicorum Imperatorum morem labore, fatigiisque bellicis unice oblectari, tantisque ſucceſſibus ad Regnum Bulgaricum penitus evertendum niti, miſſis internunciis pacem orat, & fœdera, futurus e nutu Imperatoris cliens. At Baſilius ſuſpectam cum haberet hominis fidem, nihil ea re motus bellum porro, ut cæperat, ſtrenue perurget. Infelix bello extero Gabriel, domeſtica perfidia longe extitit miſerrimus; a Joanne enim Bladiſthlavo patruele, cujus patrem Aaronem neci olim ſubduxerat, inter venandum occiſus, non ultra annum præfuit. Occupavit extemplo Regnum ingratus ille; utque rebus nondum confirmatis conſuleret, per literas Baſilio ſignificat, occiſo Gabriele Regno potitum ſe Bulgarico, ſi pacem ſibi Imperator indulgeat, futurum illi obnoxium, atque e nutu ejusdem Bulgariæ præfuturum. Eadem erat Principum Bulgaricorum apud Baſilium petitio; aſſenſus poſtulatis diplomate ea ſuper re confecto finem bello impoſuiſſet Imperator, niſi cognoviſſet poſtea, apparatu, & factis alia omnia illum, quam pacem animo agitare. Is enim & Bladimerum hominem frugi, ac Baſilio amicum, Serviæ Principem per fraudem necavit, & Dyrrachium Urbem maxime opportunam armis laceſſere auſus eſt, ut bellicoſam, & prorſus inquietam Bulgaricorum in eo Principum indolem noſceres.

Itaque Baſilium rurſus in armis conſpexit Bulgaria, Achride Principe ejus Regionis Urbe, in qua Bulgarorum erat Regia, potitum. Jamque Dyrrachium verſus promoturus erat exercitum, cum res improviſa id conſilii evertit. Duces geminos Georgium, & Oreſten cum parte copiarum vaſtandæ Pelagoniæ infuderat Imperator; verum illi ab Ibatza Bulgaro circumventi per inſidias, cum ſuis omnibus periere. Regreſſus itaque in Ibatzam duxit Imperator, eoque non invento, petiit Theſſalonicam, illincque Byzantium. Ne tamen inſoleſcerent Bulgari; geminos iis divexandis reliquit exercitus; alterum Duce Xiphia, a quo Arx Bojon expugnata, alterum Davide Arianita, a quo Thermitza ſubitanea impreſſione capta.

1015 Anno ſequente non in Bulgaria modo, verum & in remotiſſimis Imperii finibus res Baſilii proſpere habuerunt. Georgio Chazarorum Principi, quas neſcio ob cauſas, illatum eſt ab Imperatore bellum, claſſe Duce Mongo expedita, quam frater Bladimeri Imperatorii affinis Ruſſicis cum copiis adjutabat. Cæſus primo in prælio Georgius victoriam cum Chazaria Baſilio liquit. In Aſia eodem tempore Senacherimus ſuperioris Mediæ Princeps, quod Saracenis reſiſtendo non eſſet, Provinciam ceſſit Baſilio, acceptis ab eo invicem poſſeſſionibus amplis, Urbibusque, quas inter Sebaſtea, Larina, Abera, aliæque fuerunt. In eam Provinciam primum Baſilius Argyrus, atque cum is rem non ſatis bene geſſiſſet, Nicephorus Comnenus (illuſtre poſtea Byzantii nomen) expeditus, Regionem qua conſilio, qua armis in obſequio Baſilii tenuit.

Non ceſſavit interea Imperator, cui ſudores bellici præ aulico luxu ſemper fuerunt; verum in Bulgariam delatus, Pernicum arcem prævalidam obſe-

obſedit; neque tamen conatibus ſemper reſpondit fortuna; diebus plus A.C.
octoginta ne quidquam in oppugnando contritis, nec paucis ſuorum amiſſis, quiete militem recreaturus Myſinopolim rediit.

Vere ineunte pro more rurſus Bulgariam populari cæperunt Græci, 1016
arcibus haud paucis potiti, ac præda omnis generis. Joannes Bladiſtlavus adſcitis in belli ſocietatem Patzinacis in ditionem Imperatoris irrupturus fuerat, quod ipſum hic verens retro exercitum egerat. Verum deluſus a Patzinacis Joannes, eo conſilio abſtinuit; graſſationes tamen repreſſurus hoſtium obvium ſemet Imperatori ferebat. Præmiſerat Baſilius Ducem Occidentalium Diogenem, hoſtis conſilia exploraturum; ſed cum eum in inſidias præcipitatum audiviſſet, ſimul erepturus periculo, ſimul hoſtem ulturus, primus ipſe concito ad curſum equo in viam ſe dedit, ſubſequi juſſis omnibus, qui ex vero bellatorum nomine gauderent. Maximo animorum ardore itum poſt Imperatorem eſt; hac militum concitatione exploratores Bulgarici cognita feſtini in caſtra ſuorum accurrunt, de adventu Baſilii trepida cum vociferatione edocent, A) quorum ad clamores tanta eſt injecta Bulgaris formido, ut deſertis continuo caſtris effuſam in fugam ruerent; ex iis defunctus periculo Diogenes multos cædit, capitque; apparatu hoſtium univerſo potiuntur Græci, non jam armis, ſed ſola Imperatoris ſui felicitate, & fama, quæ primas in re bellica obtinet, victores.

Reparatis Joannes copiis, ut inquieto erat animo, ad Dyrrachium 1017
divexandum, atque oppugnandum animum appulit. Imperatoris abſentia in rem uſus ſuam; verum hic pro victoria interitum reperit, ſive a loci Præfecto, ſive a quopiam Ducum Græcanicorum (id enim non proditum) prælio ſuperatus, atque occiſus. Cum Joanne cecidit Bulgaricum quoque regnum tot bellis Byzantio hactenus formidatum. Etenim audito Joannis occaſu, accurrit confeſtim cum exercitu in Bulgariam Baſilius jam antea armis fractam ſuis, nunc Regis interitu turbatam, & incertam. Bulgari igitur ſive reſiſtendo jam impares, ſive bellorum, atque excidiorum ſaturi paſſim adjunguntur Baſilio. Adeſt Cracræ Ducis inter eos percelebris filius, & frater deditionem adferentes Pernici, toties nequidquam oppugnatæ arcis; adſunt quinque ſupra triginta arcium Præfecti ultro imperata Baſilii facturi: adſunt Legati Urbium in Bulgaria præcipuarum: adeſt Dragoniſus, Bogdanus, aliique Bulgarici Principes; quos benigne habet Imperator, atque plerosque Patriciatus honore exornat. Ea dignitas, uti & Magiſtrorum militiæ olim ſingularis & paucorum Byzantii erat; at hoc ævo nihil crebrius legas, quam Patricios, ac Magiſtros militiæ; ita Imperio declinante creſcebat tamen ambitio; quodve utinam & hodie non videas, cum plerique eorum rebus ipſis modici eſſent, titulorum prærogativa immane quantum aſſurgebant.

Poſt hæc Imperator Bulgariam pene omnem impune peragrat, Urbibus, atque arcibus certatim ei ſemet dedentibus. Occupat Orinum Urbem Bulgariæ Principem, atque cum ea gazam omnem ejus Gentis Regum; in qua præter Regia magni pretii cimelia, centum auri centenaria inter militem diſtribuenda obvenere. Maria Joannis vidua adfuit, & ipſa compoſitis prius per Archi-Præſulem Bulgaricum cum Imperatore rebus; ſeque cum tribus filiis, & ſex filiabus dedit, ducenda Byzantium, atque honoribus in ea Urbe præcipuis (nam & mulieres titulorum illic ambitio afflaverat) ornanda. B) Tres alii ejusdem filii una cum fratre Joannis vim propulſaturi in juga montium refugerant; verum in iis anguſtiis undique circumſepti cum pro deploratis res Bulgaricas cernerent, victoris clementiæ adjuncti fuere.

A) Szylices, & Cedrenus ajunt exploratores Bulgaricos per caſtra diſcurſantes has ſolum voces præ metu ingeminaſſe: Βεζῖτε, Τζέαρ, quæ non Græcæ, ſed Sclavicæ ſunt; ut ſi dicas: fugite, Cæſar. B) Mulieres Principes Byzantii Zoſtæ dignitate inſigniebantur; quæ pari inter mulieres ordine, ut Patriciatus inter viros fuiſſe videtur.

A.C. Reſtabat Ibatzas Ductor Bulgaricus, qui locorum natura, ſuorumque
1017 fide protectus ſpem ſibi ejus Regni multam fecerat, nequicquam ad quietem a Baſilio invitatus. Hunc Daphnomelii Achridis Præfecti ſingulare facinus, ac perfidia plus quam Græcanica demum perdidit. Diem aſſumptæ Dei Matri Feſtum cum ſuis Ibatzas celebrabat, magno omnis ætatis ad eum locum confluxu; adfuit in his temerarius magis, quam audax Daphnomelius, privatim ut præferebat Ibatzæ amicus, exceptus ab homine albæ mentis, ut hoſpitem ejusmodi decebat, atque in honore habitus. Fine Divinis rebus impoſito, in horti abſtruſum angulum ſevocat Ibatzam Daphnomelius, velut arcana cum eo negotia ſeorſim agitaturus, relictis a tergo geminis ejusdem cum hero temeritatis comitibus; tum dato repente ſigno cum iisdem illis Ibatzam ſolo allidit, exculpit immaniter oculos, patratoque facinore in palatii ſuperiora evadit. Attoniti eo facinore Bulgari ad necem magnis clamoribus perfidos depoſcunt; quos e ſuperiore loco allocutus Daphnomelius ſignificat: Imperatoris juſſu id facinus aggreſſum; neque defore ultorem, ſi ſe populus enecet; paratum equidem perire, minime ejus, quod adierat, periculi ignarum, non periturum tamen ſine cæde plurium; ut cui certum cum ſuis ſit, ad ultimum uſque decertare ſpiritum. Non eloquentia minus, quam manu promptum oſtendit ſe Græcus ille; Bulgari quippe incerta fortunæ in tanta rerum ſuarum mutatione veriti Baſilium denique Principem agnovere. Admiratus hominis in ſe fidem Imperator Præfectura Dyrrachii præmiavit.

1018 Compoſitis poſtea Bulgarorum rebus, ac Duce Xiphia iisdem Præfecto, aſſumptis ſecum Bulgariæ Primoribus vota Divæ Genitrici exoluturus profectionem Athenas Imperator ſuſcepit. In procinctu itineris adfuiſſe narratur Belogradienſium A) an potius Serviæ? Princeps, ſervili habitu Imperatorem reveritus; illud mirum, quod adfuiſſe dicatur cum Collegis ſuis; plurium igitur tunc Dominatus Belgradi, & in Servia fuerit, Provincia illa nondum Ungaris obnoxia; qui hoc tempore ſub Divo Rege Stephano ſacris Chriſtianorum initiati quietiores erant, quam ut bello ſe huic Bulgarico, quod ab iis alias factitatum, miſcerent.

Imperator Athenis redux, triumphantisque more Urbem magnifice ingreſſus, gratiis Deo in æde Sophiæ perſolutis, aulam feliciter tenuit. Non defuit ne tum quidem partibus ſuis Sergius, obteſtatus Imperatorem, ut Allelengyum, quod facturum ſe domita Bulgaria voverat, tandem aboleret. Sed metus religioſum, res proſpera inſolentem fecerit Baſilium, nihil ejusmodi ad animum admittentem. Sergio vita non diu ſuperfuit; cujus poſt viginti Præſulatus annos Euſtathius locum cepit, a Romana concordia pene jam diſtractum.

Perdomita eo modo Bulgaria, Croatarum quoque (quo nomine Boſniæ, & Illyrici magnam partem venire autumo) Gens in obſequia Baſilii commigraſſe memoratur, B) quorum Principes ad Imperatorem ſe contulerint, honoribus, atque opibus ab eodem exculti. Sirmio nobili Provinciæ inhiabat adhuc Græcorum cupiditas; & quod vi non poterant adverſus locum fluminibus protectum, conſuetis ſibi artibus peragunt. Diogenes ejus oræ pro Baſilio Præfectus Sermonem (id nomen Principi Sirmienſi fuerat) ad colloquium invitat, tuta omnia jurejurando pollicitus; tribus tantummodo famulis comitatus uterque in Savi ripa conſiſteret, ibique de rebus graviſſimis inter ſe colloquerentur. Accepit conditionem Sermo; at Diogenes ſingulari perfidia inter colloquendum ferro Principem exanimat, translatisque ſubito in Sirmium copiis attonitæ ad rei atrocitatem viduæ Principis, qua hortatu, qua vero minis perſuadet, ut Provincia Imperatori decedat. Ita tunc Græcorum dominatio ad

A) Ita eum vocat Cedrenus p. 561. ἔνθα κατέλαβεν ὁ τῶν Βελογράδων ἄρχων μετὰ τῶν συναρχόντων αὐτῷ. Crediderim Belgradum, quod Græcis tunc paruerit, cognominatum eſſe Albam Græcam. B) Cedreno p. 561.

ad uſque Ungariam, qua armis, qua fraudibus prolata; quam illi attin- A.C.
gere auſi non ſunt; & virtute militari, & ferventi in Deum religione adverſus quosvis hoſtes egregie tunc, ſi quando alias, obarmatam.

In Italia non par fortuna Græcis fuit: adverſus quos Henricus ipſe duxit Imperator, captaque Troja, quam ii in Apulia ſiniſtri nominis ædificarant Urbem, præliis quoque factus ſuperior ita res eorum infirmavit, ut eæ in Italia tantum non pro deploratis haberentur. Italicum tamen hocce bellum Scriptores noſtri, ne mentione quidem dignantur. A)

Viſum poſt hæc Baſilio eſt, reprimendas Abaſgiæ Principis Georgii 1022
graſſationes; qui fines Imperii contra fœderum rationes divexabat. In hunc ipſe profectus, repentina nonnullorum perduellione Phocæ Nicephori, Bardæ illius filii, & Xiphiæ in diſcrimen adductus eſt, ne a fronte hoſtes, a tergo cives inquieti exercitum concluderent. Turbarum hæc una profertur cauſa: quod Primores illi in expeditionem non fuerint aſſumpti; cauſam ſcilicet ad vertendam patriam, turbasque ciendas æquiſſimam; ſed ſtudium novitatis, & ambitio facile inveniunt, quod ſceleri prætexant. Hæc tamen eorum molitio oppreſſa initio eſt. Quippe Xiphias Baſilii gratiam conciliaturus, literis ab eodem acceptis, Nicephorum dolo interemit, ipſe vero captus, atque aſceterio ſolemni tum pœna damnatus turbare deſtitit. Cæteri, qui ſe tumultuantibus adjunxerant, bonorum mulcta temeritatem luerunt. Cum Abaſgis geminato prælio Imperaror contendit: e primo æquatis viribus, Marteque ancipiti diſceſſum eſt; altero ſuperior fuit Baſilius, Principemque Georgium partæ Regionis mulctatum ad quietem compoſuit.

Poſtremum hoc bellicorum operum Baſilio videtur fuiſſe; neque enim quidpiam hujusmodi amplius adnotatum invenio; præterquam quod Ruſſicus quidam Ductor, ſpecie navandæ Imperatori in bellis operæ, in mare Proponticum cum claſſe ſemet intulerit; dein juſſus arma ponere, bello laceſſiverit Imperatorios, primum victor, mox victus, atque internecione cum ſuis deletus.

Denique Baſilius, ſi quis Orientalium Principum, hic certe militaris, 1025
ac ſtrenuus ne extremum quidem ſenium otio addicere, bellorumque obliviſci voluit; quin majora, & remotiora animo agitabat, profecturus in expeditionem videlicet Siculam cum claſſe; ſive ut inſulam a Saracenis, Normannisque, quorum res multum in Italiæ partibus augeſcebant, ſibi aſſereret, ſive ut Calabriam varie jam diſcerptam vindicaret. Jamque prævalidam Duce Oreſte claſſem eo præmiſerat; cum ecce magnas ejusmodi deſignationes ſubitanea Baſilii mors menſe Decembri disjecit, quæ illi poſt annos Imperii quinquaginta, vitæ vero ſeptuageſimum obvenit. Princeps fuit bello, quam pace melior, literarum, & literatorum oſor, crudus in ſubjectos, in ſupplices immiſericors, auri congerendi ſtudioſiſſimus; B) ut qui ducenta talentum millia præter infinitam argenti, gemmarum, rerumque pretioſarum vim condita habuerit. Paucis mortem Baſilii diebus Euſtathius Patriarcha anteceſſit; cui ab Imperatore in extremis agente ſuffectus eſt Alexius Studiani aſceterii Præſes, cum is ad ægrum inviſiſſet, caputque Sancti Joannis Baptiſtæ opis in morbo cauſa attuliſſet; cæterum verumne illud fuerit Divi caput, merito ambigas; cum eodem tempore plures per Galliam præſertim Eccleſiæ pretioſo hocce theſauro gloriatæ ſint. C) Ita rebus etiam ejusmodi ſacris error quandoque, ſed erranti non obſuturus admiſcetur. Baſilio nulli relicti ſunt liberi; quin ne conjugis quidem illius ulla apud Scriptores memoria; ut cælebs omnino vixiſſe videatur, atque ita totum Marti ſemet conſecraſſe, nihil ut Veneri tribueret.

Conſtantinus fratre elato ſolus per triennium, minus menſe, Imperio præfuit, ſi tamen præfuit; ut qui Republica ſpurciſſimis aulæ ganeonibus,

A) Annales Eccleſiæ ex Leone Oſtienſi l. 2. c. 20. B) Zonaras p. 176. C) Vide Annales Eccleſiæ ad annum 1025.

A.C. & eunuchis credita uti præteritos omnes vitæ annos, ita hos quoque re-
1025 liquos in luxuria, & ſordibus contriverit. Quidquid auguſtum in Imperio fuit, id Nicolao, Euſtathio, Simoni, Nicetæ, atque ejusmodi e famulatu ſuo quiſquiliis, quibuscum in vitiis conſueverat, regendum, an magis lacerandum attribuit; qui cum mente infirma eſſent, & animo peſſimo, Rempublicam ſuperiorum armis Principum illuſtratam, ac late protenſam, turbis, & vexationibus confuderunt.

Quam vero in abjectos ejusmodi homines munificus, tam in Principibus viris divexandis atrox, & ſanguinarius fuit Conſtantinus; quibus virtus ſua non ad laborum ut debebat, præmia, ſed ad calamitates apud lividum, & ignavum Imperatorem valuerunt. In his fuit Conſtantinus Patricius cæſus; quod viventi adhuc Baſilio turpia quædam illius facta indicaſſet. In his Comnenus Nicephorus, qui quod magis eſſet in Saracenos ſtrenuus, quam placeret Conſtantino, ſubornatis, qui perduellionis hominem poſtularent, cæcatus eſt. Eadem fuit Bardæ fortuna e Phocarum genere, falſo læſæ Majeſtatis crimine accuſato. Epiſcopo Urbis Naupacti, quod populus in ſeditione Præfectum ejus loci interemiſſet, oculos eruit; idem fatum ſubiere Corcuas, Bogdanus, Glabas, aliique viri, & genere, & rebus geſtis Principes. Ita luxuriæ, ac crudelitati oppoſitis, ut videri poſſet, vitiis plerumque inter ſe bene convenit.

1027 Duplex Conſtantino hoc imperante fuit bellum; alterum terreſtre in Bulgaria cum Patzinacis: alterum navale cum Saracenis; utrumque ut brevi geſtum, ita brevi memoriæ conſignatum. Ac in in priori quidem Diogenes pugna ſuperior Patzinacas referre trans Iſtrum pedem, atque eo ſe limite continere coegit; in altero inſulæ Chio Præfectus navali prælio ſuperior, captis duodecim hoſtilium navium a conſuetis Barbaros rapinis prohibuit.

1028 Morbis vero & ſenio fractus, de relinquendo ſucceſſore cogitare cepit Conſtantinus: tres illi erant filiæ, quas jam olim ex Helena Alypii viri præpotentis filia genuerat: Eudocia, quæ formæ papularum morbo amiſſæ dolore in aſceterium ſemet abdidit; Zoe, quæ pluribus maritis nupta, quodve luxuriam attinet, patri non degener aulam poſtea, & Urbem turbis confudit; ac demum Theodora, quæ varias fortunæ vices in aula illa, Euripo perſimili, experta diu vitam protraxit. Fluctuabat incertus pater, cuinam e Proceribus alterutram filiarum, unaque Imperium relinqueret. Ac primum in Conſtantinum Dalaſſenum, virum Patricium inclinabat; quem literis quoque ea de cauſa invitarat in Urbem; ſed mox iterum immutata voluntate Romano Argyro, & generis perantiqui, & dignitate illuſtri Imperium cum filiarum altera conſignare decrevit. At obſtabat conjunx, cui etiamnum viventi Argyrus fuit innexus. Verum quid Principis cupiditati, Græcanicis impoſturis adjutæ impervium? ſimulat Conſtantinus, crimine læſæ Majeſtatis accuſatum eſſe Argyrum; atque illi comprehendendo, conjugi autem in monacham attondendæ ſatellites expedit. Conjux Romani oppido perculſa, minime invita capillos ponit, & ornatum profanum; ſeque in aſceterium recondit. Ita Argyro tanquam priore conjugio jam liberato, Cæſarisque dignitate ornato Zoe nuptum datur. A) Poſtrema enim Theodora, in quam ob Zoes ſenium magis propendebat pater, ejusdem Argyri renuebat conjugium. Paulum aliter rem Cedrenus: B) Argyro optionem fuiſſe datam, ut vel oculos amittat, vel ducat Zoen; conjugem Romani ea denunciatione perculſam, ut marito & oculos ſervaret, & daret Imperium, ultro monachali ſemet inſtituto mancipaſſe; illud vero admirere, ne exortam quidem de conjugio iſthoc ob ſuperſtitem alteram conjugem inter Eccleſiaſticos controverſiam; ſed aliam de cognatione, quæ Zoen inter & Argyrum interceſſerit, qua demum ſopita, publicis illi cerimoniis conjuncti ſint.

A) Zonaras p. 180. B) P. 565.

ſint. Ita deflui jam tunc Eccleſiæ illius erant mores; & quid mirum, ſi A.C.
corporis pars tam ampla a vero capite disjuncta ſenſim magis tabeſceret, 1028
atque in errores alios aliis graviores impingeret. Conſtantinus triduum nuptiis ejuſcemodi ſuperfuit, menſe Novembri ſeptuagenarius propemodum ad plures elatus; A) ut mirum ſit, virum tanto natu tam leviter, ac turpiter Imperio præfuiſſe; ſed enim raro eluit ſenium, quod tenerior ætas combibit.

FL. ROMANUS ARGYRUS.



ROmani B) hujuſce initia per quam fuere laudabilia; at exitus principio non ſat reſpondit; certe afflictam Conſtantini ſocordia Rempublicam non parum ejus indulgentia recreavit; nam & tributis modum poſuit; & alieno oppreſſis ære ſubvenit; & viros Principes, quos crudelitas vexarat Conſtantini, qua licebat opibus, & libertate ſolatus eſt; ut nemini non gratiſſimus illius eſſet Principatus. In ordinem quoque Sacerdotum qua ditandum, qua auctoritate amplificandum ejus cura incubuit. Cum noſſet, reditus Eccleſiæ Sophianæ, cujus Procuratorem egerat, pro expenſarum ratione anguſtiores eſſe, octuaginta auri libras e fiſco quot annis eidem largiendas decrevit. Ejus vero Eccleſiæ ſupra omnes auctoritate provehendæ Syncellorum auxit numerum, ternis etiam primarum Urbium Epiſcopis Epheſino, Cyziceno, atque Euchaitarum eum in ordinem adſcitis; crediderim imitatione Romæ veteris, in qua Cardinalium Cœtui vicini quidam Epiſcopi adlecti erant. Olim Syncellus unus tantummodo fuit, velut deſignatus Patriarchæ ſucceſſor; at hoc tempore ne nova Roma veteri quidpiam concederet, plurium ea fuit dignitas. Horum auctoritatem præcipuam inter ſuos fuiſſe, non ſecus, quam nunc ſit Cardinalium, inde intelligas; quod eodem hocce tempore tumultus in æde Sophiæ exortus fuiſſe memoretur, C) non ferentibus Metropolitis, ſuperiore in illa Eccleſia loco ſedere Syncellos; quæ ut compoſita fuerit turbatio, non proditum.

Romanum hunc, etſi cætera ingenio manſuetum, inquieta Procerum 1029
quorundam ambitio ſeveritate uti compulit. Nam Pruſianus militiæ Magiſter affectati reus Imperii conſcia quoque Theodora Zoes ſorore, primum aſceterio clauſus, mox etiam oculis orbatus eſt. Conſtantinus quoque Diogenes ſimile quidpiam cum Theodora contulit; captus propterea, atque turri cuidam incluſus; Theodora vero in Petrium relegata; conſcii haud pauci Nobilium cæſi verberibus, & per ludibrium tracti. Idem ille Diogenes fugam in Illyricum cum eadem Theodora cum molitus eſſet, proditus ex deſperatione ſemet præcipitem e turri egit. Theodoram vero Zoe in Petrium inſulam profecta raſit, & monacham fieri coe-

 git;

A) Manaſſes p. 102. Biennium Imperio Conſtantini tantummodo attribuit. B) Zonaræ Argyropulus dicitur hic Romanus. C) A Cedreno p. 565.

A.C. 1029 git; mulier videlicet, in qua ambitio cum luxuria ex æquo certabant, & quæ minime ſorori invideret cœlum, dum ſibi tutum ab inſidiis, diuturnumque eſſet Imperium.

Bellum deinceps Saracenicum Imperatori curæ fuit, geſtum ſub initia perquam infortunate, non omnino tamen, diſcordia Saracenica rebus Græcorum opitulante, infeliciter terminatum. Spondyles Antiochiæ Præfectus jam Conſtantino imperante a Berrœenſibus Saracenis terra ſuperatus, nunc iterum mari infelix fuit, non modica claſſis parte deperdita. Idem ille Præfectus Muſaraphi cujusdam captivi fraude deluſus, Menicum arcem limitaneam communierat, eidemque conſultori ſuo Saraceno gubernandam dederat; qui Ægyptiis, & Tripolitanis Barbaris clam adſcitis præſidium, arcemque prodidit. Cum itaque major in dies a Barbaris metus percrebreſceret, Imperator ipſe exercitum ſat equidem inauſpicato in eos produxit. Imminentem Græcis cladem vox lamentabilis plures per dies in Thraceſiorum Provincia incertum unde edita, prænunciaſſe viſa eſt. Ut exercitus Imperatorius hoſti appropinquavit, Dux Saracenicus pacem expetiit, quietem deinceps pollicitus, tributumque inſuper annuum; nec defuere e conſilio ſapientiores, qui amplectendam ſuaderent conditionem; quippe Syriam bello æſtate præſertim gerendo incommodam, in locis maxime ſiticuloſis, in quibus morbi, & ſitis hoſtium conatus præ virtute ipſorum militari adjutura ſit. Sed placuit vindicare Barbarorum maleficia. Illi Regionum, reique gerendæ periti ſinere interea exercitum, ut ad interiora ſe penetret, carptim hinc, atque illinc celerrimis procurſionibus eorum cædere manipulos, ac deinceps omnia circum caſtra infeſta habere, ut neque aquatio, nec lignatio Græcis tuta jam eſſet; quibus perfectum rebus, ut morbis, ac ſiti pene emoreretur exercitus. A) Dallaſſenus Patricius cum parte copiarum reprimendis Barbaris emiſſus, verum ab iis in fugam actus ingenti formidine Imperatorem, & caſtra complevit; ut remigrandum omnes, atque altero die Antiochiam verſus proſectionem adornandam decernerent. Die itaque decimo Auguſti cum ſe itineri dediſſent, affunduntur a tergo, a lateribus Barbari; re tam improviſa omnes turbant, atque effuſam in fugam, maximeque difficilem conjiciunt. Multi tumultu obtriti, plures ferro, & laſſitudine perempti, caſtris denique, & impedimentis exutus eſt exercitus; Imperator ipſe in manus veniſſet Barbaricas, ni illum a comitatu aulico deſertum, ac timore pene enectum, ſuorum quispiam equo impoſitum ſubduxiſſet.

Victorem Saracenum ab ulteriori progreſſione, qua Georgii Maniacis Teluchæ Præfecti virtus, qua vero eorum inter ſe diſcordia ſufflamminavit; demum compoſitio cum Berrœenſibus Barbaris inita retraxit. Barbari victoria præferoces, Teluchæ Urbi cum parte copiarum affuſi dedi e veſtigio eam ſibi jubent; quod devictis jam Imperatoriis nihil eſſet ſpei reliquum. Simulat Maniaces deditionem, alteraque luce Urbe cum ſuis exceſſurum. Læti ſucceſſu Barbari, ac hilarius epulati vino ſe ingurgitant. Re animadverſa Maniaces noctu ab Urbe prorumpit, ſemiſomnes, & diſtentos crapula cædit, prædaque omni potitur; dignus, quem laudaret Imperator, atque præmii vice inferioris Mediæ Ducem juberet, maximis rebus geſtis præclara hæc initia olim cumulaturum.

1031 Multum quoque Imperatoriis rebus acceſſionis attulit Tripolitani Ducis Saracenici ab Ægyptio Principe defectio; qui reſiſtendo impar Græcis ſemet in ſuos bellaturus adjunxerat. Miſſus cum magnis in Barbaros copiis Theoctiſtus ſuprema, & Dictatoria quadam cum poteſtate adeo Tusberum Ægyptii Principis Ducem perterruit, ut miſſa belli cogitatione domum continuo remigraret. Menico deinceps impugnando Theoctiſtus dat operam; ad quam arcem non ita pridem Nicetas a Miſtheia Dux Antiochiæ rem infeliciter per ſocordiam geſſerat; quippe perfidus

A) Infelicem hanc expeditionem deſcribunt Cedrenus, & Zonaras.

fidus ille Muſaraphus nocturna eruptione, concrematis hoſtilibus machinis, pedem eos referre coegerat. Hunc errorem correxit Theoctiſtus valentiore admota manu. Muſaraphus deſperatione actus fugit Menico, captus tamen ac cæſus. Menicum una cum arce Argyrocaſtro in victorum manus delapſum eſt. Berrœenſis denique Saracenus Princeps viſo, res barbaricas diſcordia labaſcere, quas tam ſubitis olim auctibus concordia provexerat, miſſo Byzantium filio fœdus rurſum cum Imperatore compoſuit, cum annua tributi, quod jam antea fecerat, penſitatione; ita bellum in Aſia in præſens terminatum. A.C. 1031

At in Sicilia, quo ſub extrema Baſilii tempora Oreſten valida cum claſſe miſſum retulimus, res ceſſit infortunatius: Oreſtes ille quid præliorum hactenus cum Barbaris habuerit, conſignatum ſcriptis non eſt; certe tamen victorem primum fuiſſe, ac Provinciæ parte potitum neceſſe fuerit; ut qui in quintum jam annum illic cum exercitu hæſerit, & hæſerit quidem ſine metu, ſine ſudore bellico; illud enim refertur: milites Oreſtis ex nimia luxuria cœliaco infectos morbo per inertiam tempus exegiſſe, quo Barbari animadverſo, Oreſten clade magna protriverint. A Romano poſtea ad rem in Sicilia reſtituendam alium expeditum fuiſſe permagnum exercitum; quem tamen Oreſtis illius infelicitas, & imperitia inutilem reddiderit. Nec plura de bello iſthoc Siculico; quæ Provincia fertilitate, opibusque ſuis plus ſæpe magnis exercitibus; quam fortitudine nocuit.

Cura bellorum parum ſibi felice depoſita Imperator ad res pacis animum adjecit; in quibus non perinde, ut ſub initia apud Byzantinos, laudem tulit; quin vituperium eadem illa ex cauſa; quæ inviſos illic plurimum faciebat Principes; nam ſumptibus per bella exhauſtus, tributis vexare populos cæpit, atque annorum etiam priorum debita acerbius repoſcere. Rem ſane miſeram, & tamen publico neceſſariam; quæve ſola acerbam Principibus, ac odioſam facere purpuram poſſit. Id vero Romani corradendæ ſtudium pecuniæ hoc erat magis ſubditis inviſum, quod fructus in commune non appareret, ſumptibus in ædem Dei Parentis ſacram, aſceteriaque a fundamentis excitanda profuſis; qua in re moderationis exceſſiſſe limitem a non nemine fertur, A) ut qui monaſteriis de annuo reditu, eoque pinguiſſimo providerit, parum ei vitæ generi accommodo, integras monachorum uſibus Provincias, Urbesque locupletes aſſignando. Sed profecto nom diſperit Reipublicæ, quod viris Deo dicatis, an magis Deo ipſi tribuitur; etſi vix quidpiam tam ſanctum ſit, in quo immoderatione peccari nequeat.

Altam a bellis pacem Barbaricæ rurſus procurſiones turbaverunt: 1032
Patzinacæ trajecto Iſtro Myſiam, Saraceni Meſopotamiam, oras denique Illyrici naves Barbaricæ Corcyram uſque progreſſæ vaſtabant; ac priores quidem citra vindictam prædis collectis refugerunt; poſtremos Raguſani cum Nicephoro Nauplii Præfecto aggreſſi magnam partem deleverunt, reliquos mare Siculum perdidit. Calamitatem ejusmodi excepit peſtis, ac fames Aſiæ Provincias depaſta, ut migrare in Thraciam miſeri cogerentur; quorum inopiæ, qua licebat Imperatoris cura proſpexit. Sed & terræ motus, locuſtarum infinita multitudo, aliaque mala variis etiam oſtentis in cœlo prænunciata, in Romani hujus tempora confluxerunt; quæ tamen neque aliis imperantibus defuerunt; nec deerunt unquam Divinæ quidem juſtitiæ in improbos inſtrumenta, in probos vero amoris futurorum providi argumenta.

Nihil ſuperiore clade deterriti Barbari, cum mille iterum navibus oras 1033
Maritimas infeſtarunt; iterum a Nicephoro male mulctati, ac ad quietem, ſi eam pati potuiſſent, compoſiti; Maniaces quoque Regioni ad Euphratem Præfectus non improſpere rem in Barbaros geſſit. In Edeſſam primi nominis Saraceno ſubjectam Urbem furtim a Præfecto donis corrupto immiſ.

A) A Zonara p. 182. qui & ipſe poſtea monachus fuit.

A.C. immiſſus, tres occuparat turres, univerſam Urbem, cum copiæ affluxiſ-
1033 ſent majores, in poteſtatem accepturus. Accurrit ſubito Martyropoleos Dux Saracenus cum exercitu, & Maniace; ſed incaſſum oppugnato, Urbe direpta, & incenſa abſceſſit. Maniaces majoribus acceptis copiis expugnavit arcem in medio ſitam, & Urbem Imperatori adjunxit; a quo literæ quoque, quas humani generis Salvator Abgaro Principi Edeſſeno ſcripſerit, per eam occaſionem Byzantium transmiſſæ memorantur. A)

Ut vero graſſantibus mari Barbaris vicem remetiretur Romanus, claſſem Duce Tecnea navigare, atque oras Barbaricas infeſtare juſſit; quæ ad Alexandriam quoque ipſam delata, multa ſimiliter populatione, raptisque prædis Barbaros egregie ulta eſt. Sed non perinde ad Babylonem cum Barbaris res habuit: Alimus Saracenus arcem Percrinam Imperatori prodiderat, ſpe ductus præmiorum, Patriciatusque Byzantii obtinendi; ei fini filium in Urbem allegarat ſuum. Verum Alimi filius non ut ſperabat, pro dignitate acceptus, Imperatore jam ex morbo langueſcente, ita parentem in Græcos commovit, ut cum vicinis Perſis de arce recuperanda ageret. Copiis itaque contractis ignavia Præfecti Nicolai, & fraude iterum arcem occupat, præſidiumque, quod intus erat, ſex millium interficit. Ulciſcendæ perfidiæ magnus Byzantio miſſus eſt exercitus, Duce Niceta Pegonite, qua ex Græcis, qua vero ex Ruſſis, quibus inter ſe bene jam tum conveniebat; hic & arcem obſidione cinctam redegit in poteſtatem; & perfidos, ac proditores Alimum cum filio illata nece ultus eſt.

1034 Inter hæc tabeſcebat ſenſim Romanus lento quodam ex veneno ſibi per Zoen conjugem propinato; quæ virum averſata ſenem ac frigidum; etſi ipſa quoque ætate jam gandior, B) ac ſoboli gignendæ inepta in Michaelem quendam Paphlagonem a patria cognominatum oculos conjecerat; quin etiam ſtupri cum eodem occultam habuiſſe conſuetudinem fertur. Erat hic Michael ex infimo hominum genere, cujus frater Joannes ſpado privati adhuc Romani in famulatu vixerat, ac circulatoriam olim cum fratribus Conſtantino, & Georgio artem exercuerat, cum Michael, aliusque adhuc frater Nicetas argentariam facerent. Romano in Imperium provecto magna erat Joannis in aula auctoritas, & gratia, quod ingenio ſolertiſſimus gnaviter res Imperatoris curaret, atque per eum fratres in aulam adducti, ac brevi in intimis habiti fuerunt. Præ aliis Michael forma venuſtiſſimus, ætate vivida, amores Imperatricis rapuerat; quod cum certis indiciis Romano ſuboluiſſet, jurejurando obſtrinxit hominem, ſibi ut arcanam cum Imperatrice conſuetudinem aperiret. Nihil pronius adultero fuit, quam pejerando ſcelus obtegere. In perjurii autem hujus pœnam diro quodam morbi genere divexatum ferunt Michaelem; ut ſtrideret abjectus in terram miſerabiliter, ac ſpumaret; ſeu morbus hic ſonticus fuerit, ſeu a malo (ut Scriptores innuunt) Genio interdum agitatus; certe hoc morbi genere omnem Romano de ſe ſuſpicionem facile depulit; quid enim hominem nihili, & abnormem Imperatrix deperiret? interea idem Michael differri mortem Romani, & meditatum cum Zoe conjugium haud ferens, cum nefaria ſociorum manu nec Zoe inſcia, Imperatorem lavatum cum abiiſſet, depreſſo in aquam capite undecimo Aprilis die præfocavit. C) Extincto conjuge Imperatrix Imperialibus exornatum inſignibus Patricidam in Throno collocat, ac perurgente præſertim Joanne Michaelis fratre, quod mora omnis periculo non vacaret, Imperatorem ab aula eodem adhuc die ſalutari jubet; demum vocato Patriarcha ſacris connubialibus eidem adjungi flagitat. Hæſit aliquantiſper ad flagitioſam hanc petitionem Præſul; at cum illi Zoe quinquaginta auri libras, totidemque Clero pollicita eſſet, utilitatem ſuam ſupra

A) Zonaras p. 182. B) Manaſſes juvenculam fuiſſe, & ideo libidinum flammis obnoxiam narrat; Zonaras quinquagenariam. C) Cedrenus p. 374. a Michaele, & ſociis ſuffocatum Romanum dicit. At Zonaras ejus diſſimulato nomine, a malis quibusdam id patratum affirmat.

ſupra decus, & æquitatem habuit. Sed & Urbs univerſa, ſive neſcio, A.C.
quas ſibi de Michaele ſpes fecerit, ſeu hæredem Imperii Zoen reverita, 1034
ſive direptionem, turbasque præter morem tunc exoſa, nihil adverſus Michaelem molita eſt; itaque pro Domino habere cæpit hominem, & ex infima ſorte, & artibus peſſimis in eo apice collocatum. Porro Romanus in Imperio exegit annos quinque cum ſex menſibus, nulla poſt ſe e duabus conjugibus relicta ſobole, quarum cum altera non ſatis probus, cum altera extitit infeliciſſimus.

FL. MICHAEL PAPHLAGO.



Michael hic umbra fuit Imperatoria magis, quam Imperator; tum quod moderando impar, aliis res tractandas ſineret; tum quod morbo jam memorato peſſime vexatus, parietibus vitam occuleret; quem tamen & in egenos miſericordem, & in populos benignum, & affabilem adverſus omnes fuiſſe, inſuperque admiſſum facinus acerbo per omnem vitam dolore, bonisque ſtudiis expiaſſe eſt proditum. A) Principio Imperatrix rerum procurationi inhiabat, adſcitis ſuarum partium hominibus, quibuscum acturam ſe pro arbitratu cuncta, & Michaele mancipii inſtar uſuram ſperaverat; verum res aliter cecidit: Joannes quippe Michaelis frater verſuto vir animo, translata in ſe ſenſim rerum adminiſtratione, quique Zoe ſtuduerant, ab aula ſubmotis, ita brevi Imperatricem circumſcripſit, ut illa captivæ, quam Dominæ eſſet ſimilior; ut cui ne aula quidem pedem efferre, nec lavatum ire, nec conſuetis frui oblectationibus Joannis ingratiis pronum eſſet. Quæ quidem ſuperbam, atque luxurioſam mulierem urebant plurimum; at fruſtra: quod Joannis providentia omnes illius captivitatis defugiendæ vias antecepiſſet. Sed neque Michaele illo frui pro ingenio Zoe poterat; vel ob morbi, quo is agitabatur, intemperiem; vel quod eidem per ſacram Exomologeſim animum expianti a Sacerdotibus conſuetudo Zoes vetita eſſet. B) Ita Imperatricem conjugis novi, ut non longa eſt e ſcelere lætitia, brevi tædere cæpit. Nunc, quæ iſthoc Michaele rerum potiente, Orientali Imperio evenerint, brevi recenſenda.

Rebus eo quem retulimus modo conſtitutis, Joannes in id omni ſtudio incubuit, ut Proceres qua promiſſis, qua vero beneficiis ſuos faceret, atque Imperium fratri, an magis ſibi ſtabiliret. Et habuit e nutu ſuo omnes, præter unum Conſtantinum Dalaſſenum, auctoritatis permagnæ virum; cui in Aſia degenti præſens rerum mutatio nequaquam arridebat. Hunc, ne qua ſeditio exardeſceret, modis omnibus placare ſategit Joannes, ampliſſimos pollicitus Magiſtratus; utque fides conſtaret promiſſis, ſanctiſſimis ſemet juramentis Imperator obligabat; quin in fidei

 pignus

A) A Manaſſe p. 102. Zonaras quoque laudat Michaelem, ab expiata bonis ſtudiis crimina; ſed Cedrenus accuſat; quod obſtinatus in conjugio Zoes perſtiterit. B) Prius in cauſa fuiſſe Cedrenus ait; alterum Zonaras.

A.C. pignus ſacram quoque Domini Crucem, aliaque ejusmodi cimelia ad Da-
1034 laſſenum miſiſſe memoratur. His ille fretus Byzantium venit, acceptus ſummo cum honore; at ſuſpectus tamen, & neque auctoritate ſua, neque jurisjurandi religione contra homines de nihilo ad ſumma progreſſos, invidiaque, & aliis vitiis laborantes ſatis obvallatus. Enimvero Nicetas, Imperatoris frater non ita multo poſt Antiochiam ei Provinciæ præfuturus cum abiiſſet, neque a civibus ob cædem cuidam tributorum exactori illatam admiſſus eſſet, niſi promiſſa prius civibus facti impunitate, adjecto etiam juramento, quod tamen ſusque deque ab eo habitum eſt, & civium plurimi acerbe interfecti, ille inquam Nicetas fraudem ad Dalaſſeni perniciem commentus ſignificavit Imperatori: non cædis patratæ cauſa excluſum ſe ab Antiochenis, ſed quod Dalaſſeni partibus ſtuderet civitas, arcanaque cum eodem conſilia haberet. Ita Dalaſſenus in exilium deportatus primum eſt; poſtea turri cuidam incluſus; pluribus quoque aliis factum hoc Principis, & perjurium improbantibus fortuna eadem fuit.

Porro Romani mortem, & aulæ ſcelera multis publicis calamitatibus Divinitus vindicata eſſe Scriptores innuunt. Nam & oſtenta non pauca in cœlo viſa terrorem ingerebant; & grandinum vis magna ſtragem ſatis & arboribus late intulit; & locuſtarum pluribus annis maxima multitudo labores agreſtium depaſta eſt; terra quoque inſolitis agitabatur motibus; adhæc fames, morbique urgebant miſeros, nec ſceleribus tantum ſuis, ſed præcipue Principum ſuorum, qui raro ſibimet duntaxat noxii ſunt, infelices. Accedebat ad malorum cumulum tum Joannis, tum aliorum Imperatoris fratrum immenſa rapacitas; quorum libidini nihil erat impervium; venalia illis erant Reipublicæ munia, ſordidaque pecuniarum a populis extorquendarum ratio; ita hirudines iſtæ, quod reliquum a calamitatibus fuit, exugebant omne; atque Imperium, quod priorum ſolertia Imperatorum erigere, atque late diffundere cæperat, rurſus improbitate ſua depreſſerunt.

1035 Neque enim vel pauca, vel levia Michaele iſthoc imperante fuere bella; quæ partim avaritia Joannes concitavit; partim ſuſpicax ambitio corrupit, partim vero mens aulæ negotiis intenta neglexit. Patzinacæ Iſtrum transgreſſi impune vaſtarunt Thraciam; Abaſgiæ Princeps loca quædam armatus occupavit; Saraceni denique Myra Urbe potiti ſunt; quam deſertam inſtauravit rurſus Joannes, a morbo quodam ope Divi Nicolai ejus Urbis Patroni curatus. Ad Cycladas tamen prædatoria Barbarorum claſſis, captis eorum non paucis, ſemel, atque iterum ſuperata fertur.

1037 Majus, ac diuturnius in Sicilia bellum extitit; initio Græcis fauſtiſſimum, dein vero invidia, & ſuſpicionibus ut omnia corruptum. Præerant Siciliæ fratres Saraceni, Apolaphares, & Apocapſus inter ſe diſcordes; atque de aſſerendo Principatu animis, & armis diviſi. Apolaphares ad auxilia Imperatoris refugit, acceptus perlubenter, ac Magiſtri militiæ honore ornatus. Apocapſus Umerum Carthaginis Principem ſubſidio accerſiit, ita magno, & difficili bello Sicilia confuſa eſt. Leo Opus Longobardiæ, vel mage Calabriæ pro Michaele Præfectus (nondum enim id temporis Græci penitus Italia exciderant) accurrit cum exercitu in Siciliam, ſuſtentaturus tantiſper Apolapharis per Umerum victi res, dum Maniaces cum majore exercitu, & apparatu ex Oriente adforet. Geſſit Leo bellum fortiter victo non ſemel Barbaro; verum animadverſa fratrum inter ſe colluſione, ne perniciem a Gente vaferrima acciperet, in Calabriam quindecim Chriſtianorum millibus e barbara ſervitute eductis rediit. A)

Adfuit anno ab hac re geſta altero Maniaces; qui quidem opem laturus Apolaphari veniebat; at deceptus, in fratres jam concordes, atque exer-

A) Cedrenus pag. 571.

exercitu Carthaginenſium millium quinquaginta adjutos bellum movet. A.C.
Commiſſis ad Rhemata (loco id nomen fuit) aciebus, ingens Barbarorum 1037
edita eſt ſtrages; ut ſanguine profluentes redundarent, atque Urbes tredecim in victoris poteſtatem brevi concederent. Quin Sicilia omni intra unius, & alterius anni decurſum potitus eſt Maniaces. Adfuit poſt biennium cum majoribus multo copiis Princeps Carthaginenſium, poſſeſſione Siciliæ Chriſtianos dejecturus. Rurſus itaque Maniaces in planitie, cui Dragina nomen, pedem cum Barbaro contulit; admonuerat Stephanum affinem Imperatorium, claſſi tunc Præfectum, obſervaret diligenter mare, ne Dux Carthaginenſis effugere ab inſula poſſet. Poſt acerrimam dimicationem victi iterum fuere Barbari, eorumque millia omnino quinquaginta deleta. Verum Princeps Saracenicus, cujus capiendi deſiderio cumprimis æſtuabat Maniaces, fugam navi invenit. Ea res inſolentem victoria Ducis animum ita conturbavit, ut Stephanum & verbis, & verberibus male improvidus acceperit. Non concoxit contumeliam hanc Stephanus: criminatur in aula Maniacen, atque Tyrannidis affectatæ inſimulat. Fidem ejus accuſatio hoc facilius invenit, quo major erat apud homines nihili a virtute tanti Ducis metus. Detrahitur igitur Sicilia Maniaces, vinctusque in Urbem ducitur, Stephano exercitus, & Provincia mandatur; at hujus Siciliam ignavia brevi perdidit.

Barbari expugnatis, quas Maniaces communierat arcibus, Stephano in Calabriam pulſo, iterum ſibi inſulam aſſeruerunt, præter unam Meſſanam; quam Dux Catacalo pauca cum manu, ſed præclare defenſabat. Affuderant loco exercitum Saraceni, velut per quietem in tanta rerum Græcanicarum deſperatione occupaturi. Sui ut ſecuriores redderet Barbaros Catacalo, continebat militem, & ſpeciem Urbis brevi caſuræ præbebat. Idcirco commeſſationibus, & crapulæ Barbari indulgere, pro ludo eam militiam, non labore æſtimare, ac die quodam largius per caſtra pranſi genio hilariter litare; quo animadverſo Catacalo ſuos ad ſtrenue agendum hortatur, ac Sacroſanctis Myſteriis communiri per Sacerdotes jubet; tum portis effuſus in Barbaros vino graves vi tanta invehitur, ut & Apolapharum neci daret, & turbatis late caſtris in effuſam omnes fugam ageret. Caſtra a victoribus direpta ſunt; in quibus ea fertur unionum, gemmarum, aurique reperta copia, ut modiis eam milites inter ſe partirentur. Ne tum igitur ingenium, ac virtus ad rem gerendam Græcis defuit, ni liivor, & ambitio præclara omnia corrupiſſent.

Per eosdem hos annos A) male Thracia a Patzinacis, Gente Dacica habita eſt, pluribus in eam procurſionibus ſævitum; quin Ductores etiam quidam ab iis intercepti. Interea his ad ſua cum præda refugientibus, melior ab aliis partibus fortuna affulſit; nam & Servia, quæ Romano imperante jugum excuſſerat, regreſſa ad obſequium eſt, etſi quo id pacto perfectum, non prodatur; & cum Ægyptii Principis Saraceni vidua Chriſtiana pax in triginta annos ſancita; & Meſopotamenos Barbaros ab Edeſſæ Urbis obſidione adventus Conſtantini Antiochiæ Ducis depulit. Cæterum regnante Michaele calamitas una aliam velut ordine excipiebat; grando nimirum inuſitata, ficcitas, fames, morbi, & quod caput erat malorum, Joannis, & fratrum nequitia; qui omnia ambitione, ſuſpicionibus, & invidia miſcebant. Illum Zoe venenato poculo ſufferre e medio conata, corrupto etiam Medico fruſtra fuit; detecta enim, vigilantiorem in ſe obſervanda, atque a publicis negotiis arcenda Joannem reddidit.

Edeſſam anno inſequente nihilo felicius per fraudem occupare tentarunt Barbari: duodecim eorum Primores cum quingentis equitibus, totidemque camelis arcas ferentibus ad Imperatorem cum muneribus proficiſci ſe ſimulaverant; at in arcis bis mille condiderant armatos, occupa-

A) Hæc pluribus licet annis geſta, ſummatim hic recenſemus, ob Scriptorum noſtrorum in annotanda annorum ſerie indiligentiam,

A.C. turi Urbem, & arcem, cum ſe bona occaſio præberet. At vero indicio cujuspiam, muſſantes in arca audientis, proditi, ad unum omnes periere.

1038 Inter hæc Imperator Michael relicta aula Theſſalonicæ ut plurimum diverſabatur; atque ope D. Martyris Demetrii morbo levamen ſuo, ſed incaſſum quærebat. Ajunt, eum auri quoque permultum monachis, & egentibus eum in finem elargitum; auri videlicet, quod Joannes ejus frater miris, atque inauditis modis a plebe extorquebat; quod quid erat aliud, quam altera manu ſtipem porrigere, altera rapere. Ad eum Theſſalonicæ degentem decem auri centenaria miſerat Joannes; verum nave ventis quaſſata, atque littoribus Illyricis impacta, aurum Stephanus Serviæ Princeps eripuit; ad hoc repetendum exercitus Duce Georgio Probata expeditus, inter montium anguſtias a Serviis fertur oppreſſus.

1039 Bulgari quoque ejusdem Joannis rapacitate ad rebellionem fuere conciti. Gente illa Imperio adjuncta lene, & moderatum tributi genus in frumento, ac vino repræſentandum, quod ſuis quoque illi factitabant Regibus, victor olim Baſilius impoſuerat. Amplius aliquid ut corraderet Joannes, in ære parato pendi illud voluerat; qua re concitata Gens nunquam æquo in Græcos animo ad rebellionem ſpectavit; & re ipſa Duce quodam Deleano vili homine, ſed Regum Bulgaricorum ſanguine ortum ſemet mentiente, arma corripiunt, eundem Deleanum Regni inſignibus exornant, in Græcos, quosquos apprehenderant, furorem undique effundunt. Ad præfocanda perduellionis initia Baſilius Dyrrachii Præfectus accurrit cum exercitu; ſed a Tribuno quopiam Tyrannidis meditatæ accuſatus, atque ab exercitu Imperatoris juſſu detractus, conatu ſuo excidit. Tribunus ille delator, homo crudis moribus, ferociùs cum militem habet, ab eodem in ſeditionem verſo caſtris pellitur, omnisque ille exercitus patrati metu facinoris Bulgaris tumultuantibus adjungitur, Teuchomero quodam Duce ſibi, atque adeo Rege Bulgariæ conſtituto. Verum Deleanus æmulum non ferens, concitato populi tumultu, Theuchomerum lapidibus petitum non diu poſtea e vivis exturbavit, contractisque undelibet magnis copiis ad inferendum Græciæ bellum pro viribus incubuit. Imperator hiſce auditis tumultuario itinere Theſſalonica Byzantium abſcedit, ſupellectili etiam aulica Ibatzæ cujusdam perfidia amiſſa; Deleanus interea per Duces ſuos capit Dyrrachium, Thebanos profligat, Nicopolitanam Provinciam avaritia Græcorum irritatam partibus ſuis adjungit.

Seditione hac perſtrepente Bulgarica in Urbe quoque turbatum eſt: in caput Michaelis conjurationem Primorum quidam procuderant, at male conſarcinatam; quæ in aula prodita, auctores ſuos Gregorium Taronitam Patricium, Michaelem Cerularium, Gabram, aliosque complures exitio involvit; quorum alii exilio, alii cæcitate mulctati. Cauſa commotæ ſeditionis non profertur; certe tamen portenti inſtar fuiſſet, ſi in Michaelem e nihilo ad ſolium perductum, & Joannem omnia pro lubitu miſcentem nulla eſſet inita a Græcis conjuratio; a qua optimi Principum, & nobiliſſimi immunes non fuerunt.

1040 Bulgarorum porro rebellionem confirmavit primum Aluſiani e Regio Bulgarico ſanguine orti ad ſuos defectio, ſed eandem non diu poſt debilitavit, atque etiam evertit. Is gravi a Joanne in Urbe vexatus injuria, clam ad Bulgaros profugit; agnitus ab iisdem, atque una cum Deleano rebus præeſſe juſſus. Verum a Collega ſuo ad oppugnandam Theſſalonicam cum quadraginta Bulgarorum millibus expeditus Aluſianus, homines, & Superos cæptis ſuis adverſarios reperit. Diebus aliquot in oppugnatione Urbis impenſis cives, ut in ſumma rerum deſperatione a Divo Martyre ſuo Demetrio opem popoſcerunt, nocte pervigili ad tumulum ejus traducta, dein vero pleni fiduciæ reſeratis portis in hoſtem nihil tale expectantem irruerunt. Sive virtute illorum militari, ſeu magis ope S. Martyris, quem aciei Theſſalonicenſium fuiſſe Ducem, atque ignes

ignes in obſtantes diffundentem Bulgari vidiſſe retulerunt, magna clade repulſi ſunt hoſtes, quindecim eorum millibus interfectis. A) Acciſis hoc modo Bulgarorum rebus Imperator ipſe, tametſi æger corpore, ac ad conſuetum animi morbum hydrope vexatus, cum exercitu in Bulgaros ab Urbe profectus eſt; nequicquam Proceribus profectionem ejusmodi diſuadentibus. Nec morbus impedimento fuit, quo minus bello ſtrenuam is daret operam. At enim res Bulgaricas Aluſiani cum Deleano diſſenſio peſſumdedit; alter enim alterum ſuſpectum cum haberet, Aluſianus exceptum convivio, & crapula obrutum Deleanum cæcavit; & ad Imperatorem priſtinas opes, dignitatesque conſecutus refugit. Confuſis ita Bulgaricis rebus ſupervenit Imperator, perruptisque montium anguſtiis, ac qui obſtabant diſſipatis, Bulgaria rurſus omni potitus, cum gloria Byzantium revenit. A.C. 1040

Hic vero deſperata jam valetudine, atque criminum quoque conſcientia animum diſcruciante, ſerio denique ſatisfacere Numini decrevit Michael; itaque ſubito, inſciente etiam conjuge, & aula, ad aſceterium antea a ſe conditum, quod Anargyrorum dicebatur, delatus, abjecto Imperiali ornatu, in monachum attonſus eſt; ubi eluendis per lachrymas vitæ noxis, piisque exercitationibus animum intendit, ne conjuge quidem, quæ ad rei famam accurrerat, in conſpectum admiſſa. B) At vero mutationi huic tam inopinatæ non ſupervixit diu; quem & pie diem ſuum clauſiſſe, & Imperii adminiſtrati tempore dignam Chriſtiano vitam duxiſſe Scriptores teſtantur; quin non defuere, qui omne illud facinus in Imperatorem Romanum olim patratum, Joanni ejus fratri, non Michaeli tribuerent; eumque hujus expertem culpæ vellent. Sed morum crediderim ſubſecuta mutatio, atque in monaſticum ordinem liberalitas reſtinxerint vetera in illum odia, hancque opinionem ingeneraverint. Vivere deſiit nulla ſobole die decimo Decembris poſt annos imperii ſeptem, atque octo menſes, abjecto, quam arrepto Principatu felicior. 1041

Morte Michaëlis ad conjugem Zoen hæreditate rurſus devolvi viſum eſt Imperium; quod tamen ne a familia Michaelis divelleretur, jam quondam ſolicita Joannis rebus ſuis male metuentis ambitio proviserat. Is enim cum Michaele aliquot ante annos apud Zoen nihil eorum poſtulatis negare auſam perfecerat, uti alium Michaelem cognomento Calaphatam, ex Maria Imperatoris ſorore genitum, atque filium Stephani illius, qui rem in Sicilia perdiderat, adoptaret in ſuum; quod illa ſolemnibus quibusdam cerimoniis in æde Blachernenſi, ulnis Michaelem illum complexa, populo, & Proceribus rem comprobantibus perfectum dederat, atque Imperator nepotem hunc ſuum Cæſarem pronunciarat; verum animo neſcio, quam ob rem alienato, aula quoque eidem poſtea interdixerat. C) Imperatore fatis concedente, nihil non egit Joannes, quo Michaelem hunc ſuum in ſolio collocaret; agendo, hortando, preces ſuppliciter fundendo, juramentis denique horrendis ſemet obligando, perfecere demum apud Zoen, ut Michaelem corona ſolemni pro more cinctum Imperatorem ex Cæſare non invito populo juberet.

A) Zonaras p. 189. B) Zonaras p. 190. Idem hic Zonaras ſeptem tantum annos ejus Imperio attribuit. C) Diſſentiunt in his narrationibus inter ſe Zonaras, & Cedrenus: hic enim auctor eſt, Joannem ſtatim a Zoe relegatum eſſe, poſt tridui vero conſultationem Michaelem hunc ab ea in filium adoptatum fuiſſe, & coronatum.

FL. MICHAEL CALAPHATES.



A. C. 1041 BRreve quatuor menſium, & dierum aliquot Imperium ſingulari ſua ignavia, vafritie, atque ingrati animi labe dedecoravit Calaphates. Primum largitione populum, Primores honoribus demeretur, Conſtantinum Michaelis prioris fratrem ab exilio revocatum Nobiliſſimi titulo donat; neve Joannes omnia pro nutu ageret, eundem aula, & dignitate dejicit; quamquam Cedrenus non a Michaele, ſed ab Imperatrice ſimul, ac maritus ejus vixerat, pulſum referat. Idem Cedrenus auctor eſt: in alios quoque cognatos ſuos crudelem ſupra modum fuiſſe Calaphatem; ut qui viros ætate maturos, conjugio inſuper nexos ſpadones effecerit, crediderim, ne Imperii ſpem haberent occupandi; ita hominem viliſſimo ortum genere, ut fere uſuvenit, imperandi libido inceſſerat; verum hæc eadem longius improvide progreſſum, brevi in infelicitatem omnium maximam demerſit.

1042 Unam ſi Zoen ab aula amoveret, exiſtimabat fortunatiſſimum ſibi fore Regnum; atque pleno jam jure conſtabilitum. Ad hoc faciendum, qua Joannis in exilio degentis literis, qua vero Conſtantini hortatibus in dies perurgebatur; non fidendum dictitantibus ingenio mulieris, ambitione juxta & luxuria laborantis, ac prioribus conjugiis parum uſæ feliciter. At enim res ancipitis plena erat periculi; ſi homo nihili in filium adſcitus, creatusque Imperator, ac jurejurando obligatus, in matrem, Dominam, hæredemque Imperii adverſi quid patraret. Vicit tamen inconſultam mentem cupiditas. Exploraturus populi in ſe benevolentiam, ad ædem Apoſtolorum ſupplicationem indicit; quo ipſe Regio cum ornatu, ac ſplendide progreſſus, in ſe oculos, ac ſtudia Urbis commovit; ut enim animo erant volubili, vias, ac ædes aurata, & pretioſa ſupellectili contegendo, fauſtis acclamationibus euntem proſequendo, ingenti gaudio Imperatorem compleverant exiſtimantem, res ſuas in vado jam eſſe, tutoque quidvis in Zoen decreturum.

Sed ventis & mari, quam populo illi fidem tutius habuiſſet. Eodem die Patriarcham Alexium, ne obturbaret, credo, Præſulatu dejectum, in aſceterium relegat; nocte conſequente Imperatricem ab aula in Principum inſulam transferri, atque in monacham tonderi jubet; altero mane decretum ſuper ea re ſuum populo e ſuperiore loco prælegi imperat. Ejus tenor fuit: Zoen vitæ inſidiatam ſuæ aula a ſe depulſam, jamque monacham pro Imperatrice effectam; ſi populus fidem ſibi datam ſervet, benevolentia uſurum maxima, atque florentem imperante ſe ſtatum publicæ rei futurum. Cum ea prælegerentur, incerta cujusdam vox Imperium Calaphatæ deteſtantis ſubito extitit; commoveri undique rei indignitate populus, Imperatoriæ familiæ, ac Zoe hæredi injuriam factam quiritari; demum interitum Calaphatæ intentare, ac ſaxis, ſudibus, ferro, ut quemque ſors armaverat, raptis, ſubitaneæ in morem procellæ aulam verſus adproperare. Tantam a ſe tempeſtatem commotam cum videret

deret Calaphates, pene animo præ timore linquebatur; confirmatus Conſtantini, militumque quorundam vocibus, ad defenſionem ſeſe accingit, aulam manu armata communit, ac populum, ſed fruſtra e ſuperiore loco alloquitur, immenſo jam hominis odio exæſtuantem. A) A. C. 1042

Interea Patriarcha Alexius ad D. Sophiæ redux præcipuis Senatorum eo collectis Theodoram, Zoes ſororem dudum in aſceterio deliteſcentem, adduci eo curat, & Auguſtam proclamari, communiter cum Zoe Imperio præfuturam. Michael quoque reduci confeſtim in aulam Zoen juſſit, B) eandemque ſeditionis comprimendæ de ſuperiore loco viſendam populo præbet; verum ille commiſeratione motus, amplius etiam efferbuit. Igitur cum ſpes placandi non eſſet populi, viri militares, qui defendendum ſibi ſumpſerant Imperatorem, eruptione facta magnam multitudinis vim ferro hauriunt, prælium ad ſeram noctem extrahunt, tria hominum millia enecant, neque tamen repreſſa furentium audacia. Quod cum cerneret Calaphates, de re ſumma deſperans, abjectis Imperii inſignibus cum Conſtantino ſemet aula proripit, atque navicula vectus in Studiani monaſterio monachi habitum induit, vitam conſervaturus ad minus, cum Imperium jam non liceret. Sed neque hanc ei furor irritati cæde ſua populi integram indulſit. Qui enim Theodoræ ſtudebant, metu, ne aliquando Zoe rurſus in Michaelem odio ſororis ſuæ inclinaret, C) ad Studiani aſceterium progreſſi, ex æde ſacra protractum Michaelem, & Conſtantinum per ludibrium in forum raptant, ac poſteaquam multis convitiis ad ſatietatem uſque miſeris inſultaſſent, oculos dira inhumanitate primum Conſtantino, deinde Michaeli multis infelicitatem ſuam lamentanti evellunt, atque rurſus aſceterio miſeras has fortunæ inſanientis larvas recludunt.

Perruptis aulæ obicibus, ac ſupellectili direpta, Auguſtas Zoen, & Theodoram fauſtis acclamationibus proſecutus eſt populus; indignabatur equidem Zoe, ſororem ſibi plebis favore exæquari, quondam a ſe tam male habitam; & reluctabatur aliquantiſper; ſed metus demum indignationem compreſſerit. Igitur populo grates pro ſtudio erga ſe, familiamque ſuam egit ampliſſimas, ac bene eidem precata, deinceps communiter per trimeſtre cum ſorore imperavit. Eo tempore non pauca ſalubriter in Republica fuere conſtituta; compreſſa Magiſtratuum cupiditas; munia publica, ne pretio venirent, cautum; Maniaces ille bello inclytus ſuperiore in Italiam ad rem illic reſtituendam expeditus; pecuniæ demum ſumma bene magna Conſtantini cupiditate Publico ſubducta, ejusdem illius indicio deteriora metuentis prodita, atque in uſus communes translata eſt. Ut jam fæminei Byzantinos Imperii minime tæderet.

Quia tamen turbatus rerum, ac bellorum ſtatus virum Imperio, an magis, quia Zoe mulier ſalax thalamo depoſcebat, itum in eam eſt a Senatu ſententiam, ut Zoe conjugem ſibi deligeret, eidemque dotale Imperium adferret. Primum in Conſtantinum Dalaſſenum, virum Principem inclinabat Zoe; ſed eo ob morum aſperitatem repudiato, in Conſtantinum Catapanum, forma præſtantem, nec a ſuſpicione pravæ cum Imperatrice conſuetudinis immunem, animum adverterat; tametſi conjugem ille haberet aliam; verum hic tanti Græcis non erat obex, ut perrumpere eum deſperaret Zoe. Conjux Conſtantini id verita maluit, non vivere maritum, quam Zoes adulterum; igitur toxico eundem interemit. Imperatrix demum in Conſtantinum Monomachum Præfecturis clarum, & forma, quæ tum maxima erat ad Imperium commendatio, præſtantem, amores ſuos tranſtulit. Hic jam olim a Michaele Zoes conjuge ſive ob ſuſpectam cum Imperatrice conſuetudinem, ſive quod Imperio illum præfuturum rumor diffudiſſet, D) in exilium actus fuerat; at Zoe ſimul ac

rerum

A) Cedrenus p. 587. B) Zonaras p. 192. C) Diſſentit Cedrenus a Zonara; nam is ait, juſſu Theodoræ invita licet Zoe Michaeli oculos erutos. D) Alterum in cauſa fuiſſe ait Zonaras, alterum Cedrenus.

A. C. 1042 rerum potens fuit, revocatum Græciæ Præfectura ornaverat. Huic itaque missis Imperii insignibus Zoe se cum Imperio, quo nec majus aliquid, nec deterius dare poterat admiranti, atque fortunam suam vix capienti addixit.

FL. CONSTANTINUS MONOMACHUS.



Onstantini Monomachi variis, ac difficillimis eventis intertextum fuit Imperium; & qua domesticis, qua vero exteris bellis usque adeo distractum, ut infinita ea malorum series, quibus hodieque Oriens oppressus gemit, ab iis ortum duxisse temporibus merito videri possit. Eo enim regnante funesta Orientis Imperio Turcorum Gens primum apparere, atque bello cum Christianis implicari, Provinciæ Europææ Gentium innumerarum procursionibus propemodum in solitudinem agi, Urbs ob bella civilia, & extera hominum numero multum imminui, dissensio denique, quæ ob religionem inter Græcos, Latinosque olim enata est, Patriarchæ Cerularii atroci in Latinos odio inveterascere, citra spem redituræ aliquando concordiæ cæpit. Rerum tantarum causam haud tecte Scriptores in Monomachum conjiciunt; hominem voluptuarium, quive Imperatoriam dignitatem pro felicitatis apice, non curarum, laborumque theatro haberet. Insuper inconsultis largitionibus ærarium in quosvis temere eum profudisse, non in amicos, ac militem, qui thesauri imperantium esse debeant, contulisse; denique pedibus captum, ac lectulo affixum sæpius, neque corpore in Republica, neque animo ordinanda viguisse.

1043 Ut primum literis ad Provincias datis evectionem suam significarat, fortunata omnia subditis pollicitus, atque rerum ante se in aula potitos, ne obturbare possent, in insulas deportari jusserat, bello statim cum Serviis, eoque calamitosissimo est implicitus. Boistlavus quidam ab Urbe profugus Servios, Græcorum Dominatus impatientes, ad defectionem traxit, cumque iis reliquos, qui in fide Imperatoris hæserant, populos infestavit. Imperator Provincias inquiete illa erepturus, dat in mandatis Michaeli Præfecto Dyrrachii; collecto ut exercitu turbulentos ad obsequia adigat; facit ille imperata, magnam undique multitudinem contrahit, ad sexaginta virorum millia in Serviam educit. Verum in apparando, quam administrando bello fortunatior fuit. In Provinciam rerum inexpertus bellicarum juvenis montibus asperam temere infunditur, nulloque qui resisteret hoste invento, vastandæ Regioni, legendisque prædis gnaviter insistit; ac velut re bene gesta, hosteque perdomito reditum Dyrrachium versus adornat. Interea Boistlavus suis cum copiis juga montium præcelsa, qua transeundum Michaeli fuit, viarumque angustias tacitus observabat, cumque in præcipitia quædam exercitus ille defluxisset, ab exitu intercluſis fortiter ingruit. Omnem militum virtutem loci natura eliserat; turbatur immanis illa multitudo re inexpectata, densatur, cæditur, ac pene internecione deletur. Amissis quadraginta suorum millibus ægre cum reliquis profugit Michael, detestatus Provinciam asperitate sua, quam ulla alia re adversus magnos exercitus melius protectam. Post memorabilem hanc cladem ut res Græcanicæ in Servia habuerint, incompertum; nihil enim præterea Scriptores meminerunt. Crediderim ea victoria sui juris effectam Provinciam Principibus, uti antea, propriis paruisse. A)

A. C. 1043 Calamitatem tantam civile illico subsecutum est bellum, felicius tamen, si bellum ullum civile feliciter geritur, terminatum. Maniaces ille corporis, animique robore præstantissimus, in Italiam jam antea expeditus, ut nutantem in ea Græcorum potentiam firmaret, rem sat bene gessit adversus Francos, seu potius Normannos; qui ea ætate multis quidem carptim Provinciis, sed ante alias Italiæ bellum faciebant. Hi Græcis antea mercede conducti sociam navaverant operam; verum Doceani ejus oræ Præfecti importunitate acti in transversa, non modo ab eorum partibus resciderant semet, verum etiam bello illos appetierunt; quin eundem Doceanum semel atque iterum cum paucis suorum resistentem fregerunt, ut præter Brundusium, Hydruntem, & Tarentum, vix in Italia Byzantini Principes reliquum quidpiam haberent. Non meliore usus fortuna est Bojoannes Doceano surrogatus; victus & ipse prælio a Normannis & captus. Perierat jam tota Imperatoribus Calabria, ni Maniacis virtus modicis licet accincti copiis rebus opitulata esset. Hic enim ad Capuam, Beneventum, Neapolim cæsis Francis, & si tuta Scriptoribus Græcis fides, Italia exterminatis, B) rem in tranquillo utcunque constituerat. Sed livor, fraus, atque ambitio, quæ omnibus præclare cæptis, si uspiam, in eo certe Imperio obstabant, hominem, & Italiam perdiderunt.

Cum Romano Sclero viro in Asia præpotente veteres Maniaci inimicitiæ, & graves erant; ejusdem Scleri sororem diu jam antea perdite amatam fovebat Monomachus, eamque Imperium adeptus concubinæ, quin imo Reginæ instar in Urbe habebat; non multum invita Zoe sene jam, & deteriora metuente. Mulierculæ hujus commendatione ad summa quæque progressus Sclerrus, de inimico ulcisci se voluit; cujus & fortunis damna intulit, & conjugem adulterio fœdavit, & denique ut is jussu Imperatorio ab Italia detraheretur, perfecit. Maniaces his acceptis, ut erat animi impotens, veritus graviora, Pardum quemdam, successorem sibi missum necat, Imperatorum assumit insignia; atque impositis in naves militibus, qua suis, qua vero Francis in Illyricum, Imperium occupaturus enavigat. Monomachus molli vir animo viri talis, ac tanti defectione oppido perculsus alios ex aliis mittit, qui maximis pollicitationibus Maniacen ad quietem traducerent. Verum frustra erant omnia, resistendum armis homini furioso fuit. Stephanus Sebastophorus cum exercitu mittitur in Maniacem victoriæ minime dubium, & solius prælii, quo omnia confecturum rebatur, cupiditate æstuantem. Quid multa? concurritur ad Ostrobum; nec difficulter loco pellitur Stephani acies; verum Maniaces dum Imperatorem oblitus se, militis vices fortius, quam cautius obit, & inclinatis jam hostibus ferox instat, accepto in pectore lethali vulnere, medio in victoriæ cursu subito occumbit. Corruente Duce collapsi fuere sequacium animi; itaque exercitus deditionem Imperatori facit; eaque perduellio finem maxima aulæ lætitia sortitur. Qui exitus equidem belli sat lætus fuisset, ni ea occasione penitus jam Italia Græcis excidisset; ac confusis in ea rebus Normanni denique Regionis potiti

A) Servia etsi a Basilio Juniore adjuncta Imperio, proprios tamen habebat Principes, sed Dominatui Gtæcorum tunc obnoxios. B) Ita Cedrenus, sed profecto valentiores jam in Italia fuere, & Sicilia Normanni, quam ut tam facile pellerentur.

A.C. titi eſſent. In Cypro quoque inſula Prætoris cujusdam nomine Erotici
1043 exarſit defectio; ſed ea ſub initia ſtatim a claſſis Præfecto oppreſſa eſt, Erotico Byzantium miſſo; quem Imperator muliebri veſtitu per Urbem circumductum facultatibus mulctavit; quod certe ſupplicium Græcis ambitioſis juxta & imbellibus, etſi tanto crimine lenius, optime congruebat. Sed & Sebaſtophorus, ille perduellionis extinctor, novi quidpiam in Monomachum moliri non diu poſtea deprehenſus, amiſſis facultatibus aſcesterio eſt mancipatus; ita miſeris in tanta rerum inconſtantia ſuarum inſanire tamen libuit, fortunamque tam lubricam prenſare. A)

Eodem, quo Maniaces Imperio inhiabat, tempore, aliud quoque fuit Imperatori cum Ruſſis bellum. Per mare Ponticum lintribus delati numero tercenties mille Ruſſi periculum ingens creaverant. Bladimirus ipſe Rex Ducem expeditioni ſe dederat, ulturus cædem quorundam e Ruſſis mercatorum Byzantii forte illatam. In hunc apparata claſſe ipſe ab Urbe profectus eſt Imperator; ac primum ad pacis ſtudia traducere Bladimirum tentavit; quod cum non procederet, Theodorocanum Baſilium cum aliquot navibus pugnæ initium juſſit capeſſere. Fecit ille fortiter imperata, in naves Ruſſicas etiamnum quietas vi ſumma invectus; atque navium quibusdam crematis, aliis merſis, Imperatore quoque cum tota claſſe jam ingruente in trepidationem maximam Ruſſos conjecit; qui in confragoſa quædam loca littori vicina delati, & a claſſe Imperatoria, & a loci iniquitate, & denique a pedeſtribus copiis e littore rem gerentibus male pereunt. Quindecim cadaverum hoſtilium millia numerata in littoribus feruntur; reliquos fuga abſtulit. Porro Imperatoriæ claſſis pars cum quatuor, & viginti triremibus hoſtem incautius inſecuta, ac peſſime accepta ſenſum e tanta victoria lætitiæ retudit. Hæ enim triremes hoſtem in portu quopiam deliteſcentem prætervectæ, atque ab eorum multitudine ſubito circumſeptæ, aut captæ omnes ſunt, aut merſæ. Cæterum Ruſſos terra recedentes inſecutus cum pedeſtribus copiis Catacalo Dux ſummi ea ætate nominis, cecidit iterum, atque victoriam, lætitiamque geminavit.

1044 Imperator hiſce potitus victoriis, lætitiæ ſe totum, atque voluptati ſua cum Scleræna dedidit; ea res peſſimi in vulgus exempli inviſa omnibus fuit, ferentibus indigniſſime, hominem nullis meritis in eo faſtigio per Zoen collocatum, neglecta conjuge illicitis fœdari amoribus, atque in concubinam ærarium prodigere; quippe Sclerænæ illi ſuæ, & palatium Regium in morem exſtruxerat, B) & opes profuſiſſimas addixit, & Reginæ inſtar ipſam haberi, ac coli volebat; quin Auguſtæ quoque titulo pellicem hanc ſuam decoraverat. Quodam igitur die pompam ſolennem per celebres Urbis vicos cum duceret, in conferta civium multitudine repentina cujusdam vox extitit, Sclerænam pro Imperatrice habere recuſantis; qua voce ceu fax quædam animo populi ſubjecta eſſet, ingens extitit in Imperatorem, & Comitatum ſeditio; quam non niſi Zoes, ac Theodoræ e ſuperiore loco conſpectus, & admonitio compreſſere. Neque tamen ſeu vulgi iſthoc odium, ſeu nominis infamia, verum mors ſola, quæ nugas hominum omnes diſturbat, Sclerænæ ſuperveniens Monomachum ab hac amoris inſania abſtraxit.

1045 Duplex annis conſequentibus ſecutum eſt bellum, exterum, & civile; prius illatum ab Imperatore eſt Cacicio magnæ Armeniæ Duci; quæ Provincia ea lege hujus parenti ab Imperatore Baſilio olim fuerat attributa; ut morte illius ad Imperium recideret. Extincto patre retinuit Principatum filius; cui eapropter bellum a Monomacho eſt indictum. Præfecto Iberiæ demandata ea fuit Provincia; cui cum res parum belle procederet, cum maximis ab Urbe copiis Dux Prætorianorum Michael Beſta eſt expeditus; qui Cacicium denique Provincia citra jus poſſeſſa protruderet. Id quo certius, citiusque confieret, Aplesphares Perſarmeniæ Prin-

A) Cedrenus pag. 591. B) Zonaras pag. 195.

Princeps in ſubſidium accerſitur, ea addita conditione: ut quæ Apleſpha- A.C.
res de Cacicii Provincia armis ipſe obtinuiſſet, poſſidere dehinc pergeret. 1045
Impar hoſtium numero Cacicius Imperatori, acceptis invicem in Cappadocia fundis locupletibus, ſemet cum Provincia dedit; in qua Apleſphares loca jam complura armatus occuparat. Sive autem majorem, quam æquum erat, Provinciæ partem occuparit Apleſphares, ſive Imperatorem initorum cum eodem pactorum jam tæderet, jubetur Michael Beſta adimere Armeniam, hominemque, ſi reſiſtat, armis perſequi. Et videbatur Apleſphares copiis haud magnis accinctus parum exhibiturus negotii permagno Imperatoris exercitui.

At enim fortuna, etſi ipſa quoque inconſtans, fœdifragis tamen ante 1046
alios ſedulo inimica eſt. Apleſphares metu ſimulato in Urbem Tibium ſe condidit, obſidionem, ut videbatur, toleraturus; cujus ut ſpeciem præberet, aquis planitiem circumjectam inundarat; interea in jugis montium Urbi vicinis magnum ſagittariorum abſcondit numerum. Accedit Imperatorius Urbi oppugnandæ exercitus, viam, quæ anguſta inter montes eo ducebat, ingreſſus. Ubi vero pars magna Urbi appropinquaſſet, erumpit ſubito Apleſphares, ſagittarii a tergo ingruunt, Imperatorii inter anguſtias occupati, nec pugnare, nec regredi valent. Ita univerſus pene exercitus conciditur. Ad delendam cladis ignominiam miſſi ab Urbe Catacalo, & Conſtantinus Duces, expugnatis quibusdam munitionibus, Apleſphare non ſemel repulſo, Provincia omni potiti eſſent, niſi Tornicii factione in extremum conjectus diſcrimen Monomachus, eorum in Europa ope eguiſſet; itaque confecta cum Apleſphare pace Byzantium adproperavit exercitus. A)

Tornicium hunc Iberiæ antea Præfectum, ac conſanguinitate ſibi 1048
propinquum Imperator in monachum raſerat; ſive conſiliorum is in caput Imperatoris collatorum delatus ſit, ſive vaticiniis quibusdam (ita deſipere tum licebat) Imperio præfuturus jactaretur. Impatiens ejus, ut illam reputabat, calamitatis Tornicius, arrepta clam ab Urbe fuga Adrianopolim profectus, cupide a militibus Monomacho, incertum quas ob cauſas infeſtis, accipitur, ac affluente novarum rerum ſtudio plurima multitudine e monacho Imperator infauſta, & inepta mutatione Tornicius conſalutatur. Properratum poſt hæc ad Urbem eſt, a copiis militaribus longe in Oriente agentibus omnino deſertam; cujus occupandæ certa quædam ſpes hominibus turbidis, ac inquietis tunc affulſerat. Et parum ab exitio res Monomachi aberant; cum præter Urbanam multitudinem vix mille milites defenſioni adeſſent; quos etiam improvidentia Imperatoris peſſumdedit; quippe erumpere extra muros modicam eam manum, atque hoſtem laceſſere imperarat, quæ intra muros cum ſtrage repulſa, in tantam Urbanos trepidationem conjecit, ut relictis muris in fugam pro ſe quisque rueret. Quod ſi perterritis inſtitiſſet Tornicius, haud dubie Urbis, & Imperii potens ea die fuiſſet; ſed inſidias credo veritus, retraxit ſuos ab oppugnando; qua hoſtis vecordia erecti civium animi, atque ad defenſionem alacriores ſunt redditi.

Cum itaque occœpta oppugnatio non procederet, vereturque Tornicius, ne fraude aliqua in tanta ingeniorum mobilitate occupatus, Imperatori vinctus daretur, abducto ab Urbe exercitu, Radeſto oppugnando, quæ Urbs per Thraciam pene ſola in Imperatoris fide manſerat, operam impendit. Cum in ea oppugnatione tempus terit Tornicius; adfuit interea ab Oriente exercitus perduelles oppreſſurus. Ejus Dux Jaſites colonos benigne habendo, promiſſis, ac indulgentia captivando ſeditioſos, variisque artibus deſultorios eorum animos pertentando, non armis, ſed conſilio res Tornicii afflixit. Deffluente enim brevi exercitu inopia adhæc, & frigoribus preſſo, ſolus Tornicius cum Bataza viro præpotente relictus ad templum quoddam refugerat; verum ambitioſis nihil templi

A) Cedrenus.

A.C 1048 religio opitulata eſt. Protracti itaque, & Byzantium ducti oculos, honoris jam antea fulgore occæcatos, miſere perdiderunt.

Inter hæc aliud, & non tam Monomacho, quam Imperio Orientali bellum fatale in Aſia exarſit cum Turcis, qui hoc primum tempore Chriſtianos laceſſere, atque ad excindendum illud Imperium magnis illico progreſſionibus niti cœperunt. Gens hæc prævalida Caucaſum prius accolebat, regnante vero Baſilio, Perſidis, aliarumque Regionum hunc in modum potita eſt. Saraceni cum unius Imperio parerent potentiſſimi, poſtea in minores Principatus diſtracti, mutuisque attriti cladibus infirmi erant. Muchumetus Perſiæ de his præerat, cumque Babyloniis itidem Saracenis gerebat bellum; quibus ut fieret ſuperior, a Principe Turcorum ſubſidia mitti popoſcerat. Miſſi non plures tribus millibus Duce Trangolipace Mucaleto A) ſtrenuam Principi navarunt operam. Quippe Babylonii Turcorum præcipue ſagittis ejus artis ignari in fugam præcipitati erant. Finito eo proſpere bello, Indis arma Muchumetus fuerat illaturus, ac adeſſe Turcos, huic cupiebat expeditioni. Verum detrectant illi operam; ac cum vel inviti eo trahuntur, in vaſtam quampiam ſe ſubducunt ſolitudinem, ex eaque res Saracenicas latrociniis ſedulo infeſtare pergunt. Inique rem ferens Muchumetus millium viginti iis perdomandis allegat exercitum; verum hic metu inopiæ in ea ſolitudine ſubeundæ ad illius marginem diu deſidet. Securos ſui ac languidius illic commorantes repentino e ſolitudine procurſu Turcæ agunt in fugam, caſtrisque eorum potiuntur. Muchumeto res hæc ſiniſtra oppido bilem commorat; ut & Duces expeditionis luminibus orbaret, & militi fugitivo extrema quæque comminaretur; hac illi acerbitate commoti deſerto Muchumeto Turcis adjunguntur. Aliorum quoque facinoroſorum, & agreſtium affluxu, brevi in eam magnitudinem creverunt Mucaleti illius copiæ, quinquaginta ut virorum millia ſub ſignis cenſeret; parte non contemnenda Perſidis potiretur, atque Muchumeto de ipſo jam Principatu periculum faceſſeret.

Muchumetus ſucceſſu hoc Turcico perturbatus, virium quidquid poteſt, in unum contrahit, vicinas quoque Gentes arma cogit capeſſere; atque cum immani millium quingentorum exercitu Turcis ad Aſpachan occurrit. Certatum hic diu acerrime; demum Muchumetus inter obequitandum forte prolapſus, cervicem una & res Perſicas fregit. Copiæ illius deditionem Turcis faciunt, omniumque conſenſione Strangolipaces Perſiæ Dominus ſalutatur. Singulari iſthac felicitate Perſidis ille obtento Imperio, Turcis per pontem, qui in Araxe fluvio conſtructus, ac munitus eam Gentem a Perſide adhuc locorum arcuerat, aditum indulget; illi maximo numero in Perſidem infuſi, ſedes, ac Dominatum ejus oræ occupant, veteres Regionis incolas ſibi dehinc parere cogunt. Ita Turcicæ tum potentiæ, quæ ad immanem poſtea hanc accrevit molem, fundamenta e tam levibus initiis fuere. B)

Turcæ tam opima potiti Regione, nequaquam ut Gens eſt Dominatus, & opum avidiſſima, contenti quievere; verum ad reliquos quoque Saracenos diſcordiis labefactos ſub jugum cogendos contulerunt vires. Cutlumum adverſus Babylonios expedierat Strangolipaces patruelem ſuum; qui Babylonio Principe haud difficili labore devicto, alios Saracenos ſimilis infortunii metu ad concordiam, & arma commoverat; atque illi maximis paratis copiis demum cum Cutlumo congreſſi ſuperiores fuere. Cutlumus cum reliquiis copiarum reditum ad ſuos per Mediam, quæ Imperatori tunc parebat, Provinciam inſtituit, & tranſitus a Præfecto Stephano veniam flagitabat, fore innoxium pollicitus. Stephanus utendum ratus occaſione, opprimendasque Barbarorum reliquias, manum cum iisdem conſeruit. At enim a viris fortibus, & ex deſperatione acerrime pugnan-

A) Cæſar Bryennius p. 12. Mucaletum alium fuiſſe a Trangolipace Ducem innuit. Eundem ex utroque facit Cedrenus. B) Hæc Bryennius Cæſar p. 13. Cedrenus item, ac Zonaras.

pugnantibus victus, captusque multis, & graviſſimis ab ea Gente cladibus infelix velut præluſit. Cutlumus ad Strangolipacem redux, nec ſat acceptus benevole, inter alia profectionis per Mediam jecit mentionem; eſſe illam Provinciam maxime locupletem, atque a mulieribus (ita contemptim Græcos indigitabat) obtineri. A.C.

Domeſticis poſtea, exterisque occupatus bellis Strangolipaces, nequaquam tamen expeditionis in Mediam faciendæ cogitationem abjecit; quo ſimul, atque otium ipſi fuit, Aſanem fratris ſui filium cum non contemnenda manu expedivit. Aaron Provinciæ tunc Præfectus, Catacalone Iberiæ Duce in ſubſidium accerſito, Provinciam a Turcorum irruptione pro virili defenſat, eos fraude occupatos internecione delet. Quippe de ſententia Catacalonis caſtra, ceu metu perterrefactus vacua reliquerat, ac Turcis poſtea ad prædas verſis inſperato ſuperveniens felici cum imparatis prælio contendit, Aſane quoque cæſo. Strangolipaces infortunii hujus impatiens, non diu poſtea immanes trecentorum millium A) contrahit copias, & in Mediam Alimo Duce proficiſci jubet. Territus ea multitudine Aaron, etſi prælium ſuaderet Catacalo, continendum tamen exercitum, atque munitis Urbibus vim Turcorum propulſandam cenſuit; quoad Liparites Abaſgiæ Princeps auxilio veniret, atque Imperator de re tota fieret certior. Turcæ cum fruſtra ad prælium conquirunt Chriſtianos, locorum ſitu protectos; ad prædas verſi non parvam Mediæ cladem inferunt; oppidum Artzen dictum mercatu celebre jactis ignibus diripiunt; atque qua igne, qua ferro centum quadraginta mortalium millia interimunt; iis rebus perfectis recedentem Imperatoris exercitum obſtinati ad prælium inſequuntur. 1049

Ut Liparites ſuis cum Abaſgis in caſtra advenit, decretum a Ducibus, confligendum eſſe cum Turcis, atque inſolentiam eorum compeſcendam; dextram Catacalo aciem, lævam Aaron, mediam Liparites regebant; itaque cum Turcis congreſſi, poſt acerrimam dimicationem Aaron, & Catacalo Turcos propellunt in fugam, & vi magna conſectantur; ſed Lipariti non ea fuit fortuna; qui a Turcis equo ſuffoſſo captus lætitiam ejus victoriæ imminuit. Alimus dedecore, quam clade, accepto majore, ceu victor ad Sultanum reverſus eſt. Pro Liparite redimendo lytrum miſerat Imperator; ſed eum Barbarus ultro libertate donavit admonitum: ne Turcos dehinc pro hoſtibus haberet. Legatum quoque ad Imperatorem idem Sultanus expedierat; verum cum is ſuperbius appellaſſet Imperatorem, atque hortatus eſſet, uti ſtipendarius Sultano fieret (eo jam tum inſolentiæ proceſſerant Barbari) juſſus Byzantio faceſſere, infecta pace diſceſſit.

Vix Aſiana hæc calamitas defierat; alia in Europa, eaque moleſtiſſima erupit; vaſtitatem Thraciæ, atque Græciæ maximam apportatura. Patzinacæ Gens ad Iſtrum late diffuſa ſive ea fuerit, quæ Valachorum hodie venit nomine, ſive Scythica alia; nam horum pro more vaga vitam ſub tentoriis agitaſſe fertur, ſeditione inter ſe confuſi erant; Kegenis cujusdam ambitu viri ſtrenui, & adverſus Tyrachum Principem ignavum inſurgentis. Multitudine adverſariorum oppreſſus Kegenes fugit trans Iſtrum, ac in fidem ab Imperatore acceptus, Chriſtianoque pro more inſtitutus, Tyracho moleſtiam exhibere pergebat. Hic apud Imperatorem per Legatos expoſtulat, contra fœderis illum rationes agere, qui hoſtem Patzinacarum in fidem acceperit, inſuperque copiis, & armis adjutet; dedi itaque ſibi Kegenem poſtulat. Legati per contemptum, ac irriſum abs Monomacho auditi, reduces in patriam furore Tyrachum compleverunt, extrema Provinciis Imperatoriis minitantem. Verum obſtabat Iſter fluvius arcibus, armataque manu præmunitus, quo minus furorem hunc ſuum continuo effunderet. Ut vero hyems Iſtrum revinxerat, nullo jam obice aſſumptis, quiqui arma ferre poterant, octingentis adeo ſuo- 1050

A) Centum millium ait Zonaras p. 200.

A.C. rum millibus in Bulgariam Tyrachus furioſe invehitur; ea hominum mul-
1050 titudo locuſtarum in morem brevi Provinciam depaſta egere cœpit in Regione bellis exhauſta, tum hyemis rigore, ac morbis confici; quæ res Imperatori plurimum commodavit. A)

Interea neque hujus Duces partibus deerant ſuis; ex omni Thracia, Illyrico, Græcia contractis copiis, velut ad opprimendum hoc tantum incendium, feſtini accurrunt, ac collatis inter ſe capitibus hoſtem etſi numeroſiſſimum, morbis tamen, ac inopia pene jam peſſumdatum aggredi conſtituunt. Vix impetum in multitudinem ſibimet ipſi jam gravem Duces Imperatoris fecerant; cum illi abjectis armis pacem exorant, ſeſeque in deditionem accipi ſupplices expoſcunt. Kegenis erat ſententia: nihil indulgendum victis, ſed perdendos ad unum omnes; neque enim manſuros in fide, quos præſens calamitas tantummodo infregerit. Id conſilii Ducibus alienum a Chriſtiana Religione viſum. Quapropter Patzinacas in deditionem accipiunt, Tyrachum cum Primoribus Chriſto initiandos Byzantium mittunt, reliquos per deſerta ſpargunt Bulgariæ, habituri & gnavos, ut rebantur, colonos, & ſtrenuos, cum res poſceret, milites. Sed Barbaris numero prævalentibus, & neceſſitate tantum ſapere edoctis nusquam tuto haberi fidem, exemplo ſibi luctuoſo didicerunt.

1051 Turcorum Princeps caſſa ſuperiore Legatione irritatus, Iberiæ rurſus arma intulerat. Itaque Imperator Patzinacarum opera in Turcis debellandis uti voluit; quindecim delectorum ex iis millia armis, atque equis pulchre inſtructa in Aſiam transportat. Verum illi occaſionem nacti opportunam, ac longinqua itinerum deteſtati, cum ad Damalim perveniſſent, deficiunt omnes; inque Europam mari, qua ad Boſphorum Thracium anguſtiſſimum eſt, natatu equorum transmiſſo refugiunt; delati in Bulgariam reliquos ejus oræ Patzinacas in arma exciunt, graviſſimoque bello, ac miſerrimo res Græcorum Europæas involvunt.

Quippe Imperator Turcico occupatus, ne huic quidem gerendo ſatis erat. Sultanus ipſemet in expeditionem progrediens omnia formidine impleverat, ut Chriſtiani non niſi munitis Urbibus ſalutem protegerent ſuam. Cum in apertum ſe hoſtis non daret, deſerta Iberia in Mediam tranſiit Sultanus; cumque & illic par defendendi ſui Chriſtianis eſſet ratio, ad oppugnationes animo vertitur. Urbs Mantzikirte cognominata, ad ictum ante alias deſtinata erat; ſed eam præclare defenſabat Baſilius quidam Patricius, qui facinoribus egregiis eam Sultano oppugnationem irritam reddidit; ita Turcæ nullo alio operæ pretio, quam quod Regionem populati ſint, in Perſiam abiere. Aderat equidem non diu poſt alter Turcorum Duce Abimelecho Sultani cognato exercitus; at cognito Imperatoris in ſe apparatu, ad ſua metu retroceſſit. Denique Sultanus domeſticis diſtractus contentionibus, aliquot poſt annos ipſe in Iberiam profectus, Provinciam rurſus vaſtaverat; cum Ducibus tamen Imperatoriis congredi haud ſibi decorum ratus, prælio, & Imperii finibus ſe abſtinuit. Atque ita Monomacho quidem imperante cum Turcis bellatum eſt.

A Patzinacis perduellibus plus cladis, & tumultuum fuit; quippe illi etiam, qui in fide adhuc Imperatoris hæſerant, ad ſuos defecerunt; ob iniquam Kegenis fortunam, quem Imperator vanis quibusdam actus ſuſpicionibus ab inimicis Patzinacis falſo delatum carceri cum filio incluſerat. Adverſum tumultuantes Conſtantinus Occidentis Dux exercitum Adrianopoli produxit, ſed conflixit inauſpicato; copiasque ſuas Macedonicas cum præcipuis Ductoribus cæſas vidit. Imperator Tyrachum cum Primoribus Patzinacis juramento obſtrictum ab Urbe mittit, qui populares ad quietem traduceret; at illi beneficiorum, & jurisjurandi immemores ſuorum ſe factioni adjungunt; ita nihil Monomacho e ſententia proceſſit. Traductis ab Aſia copiis Nicephorum Rectorem in Patzinacas expedit, adjunctis Ducibus Catacalone, illo tot geſtis rebus claro, & Erbebio

A) De his diffuſe Cedrenus p. 606. & ſequentibus.

bio Franco; qui Francicis tum præerat copiis; quippe horum tunc Im- A.C.
peratores uſi ſunt opera, quibus in Aſia quoque ſedes attribuerant; ac illi abs dubio fuerint, quos arrepta Maniaces Tyrannide ab Italia ſecum in Orientem deduxerat. Contracto Nicephorus exercitu plus, ne Patzinacarum aliquis cædem effugeret, quam de victoria ſolicitus, contra Catacalonis ſententiam ſerius, quam oportuerat, conflixit; & ferox antea, jam vix conſpectum hoſtis ſuſtinuit in fugam cum exercitu effuſus. Catacalo reſtitit cum ſuis, atque inter cadavera vulneribus debilitatus jacuit; quem cujusdam noti Patzinacæ ſolicitudo alia ad bella, & victorias ſervavit.

Anno conſequente cum Barbari finem graſſandi nullum facerent, 1052
Conſtantinus Dux ſumma cum poteſtate in eos miſſus nihilo faventiorem habuit fortunam. Caſtris vallo communitis conſultatum de prælio conſerendo inter Duces eſt. Samuel Burtzas peditatus tum Magiſter, præter Ducis imperium improvide cum ſuis vallo eruperat; cui laboranti, ac ſubſidia expoſcenti contra animi ſententiam ſubvenire cum toto exercitu Conſtantinus eſt coactus. Verum quia tumultuaria res erat, retruſus in valla exercitus, non citra cædem fuit, atque a Barbaris obſeſſus. Et perierant omnes illæ copiæ, ſi non Patzinacæ alterius adventantis fama exercitus conterriti, ab obſidio ſemet retraxiſſent. Eum in modum Græcorum res bellicæ ſeveritatis, concordiæ, ordinisque neglectu in deteriora ſemper præcipitabant.

Imperator etiam poſt malam ſegetem ſerendum tamen eſſe non neſcius, alias rurſus copias e diverſis nationibus colligit; geminoque cum exercitu Nicephorum Bryennium, atque Michaelem Acoluthum proficiſci in Patzinacas jubet. Hi Duces in cohortes quasdam Barbarorum delati, eas ſemel atque iterum delent; dein furtim Chariopolim ingreſſi, cum ad eam Urbem ſecuri in Caſtris hoſtes degerent, repentina eruptione caſtris illos, ac vita plerosque exuunt; ſicque barbaram prædandi aviditatem compeſcunt.

Uno, alterove anno remiſerat Patzinacarum furor; hos ut penitus debellaret Monomachus, exercitum bene magnum eodem Duce Acolutho expedivit. Patzinacæ metu ſimulato in Urbem Periſtlavam, toleraturi obſidionem, ſemet recondunt. Ad hanc cum diutius fruſtra deſedilſent Imperatorii, nec ſpes affulgeret melior, ſolvere obſidionem per noctis ſilentia conſtituerant. Id cum Barbaris ſuboluiſſet, emiſſis clam manipulis, viarum ipſi anguſtias præoccupant, atque exercitui fugitivo ab Urbe inſperato effuſi acriter inſiſtunt. Nocturno armorum, & viarum horrore confuſus exercitus, ac tam pugnæ, quam fugæ incertus cæditur a Barbaris cum ingenti rerum omnium jactura. Infelix expeditio conturbaverat Imperatorem, ut extrema omnia in Barbaros moliretur. Sed demum miſſi a Patzinacis Legati tricennales cum Imperatore inducias pepigere.

Dum ita res belli fluctuant, ne Urbanas quidem faventiores habuit Monomachus; quod quas diris expreſſerat exactionibus pecunias, inepta, ac importuna liberalitate in immerentes profunderet, homo ima quod ajunt, auricula mollior. Certe Boylæ cujusdam facetiis ita ſibi illudi pertulit; ut hominem ad ſumma quæque in Republica munia proveheret. Quin idem ille verſipellis, tametſi in meditato adverſus Principem ſcelere liquido deprehenſus, non tamen, ut debuerat, honoribus, niſi ad tempus caruit. Ejusdem Imperatoris incogitantia, an ſordibus factum, quod Orientales Provinciæ militum præſidio nudatæ fuerint; quippe Ibericum millium quinquaginta exercitum negato militibus ſtipendio diſſolvit; quo certe majorem ea præſertim ætate plagam Reipublicæ infligere futuri improvidus non potuit. Quædam tamen illius recte facta memorantur. Manganorum ab eo monaſterium eſt conſtructum; præterea cum in æde Sophiana nonnullis tantum diebus incruentum offerretur Sacrificium, ejus

factum

A. C. factum liberalitate, ut dehinc quot diebus offerretur. At certe rem Deo acceptiorem, publicæque rei utiliorem præſtiturus fuiſſet, ſi omni eniſus ſtudio concordiam inter Græcam, Latinamque Eccleſias, uti voluerat, confeciſſet.

1054 Leo Nonus Romæ ejus temporis Pontifex Humbertum, & Frideri. cum Cardinales Conſtantinopolim procurandæ cauſa concordiæ allegaverat; qui pronum in eam rem Monomachi animum repererunt; at obſtabat Cerularii Michaelis, tunc Patriarchæ veſanum in Latinos odium; qui ſcriptis, voce, minis, modisque omnibus in eosdem impudenter bellabat. Illi cum oleum, & operam in homine furioſo perdita viderent, in eum, & adhærentes in ipſa Sophiæ æde, auctoritate crediderim Imperatoris fulti, ſententiam excommunicationis protulerunt; ſicque infecto negotio repetierunt Italiam. Atque ex eo tempore diſſidium illud inter Græcam, Latinamque Eccleſias dudum ante cœptum, ſed tamen incertum adhuc & fluctuans, corroboratum denique cum exitio illius Imperii inveteravit. Nota ſunt diſſenſionum capita: Græci vitio dabant Latinis, quod panem non fermentatum Sacrificio adhiberent: quod vetarent Sacerdotibus conjugium: quod in Symbolo fidei adderent vocem Filioque Patribus inuſitatam; & quædam alia pene jocularia: ut quod Sacerdotes Latini barbam raderent, tanquam ſi in pilis, ceu Samſon fortitudinem, ſic illi ſanctitatem haberent. Quas & ſimiles Græcorum cavillationes egregie ſcripto retudit idem hic, qui Legatum egerat Humbertus; qui Græcis multo graviora & verius objectat; ſed caput infelicitatis eorum ſuperbia fuit, qua Patriarchæ videri inferiores Pontifice nolebant; futuri aliquando non ſolum his, ſed mortalium infimis inferiores. A)

Interea Monomachus ex podagra, aliisque morbis in Manganorum aſceterio decubuerat; cumque extremam ſibi vitæ lineam haud longe abeſſe cerneret, de ſucceſſore deſignando cum ſpadonibus ſuis, quos ad ſumma quæquæ evexerat, conſilium habuit. Neque enim ſobolem ullam Conſtantinus ille ſuſceperat, quam in Principatu relinqueret; cujus Zoe conjunx jam ante novennium elata fuit; deduxerat quidem aliam poſtea juvenem in Regiam Alani Principis filiam; B) quæ tamen concubinæ, non conjugis locum obtinuerit. Quin objectat Zonaras, Imperatorem, ni quarti conjugii dedecus & nefas reformidaret, futurum fuiſſe, ut amicam ſuam corona incingeret; ex quo defluos jam nimis Eccleſiæ illius mores intelligas; utpote in qua quartis nuptiis, quam illicitis necti amoribus, majus crimen haberetur. Supererat adhuc Theodora Zoes ſoror, & ipſa annis gravis; in quam tamen transferri Rempublicam illi nolebant; verum auctores erant Monomacho, ut Bulgariæ Prætorem, Nicephorus is erat Protevon dictus, in Urbem accerſitum deſignaret Imperatorem. Id cum Theodoræ, & familiaribus ejus ſuboluiſſet, repente relicto illic Imperatore cum morte jam conflictante, in aulam regreditur Theodora, atque ab omnibus Imperatrix, non nomine tantum, uti hactenus, ſed rebus ipſis præfutura ſalutatur. Imperator extremo in vitæ articulo ut factum hoc inaudiit, mœrens diem obiit ſuum menſe Decembri, cum Imperio annos fere duodecim præfuiſſet.

1055 A morte hujus Theodora paterno, & avito Principatu annum unum & octo menſes potita eſt. C) Eunuchis, qui ſibi ab obſequiis fuerant, dignitates præcipuas, Remque publicam committit; Nicephorum illum Imperii Candidatum, ne quid turbaret, aſceterio recludit; Duces Iſacium Comnenum, & Bryennem Nicephorum ab exercitu removet, omniaque arbitratu ſuo, quod mirum in turbidis illis ingeniis potuiſſe, tranquille moderatur. Toto enim ejus regiminis tempore ab exteris, civilibusque bellis malacia quædam, & in aliis quoque rebus felicitas viguit; ut pene optan-

A) Vide de his Annales Eccleſiæ ad annum 1054. B) Zonaras p. 205. C) Imperio Theodoræ Zonaras annum unum, & menſes novem; Manaſſes menſes duodecim, attribuunt; Cedrenus unum tantummodo tribuere videtur.

optandum jam eſſet muliebre Byzantinis præ virili imperium. Et cupiebant potiri illam plurimos per annos; idque neſcio quibus vaticiniis, ut devexa illi foret ætas, ſpondebant. Verum ſubitaneo inteſtinorum correpta morbo, ad vitæ terminum eſt perducta. Hic vero ſolicitudine corripi aulici, familia Baſilii Macedonis in hac Theodora jam penitus procumbente, quem e Proceribus rei ſumma maneret; atque in illud maxime curas intendere, hominem ut haberent mollem, cujusve benevolentia perinde ut illius Theodoræ abuti in rem ſuam poſſent. Demum producunt quemdam cognomento Stratioticum hominem nulla abs re, quam a militia clarum, in qua ætatem abſumpſerat; ſenem decrepitum, umbræ ſimilem, & tumulo, quam throno aptiorem; perſuadentque Theodoræ animam agenti, hunc uti ſucceſſorem, hæredemque Imperii deſignet; cui illa fertur coronam manibus ſuis impoſuiſſe, adjurato prius, ne Imperium niſi e conſilio aulicorum regeret; A) atque ita ad plures menſe Auguſto abiiſſe. A. C. 1056

FL. MICHAEL STRATIOTICUS.



STratioticus hic imperandi, quam ullius artis plus rudis, cum regitur magis a ſpadonibus aulicis, quam regit, inſuperque adverſus viros Principes, quibus magnum in ree militari erat nomen, moroſum ſe, ac difficilem præboet, eorumque animos negatis, quas depoſcebant, dignitatibus, addita inſuper verborum contumelia incendit; brevi in odia incurrit plurimorum, deque Principatu vix adepto cœpit periclitari.

Jam in ipſo Imperatoriæ dignitatis aditu ſeditio in Stratioticum commota a Theodoſio eſt, cui pater Monomachi Patruus fuit; ea cognatione neſcio quam ſibi, populi adjutus fæce, Principatus ſpem ille fecerat; verum Patriarcha & Primoribus ei incœpto obnitentibus, brevi deſtitutus ab omnibus exilium, ac bonorum rapinam pro Imperio nec juſte, nec provide quæſito pertulit.

Cautior alia, & validior inita eſt in Aſia a Procerum primariis Ca- 1057
tacalone illo, Comneno Iſaacio, Romano Sclero, aliisque conjuratio. Hi cum fruſtra multis egiſſent apud Principem, illorum ut rationem in honoribus publicis mandandis haberet, contemptu iſthoc irritati, conſilia contulerunt ad eum ſolio, quod Eunuchorum artibus, non jure, ordinateque conſcenderit, deturbandum. Primum in eo eniſi ſunt, ut copias Orientales ab ejus obſequio abſtractas ſibi adjungerent; quod ubi varias per artes non improſpere ceſſit; demum conſenſu conjuratorum communi Iſacius Comnenus octavo Julii die Imperator in Paphlagonia adverſus Stratioticum eſt ſalutatus. B)

A) Zonaras pag. 206. B) De tota hac in Stratioticum rebellione fuſiſſime Cedrenus; qui demum cum Stratiotici imperio ſcribendi finem facit; videturque ex modo narrandi eo ipſo tempore ſcripſiſſe.

A.C. 1057 Audita Procerum defectio non leves ſeni, ac timido Principi injecit curas, tum velut a ſopore excito, cum videret aulam non ſibi, ut ſomniaverat, pro tranquillitatis portu, ſed curarum mari eſſe. Ne quid vero Imperatoria Majeſtate indignum ageret, armare & ipſe exercitus, vique dignitatem ſuam adverſus Procerum ambitum protegere animum induxit. Macedonicas copias Aaroni Duci; Orientales, quæ in fide manſerant, Theodoro Duci Orientalium committit, atque ducere adverſus perduelles jubet. Comnenus interea valida jam ſuorum adlecta manu, Catacaloni ſerius licet cum copiis in partes traductis adventanti (quod ſolicitam ad omnia ambitionem non leviter turbaverat) ſemet conjungit; atque ad Nicæam Bithyniæ Urbem deſignationibus ſuis percommodam ducit exercitum, uſurus eo perfugio, ſi res dubiæ inſtarent. Et non multus in occupanda Urbe fuit labor, Ducibus Imperatoriis ad primam conjurationis famam metu diffugientibus.

Ea occupata Urbe, detrimentisque aliis, ut in civilibus turbis uſuvenit, ultro, citroque acceptis, duodecim ab Urbe illa ſtadiis adverſarii conſtiterunt exercitus. Verbis primum inter eos, ac convitiis, mox etiam armis certatum eſt. In exercitu Comneni dextrum ducebat agmen Catacalo, ſiniſtrum Romanus Sclerus, medium Comnenus ipſe; a parte adverſa dextrum cornu Trachonitæ Baſilio, ſiniſtrum Aaroni Duci obtigerat, media Theodoro acies; in eumque modum acriter concurſum eſt. Qui a dextris erant Imperatorii, fuderunt adverſarios ſibi objectos, capto etiam Sclero; at Catacalo, qui in dextra curabat, loco depulit Imperatorios, atque ocyus caſtra edito in loco poſita aggreſſus eſt; quo conſpecto ſiſtunt fugam Comneniani; atque Imperatorios re inſperata turbatos fugant, cædunt, caſtris, & impedimentis exuunt. Comneno ea victoria potito nihil jam obſtabat in Aſia; quod cum audiſſet Stratioticus, tum demum metu verſare ſe in omnem partem, miſſisque Legationibus pertentare Comneni animum, ſi qua concordiam admitteret; cui Cæſaris dignitatem, adoptionem in filium, ſucceſſionem in Imperio, aliaque plenis jam modiis admetiebatur; ſed fruſtra erant omnia. Etſi enim Comnenus a concordia non eſſet alienus, obſtabant tamen feroces alii, ne in caput ſuum ea cuderetur faba, multum veriti; Stratioticus ipſe imprudenter ordinarat negotia; eodem enim tempore & juramentis in verba ſua Urbanos adigebat adverſus quoslibet, & ſumma omnia Comneno pollicebatur.

Interea in Urbe civium nobiliſſimi, qui Comneno ſtudebant, coitiones inter ſe faciunt; ac plerisque in ſententiam tractis, in æde Sophiæ conſilium de abdicando Stratiotico habent; cujus princeps, etſi alia fingeret, Patriarcha fuit. Is demum larva poſita Epiſcopos quosdam ad Stratioticum in aulam allegat; qui eidem ad deponendum Principatum humeris non aptum illius, nec jam vel cum Urbis exitio retinendum auctores eſſent. Stratioticus cum iſta ex Præſulibus audiſſet, quæſivit: quidnam ſibi præmii pollicerentur, ſi ultroneus Principatu ſe abdicet? repoſuerunt: ſi hiſce turbis patriam expediat, Regnum cœleſte præmii loco habiturum. Hoc audito continuo ornatum abjicit Imperatorium Stratioticus, privatique habitu in ædes ſuas, depoſito, quam adepto Principatu beatior abſcedit, poſtquam eodem annum unum potitus eſſet; nec diu poſtea vitam quoque liquit; feliciſſimus omnium, ſi ejus promiſſionis compos effectus; verum iſta nec dare hominum fuit, nec promittere, ejusmodi præſertim, ut Græci illi erant. Comnenus die altero in Urbem magna omnium voluntate acceptus, atque Kal. Septembr. corona in æde Sophiæ cinctus, Imperium adminiſtrare cœpit.

❁ ❁ ❁

FL. ISAACIUS COMNENUS.



ISaacius Imperio armis non ſat, ut apparet, juſtis quæſito, non ultra biennium, & menſes tres potitus eſt; cujus pleræque res geſtæ laudem, nonnullæ, ut difficile eſt, in ea fortuna ſummum per omnia obtinere, vituperium promerŋerunt. Laudi datur Iſaacio, quod in bene meritos aulæ, & Imperii munia contulerit, ærarium ne libidine quorumdam exhauriretur, providerit, A) recte Urbem, remque militarem ordinarit; adhæc magna ejus in re bellica virtus, & quæ cum hac perraro conſpirat, ſingularis continentia celebratur: qui cum exercituum adhuc Dux peregre aliquando abeſſet, morbo correptus maluerit in periculum amittendæ vitæ venire, quam e conſilio Medicorum inconceſſa Venere ad medelam uti; cumque dicerent Medici, ni id faciat, inurendum ei cauterium, quo inuſto gignendæ deinceps ſobili ineptus fiat; reſponſum dediſſe Chriſtiano homine digniſſimum: ſine liberis fieri poſſe, ut cœlum obtineat, non vero ſine caſtimonia. In reprehenſionem contra Scriptorum incurrit primum quidem animi e rebus feliciter geſtis tumor; quippe effigiem ſuam nummis incidi fecerat manu extenta gladium tenentem, ut ſi virtuti tantum ſuæ acceptum ferret Imperium; deinde nimia in corradendis opibus ſolicitudo; qua factum, ut multi civium fortunis non ſat honeſtas per rationes exuti ſint. In monachorum præcipue ordinem durum ſe & injuſtum præbuit; quibus omnes ademit fortunas, ea tantum relicta penſione, quæ ad pauperem, eique inſtituto convenientem tolerandam vitam eſſent. Id a Curopalata ejus ævi Scriptore, ceu factum plane heroicum celebratur: quaſi vero iis, qui peculiari famulatus genere Deo devincti ſunt, impune injuriam inferre liceat; & minus æquum ſit, iſtos fortunis ſuis moderate uti, quam paucos quosdam alios per intemperantiam & luxum abuti. Sed recidet brevi in auctorem malum. A.C. 1057

Interea obtento Principatu, qui ſuæ factioni ſtuduerant, ſummas in eos dignitates Comnenus contulit; ante alios Patriarcham Cerularium in intimis habebat. Is tanta apud Principem valebat gratia, ut quidvis in Urbe poſſet, & munia non ſacra ſolum, verum & profana pro lubitu conferret. Ejus gratia decreto ſanxit Imperator: ne, quod adhuc fiebat, in Eccleſia illa dignitates aulæ ſuffragio, verum ſolius Patriarchæ arbitrio conferrentur; totaque ejus Eccleſiæ, ac redituum adminiſtratio penes ſolum eſſet Præſulem. Hac Principis gratia, ut erat vaniſſimus, abuti brevi cœpit Patriarcha, ſeſeque penitus dignitate ſua Imperatori ipſi exæquare. Et quidni profanam contemneret Majeſtatem, qui ſacram in Pontifice Romano tanto cum faſtu deſpexerat. Is igitur eo progreſſus eſt audaciæ, ut palam minitaretur Imperatori, ſi quid e voto factum ſuo non eſſet, adempturum ſe illi Imperium perinde, ut contulerit. Inſuper ornamenta quædam Imperatoribus peculiaria, ut calceos cocco tinctos 1058

A) Joannes Scylitzes Curopalata pag. 631.

A.C. tinctos geſtare cœpit, nihil, aut perparum inter Sacerdotium illud, at-
1058 que Imperatoriam Majeſtatem intereſſe dictitans. Intolerandum non ferens faſtum Imperator, quodam die Angelorum ſolemnitatem in Suburbano illum celebrantem miſſa militum manu comprehendi jubet, atque in Proconeſum inſulam deportari; ubi non diu poſtea vitam finiit, exitu infauſto quidem, ſed tamen, quam ambitio illius in hunc diem Orienti noxia poſceret, mitiore. Succeſſit illi Conſtantinus Lichudes e profano homine, rigore ſolo, quem in juſtitia adminiſtranda adhibuerat, ad Sacerdotium illud commendatus.

1059 Adverſus Ungaros deinde, quos violatæ pacis arceſſunt Scriptores noſtri, & Patzinacas graſſatores exercitum duxit Iſaacius. Cum Ungaris ut ventum Sophiam eſt, pax rurſus coaluit; cauſam belli etſi non prodatur, Serviam, ac Sirmium jam tum forte ab Ungaris armis tentatum crediderim. Patzinacarum quoque Duces ad amicitiam adjuncti ſunt omnes præter unum Selten; cujus tamen obſtinatio armis brevi eſt perdomita. Graviorem ab aeris injuria, quam ab hoſte perniciem exercitus ille adiit; cum enim ad montis Lobicii radices conſiſterent, repentina e montibus eluvio nivibus, atque grandinibus admixtis, tantum non omnem obruit Iſaacii exercitum; equorum plurimi, quin & militum qua frigore, qua vero inedia perierunt. Quin & Imperatorem fortuitus quidam caſus pene oppreſſit. Quippe ſub quapiam arbore cum Primoribus colloquentem ejusdem arboris lapſus tantum non peremit, ut vix diffugiendi ſpatium ſuppeteret. Ea res, illataque exercitui calamitas ad animum revocabant Imperatorem cætera pium, ne ob arreptum armis Imperium, aliosque ejus errores hæc talia contingerent.

Redux in Regiam venatu oblectabat animum; cum eum ſubitanea Dei vindicta perculit. Quodam die aprum perſecutus, ſubito ex oculis evaneſcentem cum horrore conſpexit; ab hoc vero caſu fulgetro quodam, an magis fulmine perſtrictus, decidit ab equo ſpumans, & male tortus; relatusque in aulam, graviſſime cœpit ægrotare, ut conclamatum omnes de ſalute illius arbitrarentur. Quamquam non defuerunt, qui morbum ex aere frigido, quo inter venandum afflatus ſit, conciliatum proderent. A) Simul morbi invaleſcentis atrocitate, ſimul conſcientiæ ſtimulis agitatus Imperator, de abjiciendo Principatu ſibi tam inauſpicato, deque amplectendo monachali inſtituto cogitavit. Itaque Conſtantinum Ducam, cujus opera in occupando Imperio præclara uſus erat, ſucceſſorem ſibi deſtinat, præteritis, qui ſe ſanguine contigerant; virum ſtrenuum, & tam a nobilitate generis, quam ab animo bene commendatum. Ferunt, Joannem Iſaacii fratrem B) recuſaſſe oblatum ſibi Imperium; quæ certe modeſtia mirum, ſi in hæc talia ingenia cadere potuit, eo præſertim tempore, quo effrænata quadam cupiditate ſummæ dignitatis plerique ardebant. Eo perfecto negotio, conjuge præſertim Catharina ad id Iſaacium perurgente, muliere præter morem Græcanicarum ab ambitione aliena, in Studiani conceſſit aſceterium, aſſumptaque ejus inſtituti lacerna capillum cum conjuge raſit. Relevatus poſtea a morbo Comnenus annum adhuc ſupervixit, in arrepto propoſito firmiſſimus; eaque animi demiſſione, ut abjecta quævis munia etiam oſtiarii diligenter obiret. C) Iſthuc nempe deprimenda fuit hominis cupiditas, ei vitæ inſtituto tam iniqua; quæ tamen pœna in eo felix eſſe potuit, quod voluntaria.

FL.

A) Pſellus, ut eſt apud Zonaram. B) Bryennius Cæſar p. 10. C) Curopalata p. 634.

FL. CONSTANTINUS DUCAS.





Onſtantinus hic Imperator moribus fuit per- A.C.
quam commodis, verum minime ævo illi armis 1059
Barbarorum ferociter circumſtrepentibus idoneis. Etenim ceu altiſſima pax Provincias omnes complexa eſſet, ſui, bellorumque ſecurus, totus in forenſibus negotiis, litibusque expediendis fuit. Orantibus cauſas cupidiſſime aures dabat; quo viſo plerique cum armis honos non eſſet, ei ſtudiorum generi etiam, qui bello ante claruerant, ſemet addixerunt, quo certe ad perniciem Aſiæ, Turcorumque incrementa nihil eſſe potuit opportunius. AAvaritiæ quoque a Scriptoribus arceſſitur; A) ut qui corradendæ ſtudio poecuniæ Duces, ac militem ſtipendiis fraudaverit, ſatius fore ratus, Barbarorum molimina muneribus, & auro aliquo amoliri, quam ferro infinitos depoſcente ſumptus retundere, certiſſimo ſeneſcentis jam, ac perituræ Reipublicæ indicio.

Interea enim temporis non ceſſabant Orientem ſubigere Turcæ; ad- 1060
verſum quos tumultuarii ſine delectu, ſine gnavis Ducibus, ſine apparatu miſſi exercitus, non tam ad reprimendum, quam ad animis augendum hoſtem, atque proliciendum valuerunt. Itaque eo regnante, Iberia pene omnis partim evaſtata per Turcos eſt, partim occupata; idem fatum ſubiit Armenia, Meſopotamia, Media, aliæque Imperii languentis partes. Ac niſi Procerum quidam Orientalium, contractis in ea parte copiis, bono quodam caſu Turcos in fugam jeciſſent, futurum jam tunc fuiſſe, auctor eſt Curopalates, ut omnis Aſia Turcorum in ditionem concederet. Pancratius quidam ad Annium celebrem Orientis Urbem protegendam cum exercitu miſſus, incogitantia ſua, & diſciplinæ militaris neglectu rem corrupit; ſiquidem Sultani exercitum adverſus alios hoſtes tunc progreſſum infeſtare per procurſores auſus, in eum egit furorem, ut is converſo itinere, & Annium, & plurima circum loca in poteſtatem redigeret.

Periculoſius cum Uzis, ſed & felicius Conſtantino fuit bellum; Uzi 1065
Gens Scythica, Iſtrum cum ſexcentis adeo millibus transgreſſi, videbantur Provincias Europæas ab exercitibus vacuas, quin Urbem ipſam multitu-

 dine

A) A Glyca.

A.C. dine oppreſſuri. Victis, atque captis, qui ad Iſtrum obſtabant, Ducibus,
1065 Nicephoro Botaniate, & Baſilio Apocape, procellæ in morem late Provincias percurrerunt. Ne tam atroci quidem periculo ad cogendum exercitum, ærariumque pandendum adduci Imperator potuit, tametſi peſſime, ceu Imperii neglector a plerisque audiret. Miſſis Legatis, ac muneribus devincire ſtudebat Barbaros; ſed qui tandem tantæ multitudini oculos extunderet? aut qua ratione a graſſando exleges illos contineret? demum populi convitiis irritatus proceſſit ab Urbe, quem non plures centum & quinquaginta armatis conſectabantur; caſtra in Thracia ponit. Res mira, ac pene jocularis viſa eſt, cum tantillo numero adverſus immanem progredi multitudinem. Verum Imperator cum puſillo illo exercitu aliam iniit bellandi rationem, aliisque armis ſeſe obvallavit. Ut enim erat ſingulari in Deum religione, crebro preces cum ſuis fundendo, jejunia in longum extrahendo, ſupplicationes ſingulari cum reverentia obeundo, exercituum Dominum demereri ſtuduit. Nec fefellit eum ſpes ſua; Uzi quippe hyemis rigore, fame, ac peſte, potentiſſimo utique armorum genere brevi temporis ſpatio pene omnes deleti victoriam Conſtantino incruentam reliquerunt. Quin fertur, acies quædam Divinitus immiſſa, ingenti cum impetu in Uzos ad Tzurolum commorantes, eodem ipſo, quo Imperator ſupplicationem obibat tempore, irruiſſe; omnesque eorum vulneribus appetitos; A) quidam ex iis fuga evaſerunt; reliqui in ditionem ab Imperatoriis accepti, quas antea evaſtaverant terras, coloniis implevere. Feliciter itaque, plaudente Urbe, periculo tam atroci defunctus eſt Imperator; & mirum deſidi, atque militarium rerum negligenti tam præſens adfuiſſe Numen, ut arrogantibus infeſtum, ita ſtrenuis una, & ſupplicibus amiciſſimum.

Idem ille Conſtantinus domeſtica quoque nonnullorum perfidia appetitus ab exitio propius abfuit, idque vix Imperium auſpicatus; quis enim Orientalium Principum ab hac illimis? ex Manganorum palatio forte lembo reduci in aulam Imperatori triremis Imperatoria, quæ conjuratos vehebat, occurrit; ac tanta in lembum vi invehi cœpit, ut mergendi confeſtim Imperator, quive una erant, viderentur; verum ſimul clamoribus periclitantium, ſimul vi quadam occulta repreſſi nautæ remos cohibuerunt. Quæſtione in auctores habita, noxii quidam e præcipuis deprehenſi facultatibus tantummodo exuti ſunt; qui ne vita quidem digne facinus tam atrox luiſſent. Atque hæc ſtrictim, neque plura de geſtis Conſtantini hujus comperio; illud inſuper additur: eo Imperium obtinente Urbes haud paucas terræ motu miſerum eſſe concuſſas; Cyzicum nempe, Nicæam, Radeſtum, Panicum; inſuper Cometam plures per dies facie horrifica conſpectum; quæ calamitates etſi omnino & ipſæ magnæ, tamen majorum videbantur prænunciæ. Inter hæc Conſtantino Lichude poſt quatuordecim Sacerdotii Byzantini annos ſucceſſor datus eſt Xiphilinus, vir ea ætate eruditiſſimus, qui Dionis Caſſii de rebus Romanis volumina in compendium damno, quam utilitate majore retulit; Caſſii enim hiſtoria ab eo tempore intercidit, remanente ſola epitome, umbra videlicet pro corpore.

1067 Interea Imperator ſenio, morbisque preſſus cum præter tres filias, Annam, Theodoram, Zoen, tres haberet impuberes filios, Michaelem, & Andronicum, quos privatus, & Conſtantinum, quem Imperator ex Eudocia genuerat, metu jactabatur; ne hæreditate illi patria, etſi minime in eo rerum ſtatu appetenda exciderent. Maxime vero id verebatur; ne Eudocia ætate adhuc vividior, alteri poſt ſe conjugi nupta, periculum communibus liberis crearet. Igitur ſyngraphum jurejurando firmatam ab eadem obtinuit apud Senatum, & Patriarcham depoſitam; qua ſpondebat, non nupturam viro alteri, daturamque operam, ut communes liberi

A) Hæc Curopalata de Conſtantino, ſi modo fide integra; nam Zonaras ait: a vicinis Bulgaris, & Serviis afflictos peſte Barbaros eſſe deletos.

beri Principatum conſequantur. Ea obtenta cautione, teſtamento ſucceſ- A.C.
ſores deſignavit liberos, pro quibus interea, dum idoneam nanciſcerentur 1067
ætatem, mater Imperio præeſſet; eoque perfecto opere, major ſexagenario Conſtantinus ad metam omnibus propoſitam quinto Junii die decurrit poſt ſeptem Principatus annos, & ſemeſtre,

Eudocia a morte conjugis, menſium ſeptem ſpatio vidua, cum filiis imperavit, mediam ſe inter eos ferre publico in proceſſu ſolita, atque res Urbanas ſapientius, quam pro fœmina moderari; erat enim Eudocia literarum ſtudiis apprime exculta, cujus quædam in hunc diem ſuperant ingenii monumenta. Nam ſi aliquando literæ in eo Imperio, hoc certe ævo effloreſcere cœperant, arrectis Principum exemplo cæteris. Michael natu filiorum Eudociæ maximus, a Conſtantino Pſello viro eruditiſſimo inſtitutus, totum ſemet in literas abdidit; idem a plurimis factitatum; quæ res in cauſa fuiſſe fertur, quod inter literarum ſtudia, emarceſcente vigore bellico, Oriens a Turcis perire cœperit; idque ipſum vaticinio prænunciatum Byzantini jactabant, A) quaſi vero armatæ Palladi parum cum armis bene conveniat. Verius in diſcordias, indomitasque animi cupiditates cauſam infelicitatis homines verſutiſſimi retuliſſent. Quando enim arma melius, ac ſub literatiſſimis Ducibus, qualis ille Julius Cæſar, alique fuerunt, proceſſere? Equidem Turcæ hoc tempore late Provinciis Orientalibus cladem, & impune quidem intulerunt; quod tamen ob ærarii inopiam, Ducumque neglectum evenerit. Illi igitur Melitenenſem agrum evaſtant, cives reſiſtere auſos cædunt, Cæſaream diripiunt, Ciliciam evertunt, Antiochenam Regionem pro libidine incurſant. Objecerat equidem ſemet furentibus cum exercitu non contemnendo Nicephorus Botaniates; ſed quod ſtipendia militi maligne mitterentur, nihil ab eo geri e ſententia potuit; inſuper Magiſtratum juſſus abdicare, Barbaros audentiores, atque in evertendis Provinciis ſolertiores reddidit.

Hæc omnia ut erant atrocia, cum in Urbem fama pertuliſſet, commoveri vehementer Primores, atque omnem ejus rei cauſam in muliebre imperium conferre, nec remedium ſperare ullum, ni ſtrenuo cuipiam viro rerum gubernacula tradantur. Non invita ſermones hos audiebat Eudocia, non tam Imperatoris novi, quam mariti cupiditate impulſa; ſed obſtabat religio, qua ſe viventi Conſtantino obligarat. Forte per eos dies Romanus Diogenes Dux Sardicæ, novarum delatus in aula rerum, vinctusque in Urbem adductus fuerat, atque Judicum ſententia capitis damnatus. Hujus cum iterum cauſa pro tribunali aſſidente ipſa quoque Eudocia excuteretur, mirum eſt, ut Imperatricis animum viri, & fama geſtarum rerum inclyti, & forma egregii aſpectus perſtrinxerit; ut non modo a crimine eundem abſolveret, verum etiam militiæ renunciatum Magiſtrum in Cappadociam juberet proficiſci; quin imo unum illud cogitabat: quanam ratione vinculis, queis ſe innodarat, expedita eundem non invita Urbe & Primoribus duceret. Fraudem ita commenta eſt: clam ſignificat Patriarchæ, cupidam ſe non tam mariti, quam Imperatoris, qui labanti opituletur Imperio; atque in fratrem Patriarchæ ipſius Bardam propendere totam, dum integra religione, redditaque ſyngrapha id confieri poſſit. Ea denunciatio perculit virum ambitione tumentem; ratum continuo habet Eudociæ conſilium, Senatoribusque ceu rem factu neceſſariam perſuadet. Ita omnium conſenſione expeditur a religione Eudocia; quæ voti compos Patriarchæ os ſublinit; Diogenem in Urbem accerſitum, Imperatorem cum aula ſalutat, eidemque tantam rerum viciſſitudinem obſtupeſcenti in conjugem ſemet locat. Exorta equidem fuit a Barangis B) aulæ cuſtodibus adverſa Diogeni vociferatio; ſed Michaelis Eudociæ filii præſentia, & admonitu compreſſa.

FL.

A) Tzetzes Chil. 9. c. 88. B) Barangi ſatellites erant exteri ab ultima Anglia, vel Thule petiti, ac cuſtodiæ aulæ deputati: quibus in tanta ſuorum perfidia ſalutem Imperatores ſuam credebant.

FL. ROMANUS DIOGENES.



A. C. 1068

Diogenes ſimul atque Imperio potitus eſt, ut oſtenderet dignum ſe illa, quæ tam inſperato eum complexa erat, fortuna, in Orientem armis Barbaricis pene jam fatiſcentem, expeditionem iniit. Et habuit initio eandem ſibi blandientem, verum ut graviore mortalium infeliciſſimum lapſu dejiceret. Difficillima erat novo Imperatori belligerandi ratio; quod militaris ordo ſocordia priorum ante ſe propemodum diſſolutus, ærarium in res inutiles diſſipatum, Orientales Provinciæ Barbaricis incurſibus enectæ, vix aliquem bonæ ſpei locum darent. Ex Bulgaris itaque, Uzis, Macedonibus, atque Orientalibus contracto, ut poterat, exercitu, nequaquam vir fortis, ac ſtrenuus animo concidit; tametſi copias cerneret, & ab animis, & ab armis peſſime comparatas. Medebatur interea his, quantum licebat pro virili difficultatibus. Turcæ bifariam diviſi ferebant, agebantque Aſiam; Sultanus ipſe cum majore exercitu Boreales, alii Duces Barbarici Meridionales plagas ſubigebant. Verum Sultanus audito, Imperatorem cum exercitu, cujus vires fama majores fecerat, adventare, e veteri Græcos fortuna æſtimans, progredique porro non auſus, in Perſidem receſſit. Cum aliis igitur Turcis Cappadociam, & Antiochiam divexantibus res erat Diogeni; Hierapolim in Syria primum occupatam ab iis recuperare adniſus fuit. Hanc dum ſtrenue ſuam facit, una & altera vice a Barbarico appetitus exercitu, non tam virtute ſuorum militari, quam ſuo conſilio ſuperior fuit; quo facto ſimul animos addidit ſuis; ſimul ipſe in maximarum rerum ſpem elatus eſt. A) At compreſſit eam brevi lætitiam audita Amorii, & Neo-Cæſareæ Urbium in ea Ora præcipuarum a Barbaris facta direptio; qui alacritate bellandi, aſſiduisque diſcurſibus rem gerendo victores non minus, quam victi formidinem ciebant. Imperator occupata Hierapoli, prædisque ex hoſtico actis, quod jam annus in præcipiti eſſet, Urbi ſemet, ac novæ conjugi, majore quam diſceſſerat ſpiritu, reddidit; ut neque jam illius, quæ ſe rerum ut antea potentem fore ſperaverat, multam haberet rationem. B)

1069 Non diuturna tamen fuit ejus in Urbe commoratio; reſumpſit cum Vere expeditionem in Orientem; quam Criſpini cum Francis, qui operam Græcis bello navabant, defectio maturaverat. Is enim non pro merito ſecum agi exiſtimans, non leves crearat turbas; Aluſiano quoque Bulgaro, qui adverſus turbulentos miſſus erat, ſuperato. Demum Legatione miſſa, receptus in gratiam a Diogene impunitate promiſſa eſt Criſpinus; ne videlicet expeditioni in Turcos tam neceſſariæ obſtaret; quæ tamen homini ſtrenuo Græca fide ſervata eſt. Alterius accuſatum criminis, nec ſatis convictum abdicavit dignitate Imperator, tametſi ægre id ferentibus Francis, & ad turbas ſpectantibus.

Cum Turcis perinde, ut anno ſuperiore proximo, majore gloria, quam utilitate certatum eſt. Nam ad Cæſaream quidem fugavit Imperator Barbaros

A) Hæc diffuſius Curopalata p. 644. & ſequentibus. B) Zonaras p. 220.

baros prædis ejus Provinciæ inhiantes; & ad Euphratem uſque arma protulit. At diſſecto poſtea bifariam exercitu, quam Philareto ducendam attribuerat, partem repentino accurſu in terrorem, & fugam conjecerunt Barbari, ut omnia impedimenta hoſti relinquerentur. Denique iidem Turcæ pernicitate ſua Imperatorem antegreſſi, atque Iconium delati celebrem eam Urbem evaſtarunt, & antequam ulturus adeſſet Imperator, ad ſua refugerunt; iis tamen in reditu per Armenios præda omnis e manibus excuſſa eſt. Relicto deinde ad eos perſequendos Ducibus exercitu, animo ob rem non ſat e ſententia geſtam æger Byzantium Imperator regreſſus eſt. A. C. 1069

Ut ſe tempus bello opportunum dedit, miſſus ab Urbe cum exercitu diverſarum nationum Manuel Comnenus, A) primum quidem ad Urbem Cæſaream cum Turcis ſat proſpere velitationibus magis, quam juſto prælio contendit; at poſtea parte copiarum Imperatorio juſſu imminutus, atque fraude a Turcis fugam ſimulantibus occupatus cladem accepit, in captivitatem ipſe quoque barbaram abſtractus; ex qua tamen corrupto Turcorum Duce, & ad partes Imperatoris ob eas, quæ ipſi cum Sultano interceſſerant ſimultates pertracto, ſemet brevi vindicavit. Imperatorem, & ſiniſtrum hoc prælium, & Chonenſium Urbis per Turcos everſæ caſus ad maturandam profectionem incitabat; tametſi non leves ei ſtrueret obices inſana quorundam invidia; Joannis nempe Cæſaris, qui Conſtantini Ducæ erat frater, Pſelli illius eruditione, quam fide melioris, Nicephori Palæologi, aliorumque verentium, ne Diogenes hoſtibus ſuperatis natura inſolentior Conſtantini Imperatoris liberos a ſpe ſucceſſionis dejiceret. Atque ita Rempublicam peſſumire, quam ſuo non obſecundare timori homines vaniſſimi maluerunt. B) Demum tamen ab his expeditus in Orientem abiit Imperator; cui non pauca ſiniſtri ominis per iter obveniſſe dicuntur; verum inaniora, quam ut a nobis recenſeri mereantur. Ardua qnædam eventa, quæ ſe in itinere objecerant, ſolertia Imperatoris ſuperavit. Nemitzorum Legio C) ob facinoroſos quosdam ſeverius caſtigata, atque ad defectionem inclinans, celeritate Imperatoris, & metu præventa in officio manſit. Difficultati quoque commeatus, ac militum paucitati proſpectum ab eo quam optime fuit; ut hiſce rebus elatus, nihil jam niſi magnum, victorias, & triumphos cogitaret. 1070

Ut ventum Theodoſiopolim eſt, ſanius conſilium ſuadebat Imperatori; non educendas in hoſtem copias, nec inferendum, ſed defendendum potius bellum, & tutiora periculoſis præponenda; in quibus fuere Nicephorus Bryennius, Trachonites militum Magiſter, aliique; contra Baſilacius pugnax magis, quam catus, nonnullique alii ſtudio adulandi dicebant: Sultanum cognito Imperatoris adventu metu Babylonem verſus retroceſſiſſe; nec obſtare, quo minus munimenta quædam ad Euphratem ſita Turcis ereptum irent. Idipſum Sultanus per omnia ſimulabat, quo ſuam in naſſam pelliceret Imperatorios. Neque fama exercitus hoſtilis erat ulla; crebræ tantummodo hinc, atque illinc, eæque per manipulos apparebant procurſiones; cum interim tectis, & magnis itineribus Turcicus appropinquaret exercitus, numero, apparatuque longe maximus. D)

Ejusmodi fama, & ſuorum adulatione tanta Imperatorem rerum inceſſit confidentia; ut nulla periculi ſibi impendentis habita ratione partem exercitus non contemnendam cum Trachoniate, & Ruſelio Duce Francico ad arcem Cheliat Barbaris eripiendam expediret, nequicquam deprecantibus illis expeditionem, atque inſtans periculum objectantibus. Capto deinde uno, & altero Turcico munimento, ut ſi debellatum jam eſſet, nihili hoſtem Imperator habuit. Crebriores poſthæc circum caſtra Turcorum erant incurſus: Baſilacius cum Bryennio ad explorandum ho-

A) Nicephorus Cæſar Bryennius p. 16. B) Joannes Curopalata; p. 652. qui in vivis tunc fuiſſe ex modo narrandi videtur. C) Zonaras Celticam hanc, ſive Gallicam Gentem ait; ſed fere Græci Scriptores Germanos juxta, & Gallos pro iisdem Francis habent. Verius Germanicam hanc fuiſſe Gentem; quibus hodieque in lingua Sclavica id nominis eſt. D) Cæſar Bryennius p. 16.

A.C. 1070 ſtilem miſſus exercitum, atque adnata ſibi temeritate ad valla uſque caſtrorum progreſſus, captus a Turcis eſt. Ut cognitum, adeſſe Sultanum magnis cum copiis, non defuere rurſus, qui cedendum tantiſper judicarent; dum altero advocato exercitu valentior res Chriſtiana evaderet. Verum Imperator ſpe inani inflatus nihil pro ſano egit. Primum Legatos Sultani pacem offerentes audivit cum contemptu, non acturum ſe de illa prius dictitans, quam deductis caſtris, quem occuparat, Sultanus locum ſibi cederet; deinde exercitum etſi longe inferiorem prior produxit; ac licet hoſtem ſumma uti arte cerneret, ut qui in omnem partem opportune ſuorum manipulos diſpeſcuiſſet, accedendoque, ac recedendo ſtrenue ſagittis rem gerere cœpiſſet, tamen in Sultanum ipſum, etſi receptum ſimulantem invehi fortiter cœpit.

Cæterum ad res Diogenis evertendas, plus domeſtica perfidia, quam virtus Barbarica valuit; acies ordinata in hunc modum erat: Aliates Cappadox dextrum, ſiniſtrum cornu Bryennius, mediam aciem regebat Imperator, poſtremam, eamque præcipuam Andronicus A) Cæſaris Joannis filius animo in Turcos, quam in Imperatorem æquiore concreditam habuit; qui ut veſana inter eos ardebant diſſidia, omne ſtudium ad Diogenem perdendum, non hoſtem profligandum contulerat. Itaque cum Imperator ſemet ab inſequendo recedente hoſte obverſis ſubito ſignis metu inſidiarum retraxiſſet, ea re ad perfidiam abuſus ſuam Andronicus, verti & ipſe ſigna juſſit, ſicque relicto Imperatore effuſam cum ſuis fugam capeſſivit. Re Barbari conſpecta celerrime undique affunduntur, Imperatorem in medio occupatum plurima circum cæde edita equo deturbant, ſeque viriliter defenſantem, manu demum vulnere debilitata comprehendunt. Aliorum promiſcua ſecuta eſt cædes, caſtrorum occupatio, direptio, & quæ victoriam ejusmodi conſequi aſſolent.

Sultanus ut Imperatorem in ſua poteſtate eſſe cognovit, ingenti elatus gaudio primum quidem adductum ſe coram, & abjectum pede preſſit; B) dein vero amice complexus eſt vicem illius commiſerans, & multa verborum humanitate ſolatus; quin tabernaculo quoque, & famulatu inſtructum, menſæque adhibitum ſuæ pro dignitate habuit, ſi Scriptores quidem noſtri vera narrant; nam Guilielmus Tyrius Latinus expeditionis in Palæſtinam Scriptor memoriæ prodidit: Sultanum thronum conſcendentem Diogene pro ſcabello uſum eſſe. Ut ut tamen ſit, in Barbaro humanitatis plus, quam in ſuis Diogenes reperit; ille enim ſine contumelia graviore compoſitis antea fœderibus Imperio nec noxiis, nec probroſis, C) addito famulatu, Legatisque Imperatorem in terras ſuas deducturis liberum poſt brevem captivitatis moram abire ſivit. Ita in ſuos rurſus fines Diogenes, in Perſidem Sultanus conceſſerunt.

1071 At vero in ſuis fœdam, inhumanamque perfidiam Diogenes reperit; ut mirum ſit Gentem cultam literis, & Chriſtianam fœdis adeo cupiditatibus ultra omnem barbariem extrema cum pernicie deſipere potuiſſe. Ut clades a Turcis accepta, Imperatorisque caſus Byzantium fuere nunciata, varii in turbidis illis ingeniis extitere animorum motus; aliis ad rei atrocitatem ingemiſcentibus, aliis vero, qui Michaeli Ducæ ſtudebant, Joanne nimirum Cæſare, Pſello, Palæologo, ipſoque Michaele in ſinu exultantibus. Proinde Imperatorem magnis ſtudiis proclamant Michaelem, Eudociam ejus matrem in monacham tondent, Diogeni quod tam male adminiſtrarat Imperium abrogant, ignari tum etiam libertatis ab eo recuperatæ. Ubi vero certiſſimis ea nunciis in Urbem allata eſt, literas ad omnes Provincias dedere, queis vetabant, Diogenem conſtituto jam

A) Curopalata pag. 656. Andronicum hunc mire extollit Bryennius Annæ Comnenæ Conjugis ſuæ avum; diſſimulat ejus perfidiam, non tamen odium in Diogenem. B) Pro more ſcilicet victorum; ut ait Curopalata. C) Arabs quidam Scriptor ejus ævi narrat: Diogenem mille quingenta aureorum millia pro libertate ſua pactum eſſe; inſuper annua trecenta ſexaginta aureorum millia. Vide annotationes Caroli du Fresne ad Hiſtoriam Bryennii; tacent de his Scriptores noſtri.

jam novo Imperatore uſpiam admitti; qui ſecus faxint, fore in hoſtium numero. Diogenes in Orientales delatus Provincias, intellectis, quæ in Urbe evenerant, ira ſupra modum percitus novas ſcribit copias ulturus perfidos, & dignitatem armis conſervaturus. Eadem fuit Michaeli, & Cæſari cura; ita Reſpublica fumantibus adhuc a Turcico bello incendiis, civilibus rurſus armis confunditur. A.C. 1071

Joannis Cæſaris natu minor Conſtantinus cum exercitu oppreſſurus Diogenem in Orientem mittitur; hic manum jam ſibi non contemnendam e Cappadocia, & reliquiis militaribus confecerat. Neque rem Conſtantinus male geſſit; nam & Criſpinum, ac Francos Diogeni abſtractos ſibi adjunxit, & cum Theodoro Alyathe Duce Diogeniano manu conſerta ſuperior fuit; ut profligatæ undique miſeri Imperatoris res viderentur. Eas tamen recreavit Procerum cujusdam, quo minus in ea fortuna exſpectata, hoc gratior fides; qui Ciliciam proditis anguſtiis Diogeni in manus dedit. In hac Provincia refectis ille viriliter copiis magnas rurſus in anguſtias Michaelem, & Urbanos conjecit; ut compoſitione quoque ſopire hoc incendium tentaverint, allegatis ad Diogenem, qui pacis conditiones perferrent. A) Verum ferociebat Diogenes, non contentus parte Imperii, qui omnia, ſed vindictam ante alia atrocem de inimicis cupiebat. In hunc majore cum apparatu miſſus eſt deſertor ille, ac proditor Andronicus; qui perruptis clam itinerum in Ciliciam difficultatibus cum Diogenianis prælio certavit. Plurimum ad victoriam ei contulit Criſpini cum Francis virtus; qui in equitatum Diogenis fortiter invectus pedeſtrem nudavit aciem, univerſosque in fugam egit. Diogenes in arce Adana extremis licet in anguſtiis ſpes tamen ſibi neſcio quas de Turcis faciebat. At enim a Præſidiariis incolumitatem antea eidem paciſcentibus proditus, lacernaque monaſtica obtectus in captivis Andronici fuit. Nondum calamitatum finis.

Qui Diogeni adverſabantur, metu ne turbis rurſus ad vindictam ille niteretur; perfecere in aula, ut decreto Michaelis eidem oculi effoderentur. Sunt qui Joannis illud Cæſaris fuiſſe commentum Michaele ignaro velint. B) Perlato in caſtra decreto fruſtra Præſulibus, qui fidem pro Diogene ſuam interpoſuerant, contra obnitentibus, oculos Diogenes cum ſpe Imperii perdidit, non diu calamitati tantæ ſuperſtes; cum enim vulnera male curata eſſent, putiſcere cœpit, & verminare caput, tetroque odore omnes repellere; ita iin Protes inſulam, ubi aſceterium ipſe excitarat delatus, poſt annorum trium, menſiumque octo Imperium menſe Octobri humanis exceſſit; in cujus aditu ad Principatum, tum etiam progreſſu, atque exitu fortuna luſum luſit omnium, quos legeris inſolentiſſimum. Neque tamen Diogenes major, ac fortior unquam, atque in extremo hoc tragœdiæ ſuæ actu apparuit, ne verbo de calamitate tam atroci queri auditus, omniaque in Dei nutum referens; erigit enim magnos quandoque animos inuſitatum infortunii genus, in quos mediocre nihil poterat.

A) Bryennius Cæſar pag. 22. B) Curopalata pag. 661. Nam Bryennius totus eſt in Joannis Cæſaris laudibus.

FL. MICHAEL DUCAS.



A.C. 1071 Michael dein, Duca Conſtantino natus, velut hæreditario quodam jure, ſed mollius, & ignavius, quam ſpes erat, imperavit; totus enim in literarum exercitatione ſuo cum Pſello abditus, tametſi invita, ut quidam volunt Minerva, nihil pene in publica re ordinanda egit, etſi turbatiſſimus Imperii ſtatus ſi aliquando, tunc certe virum expoſceret. Etenim Sultanus cognita Diogenis infelicitate ulturus injuriam & Diogeni, & fœderibus cum eo initis factam, maximis rurſus copiis minorem Aſiam vaſtabat, nemine propemodum ſemet objiciente; nec niſi Urbium muri, aut locorum inacceſſorum natura Chriſtianos ab exitio tutata ſunt. Ita Regione nunc hac, nunc alia exinanita, ad ſua cum prædis redibant Barbari; necdum quippe certas illic collocaturi ſedes veniebant, etſi ad id quoque faciendum Græcorum ſocordia non diu poſtea invitati.

1072 Interea vero in aula factionibus, odiis, injuriis, ac injuſtitiis certabatur. Joannes Cæſar Imperatoris patruus A) Nicephorum quemdam Eunuchum, cujus ſolertiſſimum in conficiendis pecuniis jam olim cognorat ingenium, ærario, ac negotiis Urbanis præfecit; is totus e fraudibus cum eſſet, translata in ſe ſenſim aulæ ipſius poteſtate mirum eſt, ut ſuis verſutiis Urbi, Imperio, quin ipſi Joanni perductori ſuo illuſerit. Ad emungendos facultatibus ſuis cives valebat præcipue; inſtituebat monopolia, quin foro pene omni occupato, mercatorem ex Imperatore fecerat; vendebat exaggerato frumentum pretio, a quo quæſtus genere Parapinacii nomen Michaeli adhæſit; quod nempe quarta medimni pars quod pinacium dicebatur, uno tunc nummo aureo venierit, Denique accuſationibus iniquis, bonorum proſcriptionibus, aliisque ſceleſtiſſimis artibus ita res Imperii nefarius ille homo perturbavit; ut non minus in Urbe ad exitium ille, quam Turci in Aſia factus videretur.

Ne vero nihil Imperator in tanta ſuorum calamitate agere videretur, Iſaacio Comneno ducendi in Barbaros exercitus curam detulit, adjuncto cum Francicis copiis Urſelio de Balliolo viro, quam militari, & ſtrenuo, tam etiam turbulento; qui e Francis ortus licet, in mores tamen Orientalium totus immigraſſe viſus eſt. Vix enim ad Cæſaream Cappadociæ perventum, Urſelius ille ſuis cum Francis deſcivit a Comneno, nec huic, nec Turcis æquus, ſed in publico illo Aſiæ naufragio lacera & ipſe illius Imperii membra pro arbitrio divellere, & prædas agere aggreſſus; nec certe leve poſtea Græcis negotium exhibuit. Interea Comnenus nihil hac defectione turbatus, in Turcos magnis cum copiis adventantes duxit; imparatos, & ſopitos nocturna ut rebatur aggreſſione oppreſ-

A) A fratre ſuo Conſtantino Cæſaris dignitatem Joannes hic olim obtinuerat. Cæſaris nomen primum Imperatoribus peculiare fuit; deinde illis, qui velut candidati, & ſucceſſores in Imperio futuri erant. At hiſce temporibus nomen fuit dignitatis ſolummodo, licet præcipuæ: & poſt Imperatoriam primariæ.

oppreſſurus. Verum ſpes illum ſua fruſtrata eſt: Turcæ parati in pugnam Comnenum excipiunt, cædunt, ac fugant, Ducem ipſum vinctum abducunt. A) Alexius Comnenus prioris frater tum adoleſcens, poſtea Imperator caſtris tutandis relictus, etſi omnia moliretur, ſuos tamen a fuga nocturna præpedire non valuit; quam & ipſe invenit difficillimam varios per caſus jactatus; cujus res eo ævo geſtas Cæſar Bryennius ejus poſtea gener ſplendidius forte, quam verius ad poſteritatem transmiſit. Iſaacius pretio a Turcis recuperatus Antiochiæ Dux præfuit. Iidem vero victores Barbari ad ſatietatem Aſiæ inſultarunt. A.C.

Imperatori ſuis cum metris jambicis in palatio luctanti cum hæc talia perlata eſſent, majorem ut proba erat mente dolorem, quam ſolicitudinem ingeſſerunt. Curam quippe ejusmodi rerum omnem in Nicephorum illum, & patruum Joannem rejecerat. Ac Joannis quidem diligentia, & æquitatis ſtudium laudantur; quem ut a latere Michaelis Nicephorus avelleret, ſpecioſam eidem exercitus in Urſelium turbatorem ducendi provinciam ut deferret Imperator, demum perfecit. Urſelius conflato e Provinciarum ſpoliis majore exercitu, magnam late dabat formidinem; ut in hoc perdendo, quam Barbaris reprimendis plus in aula eſſet ſolicitudinis. Joannes adjuncto collega Nicephoro Botaniate in Aſiam expeditus, undique infortunatiſſimus fuit. Conſerta ad Sangarium pontem cum adverſariis manu, recedente inſperato poſtrema, quam Botaniates ducebat acie, B) non modo ab Urſelio victus eſt, ſed etiam captus. Jam enim tum Botaniates præſentem rerum ſtatum peroſus neſcio, quas ſpes infelix coquebat. Quid in re tam deſperata Imperator ageret? Maluit imprudenti ſane conſilio Aſiam a Barbaris, quam a perduellibus diripi, uſque eos mutua efferaverant odia; itaque ſollicitati ad Urſelium opprimendum Turcæ ingenti cum exercitu adfuerunt. Neque ſibi defuit Urſelius: ſimul ut plus virium ad reſiſtendum undique contraheret, ſimul dolorem ut majorem aulæ inureret, ac non ſpe Tyrannidis, ſed publici boni gratia ad ea progreſſus videretur; Joannem vinculis eductum ornamentis Imperialibus circumdat, atque Principem cum ſuis, etſi modeſte eos honores deprecantem conſalutat. 1073

Verum vix ſcenicum hunc exornarat Imperatorem Urſelius, adſunt gemino cum exercitu Barbari: priorem decem millium fortiter excepere Urſelius, & Cæſar, multis Turcorum cæſis, atque in fugam actis; verum cum iſtos audentius, quam cautius inſequuntur, in alium multo majorem delati exercitum, atque circumſepti, in captivis fuere. Urſelius dato lytro libertatem brevi, atque una turbandi rurſus copiam recuperavit. Cæſarem multo auro repetiit Imperator, non tam ut liberaret, quam a Tyrannide retraheret. Nactus libertatem Cæſar, ac deteriora in aula tam incerta verens, in reditu ad monaſticam lacernam, velut ad ſacram apud eos anchoram recurrit; ut ea tectus vitam, & oculos, quorum tam facilis in Urbe jactura, ſervaret. Abjecta poſthæc Barbarorum, & direptionum cura, in unum perdendum Urſelium Nicephori aulæ potentis cogitationes intentæ erant. Palæologus Nicephorus Alanos in turbatorem excitare juſſus, quod ſtipendia deeſſent, perfecit nihil. Miſſus itaque in eundem eſt Alexius Comnenus ſpei maximæ juvenis; qui rem non tam manu, quam conſilio egit præſtanter; atque in eas compulit adverſarium anguſtias, ut is Turcis terras Imperii rurſus ingreſſis ſocium belli ſe addere non dubitaret. Alexius Barbaris auri multum pollicetur, ſi Urſelium ſibi tradant hominem inquietum, nec Turcis minus, quam Græcis adverſarium; illi damnorum ab eo acceptorum memores non gravate rem præſtant; ita Urſelius in Alexii demum caſſes decidit.

Capto turbarum auctore reditura videbatur quies, ea vero magis etiam exulavit; nihil certe toto hoc Michaelis Prircipatu turbatius, nihil miſerabilius fuit; illo enim literarum cura improvide occupato Nice-

A) Joannes Curopalata p. 662. B) Bryennius p. 35.

A.C. phori verſutiis omnia ab imis miſcebantur; quam ob cauſam & populi
1073 ad rebellionem, & Proceres ad turbas ſpectabant, & Barbari ſuis intenti lacerabant in Oriente omnia. Bulgari, atque Illyrici populi exactionibus vexati arma in Græcos rurſus corripuerunt, eorumque exercitum Duce Dalaſſeno Domiano ceciderunt. Hinc Scopia, Niſſa, Sirmium, ac reliquæ ejus oræ Regiones ſenſim ſemet ab obſequio Imperatorum avellebant. Saronites Dux Imperatorius in tumultuantes miſſus, rem bene geſſit, multis eorum cæſis, ac Duce Bodino, Michaelis Serviæ Principis filio, qui Regem ſe Bulgarorum dixerat, capto. Nicephori quoque Bryennii in componendis Illyriis laudatur ſolertia, A) qui acie ſuperior oram illam pacaverit. Attamen ab eo tempore vix quidpiam firmum Græcis ab ea parte fuit; quod rebellarent aſſidue populi, & alios ex aliis Principes ſibi conſtituerent; nec parva earum Regionum pars non ita multos poſt annos in Ungaricum conceſſit Dominatum, quæ res bello cum Græcis eam Gentem, ut dicetur, implicuit.

Interea Michael Imperator & ſuorum inquiete, & Turcorum progreſſionibus res in Oriente Chriſtianas afflictiſſimas cum videret, ad Latinorum auxilia, & Pontificis Romani concordiam recurrendum ſibi duxit; B) igitur & Sergium Anagniæ Epiſcopum ab Alexandro Pontifice miſſum perlubenter accepit, & ſucceſſorem Gregorium ejus nominis ſeptimum, gratulatoriis literis convenit: & Patriarcham Venetum ab eodem hoc Pontifice Byzantium expeditum cum honore ſuſcepit: & denique Roberti Guiſcardi Normannorum in Italia Ducis filiam filio ſuo Conſtantino admodum adoleſcenti deſpondit; quæ rebus poſtea perturbatis, Byzantium adiit quidem, nequaquam tamen nupſit Conſtantino. Atque hæc in Latinos animi æquitas non parva apud Græcos averſionis a Michaele cauſa extiterit; ut & malevolentia tunc Procerum, & poſtea Scriptorum odiis conflagraret. C) Ac Gregorius quidem Pontifex nihil non egit, quo in Sacrum Europæos bellum exciret, progreſſurus & ipſe in expeditionem, multis jam hominum millibus in unum collectis; niſi Henrici Regis Germaniæ importunitas interveniſſet. Robertus quoque in procinctu opem laturus fuit; verum Græcorum in ſuos Principes ſumma & incredibilis levitas, atque improbitas in eosdem ipſos poſtea arma vertere Robertum coegerunt.

1076 Et profecto tantus in deplorato illo Imperii Orientalis ſtatu erat ſummæ dignitatis tunc ambitus, tam incenſus inter eos, ſanguine licet inter ſe junctos, diſcordiarum fomes, ut incredibilia iſthæc viderentur; niſi ab iisdem illis, qui tunc vixerunt, Græcis literis conſignata legeremus; ut videantur non tam inflammata honorum cupiditate, quam animi quodam morbo, & inſania laboraſſe. Eodem quippe tempore, quo Aſia Barbarorum ferro late peribat, primum quidem in Europa Neſtor quidam Regioni ad Iſtrum Præfectus, dein Nicephorus Bryennius, Dyrrachio, ac oræ Illyricæ Præpoſitus, ac denique in Bithynia Nicephorus Botaniates copiarum in ea Regione Dux arma adverſus Principem corripuerunt. D) Neſtor cum Patzinacis in ærarii Præfectum Nicephorum furebat ob exactiones nimium intolerandas, atque cum populi fæce ad Urbem ipſam progreſſus, illata rebus vaſtitate dedi ſibi hominem nequam ab Imperatore popoſcit; quod cum minime impetraſſet, nullo alio operæ pretio, quam quod patriam vertiſſet, in Provinciam abiit. Bryennii valentior fuit factio; qui inde a Dyrrachio Adrianopolim uſque Regiones ſibi obſequentes habuit; quin Macedonicæ quoque copiæ Imperatorem illum agnoverunt. Multus eſt Cæſar Bryennius prioris nepos in excuſanda avi ſui factione; E) quem vanis in aula ſuſpicionibus circumventum, atque improbitate aulicorum in id conſilii adactum, & a Proceribus ad purpuram aſſumendam coactum memorat; verum nullo verborum fuco ſatis crimen obve-

A) A nepote ejus Bryennio p. 50. B) Annales Eccleſiæ ad annum præſentem. C) Annæ præſertim Comnenæ Latinis ſtylo ſuo infeſtæ. D) Curopalata p. 667. E) P. 55.

obvelat. Poſteaquam Macedonum defectione ſatis ſe potentem vidit Bry- A.C.
ennius, Joanni germano ſuo ad Urbem oppugnandam exercitum ducendum dedit; ratus odio Michaelis, ac præſertim improbi illius Nicephori facile Urbem novitatis ſtudioſiſſimam in partes venturam; at enim Joannis milites, parte quadam Suburbiorum incenſa, ita civium alienarunt animos; nihil ut viribus, & minis Joannes proficeret, atque abducere alias in oras exercitum neceſſe haberet.

Fortunatius Botaniati in Aſia, ſi quæ tamen in his fortuna, ſua 1077
ceſſit perduellio; is enim a quibusdam Senatorii ordinis præſentem rerum ſtatum inquiete ferentibus, etſi pertenues in Aſia res haberet, acclamatus tamen Imperator eſt, ſenio jam gravis, minimeque Imperio aptus; cujus cupiditati fruſtra Meliſſenus Nicephorus, atque Georgius Palæologus Principes ejus Provinciæ viri ſeſe objecerant. Ille enim evocatis ad ſe, quiqui in Orientis illo naufragio ſupererant, militibus, Cutlumum quoque Turcorum Principem, late jam in iis oris dominantem, ſibi auxilio futurum adjunxit; eo quippe jam dementiæ cupiditas Græcanica proruerat. Cutlumus iſte cum Sultano cognatione ſibi juncto de Principatu Perſico diu certaverat. Quodam vero tempore viribus in unum contractis jam in procinctu ad prælium Barbaricæ ſtabant acies; medium inter has Mahometanus Calipha ſe intulit, orareque magnopere cœpit, ne cognatum inter ſe ſanguinem funderent; melius rebus eorum conſultum iri, ſi alter quidem Principum Perſiæ dominari pergeret: alter Provincias Chriſtianorum Orientales, tot bellis jam perdomitas, regendas ſibi ſumeret. Ea factum oratione, ut miſſo bello civili, in Aſia minore Cutlumus Turcorum jam ante armis enervata Principatum conſtitueret. A) Ita Mediam, Lycaoniam, Ciliciam, quin Phrygiæ partem haud modicam Cutlumo Principe Barbari occuparunt; quibus tantum abeſt, ut repugnarent Græci, ut & Michael Ducas eorum adverſus Botaniatem ſollicitarit operam; & hic eosdem promiſſis ſibi adjungeret, illis dementia Chriſtianorum in rem ſuam ſolerter utentibus.

Botaniates Nicææ ut Imperator acceptus, exercitum ſibi non conte- 1078
mnendum e ſuis, Barbarisque paraverat; quo in Urbe cognito ſeditioſi quidam jam antea a Botaniate clam promiſſis præparati tumultum in Michaelem exciunt; idque tanto cum ſucceſſu, ut dejiciendum ſolio Principem plerique cenſerent; ſive quia ignavum, ſive quia Eunuchis cum pernicie publicæ rei obſequentem. Michael re comperta etſi compeſcere tumultum non difficiliter poſſet, hortantibus ad id Alexio Comneno, aliisque, tamen ut placido erat ingenio, Imperio carere, quam per cædem potiri maluit. Ad Blachernenſem itaque ædem ultro profectus purpuram cum monaſtica lacerna mutavit, B) expletis in Principatu annis ſex, totidemque menſibus. Intellecto Urbis in ſe favore Botaniates haud cunctatus diu, in palatium navi trajecit, exceptus feſtivo ab Urbe plauſu, atque ab iis etiam, qui Michaeli antea ſtuduerant, tempori nimirum ſervientibus; itaque corona die ſeptimo Aprilis redimitus a Colma Patriarcha, qui Xiphilino ſucceſſerat, rebus ſi quando alias turbatiſſimis præeſſe cœpit.

FL.

A) Curopalata p. 673. Zonaras p. 228. B) Ita Cæſar Bryennius; at Curopalates ait; vi a ſeditioſis aula protractum Michaelem, atque in aſceterium deductum.

FL. NICEPHORUS BOTANIATES.



A.C. 1078 Occupatum perduellione Principatum, plurimorum perinde factione, & insana Dominatus prurigine intricatissimum, & brevem Nicephorus habuit. Vix enim rerum potito, tres Nicephori, Bryennius quidem, & Basilaces in Europa, Melissenus vero in Asia sumptis Imperatorum ornamentis incredibili rerum confusione periculum creare pergebant. Accessit bellum postea a Roberto Guiscardo Normanno illatum; accessit Constantini Ducæ fratris Michaelis defectio; ac demum Alexii Comneni; qui quam strenuus in aliorum compescenda cupiditate fuit, tam felix in sua promovenda; cujus demum artibus Botaniates concidit; hæ vero tot, tamque variæ factiones intra annos non nisi tres, quibus solis Botaniates præfuit, evenere. De singulis paucula.

Bryennius Nicephorus, jam antea a seditiosis Imperator acclamatus, conditiones omnes sibi a Botaniate oblatas insolenti cum fastu respuit; Legatis quoque, ceu a Tyranno venissent, pessime tractatis. Infirmaverat equidem ejus partes jam antea Ursélius a Michaele libertate donatus, ac Præfectus copiis; verum ille fraude quorundam veneno sublatus victoriæ non institit. Botaniates Alexium Comnenum Nobilissimi titulo donatum, juvenem quidem illum, sed ingenio, & manu ad res qua fraude, qua Marte explicandas præstantem in Bryennium expedivit; cujus exercitus e diversis nationibus, quando res domesticæ discordiis procumbebant, collectus fuit; in quo ne Turcæ quidem fidi scilicet auxiliatores, desiderati sunt. In Thracia prope Almyrum amnem congressus cum Bryennio Alexius alterno diu Marte certavit; victoriam demum illi peperit Turcorum in pugnando ardor, & versutum ipsius ingenium; qui equum Bryennii phaleris regio pro more ornatum, ac tum forte occupatum circumduci per aciem jussit pene jam inclinatam, cæsumque Bryennium proclamari; quo arrecti militum animi adversarios demum fuderunt. Bryennius in fuga captus oculorum dispendio, Imperatore ita decernente, ambitionem, & Patriæ ruinas luit.

1079 Cum eodem victore exercitu ne in Urbem quidem redire permissus Alexius, in Basilacem ire est jussus; Dyrrachio ille Præfectus, atque Illyrico, ejus oræ milites in partem pertraxit suam, simili spe insaniens; tanquam si Principatus ille nobilis quædam præda, & fortitudinis præmium omnibus in medio positum esset. Magnam jam is Macedoniæ occuparat partem, Thessalonica quoque in potestatem acta. Alexius contra prævalidum hunc, & pugnacem adversarium fraudem subsidio accersiit. Positis ad amnem Bardarium Thessalonica haud longe castris, cum Basilacium nocturna in se aggressione irrupturum rescisset, subduxit semet castris, crebris undique excitatis ignibus, seque in vicinia occuluit; Basilaces castra ingressus vacua suorum discursu, ac hostis insequendi studio minus in pugnam fuit idoneus; contra Alexius ordinate in hostem a lateribus cœpit invehi; pugnatum in diem alterum utrinque fortiter;

demum

demum superior fuit Alexius Basilacio, in Urbem Thessalonicam cum reliquiis profugiente. Urbs obsidione pressa invitato frustra ad deditionem Basilacio victori semet dedit. Capto Basilacio, perinde præmium inquietis, oculorum jactura tam in eo Imperio vulgaris fuit. At Alexii maximum ab his rebus gestis nomen increbuit, quem Botaniates dignitatibus, opibus, atque etiam Augusti titulo ad perstringendos Gentis ambitiosæ oculos opportuno in caput videlicet suum decorabat. A.C. 1079

Inter hasce rerum perturbationes magno, & pessimi in vulgus exempli crimine Botaniates aulam fœdavit; defuncta enim conjuge sua (ut Curopalates, ut Bryennius, vivente) duxit Mariam Michaelis Ducæ Imperatoris etiamnum viventis conjugem; cujus maritum in Ephesinum etiam Præsulatum promovit, quasi eo facto prius dissolutum esset conjugium: impias hasce nuptias a Joanne Cæsare Michaelis patruo conciliatas ferunt; sive ut in invidiam Urbis, & odium homo vafer Imperatorem adduceret; sive ut Constantino Michaelis filio ea ratione prospectum iret, quem hæredem a Botaniate adoptatum iri speraverat; seu denique ut gratiam sibi Mariæ, & Imperatoris novi colligeret; quas quidem nuptias reprehendunt Curopalata, & Zonaras. Et quis crederet, viros Principes, & Christianos in hæc scelera proruere potuisse? Sed in tanta ingeniorum mobilitate, & affectuum spei, timorisque immoderatione isthæc demum fidem inveniunt. Joannes Cæsar magnam isthoc facto Imperatoris, & Mariæ gratiam iniit; qui depositio non ita pridem monachali indumento, quo olim adversus ingruens periculum se obtexerat, receptis libertate, & facultatibus ad alia se tempora, & turbas servaverat. Cæterum Botaniatæ in quotidiana victus consuetudine frugalitas, atque in excipiendis, beneficioque fovendis civibus facilitas laudatur; cujus tamen e famulatu Borilus, & Germanus rerum aulæ tunc Administri, & rapacitate, aliisque vitiis notati, magnam hero suo in Urbe conflarunt invidiam. Idem Imperator Synadenen sororis filiam suæ Regi Ungariæ nuptum locasse memoratur; A) sed cui tandem Regum? nisi forte Geizæ; qui hisce temporibus primum quidem magnæ Ungariæ partis Dux, ac deinceps adversus Salomonem Rex fuit; quem ob virtutis præstantiam peculiari quodam fœdere Imperatori Græco conjunctum extitisse Bonfinius auctor est.

Inter hæc non cessabant Asiam subigere Turcæ, ceu prædam a Græcis eorum cupiditati derelictam; in hos Constantinum Ducam Imperatoris Michaelis fratrem cum exercitu in Asiam transmiserat Botaniates; sed successu: qualem sperare ab ejusmodi capitibus poterat; vix enim cum exercitu Asiæ limitem Constantinus attigit, Imperator salutatus, curas Botaniatæ non leves incussit. Igitur promissis Primorum in exercitu fidem tentando, honores, & munia, ut cujusque ferebat cupiditas, ingerendo brevi perfecit Imperator, ut ab iisdem illis, quorum consiliis purpuram arripuerat, Constantinus dederetur, abductus in quandam insularum, atque in asceterium communem tunc Principum carcerem detrusus; ita defectio simul cœpta, simul oppressa est. B) 1080

Non ita cum Melisseno Nicephoro in eadem Asia, & quidem Turcorum auxiliis subnixo res acta. Hic enim non diu postea purpura, & coccineis calceis amictus, obibat reliquas adhuc Phrygiæ, Gallaciæ, & Bithyniæ Urbes, ac spe nescio qua, miseras in nassam alliciebat suam, quas auxiliares subibant Barbari; atque specie quidem tenus pro Melisseno, re autem vera pro se ipsis occupabant. Ita periit Nicæa, Cyzicum, pluresque aliæ Urbes; ut exceptis quibusdam locis maritimis vix in Asia reliquum Orientali Imperio aliquid esset. Adversus hunc Melissenum Joannes quidam Eunuchus ab Imperatore cum exercitu expeditus nihil gessit memorabile; ab obsessa enim Nicæa adventu Turcorum depulsus,

ac

A) Curopalates pag. 678. B) Hæc quoque ex Curopalata; qui demum hostoriæ suæ finem imponit.

A.C. ac in anguſtiis quibusdam deprehenſus, ægre ſeque, exercitumque Georgii Palæologi, & Curticis virtute ſervavit; quibus tamen homo vafer, etſi alia omnia pollicitus, pedicas poſtea in aula ſtruere impudenter perrexit. Meliſſeni porro in Aſia perturbatio ad Alexii uſque Imperium perduravit. A)

1081 Majus his omnibus Imperatori, atque Græcis imminebat periculum a Roberto Guiſcardo, viro fortiſſimo; atque occupata jam Sicilia, Italiæque parte maxima, viribus, claſſe, armis, viris formidando; qui Græcos in Italia ſuis cum Normannis imbelles expertus, ſpem ſibi Græciæ quoque non vanam occupandæ fecerat. B) Non ſuo ille quidem nomine, ſed Michaelis Ducæ inferebat bellum; vindicaturus nempe generi patrem ſui, & in ſolium, unde Botaniatis ambitione exciderat, repoſiturus. Hunc enim Michaelem fuga ſemet in Italiam etuliſſe, atque Roberti, ac Pontificis in Botaniatem auxilia popoſciſſe Latini auctores ſunt; C) at Græci, in quibus præcipua Anna Comnena, Alexii poſtea Imperatoris filia, monachum quendam, cognomento Rectorem ajunt: Michaelis in ſe ſumpſiſſe perſonam, atque in Italiam profectum ad auxilia Roberti confugiſſe; qui hominem pro dignitate Imperatoris acceptum, ac regie exornatum, deducendum in Græciam acceperit; ut ea Imperatoris larva (neque enim fabulæ ignarum fuiſſe) Græcos ad ſe pelliceret, prætextumque bello ſpecioſum haberet. Hic itaque Robertus filiorum altero minore Boemundo cum claſſe præmiſſo, altero Rogerio ſecum aſſumpto in Græciam transmiſit; ac Boemundus quidem Aulone excenſione facta, tum eam Urbem, tum complura alia loca ſubegit; pater vero cum triginta millibus militum, D) ac centum quinquaginta navibus Dyrrachium uſque Brunduſio profectus, munitam in inſula Corcyra Urbem Coripho, arcesque nonnullas in progreſſu Græcis eripuit. Verum dum hæc tanta in Botaniatem Robertus molitur; ab iis ipſis, quibus ſalutem Imperator credebat ſuam, ac quorum virtute Imperium ſervarat, calamitatem, qua deceſſorem ſuum affecerat, ſequente a tergo Dei vindicta pertulit.

Comneni Iſaacius, & Alexius, patre Joanne Imperatoris Iſaacii fratre geniti, in magnam hoc tempore aulæ, & Urbis gratiam penetraverant; quam bellis domeſtico, exteroque præprimis Alexius verſatili ad res gerendas animo ſibi paraverat. Illi igitur etſi Imperatoris animum ita poſſiderent; ut non facile alius, tamen ſive privata ut quidam autumant, ambitione tracti, ſive quorumdam, ut Anna Comnena, improbitate impulſi ab Urbe profugientes arma per Thraciam, & Imperium corripiunt. Borili, & Germani Botaniatæ ſervorum invidia, artibusque aulicis factum ajunt: ut Alexii, atque Iſaacii excæcatio in aula inſciente licet Imperatore decerneretur; acceſſiſſe ad hoc Mariæ Imperatricis prævaricationem; quæ cum videret Botaniatem non jam in Conſtantinum privignum, ut prætulerat, ſed in Synadenen quendam cognatione ſibi junctum Imperium poſt ſe transferre cupere, indicarit clam omnia Comnenis, eosdemque ad defectionem perpulerit.

Comneni in Thracia facile exercitum votis ſuis obſequentem habuerunt; quod Alexius Occidentalium Dux copiarum, qua beneficiis, qua rerum novarum ſpe plerosque occupaſſet; acceſſere ad factioſos viri quidam in Urbe Principes; ante alios Joannes ille Cæſar, cujus neptem Alexius duxerat, turbarum jam antea multarum caput; item Palæologus Georgius, Alanus militiæ Magiſter, Umbertopolus, & alii, queis in turbido

A) Bryennius Cæſar pag. 75. B) Anna Comnena pag. 33. & ſequentibus. C) Vix credibile, Michaelem in Italiam profugiſſe; licet id Baronius ex literis Pontificis Gregorii adſtruat; quod vix ſiluiſſent ævi illius Scriptores Græci; & qua fronte Anna non multos adeo poſt annos in recenti omnium memoria rem poſitam; ac tantam negare auſa eſſet? Curopalates quoque p. 676. ait: Michaelem ab Alexio poſtea Imperatore magno honore cultum eſſe; ut vix ſit credibile, eum in Italiam profugiſſe. D) Hunc numerum habet Anna p. 33. Sed exaggerate credo; nam Latini minorem multo.

bido res curare ſuas ſolenne tunc, & tanquam moribus receptum fuit. A.C.
In Urbe Thraciæ Tzurulo ab exercitu perduelli Alexius Imperator, tametſi Iſaacio junior, præ illo tamen ſalutatus eſt; quod ætate vegeta, ingenio acri, nec parvo rerum uſu ſpes omnibus de ſe opimas ingereret. 1081
Nec oſtenta defuerunt, quæ Alexio Principatum prænunciarent, ſi non fabulatur hic Anna Alexii filia. Idoneum ut habuit exercitum Comnenus, acceſſit demum Conſtantinopolim; cui tamen plus in perfidia propugnatorum, quam oppugnatorum virtute ſpei repoſitum fuit. Nec illum ſua fefellit verſutia. Monaſtica quippe veſte ſuo cum Cæſare contectus Alexius, propius Urbis muros exploratum acceſſit; in eos enim, qui ita veſtiti erant, nefas ducebant Græci tela jacere. A) Hic cum obſervaſſet, turrim quampiam a Nemitziis obtineri, promiſſis homines exteros aggreſſus faciles in vota habuit. Horum itaque proditione quinta hebdomadæ majoris feria ingreſſus Urbem Alexius, magnas ſecum perturbationes, & calamitates intulit; quippe exercitus ille e diverſarum colluvie nationum male coagmentatus in Urbem ceu armis occupatam, barbarum in morem deſæviit; & ne a ſacris quidem ædibus, & corporibus cupiditas nonnullorum eſt coercita; nec reprimere diu graſſantem militis licentiam Comneni potuerunt.

Botaniates in hoc rerum ſtatu in omnem ſe verſabat partem; primum ad palatium, vimque defendendam; deinde Alexium Legatione ſibi demerendum; denique ad Meliſſenum, qui in adverſa continente exercitum habebat, accerſendum animum appulit; dare enim, quam cedere Imperium maluiſſet; ſed horum nihil ſucceſſum habuit. Palæologus claſſe in partem Alexii traducta impedimento fuit, ne in Urbem Meliſſenus accederet. Pacis vero conditiones omnes ob Cæſaris ferociam Alexius eſt aſpernatus. Ita cum Botaniatis ſpes, & res collabuntur, adeſt in aula Coſmas Patriarcha, atque Imperatorem ad deferendum, quem nec ipſe bene occuparat, Principatum, quemve ne cum cæde Urbis ſervare jam poſſet, hortari cœpit. Dedit ille victas neceſſitati manus; ac primum in ædem Sophiæ aſyli gratia, ad monaſticam deinde lacernam recurrit. Percontanti poſtea familiarium cuipiam, quo animo mutationem tantam ferret, reſpondit: abſtinentiam ſibi carnium duram videri: cætera non multum negotii faceſſere; meque diu poſtea in eo inſtituto vitam clauſit.

At Alexius iſthoc amoto obice aulam tenuit, & Imperium, manu Patriarchæ ſolemni pro more corona Kalendis Aprilis cinctus; qua pompa ſuam quoque Irenen conjugem e Ducarum ſtirpe aliquot poſt dies honeſtavit. Ab hoc Comneno Alexio, qui plures in annos ſuum produxit Principatum, Comnenorum Imperatorum conſecuta eſt ſeries; tanquam ſi ſatietas quædam perturbationum, & Tyrannidis Byzantinos occuparit. Et profecto uni illos ſervire familiæ, quam tot Procerum cupiditatibus funditus diſcerpi conſultius fuit. Alexii iſtius res geſtas magno volumine filia ejus Anna, literarum laude præſignis, ad poſteros tranſcripſit ſtylo compto, nitido, ac florente; ex quo muliebre facile noſcas ingenium, ſed patri ſuo nimium favente, etſi miro artificio contrarium ubivis obtendat, Latinis vero, & Pontifici Romano nimis quam infeſto; cujus elegantiſſimæ cætera mulieris, ne nobis illecebræ imponant, etiam atque etiam cavebimus.

A) Maxima in veneratione apud Græcos veſtitus monaſticus; atque ea vitæ profeſſio fuit: exiſtimabant enim per eam non ſecus, quam per baptiſmum omnia penitus peccata aboleri; hinc plerique etiam Principum ante exceſſum veſtium illud genus aſſumebant.

FL. ALEXIUS COMNENUS.



A.C. 1081

ALexium Imperio per vim potitum, adverſis juxta, & proſperis varie per omnem vitam fortuna jactavit. Ut invaſæ Tyrannidis, Urbisque eo caſu laceratæ invidiam ab ſe amoliretur, publicam ob delictum iſtud pœnitentiam egit: A) errato enim ſuo in Sacerdotum confeſſu ex ordine recenſito dies quadragenos in jejunio, cilicio, humique cubatione duxit; ducere plures non imparatus, dum brevi hoc corporis cruciatu ambitioni apud Deum, & homines ſuæ conſuleret, diuturnumque ſibi, ac ſuis Imperium redimeret. Ab hoc facto ad tractandam Rempublicam omni pene ex parte fatiſcentem ſeſe retulit. Meliſſenum, qui in adverſa continente ſimili cupiditate arrectus exercitum habebat, conceſſa Cæſaris appellatione, Urbeque Theſſalonica ad concordiam traxit; & ut aliis, quos par urebat honoris ambitio, oculos perſtringeret, varias commentus eſt dignitatum appellationes, & ornamenta Imperatoriis ſimilia: nam huic quidem Sebaſti, id eſt, Auguſti, alii Hyperſebaſti, id eſt, Auguſto ſuperioris, alii denique Panhyperſebaſti, quaſi Auguſtis omnibus ſuperioris appellationem indidit; fratrem vero ſuum Iſaacium Auguſti, & Imperatoris nomine in unum contracto Sebaſtocratorem nuncupavit, eamque dignitatem antepoſuit Cæſareæ. B) Atque his peculiares erant coronæ, ſceptra, throni, veſtiumque ornatus; gaudebant ampullatis ejusmodi rebus, & nominibus levia iſthæc ingenia, ſeſeque Imperatorum iſti ſimioli magnifice circumſpectabant; ita Alexius ingenio, ſi quis alius, ad ſimilia verſuto libens umbram cum iis partiebatur Imperii, dum corpus unum ſe penes conſiſteret.

Quamquam ſparta ipſi obtigerat minime omnium, ſi ſaperent, invidenda; ærarium exinanitum, militaris ordo diſſolutus, Aſia per Turcos ad uſque Boſphori anguſtias aut diſcerpta, aut poſſeſſa, bellum a Roberto Guiſcardo Græciæ illatum, Scytharum in Thraciam incurſus, aliaque mala, quæ pene in deſperationem ſummæ rei Alexium conjecerunt. Quia autem cæteris validior a Roberto impendebat metus, ne is vide-

A) Anna Comnena p. 68. B) Multa de hiſce dignitatum appellationibus, & ornamentis Codinus in libro de officiis aulæ Byzantinæ. Anna quoque p. 66.

videlicet aut Michaelem Conſtantini, cui filia Roberti deſponſa erat, patrem in ſolium reponeret; aut domeſtica ea Græcorum diſcordia ad cupiditatem abuteretur ſuam, omnes ad eum Græcia, quam oppugnare jam orſus erat, dejiciendum vires Imperii juxta, & ingenii Alexius retulit. Cum vero non ignoraret, aureis in hoſtem telis felicius rem acturum; tributa haud levia impoſuit civibus; invaſit etiam in privatorum opes, A) tum denique theſauros ſacris ædibus velut in ſacrum bellum, &, a quo ſumma Græcanici Imperii penderet, eripuit. Quas res peroſus Patriarcha Coſmas, ultro dignitate ſua ceſſit, eamque Conſtantino cuidam apud matrem Alexii Dalaſſenam gratioſo obtinendam liquit. A.C. 1081

Ne vero gemino cum hoſte luctandum Imperatori eodem tempore eſſet, cum Solimanno, qui Cutlumi ſucceſſor Nicææ Regni ſedem defixerat, ac plerasque Aſiæ minoris Provincias obtinebat, pacem ea conſtituit lege; ut, quæ occuparat, retineret porro Solimannus, a locis vero oræ maritimæ diripiendis, a Paphlagonia, & Bithyniæ partibus Turcos B) cohiberet. Rebus ita a parte Orientali utcunque proviſis in Normannos armavit exercitum, imbellem illum domeſtica ob odia, & tot rebus adverſis pene contritum. In exterorum proinde auxiliis Principum plus ſpei, & opis etiam fuit. Ante alios Henricum ejus nominis quartum Germaniæ Regem, C) cui cum Gregorio, qui tum Septimus erat hoc nomine Pontifex, atque adeo etiam cum Roberto Pontificias ſecuto partes magnæ erant ſimultates, fœdere ſibi adjungere laboravit; cui ex pacto convento centum quadraginta quatuor monetæ grandioris millia D) cum pretioſis quibusdam cimeliis miſſa ab Alexio ſunt; inſuperque ducenta, & ſexdecim millia miſſum iri pollicita, cum ſtipendiis quibusdam, & donativis. Veneta quoque Reſpublica ampliſſimis promiſſis in partes feliciter traducta operam adverſus Robertum eo bello ſtrenuam Alexio locavit. Ita omnia ab imo undique in Robertum movebantur; quod inſignis viri virtus, Francorumque in re militari ardor minime Principem verſutum magis, quam fortem latebant.

Multa, & diffuſe, ſed elegantius, quam verius de toto hoc bello memoriæ Anna Comnena prodidit; diverſis in Alexio, & Roberto depingendis uſa artibus; nam patris quidem ſui clades ſæpe acceptas minime diſſimulat; exaggerat etiam, ſed ab iis ipſis efferendæ illius magnanimitatis, conſtantiæ, fortitudinis occaſionem ſcite ubivis arripit; contra Roberto adſcribit illa quidem victorias, uti erant, inſignes, ac fortitudinem etiam militarem; ſed a moribus crudis, barbarie, fraudibus, perjuriis, cæterisque vitiis infamat; quin eo non contenta in Gregorium quoque Pontificem talem, ac tantum virum muliebri loquacitate, & petulantia inſurgit, E) atque adeo in Pontifices univerſim Romanos, qui ſe Patres Chriſtiani orbis vane jactent; quippe cum Imperio Romano Pontificium quoque thronum, ſacramque in omnes Chriſtianos poteſtatem Byzantium eſſe translatam, atque Concilii Chalcedonenſis ſuffragio firmatam. Verum fœminea vel inſcitia, vel vanitate miſſa, F) belli hujuſce progreſſiones, eventumque eminus ſpeculemur.

Dalaſſenæ matri ſuæ, & fratri Iſaacio Urbe, & Republica commiſſa, prodiit in expeditionem Alexius exercitu ſtipatus e Theſſalis, Macedonibus, Francis, Turcisque auxiliaribus bene magno; quem nobilitas pleraque ſequebatur, Ducibus præcipuis Conſtantino Opus, Alexandro Cabaſila, Umbertopolo, Antiocho, & Bodino Principe Dalmata, aliisque; ac 1082

A) Zonaras p. 233. Nam Anna Comnena, ea, quæ patri ſuo probroſa erant, ſilentio præterit. B) Anna p. 80. C) Summe cavent Scriptores Græci, ne, quem alium Βασιλέα vel αὐτοκράτορα nominent, præter eum, qui Græcis imperabat; Germanicum vero Imperatorem, ut & alios Reges, non alio, quam Ῥῆγας titulo dignantur. D) Anna p. 78. ἑκατὸν τεσσαράκοντα τέσσαρες, χιλιάδας τῶν νομισμάτων. Ubi per numiſmata grandiorem intelligi monetam autumo. Recitatur ibidem Epiſtola Alexii ad Henricum. E) Pag. 28. & ſequenti. F) Has Annæ cavillationes egregie confutavit in Gregorio Septimo Grætserus noſter.

A.C. recta Dyrrachium verſus Urbem extreme jam a Roberto laborantem pro-
1082 peravit. Georgius equidem Palæologus Dyrrachio, & oræ Illyrici Præfectus defenſabat locum ſtrenue; Veneti quoque admota a tergo claſſe, navibusque Normannicis in portum retruſis, aut captis, in anguſtias conjecerant Robertum; ut fame, & lue conficeretur exercitus. Attamen nihil iſtis fractus Robertus, brevi expugnaturus ferebatur Dyrrachium, majore jam anni parte obſidione eminus & cominus preſſum, & a commeatu excluſum. Igitur octavo decimo Octobris die accerrimo prope Dyrrachium prælio pugnatum eſt; ad quod religioſe Robertus ſeſe aptaverat in templo D. Theodori, exercitu Divinis myſteriis per Sacerdotes communito. Primæ Normannorum cohortes repulſæ ab Imperatoriis cum clade ſunt; verum a Roberti conjuge Gaita, & ipſa virilem in modum præliante animis auctæ, ac in arenam reſtitutæ. Dein Robertns ipſe cæſa Barangorum, quæ præ cæteris procurrerat, cohorte vi ſumma in Imperatorios invectus, disjecit aciem, univerſosque in fugam egit. Equidem copiarum partem a tergo Normannum invaſuram longo circuitu ire Alexius juſſerat; ſed quod prius patratum eſſet prælium, quam viam illi emetirentur, nihil eo aſtu profecit. Cæſi e Nobilitate præcipui: Conſtantinus Ducas Ducæ Conſtantini Imperatoris filius, Synadenus, Nicephorus Palæologus, multique alii. Cæſorum numerus non profertur, id, quod & alias plerumque reticent Scriptores Græci, uti & numerum copiarum, fors incerta pro certis obtrudere veriti; immodicam tamen eam fuiſſe cladem apud omnes in confeſſo eſt. Imperator ipſe difficillima fuga cædem vitavit, non levi vulnere ſumma in fronte perſtrictus; cujus in pugna non minus, quam fuga præſentem animum, geſtaque plane heroica, ut qui tres e præcipuis Normannis manu ſua peremerit, atque inſequentium conatus mira & virtute, & felicitate exierit, venuſte deſcribit Anna, A) ſi modo vere; in qua narratione id unum dolere ſibi ait: quod futuros prævideat, qui fidem ſuam ob ſuum adverſus patrem affectum in dubium vocaturi ſint; quo etiam reſpectu multa ſe de admirabilibus Alexii geſtis ſilentio de induſtria occulere; en ingenium & muliebre, & Græcanicum!

Alexius Achridem Bulgariæ Urbem difficili duarum dierum, & noctium fuga pervenit; illic de reparando exercitu, deque propulſando Normanno dies, ac noctes ſolicitus. Datis ad Urbem literis, velut in ultimo rerum diſcrimine, aurum undique, templorumque theſauros cogi imperat, copioſiora Turcorum auxilia ab Aſia accerſit; Henricum Imperatorem in Robertum per Legatos rurſus exſuſcitat; nullum denique adverſario compeſcendo funem non movet. Interea Urbs Dyrrachena deſperatis jam auxiliis Roberto portas reſerat; idem facit & arx Caſtoriaj verum Robertum, ne majores tantæ victoriæ fructus legeret, ſummum Gregorii Pontificis diſcrimen, quod is ab Henrico Romam cum exercitu profecto adierat, in Italiam avocavit. Relicto igitur in Græcia cum exercitu Boemundo filio, rediit Salernum Robertus; atque inde ſola adventus ſui fama Henricum Roma fugavit, Pontifice tutiorem in locum translato. Relictus cum exercitu Boemundus non ſegniter in bellum incumbit: Joanninam arcem in Ætolia prævalidam occupat: Urbes Græciæ procurſionibus infeſtat: nec parvam Regionis partem parere ſibi cogit; cujus fortuna invitati Græcorum Procerum non pauci, ceu deſperatis Alexii rebus tranſitionem ad victores fecere.

1083 At Imperator diſceſſu Roberti arrectus, novisque auctus copiis menſe Majo ab Urbe, quo hybernaturus ſe retulerat, in Græciam properavit, Boemundum conatibus dejecturus. Tribus exinde prælis inter Græcos, & Normannos certatum eſt: in primo aſtum commentus Alexius hebe-

A) Pag. 92. Ex Latinis eandem expeditionem ſcripſere Malaterra, l. 3. c. 24. Ordericus l. 7. & Lupus Protoſpata; qui ait: Alexio fuiſſe ſeptuaginta millia bellatorum. Malaterra vix quindecim millia Roberto fuiſſe, ait.

hebetando primo Francorum impetui, quo illos cumprimis valere no- A.C.
rat, currus, & carros irruentibus ſubito objecit, ſed profecit nihil; Fran- 1083
ci enim nec Marte, nec arte Græcis inferiores, relicta media acie, & curribus, invecti a lateribus in fugam brevi hoſtes conjecerunt. Alexius generoſa rurſus fuga, in qua Normannum acrius inſequentem equo deturbaſſe fertur, ſe ſibi, & Imperio ſervavit. Modico ad reſumendum e fuga ſpiritum, copiasque ſarciendas indulto tempore, produxit iterum Alexius exercitum; certus extrema omnia prius perpeti, quam dignitate excidere.

Itaque altero Boemundum prælio laceſſere conſtituit, fraude in ſupplementum fortitudini accerſita; quippe inſtructa acie creberrimis medium campum, & acutiſſimis clam muricibus conſtraverat; admonueratque ſuos, mediam ut ipſi continerent aciem, a lateribus tantummodo inveherentur. At fruſtra omnes hæ erant Alexio machinæ; rem totam edoctus Boemundus, ne tentata quidem media acie utroque in cornu conflixit; nec ſuſtinuere, vel primum equitatus Francici impetum aſſuetæ in fugam Græcanicæ cohortes; Imperator doloris, & dedecoris plenus Byzantium petiit; cæteri quaquaverſus ſparſi. Ea occaſione egregie in rem uſus ſuam Boemundus, exercitu plures in partes diſtributo; pluribus eodem tempore Urbibus: Scopia, Achride, Pelobo, Tricala, nec parva Pelagoniæ, Ætoliæque parte potitus; demum Lariſſam obſidione vallavit, eam tamen præclare ſex menſium ſpatio Leo Cephalas defenſabat. A)

Interim Alexius in omnem ſe verſabat partem, quo majore vi, & 1084
felicius hoſti poſſet occurrere; a Solimanno Turcorum Principe millia ſeptem ſubſidio accepit; adhæc militem miſſis in Provincias pecuniis paravit idoneum; neque eorum, quæ extremo in periculo fieri aſſolent, quidpiam omiſit; ſicque rurſus cum Boemundo certaturus in Græciam properavit. Fraudem ita comminiſcitur: ſigna militaria Imperatoribus præferri ſolita, ſplendidumque apparatum pro fronte aciei collocat; unum etiam de Proceribus Imperatoria veſte exornat, monetque: ut dum hoſtes acri pro more impetu in eos incurſuri eſſent, terga ipſi continuo verterent, &, quam longe poſſent, pro ſe quisque diffugerent; ipſe vero cum altera copiarum parte non longe a caſtris Boemundi in loco inſidiis opportuno deliteſcit. Boemundus in hoſtem acriter invectus, cum illos e more ſuo fugam capeſſere autumat, longius ipſe cum ſuis inſequendi ſtudio evehitur; at Imperator erumpit e latebris, caſtra Normannorum diripit, nec parvam illic cædem miſcet; inde ad perſequendum a tergo Boemundum B) copias expedit; quæ tamen una, & altera vice cum clade a Normannis repreſſæ, didicerunt: viros fortes virtute corrigere ſolere, ſi quid temeritate, vel incogitantia offenderint. Dejectus ea ratione de ſpe occupandæ Lariſſæ Boemundus, reduxit Caſtoriam copias; quem quorumdam e Procerum ſuorum numero non leviter turbarat ſeditio; quippe jam ante hoc prælium terni e Principibus ab Alexio empti in Boemundum conjuraverant; detecti tamen, & ſua pro levitate caſtigati. Ab hoc vero prælio reliquorum quoque fidem ingentibus promiſſis tentare Imperator cœpit, aureos tantum non montes pollicitus; perque Ungariam tutum in Patriam reditum. Itaque coorti in Boemundum Proceres ſtipendia annorum quatuor debita acerbius deposcunt, nec moræ quidpiam petitioni ſuæ interjici patiuntur; qua eorum obſtinatione fractus Boemundus Aulonam primum, inde Calabriam pecunias a patre, & militem accepturus petiit. Sic, qui ferro vicerant, victi auro ſunt, metallo, ut nobiliore cæteris, ita victoriis parandis, quibus nihil pretioſius, præ reliquis opportuno.

Caſto-

A) Diffuſe hæc, & minutatim perſequitur Anna p. 108. & ſequentibus; ſed annorum ſeriem non apponit; qua in re ſumma eſt Græcanicorum Scriptorum indiligentia; ut aliunde odorari illam, & inveſtigare cogamur. B) Zonaras perperam conflictui huic Robertum adfuiſſe ſcripſit pag. 234.

A.C. Caſtoriam poſt hæc arcem oppugnare adortus Imperator, in eas
1084 Præſidiarios anguſtias compulit; ut partim ad illius aggregarent ſe exercitum, partim fide accepta ad ſuos commigrarent. His geſtis rebus Byzantium non citra triumphi ſpeciem invectus eſt. Hic cum in animum reducit tot clades a Normannis acceptas, ac velut ſacrilegus multorum ore ob erepta templis donaria traducitur; deteſtari & ipſe erratum hoc ſuum cœpit, Deoque, & hominibus de ſe ſatisfacere; nec modo refundi e Fiſco accepta juſſit; verum etiam, ne quid tale deinceps ullus poſt ſe moliretur, edicto publico cavit; uſu doctus: ſacras has opes infeliciter cupiditati humanæ militare, ſolius Dei cauſæ ſervituras. Hæc aliaque Alexii errata, atque bellica infelicitas in cauſa fuerint; quod eodem hoc tempore multi e Senatorio ordine, Tribunisque militaribus conjurationem in caput illius procuderint, verum detecti fortunis, & patria mulctati ſunt. Fama erat: plerosque eorum calumniam paſſos, A) ut exhauſtum Imperatoris ærarium augeretur; at Principes plerumque injuriam inferre videntur, etiam cum accipiunt; quia, ut inferant, in promptu ipſis eſt.

1085 Robertus intellectis, quæ in Græcia evenerant, valida cum claſſe eorſum navigavit comitante Rogerio filiorum altero; Boemundo terreſtres copiæ curæ erant. Veneti ex fœdere cum Imperatore inito ſuam Græcæ claſſem adjunxerunt, Corcyram oppugnare adorti; cum his cruentis aliquot præliis navalibus certavit Robertus. In priore quidem pugna ſuperiores fuere Veneti; at in altera diffugiente claſſe Græca B) tantam Veneti acceperunt cladem; ut e tredecim pugnatorum millibus plerique aut capti ſint, aut cæſi. Neque tamen vel tanta hæc calamitas ab Alexio Venetos abduxit. Reparata claſſe urgere porro bellum in Robertum, atque infeſtum habere mare perrexerunt; quin etiam manum conſerere auſi ſtrenue rem, fortiterque geſſere. Sed brevi bellicos hoſce motus mors Roberti disjecit; qui in Cephaloniam cum claſſe progreſſus, atque febri ad Ather promontorium correptus in vivis eſſe deſiit, ſtrenuus, ſi quis alius Bellator; qui longe e Normannia humili ſatis origine in Italiam profectus, e nobili prædone magnus Princeps, & Italiæ Dominus fuit. Rogerius natu major, ne de Calabria periclitaretur, in Italiam navigavit. Tam importuno liberatus hoſte Alexius adfuit ipſe continuo; & primo Dyrrachium proditione civium, tum alia Græciæ loca recuperat; Venetis pro navata opera gratiam refert; qui & donis largiſſime exculti, & poſſeſſionibus quibusdam in Græcia, ipſaque adeo in Urbe Byzantina locupletati, quin a penſitandis per omnes Imperii portus vectigalibus immunes pronunciati, accepta eo bello detrimenta abunde ſarſerunt. C) Ita bello Normannico finis in præſenti impoſitus.

1086 D) Cum Turcis deinceps in Aſia negotium Imperatori fuit: Solimannus, qui Nicææ imperabat, Græcis alio intentis, occuparat Antiochiam; cujus Urbis deſiderio flagrabat Tutuzes Solimanni patruus, & Sultani Perſici (quippe & illic Turcæ imperitabant) frater, qui Babylonem, & Syriam late obtinebat. Igitur armatus occurrit Solimanno, ac prælio ſuperatum interemit. Turcæ arcibus, & Provinciis ſub Solimanno Præfecti earum ſe dominos faciunt, atque in plura capita res Turcicas minoris Aſiæ diſcindunt. De his Nicæam obtinebat Apelchaſemus, Bithyniæ, oræque Græcorum maritimæ aſſiduis ſuorum procurſibus perquam infeſtus. In hunc ab Imperatore expeditus Taticius binis præliis, Francorum præſertim Imperatori militantium virtute ſuperior fuit. Sed demum Apelchaſemo cum aliis Turcorum Regulis belligerante quies ab ea parte conceſſa; quin Apelchaſemus ipſe Byzantium progreſſus, donisque excultus

A) Zonaras p. 234. B) Non meminit Græcorum fugæ Anna; meminit vero Gulielmus Apulus Scriptor Latinus l. 5. C) Anna Comnena p. 136. D) Incertum plane, quo hæc anno contigerint; niſi quod ex ſerie narrationis apud Annam iſthuc referenda videantur. Idem eſto judicium de ſubſequis aliquot annis, uſque ad initium expeditionis Chriſtianorum in Palæſtinam.

cultus, adhæc Auguſtiſſimi quoque titulo e Græcorum vanitate ornatus A.C.
pacem firmavit. Cæterum Turcorum res domeſticis eorum diſſidiis turbatiſſimæ quietem Græcis aliquam præſtiterunt.

Verum hanc interpellavit bellum atrocius cum Scythis, qui a Sar- 1088
matiæ finibus ad oram Danubii deſcenderant; atque a populis earum Regionum in ſocietatem adſciti incurſare Thraciam, magna rebus omnibus illata vaſtitate, inſtiterunt. In hos miſſi Duces Bacurianus, & Branas victi ſunt, ac prior etiam cæſus. Opem laboranti Thraciæ tulit Taticius, qui prælio cum Scythis congreſſus ſuperior fuit; cum tamen haud deſiſterent illi moleſtiam faceſſere, ipſe in eos magnis cum copiis Imperator duxit; cœpit Driſtam Danubio adſitam; exin vero adverſus prudentiorum ſententiam improvide cum Scythis plena acie congreſſus eſt. Magna eo die ab Imperatoriis accepta clades, copiæ per Thraciam disjectæ. Imperator ipſe, qui Divæ Dei-Parentis pallium vexilli inſtar manu gerebat, ægre inſequentium ſeſe manibus explicuit. Non imbellis tamen hæc fuit Alexii fuga, ſi qua Annæ hæc diffuſe memoranti fides; qui fortiter ſæpe hoſtibus obverſus pluribus Scytharum necem obtulerit. Multi e Primoribus, & promiſcua multitudine in captivis fuere; pretio tamen Barbaris præſentato ab Imperatore repetiti.

Cum iisdem Scythis pax ſemel, atque iterum confecta, ſed eorum 1089
importunitate rupta, ad gerendum totis viribus bellum Alexium adegere; cui cum Turcis quoque eodem tempore conflictandum fuit; de his enim Tzachas quidam Melitenen, Chium, Clazomenas, nec pauca alia ad mare Ægæum loca armatus occuparat. Dalaſſenus variis minutioribus præliis rem cum Turco geſſit, atque etiam recuperavit Chium; verum turbare idem Tzachas, inſulisque inhiare Græcanicis dehinc quoque perrexit. Interea Scythæ late Græciam prædando percurrunt, ad ipſa Byzantii mœnia terrorem ſpargunt; quos minutis procurſionibus fruſtra domitabat Alexius. Ut hac ſe demum moleſtia expediret, accivit in belli ſocietatem Cumannos, Gentem perinde Scythicam, & ferocem. Quadraginta horum millia præclaram Imperatori navarunt operam: A) copiis omnibus in unum contractis, viceſimo nono Aprilis die memorabili prælio cum Scythis in Thracia prope Enum pugnatum eſt; & totus eorum exercitus aut occidione occiſus, aut in captivis fuit; nec tamen vel captis ira victorum pepercit, B) cæſi omnes tumultu nocturno a milite ſunt, Imperatore quamvis invito; Cumanni præda, & muneribus divites in patriam conceſſere; ſicque bellum Scythicum vaſtitate, & cædibus formidandum conquievit. In publica hac ob victoriam lætitia inſanire tamen quibusdam Procerum Umbertopolo, atque aliis libuit; qui inſidias vitæ Imperatoris tetenderant; deprehenſi tamen facultates, & patriam perdiderunt. Atque hæc infelix eſt imperantium ſors; quibus ipſam victoriæ dulcedinem invidia plerumque amaricat; quo occultior, & propior, hoc præ hoſtium inſultibus formidanda.

Cum Tzacha Turco inſulis inhiante Ægæis, ac Byzantium ipſum ſpe- 1091
rare auſo res deinceps fuit: Joannes Ducas terreſtribus, Dalaſſenus Conſtantinus navalibus cum copiis in hoſtem miſſi, ita rem geſſere; ut in inſula Mitylene, & prælio ſuperiores eſſent, & Urbis poſt trimeſtre obſidium potirentur. Tzachæ ex pacto convento datum Smyrnam, ut ſe cum copiis inde efferret; quem tamen claſſe reducem, quod fidem in diſceſſu violarat, aſſecutus Dalaſſenus male accepit; navium plerisque merſis, aut captis, Duce vix profugo. Exin Samus quoque inſula repetita a Græcis eſt. Tzachas majora dum molitur, a ſoceri ſui Sultani invidia, & inſidiis periit. Sultanum literis in Tzacham concitarat Alexius, verbis tumorem ejus exaggerans, periculumque Sultanicæ dignitatis per illum invadendæ; fere enim Imperator ille telis ejuſcemodi pugnabat, &

A) Anna Comnena p. 184. B) Contrarium hic Zonaras: Nam Scythas in deditionem fuiſſe acceptos, & in Moglena Provincia collocatos, ait.

A.C. vincebat felicius. In Tzacham itaque expeditæ a Sultano copiæ; accurrit placaturus ſocerum gener, verum medias inter epulas temulentus necatur. Cum Sultano pace facta quietis aliquid ab Oriente indultum. Sub idem tempus Creta quoque, & Cyprus inſulæ quorumdam Procerum defectione nutantes, ab eodem illo Joanne Duca in inſulas cum claſſe advecto retentæ in obſequio ſunt, & factionum Duces puniti.

1092 In Dalmatiam translatæ dehinc curæ: Bolcanus Raſciæ Princeps infeſtabat perpetim Imperii fines, atque cum Joanne Comneno Dyrrachii Præfecto ſæpe bellabat; demum Joannes ille nocturna impreſſione a Bolcano oppreſſus, & fugatus rem in grave diſcrimen conjecit; ut Imperator ipſe adverſus Bolcanum duceret. Verum bello nihil opus fuit Bolcano ad pacis ſtudia converſo. In ea expeditione periclitatus iterum Imperator ab inquietis ſuorum ingeniis eſt; Nicephorus Diogenes Imperatoris quondam Diogenis filius, animi præcelſi, ac tumidi, in facinoris ſocietatem plurimis e Ducum numero, & militum pertractis cædem Alexio machinatus fertur; qui tamen in ipſa rei molitione quibusdam tentus indiciis, atque equuleo tortus, conjuratorum nomina patefecit. Imperator, quod ſine periculo de tot viris ſupplicium ſumere non eſſet integrum, diſſimulavit delatorum nomina; Diogenis, & paucorum pœna contentus. Diogeni, & ambitionis, & infelicitatis paternæ hæredi oculi fuere extincti; quem cæcum deinceps in literis aſſidue verſatum eſſe, atque in ſtudio præſertim Geometrico admirabiliter progreſſum Anna commemorat. A)

1094 Meditatam Diogenis defectionem brevi in rem contulit alius quidam obſcuro genere plagiarius; qui in nomen, & genus Diogenis invadens, Conſtantinum ſe Diogenem, prioris fratrem, jam olim a Turcis prope Antiochiam interfectum mentitus eſt. Cherſonam ille ob commentum relegatus, vicinos illic Cumannos in arma commovit eorum exercitu Byzantium perducendus. Fama Cumannici exercitus jam antea a fortitudine cogniti curas injecit Alexio; qui optimo quoque Ducum, ac militum aſſumpto Adrianopolim hoſti obviam proceſſit. Primum fictus ille Diogenes fraude in caſſes pertractus eſt. Alacaſei enim cujusdam verſipellis aſtu in arcem quandam ſpecie illius dedendæ perductus, ac in vincula conjectus oculorum jacturam denique pertulit. Cum Cumannis dein duplex, & utrumque felix Imperatori fuit prælium; in quorum uno ad radices Taurocomi montis ſeptena hoſtium millia cæſa, & terna capta. Ita procella iſthæc Cumannica a finibus exacta eſt. Sed en majora jam, & memoratu digniora ſeſe nobis in conſpectum ferunt.

Sacræ nimirum expeditiones totius fere Occidentis viribus adverſum Chriſtiani nominis hoſtes pro ſublevando Oriente, recuperandaque Hieroſolyma ſuſceptæ; quibus nihil unquam aut tot Gentium in unum, & tantum opus conſenſione admirabilius, aut rerum geſtarum magnitudine, & varietate illuſtrius orbis conſpexit. Quæ quidem deſtinata narratione percenſere, nec hiſtoriæ hujus fuerit, nec, quam profitemur, brevitatis; attamen quatenus cum rebus Byzantinis implicita ea fuerunt bella, attigiſſe ſumma per capita in quosvis annos, & illuſtriora quædam e Græcis partim, partim e Latinis Scriptoribus, quibus in hiſce enarrandis ſæpe inter ſe non convenit, delibaſſe juverit.

1095 Invaleſcente ſupra modum per Aſiam Turcorum potentia, Chriſtianisque intolerando eorum jugo preſſis, ſæpe jam antea de expeditione in communem hoſtem inſtituenda a Gregorio præſertim Septimo Pontifice cogitatum fuit; quin etiam copiæ quædam in Italia eum in finem confectæ; ſed enim atrocia Principum in utroque Imperio odia negotium tam illuſtre ſufflamminarunt. Interea Turcæ latius in dies diffunde. bant arma; præter enim Perſidem jam antea poſſeſſam, præter Nicænum

Regnum,

A) Pag. 210.

Regnum, quod tum Solimanni Filius Cliſiaſthlan obtinebat, præter Alepi, & Damaſci Regna, plures etiam minores per Aſiam iis fuere Principatus; quippe latrocinando, ac novi ſemper aliquid vicinis abradendo non Chriſtianos modo, ſed etiam Saracenos ſuis deturbabant Regionibus; quin Hieroſolyma quoque eorum ſubiit mancipatum; quam tamen Urbem non multo antea, quam ſacra illic adeſſet expeditio, Ægyptius Princeps Saracenus illis eripuerat. A.C. 1095

Hoc rerum ſtatu Turcicarum, reque Græcanica multis cladibus attrita, Occidentalium Alexius ſollicitabat opem, A) re cum Urbano altero ejus nominis Pontifice communicata, literisque, ac Legatis eum in finem miſſis. Pontifex non modo promptam ad hæc oſtendit voluntatem; verum etiam redintegrata animorum concordia, atque Alexio ab excommunicatione ſoluto ad excitandos in id bellum Occidentis Principes pro virili intendit. Rei maturandæ, & perficiundæ maximum addidit momentum, qui factus ad hoc minime videbatur Petrus Eremita Ambianenſis Gallus; ſepulchri is Dominici adorandi cauſa profectus Hieroſolymam, conſpecta illic Chriſtianorum a Mahometanis calamitate B) ipſe quoque miſere per iter ab iis vexatus, atque a Simone Chriſtianorum illic Præſule ad opem ferendam extimulatus; quin etiam a Chriſto per quietem, negotium ut fidenter arriperet, admonitus, Pontificem, ac Principes Chriſtianos, omnesque paſſim ad corripienda pro ſacris iis locis arma, Turcorumque exterminium ardenti oratione commovere cœpit, ſucceſſu tanto; ut ex eo appareret, Deum ipſum vilis, ut videbatur, homuli voce, & lingua ad tantum opus uſum eſſe.

Indicto multis etiam aliis de cauſis Placentiam Concilio, multitudo confluxit virorum utriuſque Ordinis, non facile aliquando conſpecta; de Clero quatuor circiter, aliorum ad triginta millia fuere; ut neceſſe eſſet, aperto in campo Conventus agi. Poſt alia quædam negotia producti ſunt Alexii Legati, C) recitatæque ejus literæ querelarum de Turcis plenæ; quibus lectis Pontifex ad ſacram omnes expeditionem hortari cœpit; ac tanta ſubito voluntatum extitit conſenſio, ut fortunas, & vitam adverſus Barbaros plerique omnes devoverent. Quo plenius de re ageretur tanta, atque in futuram expeditionem omnia aptarentur, Claromontum in Arvernia, alius Præſulum, & Principum hunc præcipue in finem indictus eodem anno eſt Conventus; qua in Urbe Pontifice ad innumeram multitudinem verba faciente tantus populi extitit fremitus, proſequi ut orationem Pontifex non poſſet; D) cruces rubeæ a Principibus non minus viris, quam a populo aſſumptæ, multa eodem in Concilio ſalubriter in futurum ordinata, ſacræ in id bellum progredientibus largitiones a Pontifice ubertim conceſſæ; additus in exercitu hoc ſacro Pontificis Legatus Anicienſis Præſul: omnia denique eo fervore, apparatu, numero inſtituta, ut Occidentem ſedibus emoveri ſuis, & in Orientem migrare crederes.

E Gallia præſertim, Belgio, Germania, Italia, Britannia, multitudo confluxit, quæ fidem ſuperet; cum alii quidem ſacro abrepti fervore, alii liberioris vitæ deſiderio, alii, qua neſcio ſpe, patria, charisque relictis, certatim in Orientem currerent. Obibat hæc inter Petrus ille Provincias, & quoquo ſe verteret, pene homines in ſacrum ituros bellum Urbibus, & oppidis everrebat; a quo illud parum conſiderate factum; quod imbelli mulierum, puerorum, facinoroſorum, omnisque generis hominum multitudine aſſumpta, non commeatu, non ære ſat adjutus, non tam ducere exercitum, quam gregem hominum præ ſe in Orientem agere, populis, qua tranſeundum erat, non hoſtibus exitio futurum videretur.

A) Nihil plane de hoc cum Pontifice Alexii commercio Anna. Meminere Latini; Bertholdus, ut eſt in Notis ad Alexiadem p. 75. & videndus etiam Baronius ad hunc annum. B) Gulielmus Tyrius l. 1. C) Abbas Urſpergenſis in Chronico. Bertholdus Conſtantienſis. D) Gulielmus Tyrius.

A.C. 1096 Melius inſtituta eadem a viris Principibus profectio eſt, a Godefredo cumprimis Builionii Duce, Ducis Lotharingiæ inferioris, ſive Brabantiæ fratre, A) qui patrimonio omni divendito, validisque confectis legionibus, cum fratribus Balduino, & Euſtachio ſe in viam dedit; deinde ab Hugone Regis Galliarum fratre, a Roberto Duce Normandiæ, a Comite Flandriæ item Roberto, a Raimundo Comite Toloſano, & S. Ægidii; a Boemundo Tarentino Principe, & Tancredo ejus ex ſorore nepote, & a plurimis aliis primæ dignitatis Heroibus; quorum quique ſuis ſtipati optime armatorum copiis, via non eadem in Orientem properarunt. Godefredum ceu fama, virtuteque longe maximum aſſectabantur plerique per Germaniam, & Ungariam Conſtantinopolim; ubi omnes in unum copiæ cogendæ erant; alii vero cum Hugone, & Boemundo mari ab Italia transmiſſo per Græciam fecerunt iter; omnes ardore animorum tam inſolenti, ceu non pro caduco aliquo, ſed feliciſſimo omnium, duraturoque in ævum Regno armis certaturi.

Immanem hanc exercituum multitudinem prænunciavit locuſtarum e Thracia in Aſiam transgreſſa nubes; B) quæ vineas depaſta a ſegetibus ceu ſacræ huic expeditioni melius ſervituris temperabat. Petrus ſua cum confuſanea multitudine delatus in Ungariam, bifariam exercitum diſpeſcuit; partem unam ducendam dedit Gualtero Nobili Gallo; qui ſecundo Danubio, etſi non innoxie, Ungariam pertranſiit. Colomannus ejus Regni Rex præberi annonam pretio illis curabat; qui prædandi cauſa ab exercitu divagati ſunt, ab Ungaris peribant; ut vero Bulgariæ fines Gualterus attigit, irritati tot latrociniis populi confluxere ingenti numero, cæſoque magnam partem Gualteri milite, reliquias per deſerta ſparſere; ægre ſuo cum Duce ad Byzantii mœnia congregandas. Nihilo felicius Petro ſe res dabant: Ungariam ille emenſus Zemlinum C) ad fines Regni arcem, velut vindex illatæ ſociis cladis armatus expugnavit, Ungaris mille in ea cæſis, & vicinia late rapinis funeſtata. Ungari hac adverſus datam fidem injuria irritati arma rapiunt, Petri exercitum diſſipant, decem cruce ſignatorum millia interimunt, ac curribus bis mille potiuntur. Sparſos per Bulgariam ægre tandem in Thracia collegit Petrus, atque pro muris Byzantinis conſtituit; ubi copiæ, illius multa per Græciam ab Italia in dies manu allabente, in maximam molem accrevere. D)

Alexius Imperator hoſpites iſtos benevole accepit primum, commeatu quoque, & pecuniis adjutos; at ubi gratiarum vice intemperanti illos libidine rapere cuncta, ac deprædari, ſuburbiaque incendere conſpexit; nihil egit impenſius, quam, ut a moleſtis hiſce adjutoribus ſeſe liberaret. Scriptores Latini ſugillant plerique Alexium, velut in ſacræ expeditionis perniciem omnia molientem; ut, qui clam cum Barbaris colluſerit, atque ex utriusque partis calamitate, ſua ipſe curare commoda ſategerit. Nec diſſimulat Anna Comnena patris ſui metum: auxilia ille a Latinis ſperaverat, ſed ejusmodi, quæ illum in bellis adjutarent, non quæ ipſa ſua mole formidinem incuterent; audito autem Duces præcipuos, atque in his Boemundum ſuum antea hoſtem in eam progredi militiam, ſuſpicari cœpit, Principes iſtos, Boemundum præcipue, expeditionem ſuam ſpecioſo illo celare obtentu, E) re autem ipſa Græcis, & Byzantio imminere. Auxit ſuſpiciones vaſtitas per cruce ſignatos Provinciis illata; adhæc numerus eorum tantus, ut quavis offenſa irritatis, quo nihil in ea multitudine proclivius, facile eſſet obruere Græcos, atque

A) Gulielmus Tyrius l. 9. c. 5. B) Zonaras p. 236. Anna p. 223. quæ, neſcio quam vere, ſcribit ſingulis Occidentalium exercitibus, locuſtas prænuncias præiviſſe. C) Malevillam vocat Albertus Aqu. l. 1. hanc arcem a cruce ſignatis captam. Zemlinum Bonfinius Dec. 2. l. 5. cæterum cladis per Ungaros cruce ſignatis illatæ hic non meminit. D) Anna Comnena p. 226. octoginta peditum, & centum equitum millia in exercitu Petri ad Byzantium fuiſſe ſcribit. Minorem multo numerum Latini Scriptores ei attribuunt. E) Ita diſerte Anna p. 226.

atque in ſervitutem agere. Hæc cum ſecum Alexius reputaret, nec auderet palam Latinis obſiſtere; ita ordinavit conſilia, ut ſe quidem ſacræ hujus militiæ adjutorem ferret, copiis etiam, & commeatu præſto eſſet; clam tamen nihil minus, quam eorum in Oriente progreſſiones aut cuperet ipſe, aut in id opis aliquid ſerio conferret; qua ratione factum: ut Imperator ille demum fictione ejusmodi propalata in acerrima Latinorum odia, & maledicta incurrerit. Et quid ageret Princeps inter ſacrum, & ſaxum, ut ajunt, deprehenſus? norat grandia ejusmodi ſubſidia a ſociis non minus, quam ab hoſte augeri cupere, & ſi alterum fallat, altero explere cupiditatem; nec facile aliquando magnas ejusmodi diverſarum Gentium conjunctiones periculo caruiſſe. A.C. 1096

Petrum cum copiis in Aſia jam conſtitutum ordinatius, & felicius ingenti cum militum multitudine ſequutus eſt per Ungariam Godefredus, a Rege ipſo Colomanno exceptus, A) qui Principibus, & exercitui commeatum ubertim præſtari curabat; atque ne calamitatem rurſus Ungaria acciperet, ſemper ex adverſo ſuo cum exercitu cruce ſignatos comitatus ad fines uſque innoxie ubivis progreſſos deduxit. Fertur B) Alexius ſuaſiſſe Petro, ut Godefredi expectaret adventum, neve multitudinem illam hoſti temere objiceret; verum illum ferociter iſta rejeciſſe, atque transmiſſo freto continuo Nicæam verſus exercitum promoviſſe. Poſt hæc diſcordia, magnis ejusmodi molitionibus diſturbandis nata, res Petri peſſumdedit. Itali, ac Germani Gallos pertæſi ab eorum ſemet ſocietate divellunt, expugnant Xerigordium, vaſtant agrum Nicænum, ſeque opima præda explent. Elatos hoc ſucceſſu, ac per ignaviam deſidentes Sultanus Nicænus aggreditur inſperato, fugat, ac Xerigordium, cæſis intus plerisque, recuperat; nec mora adverſus cæteros bono cum ordine progreditur; fama in caſtris Gallicis ejusdem Sultani aſtu ſparſit: Nicæam ab altero exercitu jam occupatam, ingentique præda victores locupletari; cujus rapiendæ tanta injecta eſt illis cupiditas, ut relictis caſtris continuo Nicæam verſus ſine lege, ſine ordine feſtinarent; excipit imparatos ex inſidiis Sultanus, cumque Duce Gualtero fere internecione delet; inde ad caſtra progreſſus imbellem, quæ illic hæſerat, multitudinem ferro haurit; ut ex tanto illo numero vix tria cum Petro millia Byzantium verſus profugerint; quibus ab hoſte tutandis Conſtantinum Catacalonem cum copiis Imperator in Aſiam trajecerat. C) Hic fuit exitus primæ illius Petro Duce expeditionis; qui quam antea in commovendis populis humili ſuo, inſtitutoque conformi habitu felix fuit; tam gladio, & galea protectus, ac Ducis etiam titulo exornatus, infelix extitit.

Interea adventabat Philippopolim firmiore cum exercitu Godefredus, ubi præter animi ſententiam arma in Græcos, & Alexium vertere tali ex cauſa neceſſe habuit: Hugo Regis Franciæ frater cum Duce Normandiæ, Boemundo, multisque aliis ab Italia in Græciam vela direxerat; ſed adverſi venti, ne exercitus tempore trajiceret, impedimento fuere. Impatiens moræ Hugo paucis comitatus trajecit mare; verum a Græcis comprehenſus, & captivi inſtar Byzantium ductus eſt. D) Ita enim rebatur Imperator, nihil hoſtile auſuros Latinos, ſi talem, tantumque virum obſidis loco penes ſe haberet. Godefredus Hugonem per Legatos continuo repetit, negatum armis parat vindicare, atque vaſtata Thracia hoſtilem in modum Byzantium progreditur. Conterritus adventu Godefredi Alexius liberum mittit Hugonem de concordia apud Duces acturum; qui demum biduo ante Natalem Salvatoris pro Urbis mœnibus conſtiterunt. Hic aliæ ex aliis rurſus offenſiones inter Duces, & Imperatorem enatæ turbas creabant. Alexius abnuebat tranſitum in Aſiam

A) Gulielmus Tyrius l. 1. Albertus Aqu. Robertus Monachus l. 1. & plures alii. B) Pag. 226. Anna Comnena. C) Anna Comnena ibidem diverſa nonnihil a Latinis. Nam hi nec Xerigordii, nec aſtus Sultanici, nec ſubſidii ab Alexio meminere; ſed tantum cladis immenſæ cruce ſignatis illatæ. D) Guibertus l. 2. c. 19. citatus in Notis ad Alexiadem p. 31.

A.C. 1096 Ducibus indulgere, niſi illi Sacramentum dicerent, Urbes omnes cum bono Deo Turcis eripiendas, quæ Imperio Orientis ante Diogenis tempora paruerant, eidem reſtitutum iri; reliqua autem, quæ occupaturi ipſi eſſent, fiduciario Imperatoribus jure obtenturos, atque adeo hominium, ut dicimus, præſtari ſibi Imperator volebat. A) Negabant id Ducum plerique variis de cauſis: non ſe dominii quærendi, ſed recuperandæ Palæſtinæ profectionem iniviſſe; nefas eſſe extero Principi, cujus nihil terrarum poſſiderent, ſubjici; idque in ſui contumeliam Imperatorem Germanum, Regemque Galliarum, quibus obnoxii erant, accepturos. Hoc cum plures per dies litigium inter illos agitatur, etiam ad arma ventum eſt. Alexius enim negata annona, diſpoſitisque foris equitibus, qui Latinos diſperſos impugnarent, moleſtus erat; contra Godefredus vaſtatis ſuburbiis, Græcisque identidem in fugam B) actis terrorem Urbi incuſſerat. Ad pacem itaque verſus Imperator, demum in Urbem pertraxit Godefredum; atque variis pollicitationibus perſuaſit Ducibus, ea ut ſibi præſtarent, quæ prior flagitaverat, viciſſim jurejurando pollicitus, adfuturum ſe totis viribus eorum expeditioni; nec noxæ aliquid in id bellum profecturis illaturum. Præſtitum igitur a Ducibus Alexio hominium eſt. Id obſequii genus cum exhiberetur Imperatori in throno conſidenti, adſtabant magno numero circum Duces: enim vero indignatus rem non nemo e Gallis Proceribus, ferociter in thronum proſiliens Imperatori aſſedit; ruſticum illum appellitans: ut qui conſideret ipſe tot Ducibus, & Heroibus coram adſtantibus. Diſſimulavit importunitatem hoſpitis Alexius; cujus cæteri quoque increpabant ferociam, atque tempori, & loco, ut ſerviret, admonebant. C) Maximis poſt hæc muneribus exculti ab Imperatore Duces, ac commeatu etiam ubertim adjuti. In diſceſſu blande ferocem illum admonuit Gallum Imperator, ab inſidiis ut ſibi Turcorum caveret; neve primus, neve noviſſimus in acie conſiſteret, in medio tutius futurum. Atque ita cum Godefredo, quive eum ſectabantur, conventum tunc eſt.

1097 Cum vero fama ferret, ab Italia magnis cum copiis alios adventare Duces, hortari ſub veris initia iſtos Alexius cœpit; exercitum ut in Aſiam trajicerent, veritus tot ad unam Urbem exercituum affluxum. Itaque Chalcedonem Godefredus tranſiit. D) Poſt breve tempus Boemundus adfuit cum magno exercitu, ac Procerum plurimis, ad veteres cum Alexio inimicitias non leviter præſenti Græcorum fraude irritatus; qui per iter infeſtare exercitum auſi, at fortiter repreſſi fuere. Hominis, a quo plurimum metuebat, placandi cauſa Godefredum, ut iret obviam, Imperator oravit; quo demum auctore placatus Boemundus perinde, ut cæteri Principes, hominium Imperatori præſtitit, ac muneribus Regium E) plane in morem cumulatus in Aſiam trajecit. Secutus deinde ſuo cum exercitu Robertus Flandriæ Comes, poſt hunc Rajmundus Toloſanus; F) qui tamen adduci nullatenus potuit, hominium ut Alexio præſtaret; ferunt in hujus Principis copias clam noctu armatos Græcos eſſe immiſſos, atque acre exortum certamen; milites Raimundi ob injuriam de reditu cogitaſſe; quo incenſum Comitem in perniciem Alexii Duces excitaſſe; ſed demum ab iis placatum jurejurando ſemet obſtrinxiſſe, nihil Imperatori nociturum; at, ut hominium præſtaret, adduci nequiviſſe. Demum ſub exitum Maji menſis adfuit Dux Normandiæ Robertus, cum Comite Bleſenſi, atque præſtito Imperatori hominio in Aſiam transgreſſus; quo tempore jam Godefredus Nicæam late obſidebat; convenere igi-

A) Conſentiunt in hoc Latini, & Anna. B) Ita Latini, & multo credibilius; at vero Anna p. 235. mira vanitate jactat fugatos a Græcis Germanos, & Godefredum armis coactum fuiſſe, ut hominium Alexio cum Ducibus præſtaret. Verior præſtiti hominii cauſa fuit feſtinatio in Palæſtinam; cui moras injicere poterat Alexius. C) Hæc Anna; aitque, Ducem illum poſtea turpiter fugiſſe, in medium ſuorum agmen abditum. D) Gulielmus Tyrius l. 2. E) Multa de Boemundi fraudibus, & patris ſui in eundem officiis Anna p. 239. F) Hæc Tyrius de Raimundo; at Anna, quæ Ducem hunc Sangallem vocat, ait: præ cæteris Latinorum Ducibus charum Alexio fuiſſe, & in multis ejus opera uſum.

igitur Nicæam univerſæ Chriſtianorum copiæ, quæ facile ſexcentorum millium, numerum A) exæquabant. Præſto illis fuit in mari Piſana, Genuenſis, & Veneta claſſis, commeatumque, & machinas opportune præſtabat. Imperator, contra quam pollicitus fuit, transgreſſus in Aſiam quodam ex oppido eventum rei ſpeculatus eſt; Taticium tamen Ducem cum quibusdam copiis non tam adjuturum Heroes illos, quam ſi fortuna arrideret, Urbem in manus accepturum, eo expedivit. A.C. 1097

Sultanus Nicænus intellecto Chriſtianorum apparatu, & ipſe Turcorum ex Perſide, totaque Aſia, velut in communi incendio, ingentes contraxit copias, Nicææ præſto futuras. Toloſani Comitis caſtra inopinato aggreſſi Barbari, accurrentibus ſubſidio cæteris, cum quatuor millium cæde rejecti ſunt; nec deinceps prælii quidpiam in Urbe liberanda ab iis tentatum. Turrium una machinis quaſſata, & procidua, aditusque in Urbem ab ea parte recluſus in deſperationem egere Præſidiarios; quæ cum Imperator Alexius noſſet; Taticio, & Butumiti Ducibus in mandatis dedit: Turcos promiſſis aggrederentur, inſciis ut Occidentalibus Urbem ſibi traderent. B) Simul deſperatione ſubſidii, ſimul promiſſis allecti Turcæ copias Græcanicas in Urbem immittunt; ipſique ad Imperatorem perhonorifice accepti commigrant. Ita ſeptima obſidionis hebdomada Nicæa in Chriſtianorum poteſtatem venit. Clancularia iſthac Imperatoris pactione offenſi non leviter Occidentales ſunt, qui Urbe ad prædam deſignata laborum eripi ſibi præmia indignabantur; ulterioris tamen memores profectionis diſſimulabant iram; ac Imperator auro in Duces, militemque diſpertito dolori eorum, & vindictæ opportune occurrit. C)

Poſt brevem ad Nicæam moram diviſo bifariam exercitu per Lycaoniam, Cappadociam, Piſidiam, Antiochiam verſus iter Duces arripiunt; quos Sultanus cum trecentis ſexaginta Turcorum, Perſarum, & Arabum millibus aſſidue deducebat. Veriti hoſtis incurſum Chriſtiani, non niſi duorum ſpatio milliarium alterum ab altero exercitum removebant; dextrum regebat Godefredus, Boemundus, & Dux Normandiæ ſiniſtrum; atque in hunc tertio profectionis die maximo cum impetu Barbari undique incurrerunt. Certatum utrinque obſtinatiſſime: prævalebant Turcæ numero, ac turbato Boemundi exercitu rem in diſcrimen conjecerant; ſed demum Godefredi cum ſexaginta equitum millibus accurſus hoſtem ſtatione deturbatum in caſtra compulit. D) Die altero inſtructis decore ordinibus itum rurſus in Barbaros eſt; qui, & heſterni prælii memoria, & aciei ordine perculſi minus ſe ſtrenuos ea die præbuerunt. Poſt diuturnum certamen Antiſtite Anicienſi cum ſuis a tergo ingruente fracti hoſtes, ac fugati, caſtra rebus omnibus opulentiſſima Chriſtianis liquerunt.

Refectis iſthic bidui ſpatio viribus, iniere rurſus viam, ſequente ubivis Sultano; atque, ut inopia multitudinem tantam obrueret, omnia circum ferro, & igni corrumpente; quo etiam factum: ut brevi exercitus penuria rerum omnium tabeſceret, multique fame, & morbis conficerentur. Occupatæ per iter Urbes ſunt: Iconium, Cæſarea Cappadociæ, Heraclea, pluresque aliæ; neque, ut conventum fuit, Imperatori redditæ, quod is prior fidem infregiſſet ſuam, nequaquam in expeditionem illam profectus; cujus tamen vice Taticius cum quibusdam copiis aderat. Ventum demum in Piſidiam eſt Provinciam locupletem; ubi exhauſtæ per iter, & inediam vires refectæ. Per eam quietem a Balduino, & Tancredo occupatæ Urbes quædam in Cilicia ſunt; Tarſus præſertim Provinciæ caput, itemque Mamiſtra; de Tarſi Dominatu ad arma quo-

A) Præter Tyrium, Robertus monachus, & Albertus Aqu. B) Conſentit in hoc cum Latinis Anna p. 349. C) Zonaras p. 236. ait, multo pretio Urbem Nicænam per Alexium a Gallis emptam. D) Anna quoque præliorum iſtorum cum laude Occidentalium meminit; non tamen ſui immemor Taticii, qui cum Græcanicis cohortibus cruce ſignatos ſequebatur p. 252.

A.C. 1097 quoque inter Balduinum Godefredi fratrem, & Tancredum ventum eſt; ſed ſedatis demum diſcordiis Balduinus Edeſſam profectus fuit; quo illum incolæ Chriſtiani audita viri virtute evocarant, ut a Turcorum eos Tyrannide vindicaret; qui Urbe in poteſtatem accepta, occupataque omni inter Euphratem, & Tygrim Regione, peculiarem illic ſibi conſtituit Principatum. Etſi enim Duces illi Dei primum, & locorum ſacrorum cauſa arma apprehenderint, ſubibat tamen e rerum ſucceſſu regnandi, & Provincias armis conquirendi cupiditas; hoc minus probanda, quo ſanctiore obtentu, & pietatis fuco obtecta.

Inſtauratis in Piſidia viribus per Comagenem progreſſus Antiochiam eſt exercitus; atque occupata per iter arce Arethuſia menſe Octobri in conſpectu ejus Urbis per totum Orientem celebratiſſimæ conſtitit; cujus tum Princeps erat Actianus magnis Barbarorum viribus fretus. Datum dein obſidioni initium eſt, quæ novem ipſos tenuit menſes A) inter innumeras, quæ velut ordine alia aliam excipiebant, calamitates; quibus factum: ut immanis illa multitudo, quæ jam antea partim ferro, & morbis attrita, partim captas per Urbes diſpertita ad dimidium reciderat numerum, ea in obſidione magna ſui parte interiret. Barbari aſſiduo circum caſtra diſcurſu corrumpebant annonam omnem, neque uſpiam tuta erat equis pabulatio; acceſſit intemperies hyemis, ut neque jam tellus jumentis quidpiam, nec mare hominibus adverſa navigiis anni parte ſuppeditarent. Hinc valida in exercitu fames; equi præſertim vix mille omni ex numero ſupererant; famem conſecuta hominum lues pene ad incitas rem Chriſtianam adegerat. Feroces interea Præſidiarii magno procurrebant numero, atque extremam rei difficultatem miſere exaggerabant. Taticius Imperatoriis cohortibus in naves impoſitis periculo ſe ſubduxit; etſi aliam facti cauſam Anna Comnena proferat; ſubdole videlicet a Boemundo timore completum fuiſſe Taticium; ut ſi in illius, & copiarum exitium conſpiraſſent Principes; quo nihil intendent aliud, quam, ut abſente Taticio Antiocheno facilius ipſe, quod unum ſpectabat, Principatu potiretur. Secuta hunc aliorum quoque etiam e viris Principibus fuga; fœdiſſima autem omnium Petri illius ſacræ militiæ incentoris fuit diſceſſio; qui malis fractus clam ſe ab exercitu ſubduxerat; a Tancredo tamen ad votum exolvendum retractus, acriterque reprehenſus docuit; quanto eſſet facilius, alios ad fortia facinora verbis incendere, quam factis.

1098 Affligtiſſimas ſacræ hujus militiæ res erexit primum virtus Godefredi Ducis; qui cum ſeptingentis duntaxat viris octo, & viginti hoſtium ſubſidio accurrentium millia fortiſſime aggreſſus vicit, fugavitque, præda multa, & equis, quorum maxime laboratum penuria, occupatis; dein vero Piſana claſſis quinto obſidii menſe cum plurimo commeatu appulſa. B) Exin ferocius cum obſeſſis actum; qui erumpentes ab Urbe nec ſemel gravi cum clade repreſſi animis cadebant. Memorabilis ante alia cædes illata Barbaris eo tempore, quo Piſana claſſis commeatum attulit: milites fame pene enecti ad hanc tumultuarie accurrerant; id conſpicati Turcæ erumpunt ab Urbe, ac imparatos aggreſſ. mille circiter necant; fit ingens in caſtris trepidatio; Actianus viſa ſuorum ab Urbe victoria maximam emittit manum, portisque reductis vincendum omnibus, aut pereundum edicit. Pugna fuit, ſi quæ unquam memorabilis, fortiſſime utrinque in multam diem dimicatum; demum prævalentes virtute præſertim Godefredi Ducis Chriſtiani florem Barbaricæ militiæ conciderunt quinis, aut hoc amplius, eorum millibus interfectis.

Barbaros clade iſthac fractos, arrectos tamen etiam vicinorum ſpe auxiliorum proditio cujusdam Pyrrhi e Chriſtianis orti demum perdidit. Hujus filium benigne captivum habuerat Boemundus, atque Chriſtianis inſti-

A) Albertus Aqu. l. 4. c. 25. B) Tyrius, Rajmundus de Agiles, qui interfuit; & plures alii.

inſtitutum ſacris dono ad patrem miſit; qui grati vice animi, & patriæ libertatis deſiderio pollicitus eſt Boemundo turrim, cujus illi obtigerat cuſtodia, in manus daturum. Boemundus Antiocheni Principatus deſiderio jam dudum incenſus, cupiditatem hanc aperte ſatis Ducibus indicavit, auctor magnopere, ut illi e Principibus Antiochiæ dominatum pollicerentur; qui ad eam occupandam plurimum momenti afferret. Reclamatum primo a Ducibus: ſed ubi fama attulit, Curpagan Turcorum Ducem cum innumerabilibus pene copiis ſubſidio appropinquare, demum in ſententiam Boemundi Duces ivere. Concubia igitur nocte ſcalis in turrim ſublevatus Boemundi miles portas cæteris reſeravit, A) ita exercitus in Urbem feliciter infuſus. Immenſa hic Turcorum cædes extitit; Princeps ipſe Actianus fuga lapſus in tugurio quodam necatus eſt; Urbs cum præda victorum fuit; pauci de hoſtibus in arcem prolapſi, eam adhuc ſtrenue defenſabant. A.C. 1098

Sed enim non diuturnus hic e tanta victoria extitit lætitiæ ſenſus: quarto a capta Urbe die adfuit Curpagan cum ducentis equitum, ac pluribus etiam peditum millibus e Perſide, Arabia, Babylonia, omnique late Barbaria contractis. Is & in arcem fortem ſuorum immiſit manum, & Urbem multo, quam antea arctius circumſedit. In arcto deprehenſi Chriſtiani quid agerent, maxima ſui parte tot malis jam imminuti, & tam a ſubſidiorum ſpe, quam ab annona undequaque deſerti? Mittunt clam ternos e viris Principibus ad Alexium Legatos, qui ultima cruce ſignatorum calamitate expoſita opem ſollicitarent. B) Et prodierat bono ſuorum numero in Aſiam Imperator, Turcorum cladibus in rem ſuam egregie tunc uſus; per Joannem quippe Ducam occuparat ab illis Smyrnam, Laodiceam, Philadelphiam, pluresque ad oram Phrygiæ maritimas Urbes; quin etiam nonnullas eorum copias conciderat. Verum Princeps ille fructu hoc victoriæ, quam victoria cruce ſignatorum lætior, ſive reipſa minores habuerit copias, quam ut adverſus tantam Barbarorum multitudinem præſto eſſet, ſive Occidentalium ſibi antea formidatorum exitio lætaretur, inſtituta retrorſum profectione nihil opis cauſa molitus eſt.

Interea Antiochiæ graviſſima fames ad abſurdiſſimas quasque eſcas Latinos adegerat; una erat ſpes, ſi eruptione facta Barbaros ab obſidio amolirentur; ſed qui tandem id præſtarent? qui abſumptis jam equis vix terna equitum millia numerabant, ipſi quoque ad dimidium ab eo redacti numerum, quo primum Urbem obſederant. Galli duo Sacerdotes ſive reipſa ita evenerit, ſive ad animis augendos Chriſtianos id commenti ſint, retulerunt Ducibus: ſibi per quietem proximum de cœlo ſubſidium, ſi modo contractas labes expiaret exercitus, promiſſum. In omen victoriæ quærendam eſſe in templo Antiocheno defoſſam lanceam, quæ Chriſti latus aperuerit. Quæſita hæc lancea, & inventa, ingenti fiducia militem complevit. C) Octava, & viceſima Junii die diviſus in ſex phalanges exercitus adverſus hoſtem ab Urbe proceſſit. Primus invectus eſt Hugo Magnus cum Flandriæ Comite, poſt hunc Godefredus, Anicienſis Præſul, cui lancea nuper reperta præferebatur, Boemundus, & ordine alii. Pugnatum utrinque ſummis, & extremis viribus, nec ſine diſcrimine a Chriſtianis, quod Boemundum a tergo aggreſſi Barbari cædem, & trepidationem effecerant; demum ſparſo per exercitum Chriſtianum rumore, velut ſi cœleſtia quædam agmina ſubſidio illis accurrere viſa ſint, incenſi animis milites poſt longam, & atrocem pugnam Barbaros primum in montes propulere, poſt etiam apertam in fugam conjecerunt. Centum Barbarorum equitum, ac plura etiam peditum millia eo die

A) Anna Comnena p. 252. Eadem hic cum Latinis. B) Multa, & diffuſe hoc loco ad excuſandum patrem ſuum Anna comminiſcitur. C) Num vera hæc fuerit Lancea Chriſti morte ſacrata, an ſuppoſititia, Latini ipſi dubitarunt; cum vera ea Lancea pluribus jam ſæculis Byzantii aſſervata crederetur; meminit tamen ejus Lanceæ perinde Anna Comnena pag. 259.

A.C. cæſa memorantur; quatuor e Chriſtianis millia deſiderata. Occupata
1098 caſtra tam rebus omnibus referta ſunt, ut triginta ſpatio dierum vix præda in Urbem comportari poſſet. Hæc memoriæ ab iis conſignata, qui illic aderant; A) at diverſa ab his Anna Comnena: Comitem nempe Flandriæ cum tribus duntaxat ſociis irruiſſe in Barbaricam aciem, atque pannico Divinitus injecto hoſtibus metu fugiſſe, illos, ſeſeque incurſu mutuo protriviſſe, atque incruentam Latinis victoriam liquiſſe; ita ad Deum victoriam omnem Anna retulit; ne quid e more ſuo Latinorum virtuti tribueret. Ab ea victoria arx quoque Antiochena ſe dedit; ſicque rebus e ſententia confectis, inſtaurandis viribus totum fere hunc annum Antiochiæ exercitus duxit; ac demum cum anni ſequentis exordio profectio Hieroſolymam verſus inita; retardaverat illam inconſulta nonnullorum ambitio; Boemundi ante alios, & Toloſani Comitis; qui de quarumdam Urbium vi occupatarum dominatu inter ſe cum gravi aliorum offendiculo litigabant; ſed demum lite compoſita itum Tripolim verſus eſt, & occupatis quibusdam locis, ac Principe Tripolitano armis perdomito conventum cum eodem, uti ſtipendiarius Principum eſſet, amicitiamque, & commeatum Hieroſolymam ituris præſtaret.

1099 Adfuere hæc inter Legati ab Alexio Imperatore, qui ex pacto Antiochiam, Urbesque alias repeterent; ſed auditi ſunt a Ducibus, ut merita poſtulabant Imperatoris; reſponſumque: inique illum agere, qui cruce ſignatos in extremo diſcrimine deſeruiſſet, jam vero victoriæ fructum quærat; priorem illum infregiſſe fœdera, neque ſe pactis conventis ullatenus jam teneri; nec in occupanda Hieroſolyma illius ſe opis egere. Reſponſum iſthoc indignatione in Latinos, ceu fœderum ruptores Alexium complevit, & Græcos jam antea e proſperis hiſce ſucceſſibus invidia tabeſcentes, ut nihil deinceps amicum inter utrosque eſſet. Certe claſſis Alexii aperte B) infeſtabat mare; quin ferunt, repertas poſtea in Sultani Ægyptiaci caſtris datas ab Alexio literas; quibus ad viriliter certandum hortatus ſit Barbarum C) adverſus Occidentalium copias morbis, ac viarum difficultatibus ad modicum jam numerum redactas. Equidem Anna Comnena multæ in Latinos patris ſui benevolentiæ dehinc quoque meminit; ut qui Principes ex iis poſtea prælio captos præſenti ære redemerit, magnoque tranſeuntes favore complexus ſit; ſed quæ huic fides? quæ patris ſui res geſtas ornandas magis, quam narrandas ſuſceperit.

Saracenus interea Ægypti Princeps occupatam a Turcis Hieroſolymam validis munierat præſidiis; atque ab Aſia, & Africa ingentibus conficiendis copiis dabat operam, velut mole ipſa importunos hoſce hoſpites oppreſſurus. Duces propter mare Ptolemaiden verſus faciebant iter ſequente pone Piſana, & Genuenſi, Venetaque claſſe. Veritus Chriſtianorum vires Ptolemaidis Princeps Barbarus, ultro commeatu illos adjuvit; Urbem quoque traditurum pollicitus: ſi Hieroſolymam illi expugnaſſent. Occupatis poſtea quibusdam per Palæſtinam, quas profugi Saraceni reliquerant, Urbibus, demum ſexto decimo Junii die quæſitum tot per labores viæ terminum, Urbem Hieroſolymam incredibili animorum motu exercitus conſpexit. D) Inerant Urbi defendendæ quadraginta militum, ac civium armatorum viginti millia; contra cruce ſignati ſexaginta peditum millia numerabant, quingentos inſuper, & mille equites; eorum quippe pars longe maxima tot ærumnis confecta perierat; reliqua Balduinum, & Boemundum ſuis in Principatibus ſequebatur.

Nihil hac Urbis firmitate Duces, ac milites conterriti, oppugnandæ ſeſe accingunt; quidam illic e Chriſtianis, aſceten profeſſus, ſpe certa implevit milites, fore pollicitus: ut, luce, quam deſignarat, Urbis Chriſtiani potirentur; ergo arrectis in pugnam animis cæco impetu in muros

A) A Raimundo de Agiles, & aliis jam citatis. B) Non diſſimulat id Anna pag. 265. C) Raimundus de Agiles. D) Gulielmus Tyrius l. 8.

ros ruunt milites juxta, ac Duces, tanta Urbis occupandæ confidentia; A.C.
ut neque ſcalas admoverent ſatis idoneas, nec machinis aliis niterentur; 1099
itaque rejecti non citra cladem, prudentia deinceps, atque ordine fervorem illum adjuvandum cenſuerunt. Machinas igitur quatiendis, & ſcandendis muris idoneas parant, turres ligneas extruunt, ſeque ad vincendum, aut pereundum in diem decimum quintum Julii ſtrenue cuncti, obitis etiam ſupplicationibus, accingunt. Admotis igitur circumquaque ſcalis, & turribus, primus omnium Godefredus Builionius cum fratre Euſtachio, aliisque Heroibus, ponte e turri in murum dejecto, in mœnia evaſit; exemplo horum animati cæteri infunduntur in muros Urbis, atque ingentem Barbarorum cædem late edunt. Dein Toloſanus quoque Comes ex parte occidentali deturbat e muris hoſtes, atque in Urbem cum ſuis infunditur; reſeratis denique portis univerſus in partem victoriæ exercitus incurrit. A nemine Barbarorum manus abſtinuit victor miles; in templo præſertim, quo magna ſe Barbarorum vis intruſerat, atrox a Tancredo edita eſt laniena; ut cruor ad pedem unum exundaret, atque rivis per Urbem decurreret. Trecentis duntaxat e quadam turri ſe dedentibus parſum fuit; quos tamen etiam inſolens victoria miles die altera interemit. Victoria tam luculenta Divinitus potiti Chriſtiani ad debitas Deo grates primo ut in certamine, ſic in ſupplicatione incomparabili Heroe Godefredo ſeſe retulerunt. Conſultatum poſtea diu de Principe Hieroſolymis conſtituendo; demum auctore ipſo Duce Normandiæ, in quem vota plurimorum inclinabant, proclamatus in Regem eſt Godefredus Builionius; cujus præſertim virtuti, & probitati ſecundum Dei opem hunc ſacræ expeditionis exitum exercitus in acceptis tulit. Godefredus tamen induci non potuit, ut vel coronam, vel nomen Regium in ea Urbe ſumeret, in qua Rex Regum mille inter opprobria ſpinis redimitus apparuerit. Ei tamen & honores, & tituli Regii ab omnibus tributi; quos vel modeſtia hac ſua, ſi cætera defuiſſent, abunde promeritus videri poterat. A)

Ordinata Urbe cum fama percrebuiſſet, Ægyptium Principem, Turcis quoque in ſocietatem adjunctis, cum formidando centum equitum, & trecentorum millium peditum exercitu in Chriſtianos properare; prodiit cum viginti tantummodo ſuorum millibus Godefredus, atque adverſus immanem hoſtium nubem plenus fiduciæ Deo ſoli innixæ, & alacer duxit. Concurſum eſt prope Aſcalonem ipſo pervigilio Dei-Parentis in cœlum aſſumptæ. Barbari ſive bono quodam caſu viſis, quæ ingenti numero Chriſtianorum agmen ſequebantur, pecorum de hoſte nuper occupatorum armentis, ſive reipſa Deo hanc ſpeciem immenſi exercitus animis eorum ingerente, inſuperabiles crediderunt Chriſtianorum vires, atque etiam languidius rem geſſere; contra Chriſtiani, & generoſa novi Regis alacritate, & ſuperiorum memoria victoriarum inflammati, ad victoriam ſe, non ad pugnam progredi autumabant; & reipſa ardor eorum in pugnando extitit admirabilis. Cæſi agminatim Barbari; Godefredus præſertim, & Dux Normandiæ, quoquo ſe inferebant, perniciem in hoſtes traxere; qui denique reſiſtendo impares, alii in mare ruebant præcipites, alii in fuga ſpem collocabant; quæ tamen in tanta fugientium multitudine ut implexa, ita exitio plurimis fuit. Cæſa feruntur nonaginta ut minimum hoſtium millia; e Chriſtianis deſiderati perpauci; ut non tam empta ſanguine, quam cœlo donata victoria tam illuſtris appareret. Caſtra omnium opulentiſſima victores ad ſatietatem locupletarunt. Poſthæc capta Tiberias, Principes Ptolemaidis, & Tripolis ad tributum adacti, Arabes ad pacem compulſi; quibus admirabili felicitate perfectis, anno regni ſui nondum plane evoluto Godefredus in morbum decidit, atque ad Regnum nobilius, præmiaque tot laborum octavo Julii die maximo omnium luctu abſceſſit; Princeps a fortitudine juxta, ac

A) Tyrius, Albertus Aqu. Robertus Monachus, &c.

A.C. probitate laudatiſſimus, quo nemo unquam, aut pugnavit fortius, aut
1099 admirabilius vicit. Succeſſorem in Regno habuit fratrem Balduinum (nunquam enim mulierem attigerat Godefredus) a quo Principatus Edeſſenus patrueli Balduino conceſſus. Princeps hic ſub initia minus extitit fortunatus; præcipiti enim calore abreptus, ac ſolo cum equitatu in Saracenos invectus cladem accepit, nobilibus quibusdam Gallis in diram ſervitutem abreptis; is tamen pluribus poſtea præliis Barbaros ultus eſt, novique illius Regni fines longe, lateque protulit. Ex quibus intelligas, falli Annam Comnenam; quæ Latinis iniquior non meminit ſuperioris Godefredi victoriæ; inſuper eundem a Saracenis victum, captumque, a fratre Balduino lytro repetitum prodidit; reliquos per patrem ſuum e captivitate liberatos; ſed Principi huic ornandæ, commendandæque hiſtoriæ ſuæ, quam veritatis fere cura potior, etſi illam ubivis obtendat.

1102 Audita per Europam Hieroſolymorum occupatio, multos ex omni ætate, & ſexu ad ſacram eam peregrinationem excivit. Convenere rurſus Byzantium ducenta, & ſexaginta horum millia; in quibus Principes nonnulli, præcipuus omnium Hugo Magnus, qui poſt obſidionem Antiochenam in Gallias ſe retulerat. Turba hæc fuit pie potius peregrinantium, quam armatorum probe militum; delati in Aſiam, & a Turcis in omnem intentis occaſionem, partim commeatu impedito abſumpti, partim cæſi, aut capti vix modica ſui parte deſtinatam ad metam pertigere. Hugo Tarſi in Cilicia diem obiit ſuum; aliorum ad centum millia ferro Barbarico trucidata, prorſus diſſimilis priori, & infelix ea fuit profectio. Ferunt A) ab Alexio clancularia cum Turcico Sultano colluſione multitudinem illam cædi objectam: ſed reclamat his Anna Comnena; B) admonitos nempe a patre ſapienter fuiſſe; ne ſe penitius in loca Turcorum infunderent, verum ſecus mare progrederentur; illis vero ad aliud obſtinatis iter, Tzitam Ducem, & Comitem Sangallen fuiſſe adjunctos, qui, quam poſſent optime, eos a periculis expedirent; denique reliquias infelicis turbæ Byzantium regreſſas multa liberalitate proſecutum ſuismet navibus devehi Hieroſolymas curaſſe. Difficilia hæc quidem creditu de Alexio Latinorum progreſſionibus tam parum æquo; attamen neque Scriptoribus in exteros Principes maledicis continuo aſſentimur; qui ſæpe vulgari magis odio ſuccincti, quam æquitate, & prudentia ornati, anili dicacitate furere, ac incerta pro certis obtrudere non indecorum putant; velut addituri ſtylo, quod armis, & furori defuerat.

1104 Illud certum: Imperatorem Alexium injuriis Latinorum irritatum demum aperte in eosdem Boemundum ante alios bellaſſe, tali ex cauſa: Boemundo in quadam adverſus Barbaros procurſione C) capto, Tancredus indolis vir præfervidæ Principatum interea gubernabat Antiochenum; cujus ut fines proferret, Græcis non minus, quam Turcis infeſtus occupavit Laodiceam; ea res unguis fuit in ulcere apud animum Alexii, jam antea ob præreptam Antiochiam ægrum. Igitur non contentus literis, cum Boemundo poſt biennii captivitatem reverſo, expoſtulare, terra, marique in illum exercitus armavit. Bitumites in eas oras profectus arces quasdam, & oppida Imperatori aſſeruit; cum vero ingens Piſana claſſis ſub id tempus ſubſidio Latinis affluëret; ad eam perſequendam Taticium cum Landulpho ire Imperator juſſit; qui ignis græci virtute, Piſanis adhuc incognita, quatuor incenſis navibus fugaſſe cæteras memorantur. D) Ad perurgendum porro hoc bellum Cantacuzenus in Aſiam exercitum duxit, obſedit Laodiceam, & Urbem quidem, non item arcem Boemundo eripuit; potitus præterea eſt Adana, Argyrocaſtro, Gabala, locisque aliis, ac Cilicia fere omni, præſertim poſteaquam Mamiſtras novo cum exercitu in eas oras expeditus vires Græcorum erexerat; qui attritas tanto inter ſe bello Latinorum juxta, & Tur-

A) Albertus Aqu. l. 8. c. 1. Abbas Urſpergenſis in Chronico. B) P. 262. C) Gulielmus Tyrius l. 10. c. 23. D) Ab Anna Comnena fuſius hæc enarrante p. 266. & ſequentibus.

Turcorum, ac diſperſas aggreſſi vires, illorum diſpendia ſuum in lucrum vertebant. Quippe eodem tempore Gregorius quoque Taronites Trapezuntinus pro Alexio Dux rem ab ea parte gerebat ſtrenue, ac magnum terrarum tractum ereptum Turcis Imperatori aſſeruit. A.C.

Irritatus hiſce Imperatoris in ſe bellis Boemundus, cum vires in Aſia 1105
reſiſtendo pares non haberet, transgredi in Italiam, novisque copiis ab imo bellum inſtaurare, atque Græciæ ipſi infundere decrevit. At enim infeſtum per Græcas naves mare, negabat Boemundo tranſitum idonea claſſe deſtituto. Quid inceptat verſutus Princeps? A) rumorem de morte ſua late diſpergi jubet, ſeque pro mortuo in navem deferri; navis nigris inſtructa velis, atque funeri in Italiam portando aptata erat. Nihil perſuaſius fuit, quam cadaver Boemundi in ea deferri; igitur tuta in Italiam abiit; quo ſimul, atque pertigit Boemundus, iræ, minarumque plenus copias, quantas poſſet maximas, colligere, Pontificem in Alexium velut ſacræ expeditionis hoſtem, & Barbaris amicum incendere, alios per Europam Principes ad ulciſcendam junctis viribus ejus perfidiam adhortari, atque communi illo Græcorum odio ad dominatum proferendum callide abuti. In magnas ea res anguſtias Imperatorem egit, quem præfervida Latinorum indoles, bellandique ardor minime latebant; datis ad Principes literis accuſat Boemundi cupiditatem, Imperio inhiantem, crimina ſibi impacta refellere omnimodis nititur, atque ad fidem dictis faciendam complures Gallos Proceres, quos a Sultani Babylonii captivitate precibus obtinuerat, ad Principes Europæos ire jubet. Interea occurrendum tantis Boemundi minis quamprimum ratus, Theſſalonicam profectus undique copias contrahit, ab Aſia exercitus ad ſe evocat; vires demum extremas, memor quo ſibi cum hoſte negotium eſſet, intendit. Cæterum Europæis dum rebus parat occurrere, Aſiaticæ labi cœptæ: quippe Tancredus ea uſus opportunitate recepit Tarſum, Mopſueſtiam, ac reliquas Ciliciæ Urbes, rurſusque Antiochenum illum Principatum late porrexit.

In Græcia annum, & menſes duos apparando bello commoratus Im- 1106
perator rediit in aulam; ubi illum ſuorum excepit conjuratio, inita a quatuor e Gente Anemarum, itemque a Baſilacio, Salomone, & aliis; verum in ipſo molimine patrandæ cædis per noctis ſilentia deprehenſi, carceribus, & facultatum mulcta temerariam inquietem luerunt. Gregorius quoque Taronites Dux Trapezuntinus, cognatione licet Alexio illigatus, arma corripuit Dominum ſe Urbis tam longe Byzantio disjunctæ profeſſus. B) Eundem per alium Taronitem Joannem, ſuum ex ſorore nepotem vicit Imperator, ac cepit; qui tamen carcere non niſi caſtigatus brevi dignitatem priſtinam recuperavit.

Adverſus Boemundum claſſem Contoſtephanus duxit; ac prior no- 1107
citurus hoſti Brunduſium in Calabria obſedit. Soror, an mater Boemundi? virilis animi mulier, pacis cum Græco tractatum ſimulat; clam interea ſuorum accerſit e Calabria manum; quæ obſidentes incautos aggreſſa cædit, fugatque & in naves ſuas cum dedecore compellit. Boemundus interim omnibus in bellum opportune paratis menſe Octobri cum triginta, C) aut eo amplius militum millibus, & claſſe Aulonem feliciter tenuit, ac Urbem primo impetu occupavit, poſt direpta maris ora ad Dyrrachium oppugnandum animum appulit. Præerat Urbi Alexius Imperatoris ex fratre nepos, qui flagitata per celeres nuncios Imperatoris ope gravi illum complevit formidine; quod is non minus foris ab hoſte, quam domi a conjuratis periclitaretur; in ejus enim exitium ſæpe a Proceribus conjuratum eſt; ſive quod acerbas pecuniarum exactiones ægrius ferrent, ſive quod conſueto ſibi morbo, & invidia laborarent.

A) Præter Annam, Zonaras quoque fraudis hujus meminit; non item Scriptores Latini. B) Hæc fuſe deſcripta vide apud Annam a p. 284. C) Anonymus Barrenſis, ut eſt in Notis ad Alexiadem.

A.C. Aſſumpta igitur in mali levamen conjuge Theſſalonicam profectus eſt; quo in itinere comperta rurſus quorundam in ſe conjuratione, ac pro merito caſtigata cogendis undique copiis operam dabat. Boemundus, quod annus in præcipiti eſſet, oppugnationem proximum in ver differt, oppida circum plura occupat, naves ne perfugio ſuis eſſent, neve diſtinerent militem, incendit, machinas omnes in futuram oppugnationem ſolertiſſime aptat.

1108 Vere appetente obſeſſum arcte eſt Dyrrachium; quæ Urbs firmiſſimo murorum ambitu defenſa eludebat ſtrenue vim, artemque Gallicam; admotæ Urbi machinæ jactis ignibus exuſtæ ſunt; cuniculis profunde foſſis eadem igniaria peſte itum obviam, ut opinione difficilior ea Boemundo accideret oppugnatio. Periculo tam opportunæ Urbis commotus Imperator, contractis omnibus undique copiis Diabolin verſus in Pelagoniam contendit; quo ut ventum, aliam bellandi cum Francis veterum memor cladium iniit rationem: etenim Boemundum ſi aperto Marte contenderet, victorem haud dubie futurum; cunctando, procurſionibus laceſſendo, commeatum præpediendo, Primoribus denique ejus exercitus corrumpendis atterere, ac debellare conſtituit. Datum Contoſtephano claſſi Præfecto negotium eſt: invigilaret ſedulo, ne quid navium, & annonæ e Calabria ad Boemundum allaberetur; cæteris vero Præfectis, ut viarum, & montium anguſtias pro loci natura frequentes materia undique congeſta obſtruerent; tum armati cuſtodirent diligenter; Cantacuzenus demum cum lecta manu procurſionibus hoſtem laceſſere, ac victoriam ſufurari magis, quam extorquere juſſus. Contoſtephanus præpedire nequiit, quo minus una, & altera vice naves annonariæ ad caſtra hoſtium appellerentur; cui, ut minus ſtrenuo, ſuffectus Marianus Catacalo ita concluſit mare, nihil ut opis Normanno e Calabria eſſet. Procurſionibus ultro citroque certatum deinceps eſt, Imperatore plenam aciem omnino declinante; quo in genere prælii varia pro more fortuna fuit, fere tamen Normanni plus damni inferebant; quam acciperent. A)

Ea bellandi arte maxime vero tentatis Procerum Gallicorum animis in maximas Boemundum difficultates Imperator compulit. Æſtate enim in oppugnanda Urbe nequicquam contrita, abſumptaque annona omni, nec mari, nec terra parari quidpiam, nec conflictu ob hoſtis calliditatem de rei ſumma decerni poterat. Primum fames in exercitum Boemundi, dein hominum lues perbacchata, ad pacem quærendam ferocem antea Ducem perpulere; ut cui nec proſequi jam bellum, nec ab eo regredi integrum eſſet; accedente præſertim Gidi (frater hic Boemundi erat) prævaricatione; cui ab Imperatore filia in conjugem, ipſumque Dyrrachium eſt promiſſum; is cum Primoribus exercitus in ſententiam tractis clam ſtudebat Alexio, B) confirmatisque Dyrrachii propugnatoribus urgebat fratrem, pace ut compoſita, ea ſe, ſuosque calamitate expediret. Boemundus acceptis obſidibus Imperatorem de pace acturus adiit. Poſt multa ultro, citroque diſceptata demum in pacem conventum eſt, Imperatori, quam Boemundo æquiorem; hic enim clientelam Imperatoris jure-jurando profeſſus Antiochenum Principatum fiduciario non niſi jure obtenturum ſe promiſit; redditurum præterea, quæ Tancredus in Cilicia loca obtinuerat; adhæc adverſus quoslibet hoſtes Orientis Imperio præſto futurum, pluraque alia illi, geſtisque antea heroicis pene probroſa; quæ ſcilicet ingens telum neceſſitas ab eo expreſſerant. Contra Imperator ſtipendii aliquid annui Boemundo pollicitus, ac hyberna exercitui per Græciam; ita utrinque ab armis diſceſſum. Huic pacis tractatui inter alios ſubſcripti leguntur Colomanni Regis Ungariæ Legati, Peres, & Simon, C) filia enim an mage conſanguinea Regis (nam de hoc non inter

A) Omnia hæc diffuſe, & minutatim Anna toto libro decimo tertio. B) Vetus Scriptor citatus in Notis ad Alexiadem p. 100. Ordericus quoque illic citatus; nam ejus rei Anna non meminit. C) Recitat totum hunc pacis tractatum Anna ſub finem libri decimi tertii.

inter omnes convenit) Joanni Imperatoris filio poſtea regnaturo nupta A.C.
erat; atque, quod Græcis ſolenne, mutato nomine Irene vocitata, cum prius Priſca eſſet. A)

Boemundus diſpertito per Græciam in hyberna milite, transgreſſus 1109
in Calabriam poſt menſes ſex humanis exceſſit; cujus interitu factum crediderim, quod conventio tum inita exitum ſortita non fuerit; Tancredus enim tantum abeſt, ut Ciliciam redderet, cæterisque pactione illa contentis ſtare vellet, ut potius extrema omnia Legatis ei fini miſſis comminaretur. Rurſus igitur ad civilia inter Latinos ſerenda odia, auroque bellandum, Imperator verſus Manuelem Bitumitem ad Bertrannum Tripolitanum Principem, Toloſani illius Comitis, ante quadriennium vita functi filium, itemque ad Balduinum Regem Hieroſolymorum multo cum auro miſit; qui eorum in Tancredum ſollicitaret arma; ac Bertrannus quidem plura etiam, quam rogaretur, Imperatori pollicitus; at vero Balduinus Tyro oppugnandæ tum intentus, & ab obſidio, cum pene Urbem in manu haberet, ignavia ſuorum, & incogitantia dejectus, accedere fœderi in Tancredum omnino noluit; ſicque Tancredus Antiochenum, & Ciliciæ Alexii ingratiis retinuit Principatum; cui hac quidem vice conſuetæ ad victoriam artes infelicius ceſſere.

Quietem poſthac a bellis nactus Imperator obibat cum conjuge Pro- 1110
vincias, ordinandisque politicis juxta, bellicisque rebus curas impendit; transgreſſus Cherſoneſum naves bellicas inſtruxit, tyrones in futurum bellum exercuit; idem factum in Peloponneſo, atque alibi. B) Interea Legati e Perſide excepti, quibus cum pax Imperio perutilis ſancita memoratur; quippe Philocales, atque Conſtantinus Gabras quibusdam præliis ſuperiores, pacem ut Barbarus amplecteretur, pervicere,

Securiorem hac parte Imperatorem in ſolicitudinem conjecerunt na- 1112
ves Latinorum, in Palæſtinam magno numero progreſſuræ; quas ut obſervaret, atque ab armis inferendis arceret, Caliopolim ſeſe contulit; eminus veluti exitium navigationis ſpeculaturus. Verum iſthinc in Aſiam brevi illum abſtraxit repens de aliis Turcis magno numero in fines irrumpentibus rumor; in quos etſi articulorum doloribus afflictaretur, in expeditionem tamen prodiit. Ante vero, quam Barbarorum retundi poſſent molimina, magna illi celeritate Nicænam evaſtarunt Regionem, Pruſam diripuerunt, quin Urbem ejus oræ celeberrimam Cyzicum; in hos bono cum ordine progreſſus Imperator, binis præliis, ut tamen apparet minutioribus ſuperior, tranquillitati Regionis, Barbarorum vexationibus nunquam non expoſite, utcunque proſpexit. C)

Annum quieti unum in aula Imperator dederat, cum allatum Cu- 1113
mannos in armis eſſe, atque irruptionem in Thraciam moliri; huic averuncandæ Philippopolim cum exercitu proceſſit, miſſisque procurſoribus diutius in Urbe hæſit. Illic commoranti multa erat cum Hæreticis, Manichæis, Bogomilis, aliisque diſputatio; quos ſummo ſtudio abſtrahere ab errore, reliquisque adjungere, id eſt: a flamma in fumum, ab hæreſi in ſchiſma transferre adniſus eſt. Multa hoc loco Anna Comnena de patris ſui religione, illiusque propagandæ ardore; ut non vereatur, ob hæc molimina duodenario illum Apoſtolorum numero apponere; mulier ut ingenii præcellentis, ita in laudes juxta, & vituperia intemperanter profuſi.

In Cumannos Iſtrum transgreſſos promovere exercitum Imperator 1114
cœpit; verum illi fama adventus hujuſce conterriti, ne tentata quidem irruptione domos ſuas remigrarunt. Hic rurſus Philippopolim Imperator redux Hæreticis exagitandis operam impendit; quorum multa ab errore abducta eſſe millia, ſeu verius ab uno in alium errorem, quo plus ſibi blandientem, hoc mage pernicioſum translata memorantur.

Regreſ-

A) Ita enim eam appellat Bonfinius D. 2. l. 6. B) Harum Alexii migrationum meminit Zonaras quoque p. 239. C) Anna de his toto libro decimo quarto.

A.C. 1115 Regreſſum in aulam Alexium, & pedibus captum Turcicum rurſus avocabat bellum: Sultanus Iconienſis iteratis procurſionibus Aſiaticum turbaverat limitem; in hunc exercitum ducere cum primum Imperatori placuerat, ſed pedum obſtabat dolor; demum malo relevatus, conjuge quoque comitante, Nicomediam primum, inde Nicæam cum exercitu venit; quem novo quodam bellandi ordine, & aciei forma ad infringendas Turcorum inordinatas irruptiones, & furorem inſtruxerat. In prima Iconium verſus expeditione velitationibus magis, quam memorabili aliquo prælio certatum eſt a Nicephoro Bryennio, Conſtantino Gabra, aliisque, Chriſtianorum fere æquior in his erat fortuna; ita rurſus Nicomediam reditum.

1116 In altera expeditione, quæ Iconium uſque ab Imperatore promota fuit, res geſta fortunatius; præter enim minora prælia ſemel, ac iterum cum ipſo Sultano manus conſertæ, isque in fugam conjectus eſt; tametſi qua id utrinque factum ſtrage, quantove victorum commodo proditum non ſit; certe tamen Sultanus ab his præliis de pace acturus ipſe adiit Imperatorem, atque perhumane acceptus pacem cum eo ſanxit. Reducem Iconium verſus Barbarum major excepit calamitas; a fratre enim ſuo cæcatus primum, dein atrociter necatus eſt. Imperator hac expeditus cura cum magnis Chriſtianorum e captivitate aſſertorum gregibus aulam feliciter tenuit; atque poſtrema hæc illius fuit in bellum profectio; ab hac unum, & alterum, quem ſupervixit, annum pacis operibus dedit.

1117 Celebre, & vere auguſtum fuit Orphanotrophium illud, quod vel inſtauravit, A) vel certe amplificavit in Urbe Alexius; in quo decem hominum variæ ſortis millia alebantur; Orphanorum ſcilicet, ſenum inhabilium, militum viribus, & ætate devexorum; ubi & literæ adoleſcentibus traditæ, & excultæ artes; Monachorum quoque additus iis cœtus; qui ſacra multitudini illi facerent, & ſcelerum illuviem a varia illa, & prona ex otio in malum multitudine arcerent; opus dignum, quod in exemplum alii traherent Principes, & magnis in hoſtes ſuos rebus geſtis pene non inferius apponerent. Eodem hoc pacis otio ad extirpandum Bogomilorum virus Imperator uſus, præcipuum ſectæ illius architectum Baſilium, cum reſipiſcere is nollet, flammis fruſtra neſcio, quæ de cœlo auxilia ſperantem exuſſit, curante id, agenteque Nicolao Grammatico tum Patriarcha. Infanda erat Baſilii illius de Chriſto, deque Euchariſtia ſententia; in quam, ut incautos pelliceret, ſilentio doctrinæ ſuæ capita obtegi volebat; non neſcius: indita hominibus res occultas perdiſcendi cupiditate errores ſuos, quo tectius, hoc ſecurius propagatum iri. Oppreſſa eſt pernicies ſubtracto capite, ſed oppreſſa ab iis, qui morbo etſi non pari ad fœditatem, ad exitium tamen non multum diſpari laborabant.

1118 Hæc inter morbo corripitur Alexius; verum ab eo Medicorum ope recreatus, ſex adhuc ſupervixit menſes; circa quod idem tempus Balduinus Hieroſolymorum Rex domitis late Barbaris, ac Regni finibus non parum diductis diem clauſit extremum; B) cui in Regno ſucceſſit patruus Balduinus alter de Burgo, Edeſſenus antea Princeps præclarorum in Barbaros facinorum non minus, quam Regni hæres. Alexius vero Auguſto menſe ventris tumore, & aſthmate afflictus, demum ad extrema pervenit. Mutandi cœli cauſa ad Manganorum delatus palatium nihilo illic melius habuit. Igitur deſperatis omnibus, cauterio quoque per ferrum candens in viſcera nequicquam inuſto, quintum decimum ejus menſis diem poſtremum Alexius vidit, C) poſteaquam regnaſſet annos ſeptem, & triginta, menſes inſuper quatuor, vixiſſet vero circiter ſeptuaginta. Joan-

A) Meminit Orphanotrophii hujus præter Annam Zonaras quoque. B) Abbas Urspergenſis in Chronico. C) Miras in morte patris ſui tragœdias Anna excitat, velut ſi maximam ejus interitu cladem orbis terrarum acceperit; lugetque pene intemperanter.

Joannes filiorum Alexii natu maximus, patre animam agente relicto, Regiam occupaturus properavit; mater quippe illius Irene ſimultates cum eodem exercuerat, excludere illum ſucceſſione, atque Nicephorum Bryennium generum, cum filia Anna eruditum par conjugum, in Imperium ſubvehere molita; A) ſed adverſus matris cupiditatem prævaluit Joannes, cuſtodibus palatii in partem tractis. Converſi igitur ad novum Principem omnium animi, relicta Auguſta, & Alexii cadavere, ut pene deeſſent, qui funus curarent, nec pro dignitate Imperatoria illud curatum eſt. Præter hunc Joannem, fuere Alexio filii, Alexius, qui paulum ante fratris exceſſum in prælio quodam Turcico occubuit; Iſaacius, a quo Principes dein Trapezuntini profluxere; filiæ vero præter memoratam ſæpe Annam, Maria, Eudocia, Theodora, Primoribus Procerum Nicephoro Catacaloni, Conſtantino Jaſitæ, & Conſtantino Angelo in conjuges locatæ. B) Atque hactenus de Alexio Principe inter bonum, malumque medio, a fraudibus tamen, quod ipſum conjux quoque eidem ſub vitæ finem exprobraſſe fertur, infamato; quod vitium in privato odioſum, in Principe, cujus ſacra debeat eſſe auctoritas, etiam execrandum eſt. A.C. 1118

FL. JOANNES COMNENUS.



ET fortuna in rebus gerendis, & imperandi laude parenti ſuo Comnenus hic præſtitit; in populum liberalis, benignus in Proceres, in ſupplices miſericors, & quam in amicos candidus, tam ſtrenuus, & ferox in hoſtes; quæ ipſius decora effecere, ut vulgo Calo Joannes, ſeu Bonus Joannes diceretur. Firmatum ope amicorum Imperium propius aberat, ut Annæ Comnenæ ſororis ambitu amitteret. C) Violenta in quamcunque ſe partem daret mulier, ac dominatus æſtu arrepta Procerum conduxit nonnullos, quorum ope conjugem Bryennium, ſeque in aulam reponeret; verum detecta molitione conjurati bonorum jactura mulctati ſunt; quæ tamen ipſa liberalitas mitis illius Principis brevi reſtituit. Sororem ſupellectili regia ob attentatum facinus privare frater decreverat, eamque Axucho e Turcis quidem orto, ſed Chriſtiana amplexo ſacra, & ad ſumma ob virtutem producto conferre; qui magnus tunc Domeſticus, ſive exercituum Dux fuit; verum Axuchus modeſte declinavit invidiam, ac Imperatorem ſorori placatum ſuæ reddidit.

Inteſtinos hoſtes moderate ultus ad exteros profligandos animum 1119
vertit Imperator. Turci pace cum Alexio inita nihil illos prohibente incurſabant late Phrygiam; quibus reprimendis obviam ab Urbe itum; factisque aliquot præliis ſecundis obſeſſa eſt Laodicea, atque etiam capta. Quiete aliqua bellicis laboribus interjecta, in Pamphiliam Sozopolin verſus

A) Subticet rem Anna; at non Zonaras, qui demum hic Annales ſuos deſinit. Meminit etiam Nicetas Choniates, qui ab obitu Alexii ſcriptionem exorditur. Anna quoque cum patris morte deſinit. B) Stemma Comnenorum in Familiis Byzantinis p. 142. C) Nicetas Choniates p. 7.

A.C. ab Urbe movit Imperator: expediti equites Sozopolin uſque procurrere juſſi prolicuerunt Turcos in prælium, ac inſequendi ſtudio elatos longius ab Urbe abſtraxere; tum coorti alii, qui in inſidiis propius Urbem delituerant, eandemque ingreſſi occuparunt; inde complura Attaliæ finitima loca in poteſtatem accepta; quæ, uti & reliquas Joannis res geſtas ſtrictim complexi Scriptores, A) ad bellum Scythicum, quinto ejus Imperii anno geſtum continuo tranſeunt.

1123 Scythæ magno rurſus numero Iſtrum transgreſſi non levi Imperatorem metu compleverant, in memoriam reducentem; quas illi patre ſuo imperante Thraciæ clades intulerunt. Producto ab Urbe exercitu circa Berroeen atroci pugna cum Scythis concurſum eſt. In medio pugnæ fervore cum dubia penderet alea, Dei Matrem inter lachrymas ſubſidio advocabat Princeps; eaque re animis auctus magna cæde Barbaros fudit. Victi intra caſtra, curribus, ceu vallo protecta, ſe intulerant Scythæ; unde erumpebant identidem, ac ſtrage edita velut in arcem denuo refugiebant. Demum ſatellitibus ſuis Barangis negotium Imperator dedit, ut ea curruum clauſtra ſecuribus perfringerent; ſic fracti rurſus hoſtes, aut cæſi ſunt, aut in ditionem accepti. Pari felicitate non diu poſtea in Aſia cum Turcis graſſatoribus rem Joannes geſſit, multis Chriſtianorum e barbara ſervitute vindicatis. Aſſiduus enim hic Imperator in expeditionibus fuit militaribus; duas eodem opere conſecutus res ad utilitatem publicam longe maximas; ut & hoſtibus fieret formidabilis, & militem probe exercitatum haberet; qui tametſi per otium quoque exerceri poſſit, tantum tamen prior illa exercitatio alteri, quantum corpus umbræ præpollet.

1125 Remotius deinde cum Ungaris bellum fuit. B) Cujus non eadem a Græcis, quæ ab Ungaricis Scriptoribus cauſa profertur, ſed & in rei geſtæ narratione diverſus plane ab illis Bonfinius: hic igitur cauſam belli ait, c) quod Imperator conjugem Ungaram, infra dignitatem aliquando habitam, etiam verberibus pulſaſſet; quippe Imperatorem atrox, atque crudele, ut erat, Stephani Regis Ungariæ ingenium inter colloquendum incuſaſſe, contra Imperatricem pro Stephano multa dixiſſe, demum ex verborum altercatione in jurgia, & verbera Imperatorem progreſſum; clam omnia Stephano per Imperatricem ſignificata eſſe; Regem vero, ut præferoci erat ingenio, validis copiis in Mœſiam, & Macedoniam expeditis, populatione multa contumeliam ultum eſſe; denique in bellum atrox ea odia prorupiſſe.

Veriorem adferre videntur belli cauſam Cinamus, & Nicetas: Almum Ducem Colomanni Regis, fratrem Stephani, odiis exagitatum profugiſſe Conſtantinopolim; atque maxima benevolentiæ ſignificatione ab Imperatore ſuſceptum, ob conjugem videlicet Irenen Ungaram, cognatione Almo junctam; quæ ob inſignes animi dotes accepta cumprimis Imperatori fuerit; illam enim ſanctimonia vitæ claruiſſe; quidquid peculii a conjuge acceperat, in bene meritos, & egentiores contuliſſe; adhæc monaſterium Deo Omnipotenti elegantia, & amplitudine nulli ea in Urbe ſecundum extruxiſſe; poſt hæc Stephanum Regem expoſtulaſſe cum Imperatore propter Almum, utque ſibi dederetur, flagitaſſe; quo ab Imperatore negato ira percitum Regem bellum intuliſſe; huic vero inferendo aliam quoque prætextam fuiſſe a Rege cauſam; quod Braniſovenſes Græci mercatores Ungaricos injuriis vexaſſent. Atque hæ belli cauſæ potiores jure videntur; ſiquidem vix credibile, Joannem mitis, optimique animi Principem in lectiſſimam conjugem manum indecore extendiſſe; adhæc exploratum quoque eſt: Almum cum Bela filio jam antea Colomanni juſſu cæcatum eſſe, poſt vero importunitate Stephani fugere in Græciam coactum.

Ut

A) Nicetas, & Joannes Cinamus; p. 3. B) Annorum hic quoque ſeries non ſatis explorata; ob ſummam in ea re Scriptorum Græcorum negligentiam. C) Decadis 2dæ. l. 6.

Ut autem verius iſta Scriptores Græci, in eo labuntur tamen, quod A.C. Almum, Stephani fratrem faciant, qui patruus fuit. Sed nec a ſimili er- 1125
rore immunis Bonfinius; qui bellum hoc cum Manuele Joannis filio Ungaros geſſiſſe perperam ajat. De conjuge quoque Joannis Ungara, cujusnam filia extiterit, diſſenſio eſt; Bonfinius cum Cinamo A) Ladislai illius Regis, quem inter Cœlites ob virtutem Eccleſia colit, filiam fuiſſe volunt; contra vero Anna Comnena Colomanni Regis filiam innuit; B) & quidni Anna intima fratri, affinique ſuæ conſuetudine conjuncta originem illius patriam præ cæteris melius cognoverit? Nec certe vana eorum eſt ſuſpicio, quam Bonfinius quoque haud diſſimulat, qui D. Ladislaum omnes Deo ſoli, & patriæ curas ſacraſſe, atque adeo conjugii vixiſſe expertem ferunt. Sed jam ad belli ipſius utrinque progreſſiones, exitumque veniamus.

Ungari igitur Regis juſſu illato Græciæ bello Belgradum primum expugnant; e cujus Urbis ruderibus aliam in Sirmio extruxerunt Urbem probe communitam, quæ Græcis Zeugme cognominatur, Zemlinum, ut opinor, Ungaris. Tum vaſtata Mœſia Philippopolin uſque progreſſi, in expeditionem denique ſuorum clade Imperatorem ab Urbe prolicuerunt. Eo Philippopolim veniente, rediere ad ſua procurſores Pannonici; jam enim Stephanus, cui per invaletudinem expeditioni huic adeſſe non licuit, validum objecerat trans Iſtrum exercitum, Imperatorios a finibus propulſaturum. Græci navalis juxta, terreſtrisque pugnæ periti, e mari per Iſtrum naves bellicas Belgradum uſque protraxerunt; Imperator vero alia ex parte terreſtri cum exercitu adventabat. Lembi verius, quam bellicæ Ungarorum naves facile a Græcanicis, & apparatu, & aſſuetudine ejus belli firmis devictæ, & Iſter fluvius occupatus. Sub idem plane tempus terra quoque Imperatorius in Ungaros exercitus invectus eſt; qui, ne utrinque clauderentur, veriti, vix Marte tentato, in pontem Iſtro injectum ruebant; magna in fugientes edita cædes; quin pons ipſe fugientium multitudine prægravatus exitio plurimis, non ſaluti fuit. Inter captivos præcipui apud Ungaros fuere, Acuſes, & Celades; multi vero e Procerum numero occiſi, & capti non pauci.

Victor eum in modum Joannes exercitum Sirmio infert; expugnat Zemlinum, Chramum arcem occupat, ac Sirmienſem eam Regionem longe pulcherrimam in poteſtatem redigit, jam antea a Græcis, ut in Baſilio Juniore viſum, poſſeſſam; quæ, ut in dominatum Ungaricum conceſſerit, legi nuſpiam; crediderim autem, ejus quoque Regionis tam opimæ deſiderio Græcos in id bellum accenſos. Hiſce rebus e ſententia confectis, ac Curticio valido cum præſidio Braniſovæ c) impoſito Byzantium Imperator rediit.

Illius regreſſu ad ſarcienda, quæ incogitantia magis, quam virtute 1126
hoſtium acceperant, damna erecti Ungari, Braniſovam manu armata occuparunt, præſidiariis omnibus captis, partim vero cæſis, munimentoque diruto. In Curticium fuga lapſum, etſi viriliter locum defenſaſſet, nec niſi occupata jam ab hoſte Urbe profugiſſet, flagris deſæviit Imperator, uſque eum amiſſi ejus loci dolor accenderat. Hæc inter Ungarorum ſucceſſu animati Servii, a Græcis deficiunt, & Raſum arcem expugnant; Ungari vero majore cum exercitu Græcos infeſtant; & magnam illaturi erant Imperatori cladem, qui rurſus ab Urbe profectus reſtituendæ Bra-

 niſovæ

A) P. 4. B) Superius, cum de Legatis tractatui cum Boemundo inito ſubſcribentibus egit; ait enim: οἱ ἐκ Δάκων ἥκοντες ἀποκρισιάριοι παρὰ τὸ κράλι ϗ συμπενθέρε τῆς βασιλείας, venientes Legati ex Dacia a Rege, & conſocero Imperatoris. Igitur Colomannum, a quo hi erant Legati, conſocerum vocat Alexii; proinde etiam patrem Irenes; quod credere, quidquid in contrarium adducat eruditus in Annæ hiſtoriam Scholiaſtes, libet. Obſerva etiam vocem κράλι, ex Sclavica Kral, quod Regem ſonat; ſumme enim cavebant Græci, ne ſuum illud βασιλεὺς aliis Regibus, quam ſuis Imperatoribus tribuerent. C) Braniſovam nuſpiam in chartis Geographicis invenio; fuit autem, ut ex alio ejusdem Cinami loco patet, Urbs infra Belgradum non longe a Danubio; niſi forte Orſova fuerit.

A.C. 1126 niſovæ dabat operam; verum conſiliis Ungarorum per nobilem quandam ab Ungaria mulierem enunciatis, non expectato eorum adventu, Græci inopia, & frigore prope confecti profugerunt; neve aſſequi eos Ungari poſſent, per impeditiſſima loca exercitum duxere; extremum tamen carpſerunt iſti agmen; atque ita illatis, acceptisque utrinque damnis bellum pace terminatum. A) Quamvis autem ejus capita fœderis non prodantur, certum tamen, Sirmienſem eam Regionem in Ungarorum tunc manſiſſe poteſtate; quam poſtea Joannis filius Manuel armis rurſum tentaſſe memoratur; Servii vero Principem habuere ſuum; qui modo Græcis, modo Ungaris, ut ejus ferebant rationes, obnoxius, quodve Principibus inter majora Regna interjectis uſuvenit, in utramque partem nutans, ne in caducum inclinaret parietem, ſolicite cavebat.

Aliter hæc omnia Bonfinius: nam his, quæ jam memorata ſunt, præteritis, navali prælio, ac græco potiſſimum igne ſuperiores fuiſſe Imperatorios; exin vero trajecto per Iſtrum exercitu, ad amnem Caraſſum, qui ad Ujpalankam in Iſtrum effluit, utrosque conſediſſe; poſthæc decretorio prælio magna utrinque cæde pugnaſſe; poſtremo Ungaros ſubſidiaria acie deſtitutos, ab Imperatore in fugam conjectos, ac denique pacem utrinque confectam. Verum Scriptoribus noſtris ab ea ætate non multum disjunctis B) tutior fides; etſi fieri potuerit, ut fugientes trans Danubium Ungaros, expoſiti navibus Græci, aduſque amnem Caraſſum perſecuti ſint, cædemque, ac victoriam eorſum prolatarint.

1127 In Paphlagoniam adverſus Turcos anno conſequente Imperator movit; ſive Provincias olim Imperio ſubjectas vindicaturus, ſeu Barbaros nullis unquam prædis exſatiatos repreſſurus. Caſtamon ad fines Paphlagoniæ ſita, mali hujuſce caput, deſtinata præ cæteris ad ictum eſt; admotis itaque machinis, & ſcalis Turcico nequicquam Principe omnia in contrarium moliente, expugnata Urbs fuit, magnaque Barbarorum multitudo in captivitatem ducta. Cum hac triumphum duxit in Urbe Imperator, non tam a ſplendore pompæ, & magnificentia, quam ab Imperatoris ipſius modeſtia celebratum. Currui quippe argento, pretioſisque lapidibus exornato, quem illi ad triumphum adornarant, præter opinionem omnium non inſedit ipſe, ſed Dei Genitricis effigiem, cui rerum ſucceſſus ſuarum adſcribebat, vice ſui triumphare voluit. Currum præcipui Procerum, & Imperatoris cognatorum regebant; Joannes vero crucem manu geſtans pedes ſequebatur; ob eam animi probitatem, quam ob victoriam triumpho, & lauro dignior. Atque utinam præclaris ejus animi dotibus Religionis integritas reſpondiſſet! Sed obſtabat vetus a vera Eccleſia ſeceſſio; quamquam non deſunt documenta quædam, quæ Joannem, uti & Alexium ejus patrem ſincera fuiſſe Religione, & cum Latinis concordi teſtentur, C) tametſi opinionibus ſuis tenacius inhærerent Græcorum reliqui, atque adverſus concordiam iſtam toti pugnarent.

Affulſerat Imperio ejusdem Joannis non levis diſcordiæ iſtius penitus evertendæ ſpes, adventu Anſelmi Havelbergenſis D) in Germania Antiſtitis, qui Legatus Lotharii Imperatoris ad Joannem fuerat; atque diuturnioris occaſione commorationis movere aliquid de concordia inter Græcam, Latinamque Eccleſias ineunda occœperat. Ventilatis ultro citroque diſcordiæ capitibus, reque ad Imperatorem perlata, ita inter partes conventum eſt: ut, quem ſapientiſſimum Græci haberent, opponerent Anſelmo, atque ii Imperatore, cæterisque præſentibus, rationum inter ſe vi ſedate concurrerent. Objectus Anſelmo a Græcis eſt Nicetas Nicomediæ Præſul, non literarum minus laude, quam modeſtia apud Græcos celebratiſſimus; atque præclari hi pugiles non ardore animi, qui ejusmodi congreſſus plerumque evertit, ſed rationum momentis præclare decer-

A) Hæc Cinamus p. 5. Nec multum diverſus Nicetas. B) Cinamus ſub filio hujus Joannis Manuele floruit, ac expeditionibus adverſus Ungaros, ut teſtatur ipſe, interfuit. C) Recenſet ea Baronius ad annum Chriſti 1118. D) Anſelmus l. 2. Dialogorum.

decertarunt de Spiritus Divini a Filio non minus, quam a Patre proceſſu, deque aliis ad ritum Eccleſiaſticum pertinentibus. Demum Nicetas, A.C. 1127 omnibus, quæ dici poterant, in medium prolatis, ac ab Anſelmo ſtrenue confutatis, faſſus ingenue eſt: inter Græcam, Latinamque Eccleſias vocum duntaxat tenus omnem eſſe controverſiam, meritoque Romani Pontificis concordiam expetendam. Tum vero acclamatum ab omnibus: procurandam eſſe modis omnibus concordiam, atque Concilium Univerſale ei fini cogendum. Verum præclaras hujusmodi ſpes ſive bellum, quod Joannes pro Antiochia Latinis in Aſia intulit, ſeu verius Patriarcharum faſtus, nihil Pontifici decedere volentium, magno Eccleſiæ, majore Græcorum damno evertit.

E Victoria prius memorata non diuturnus fuit lætitiæ ſenſus: Tur- 1128 cus Cappadociæ Princeps Taniſman, majore Caſtamonem vi aggreſſus, non levi illato rebus detrimento occupavit, Imperatore, ne vim vi retunderet, domeſticis curis præpedito; quippe & morbo ipſe tentatus eſt, & ex eodem Irenen conjugem magno ſuo cum mœrore perdidit; quæ quatuor illi mares progenuit liberos: Alexium, Iſaacium, Andronicum, ultimumque Manuelem; Alexium Imperialibus exornatum inſignibus Collegam dixit pater; cæteros Sebaſtocratoras nominavit; e quibus Imperium deinde is tenuit, qui ab eo cæteris viſus eſt remotior, Manuel; poſterior quidem naſcendi conditione, ſed ob vividam, ac militarem indolem patris in animo potior.

Ad Muchumetum, qui Taniſmano in Principatu Cappadociæ ſucceſſerat, Caſtamone ejiciendum in Aſiam cum exercitu Imperator profectus, cum Sultano Iconienſi adverſus eundem fœdus pepigit; ſimultas enim quædam Barbaros hoſce colliſerat. At, quam infida eſſet Turcorum ad commoda tantum ſua reſpectantium ſocietas, brevi ſenſit: Muchumetus clam in gratiam ab Iconienſi receptus, in grave periculum conjecit exercitum, ne undique circumventus deleretur. Fretus tamen Dei ope Imperator, per hyemem, quod ferre eam Turci nequirent, & Caſtamone potitus eſt, & Gangras principem Paphlagoniæ Urbem oppugnavit. Nihil cum arietes muris admoti proficerent; prægrandes e machinis lapides in Urbem magno numero detorti, demum ad deditionem perpulere Barbaros. Locis hiſce idoneo præſidio munitis, Urbem Imperator repetiit. Verum ex omni hoc labore, & victoria emolumenti relatum eſt nihil; vicini enim Barbari eadem aggreſſi loca ſibi ſubdidere, inquieti ſemper, & vel cladibus ipſi ſuis, ac exitio formidandi. A)

Non longa ab his laboribus quiete ſibi indulta, aliam Antiochiæ re- 1129 cuperandæ in Aſiam expeditonem Imperator ſuſcepit. Ferebant nempe ægerrime Græci, Urbe Aſiæ totius pulcherrima, maximisque opportunitatibus inſtructa Latinos potiri; & Urbe quidem, ex pactis conventis cum Boemundo olim initis, Imperatori debita. Igitur in hoc bellum plus curæ, & virium, quam in alia impenſum. Opportunitatem rei gerendæ dabat interitus Boemundi Junioris in obſidione Damaſcena per Turcos cæſi; huic filia tantummodo una Conſtantina, eaque impubes relicta ſpem fecerat conjugii cum Manuele Imperatoris filio ineundi; quem etiam in finem Antiocheni adventum Joannis ſollicitaſſe feruntur. Interea Balduinus Hieroſolymæ Rex, cui ex filia neptis fuit hæc Conſtantina, evocavit e Gallia Raimundum Aquitaniæ Ducis filium, B) atque deſponſa illi Conſtantina Antiochenum Principatum in manus dedit. Placuit itaque Imperatori bello vindicare Antiochiam; quin & Armeniæ inferre arma, cujus Princeps Libo Raimundi partes propugnandas ſuſcepit, ab Antiochenis quodam in conflictu captus, ac tunc, ut ſocium bello haberent, libertate donatus. Triennium in hac expeditione commoratus Joannes, magnam ſibi fortitudinis bellicæ laudem comparavit.

A) Cinamus p. 6. B) Gulielmus Tyrius l. 14. c. 9.

A.C. Primo in Ciliciam ingreſſu præcipuæ ejus Regionis Urbes Tarſus, &
1129 Adana in poteſtatem acceptæ; A) oppugnata Anabarſus, poſt Becca, firma Armeniæ minoris loca; quæ tamen machinarum vi, & Imperatoris adverſus omnes aeris, temporisque injurias obfirmati conſtantia demum ad deditionem compulit. Commodam progreſſionibus ejuſcemodi occaſionem dederat abſentia Raimundi Principis; qui per id tempus Regi Baldvino, a Saracenis quodam in prælio ſuperato, ac demum in arce, cui nomen Mons Ferrandus, obſeſſo opem laturus aberat. Recurrit tamen, audito Imperatoris in ſe bello, ſtrenueque Antiochiam adverſus imminentem ſibi obſidionem inſtruxit.

Nec inanis hic fuit metus: Joannes admoto exercitu circumcluſit Urbem B) ab auxilii ſpe, ut in tam remota a Francis Regione, penitus deſtitutam; illicque opinione omnium hæſit diutius. In Græcos diuturnitate ipſa moræ ſegniores, eruptione facta, Antiocheni cladem nonnullam attulerant; at demum obſidione illa fracti pacem ab Imperatore ſupplices popoſcerunt. Rejecit oblata primum Raimundi pacta Imperator, qui vicario, aut fiduciario jure permitti ſibi Antiochiam petebat; viciſſim in bellis Imperatoribus præſto futurum, atque ſummam in eas Regiones illorum auctoritatem agniturum pollicitus. Demum cum in longius duceretur obſidio, annuit petitis Imperator, atque amicitiam cum Raimundo, cum Tripolitano Principe, denique cum militibus Templariis, quorum jam tum late inclaruerat nomen, iniit.

1130 A Chriſtianis in Barbaros dehinc arma translata; in qua expeditione Raimundus quoque ſuis cum copiis Imperatorem eſt aſſectatus. Ad Euphratem uſque fluvium, quin etiam ultra eum promotæ copiæ, Barbaris munitarum Urbium, quando res eorum diviſæ, & attritæ apertam negabant aciem, præſidio vim defendentibus. Piza de his capta, & Principi c) Edeſſeno dono ab Imperatore data memoratur; plura item trans Euphratem loca minora. Obſeſſum poſtea Chalepum; ſed ea Urbs firmitate mœnium, & propugnatorum multitudine conatum denique Imperatoris eluſit. Captæ deinceps Urbes Pharepus, Capharſa, Iſtrium, & militi in prædam datæ. Itum denique ad Sezerin Urbem prædivitem, & maximo Turcorum e diverſis locis confluxu viribus pollentem. Ab hac procurrentes Barbari pedem non ſemel contulerunt, victi tamen, atque in Urbem retruſi. Diuturna demum obſidio fregit Barbaros; ut ſupplices maximis oblatis muneribus, & in his Cruce inſigni e lapide lychnite, quam Imperatori olim Diogeni eripuerant D) Urbem ſuam, & pacem redimerent, penſitationem inſuper annuam polliciti. Hiſce rebus e ſententia geſtis, Antiochiam regreſſus Imperator, ac non citra triumphi ſpeciem acceptus, demum per Ciliciam Conſtantinopolim ſumma & gloria, & Urbis gaudio tenuit. Ex itinere pars exercitus adverſus Iconienſes Turcos expedita, eorum egregie graſſationes ulta perhibetur. Atque ita Imperatores Orientis, qui pene jam Aſia omni exciderant, qua Occidentalium victricibus per eas oras armis adjuti, qua vero diviſo Barbarorum Regno ad rem gerendam invitati proferre longe, lateque Imperium per Aſiam non minus, quam Europam, & priſtinum in ſplendorem erigere cœperant, futuri abs dubie felices, & florentes procumbentibus magna mole Turcorum rebus, ni in veteres poſtea morbos, & diſcordias revoluti, adnata ſibi ambitione, & nullis unquam ſeu proſperis, ſeu adverſis rebus perdomita, in interitum denique præcipitaſſent.

1132 Ne poſt tot quidem labores bellicos ſeu ſibi, ſive exercitui otium diuturnius indulſit Imperator, etſi obmurmuraret miles, & laborum perpetuitatem quereretur; bene quippe cognorat, labore melius, quam otio cuncta mortalium vigere; tum vero virtutem præprimis militarem in agendo fortia, & patiendo poſitam. Occaſionem iteratæ in Aſiam expeditioni dedit ſubitanea Turcorum ad Sangarium flumen procurſio; qua repreſ-

A) Nicetas p. 14. B) Cinamus p. 14. C) Nicetas p. 15. D) Cinamus p. 9.

repreſſa, ac munitionibus in ea ora vel extructis, vel firmatis, hyemem A.C.
illic Imperator egit. A)

Dein vero exercitu in locum unum contracto, in Cappadociam per 1133
Ponti Regiones profectionem inſtituit duabus quidem de cauſis; ut & Barbaros armis territaret, & Conſtantinum Gabram, qui Trapezuntinum pro ſe arripuerat Principatum, ab incœpto abduceret. Quid Conſtantino factum ſit, incertum. In Cappadocia princeps Provinciæ Urbs Cæſarea fortius, quam felicius ab Imperatore obſeſſa, ac diu fatigata eſt; nec ſemel cum Barbaris bene dimicatum. Manuel Imperatoris filius, duo de viginti tantum natus annos, forti in hoſtes impetu invectus, illuſtre virtutis, & audaciæ ſpecimen edidit; at, quod præter patris imperium in diſcrimen ſe jeciſſet, laudatus quidem a patre palam, privatim moderatis verberibus temeritatem luit. Cum diuturnior trahitur obſidio, hyemis rigor, atque commeatus inopia vexare exercitum cœpit; Urbem vero jamjam caſuram Joannes, Imperatoris ex fratre Iſaacio nepos, ob levem offenſam ad Turcos profugus, renunciata exercitus calamitate ita confirmavit; ut rebus deſperatis diſcedere Imperator, vixque ullum tam longinquæ profectionis referre fructum cogeretur. Germanum hunc ſuum Iſaacium intime complectebatur Imperator, ſed parum is amori reſpondebat; itaque ob levem quampiam offenſam, jam antea cum filio hocce Joanne ad Turcos auxilia adverſus fratrem quæſiturus diſceſſerat; at non, ut ſperarat, acceptus a Barbaris, rediit ad fratrem, maxima amoris ſignificatione cum filio Joanne ab eodem acceptus. Idem vero Joannes conſuetudine Barbarica, jam antea irretitus, nunc vero offenſa quadam, eaque levi incenſus, rurſus ad Barbaros, abjecta etiam Chriſtiana Religione, ſeſe retulit. Ad hunc Joannem Oſmanidæ Principes Turcici, quæ familia hodieque rerum in Oriente potitur, genus retulerunt ſuum; ſive ut hoc pacto natalium obſcuritatem occulerent, ſive ut juris aliquid in Imperium Orientis præter arma attuliſſe viderentur; verum ubi vis, & fortuna prævaluere, ſplendidas origines, juraque comminiſci in proclivi fuerit. B)

Januario menſe in Urbem redux Joannes, primo cum vere expedi- 1134
tionem reſumpſit; ſed belli vix quidpiam ob aeris intemperiem fuit; ita nullo alio operæ pretio, quam quod militi ereptum eſſet otium, in Urbem reditum.

Altero vero anno C) im Phrygiam ſuſcepta profectio eſt, ordinandis 1135
in ea Regione Urbibus, Barbarisque reprimendis. Unius per eum annum Pusguzæ paludis expugnatæ, quæ crebris diſtincta inſulis, & arcibus communita Iconium verſus navigationem incolis dabat, mentio occurrit. A Chriſtianis ea tenebatur; ſed qui Turcis ob viciniam obnoxii, ab Imperatore abhorrebant. Conſtructis lembis, & ratibus, etſi non absque militum detrimento, demum tamen expugnavit ea loca, ſibique paludem Imperator aſſeruit. Lætitiam e victoria gravis brevi excepit mœror ex continuatis filiorum funeribus, Alexii nempe, & Andronici; quorum cadaveri deducendo Iſaacium filium in Urbem ire Imperator voluit; ipſe vero, ne domeſtica quidem calamitate a bello gerendo avocatus, in Ciliciam, inde in Syriam progreſſus eſt; ſpecie quidem ordinandarum in Armenia rerum, re vero ipſa, ut Antiochiam, quæ ſemper Græcis ſpina in oculo fuit, ſibi denique pleno jure aſſereret; ſive quod molitus aliquid in Imperatorem Raimundus ſit, ſeu minus fideliter pactis conventis ſteterit; ſeu, quod verius, in Manuelem natu minimum Antiochenum transferre Principatum cum Cypro inſula pater voluerit, D) quem charum ſibi præ cæteris habuit, ac quibusdam ominibus imperaturum præceperat. Egit apud Antioche-

A) Nicetas p. 13. B) Leunclavius in Pand. n. 1. C) Quantum ex Niceta apparet, octo continuos annos ad obitum uſque ſuum Imperator in hac expeditione conſumpſit; quam tamen brevi admodum narratione complectuntur Nicetas, & Cinamus; nec nodus nobis intricatior ſe uſpiam adhuc obtulit. D) Cinamus p. 10. Nicetas eam etiam adfert cauſam: quod Imperator ſubacta tota Syria ad ſepulchrum Dominicum ire voluerit.

A.C. tiochenos per literas Imperator, quo eos ejecto Raimundo citra vim ſibi obſequentes, ac integre ſubjectos redderet. Nec deerant e civibus, qui fauſta omnia venturo ſponderent; at, ut ventum Antiochiam, negatus Imperatori ingreſſus fuit, niſi jurejurando obligaret, ſe in priore ſtatu Urbem, ac Raimundum permiſſurum. Non pro voluntate itaque acceptus, cum ob loci firmitatem viribus diffideret ſuis, vaſtatis ſuburbanis, & vicinia omni, minarum, & iræ plenus indidem receſſit.

1143 Reducto in Ciliciam exercitu, inopinatus quidam caſus interitum denique Imperatori attulit. Venatum pharetra de humeris appenſa egreſſus aprum venabulo fixerat; hic fera, ut fit, ſeſe retractante, & morti obluctante, forte mota ex humeris pharetra in latus defluxerat, atque extremi digiti in ſagittas veneno infectas impacti, leve acceperunt vulnus; verum veneni vis per manum ſubito diffuſa in vitæ diſcrimen Principem conjecit. A) Manus abſectione malum reſcindi poſſe Medici cenſebant; at nolebat id Princeps, cum diceret: B) indecorum fore, ſi Imperium Orientis una manu regeretur; cui ille quidem, ſi quis alius, totum omnino, quantus erat, ſe impenderit. Cum conclamatum de ſalute ſua cerneret, ipſis Chriſti reſurgentis ſolemnibus, myſteriis refectus, vocato ſuorum cœtu, poſtremam ad eos orationem habuit; qua commemoratis in eos beneficiis, ſtudioque Imperii, auctor fuit; ut præterito natu majore Iſaacio, qui tum Byzantii aberat, ceu ad iram proniore, ac ad faſtigium illud minus apto, Manuelem omnes Imperatorem conſalutarent; quem pater ipſe Imperiali ornatu, ac corona inſignivit; rem aggreſſus oppido periculoſam, & evertendis maximis etiam Imperiis ſuopte ingenio natam; niſi ita cupiditati Procerum quorumdam occurrendum cenſuerit; veritus nempe, ne ſe mortuo alius, quod pronum erat, acclamaretur Imperator, familiæque ſuæ exitium afferret. Explevit in Imperio Joannes annos quatuor, & viginti c) cum octo fere menſibus; quem omnibus, quæ Principem ornare queunt, decoribus fuiſſe conſpicuum, vel illud luculento fuerit argumento, quod unus propemodum is ſit, cui a Scriptoribus Græcis nihil objectum vitii legerim; ſed nec conjurationis in caput Joannis initæ, præterquam unius in aditu Imperii, occurrit mentio; adeo benigna illa morum æquabilitate, & amœnitate ſupra invidiam, ſupraque levitatem Gentis illius fuit Imperio, & diuturniore, & meliore digniſſimus.

FL. MANUEL COMNENUS.



MAnuel Comnenus plerasque patris dotes, ac virtutem præcipue militarem in ſe complexus, in quibusdam tamen indecore degeneravit; nam & ab infami libidine notatur, & a morum aſperitate, & denique a fraudum, qui-

A) In eundem ſenſum Cinamus, & Nicetas. B) Gulielmus Tyrius l. 15. c. 23. C) Tot annos Imperii aſſignat Nicetas, uno plus Cinamus. Sed Nicetam plures ſequuntur. Contigit is obitus Aprilis menſis principio.

quibus in occidentales Chriſtianos graſſatus eſt, artificiis, avo, quam pa- A.C.
tri ſimilior, & innati in Latinos Græcorum odii ex aſſe hæres. Ut e pa- 1143
tris teſtamento Imperii potiretur, adverſus Iſaacium fratrem, natu majorem, ac ſucceſſioni propiorem, tumque in Urbe commorantem, Joannem illum Axuchum, ſummum Ducem copiarum, auctoritatisque præcipuæ, properatis itineribus Byzantium jubet proficiſci, A) celeritateque famam ipſam Imperatorii interitus antevertere; tum vero expoſito Proceribus patris teſtamento, largitionibus promiſſisque omne genus hominum aggredi; obſtare autem quam maxime, ne quid turbaret Iſaacius. Joannes cum primum Urbem attigit, ſollicitatis, ac in partem feliciter traductis Primorum ſtudiis, Iſaacium omnium adhuc ignarum, ſubito comprehenſum aſceterio concludit fruſtra lamentantem, atque infringi ſucceſſionis jura quiritantem; Iſaacium vero alterum Manuelis patruum, & ipſum Sebaſtocratoris dignitate ornatum, Heracleam Ponti exulatum mittit; ſic induſtria Joannis, ac virtutis, quæ de Manuele erat, opinione Urbs, cui minor de juribus ſuccedendi tam incertis, quam de bono Principe erat ſolicitudo, ad obſequia feliciter eſt pertracta.

His Manuel intellectis, compoſita ut licebat Cilicia, properavit By- 1144
zantium, magno omnium ordinum plauſu in Regiam deductus; quam ſibi ut firmaret, multum militibus juxta, ac civibus auri largitur; Clero duorum in annos ſingulos auri centenariorum penſionem promittit; atque aureis hiſce hamis, ad capiendos populi illius præcipue animos valentiſſimis, omnium ſibi benevolentiam adſtringit; dein vero omnium ſecurus a Michaele Oxita, qui Leoni in Sacerdotio illo ſucceſſerat e vivis tunc elato, coronam pro more in æde Sophiana accipit. Interfuere ſolennibus illi, quorum facta mentio Iſaacii, libertate, ut ſecura omnia videbantur, a Manuele donati; novaque a ſplendoribus illis invidia, & dolore, ſed illis tantum, non etiam Manueli obfutura, afflati.

Non diuturna ab his rebus novi Imperatoris in Urbe fuit commoratio; qui paternum in eo prudenter æmulatus eſt morem, quod fere in expeditiones bellicas ipſe progrederetur; ſic & ab aulicis tutior futurus inſidiis, & virtutis opinione ad populum celebratior; nec certe inſpectore Principis oculo potentiorem militi ad victorias ſtimulum ſubjeceris. In Turcos Gentem quietis ignaram ea fuit expeditio, quorum tunc repreſſæ graſſationes, & Melangia Urbs inſtaurata, & communita.

Ægritudo deinceps retractum ab Aſia Imperatorem in aula diutius 1145
tenuit; quo tempore cum Raimundo Antiocheno bellum rurſus per Legatos geſtum eſt. Antiocheni direptæ ab Joanne Provinciæ dolore æſtuantes, cum fruſtra apud Manuelem de injuria expoſtulaſſent, Ciliciæ intulerunt arma. B) In hos duo Contoſtephani Joannes, & Andronicus, itemque Proſuchus, viri in aula principes terra, Demetrius vero Branas mari expediti, atque minoribus aliquot præliis de Raimundo ſuperiores, eo demum Principem illum adegere; ut veniret ipſe Byzantium, atque rurſus in clientelam Imperatoris, ſeque, Principatumque ſuum recipi ſupplex flagitaret; quæ petitio neglecta primum a Manuele eſt; poſtea vero ab eodem dubia belli tam longinqui mala metuente admiſſa.

Curis levatus bellicis Manuel ad nuptias animum vertit; cui vivo 1146
adhuc patre deſponſa fuit Bertha, Berengarii Sultzpacenſis in Germania Principis filia, conjugisque Conradi Imperatoris ſoror, C) cui pro more Irenes nomen a Græcis inditum; eaque ſub id tempus Conſtantinopolim advecta, & magnifice ab univerſa Urbe accepta eſt. Multam hæc Princeps a morum probitate, modeſtia, & illecebrarum muliebrium neglectu laudem a Scriptoribus tulit, D) ſed ejus moderatio non perinde arridebat Manueli intemperanti libidine furenti; qui in alias profuſus mulieres, demum etiam cum nepte ſua Theodora e fratre turpiter conſueſſe

A) Nicetas pag. 27. B) Cinamus pag. 13. C) Vide Familias Byzantinas pag. 155. D) Niceta præſertim pag. 29.

A.C. 1146 fertur; A) cujus certe fœditas vitii hoc mage deteſtanda in Principibus eſt; quo magis illi ſacri apud populum eſſe, & majeſtate ipſa venerandi cupiunt.

Cæterum etſi ob hæc vitia male audierit Manuel; liberalitate tamen, atque in omnes affabilitate ſuperabat odia, & invidiam, adminiſtro in his uſus Theodoro Stipiota, ad ſummos Magiſtratus provecto; qui aliis, atque aliis e Procerum numero, quibus publica res curæ erat, amotis, demum aulæ potens optime res ordinabat, ut aurea ſibi rediiſſe ſæcula Græci jactarent. Hæc tamen Imperatoris laus non ad exitum penes eum conſtitit; ſenior enim effectus, ætate fors ipſa de vigore illo priſtino ſenſim aliquid decerpente, in auſterum Principem, ſubditisque difficilem degeneravit. Jam & illud non ſat e Republica ab eo factum; quod vectigalia in navales copias impendi ſolita alio averterit, repoſiturus ea in locum, ſi belli uſus naves poſceret; opes enim apparatui bellico detractas, ne in medio quidem otio, Principibus feliciter fœnerare ætatum uſus omnium docuit.

Procurſio B) rurſus Turcica in Phrygiam facta provocavit in arma Manuelem; qui minarum plenus recta Iconium verſus, Turcorum ejus oræ Principum ſedem, exercitum promovit. Variis hic minoribus præliis inter illos pugnatum eſt, fortuna Imperatoriis fere magis propitia; quam Manuel non tam arte, & prudentia, quam ardore juvenili ſibi demeruerat; in medias enim hoſtium acies, quandoque etiam unus præ cæteris invectus pluribus manu ſua necem obtulit, improbantibus temeritatem Ducibus cæteris; ut qui in uno capite exercitum omnem diſcrimini objectaret; nec meminiſſet, Principem omnium manibus felicius pugnare, & vincere, quam ſuis. Obſeſſum poſt hæc Iconium urgebat Manuel; verum vicini Turcorum Principes communi periculo arrecti, magno illum exercitu regredi coegerunt; ac redeuntem inſecuti in itinerum anguſtiis propius erat, ut opprimerent; a qua tamen locorum iniquitate audacia magis ſua, quam conſilio explicuit ſuos Imperator, ac Byzantium repetiit. Reſumpſerat eandem rurſus expeditionem Manuel; verum occurrentes Legati Sultanici, quibusdam redditis locis, bellum pace commutarunt.

1147 Bello hoc defunctum Manuelem ſubitaneus de iterata Occidentalium in Palæſtinam expeditione rumor in ſolicitudines maximas, militumque curam conjecit. Occidentalium in Aſia res aſſidua cum Turcis, & Saracenis conflictatione minuebantur ſenſim, atque deliciis etiam Aſiaticis enervatæ defluebant. Edeſſenus Princeps Joſelinus, a patris ſui cognominis virtute degener, ignaviæ, luxuique ſe dedit; qua uſus occaſione Norradinus, Alepi Turcorum Princeps ante alios ſtrenuus, virtutibusque præter barbarum morem illuſtris occupavit Edeſſam, necatis civibus, ipſoque Joſelino vix profugo. C) Cum vero longe, lateque Turcicus ille Princeps ferociret, magna Chriſtianis de Antiochia, Ptolemaide, deque Palæſtina omni injecta eſt trepidatio. Balduinus, tertius hoc nomine Palæſtinæ Rex, Fulconis Comitis Andegavenſis, ac in eo Regno deceſſoris filius, ad implorandam Ludovici ſeptimi Francorum Regis opem recurrit. Commodum Principem iſtum cætera inſignem, crudelitatis cujusdam in ſuos exercitæ pœnitentia ſubierat; quam ut labem præclaro aliquo apud Deum, & homines facinore deleret, appellatus de ſubſidio ferendo ipſe in Palæſtinam armatus progredi, ſimulque adorare loca ſacra, ſimul Barbarorum compeſcere molimina decrevit. Bernardus Claræ Vallis Abbas, cui animi Rex ſenſa aperuerat, auctor Regi fuit; nequid citra Pontificis, qui tum Eugenius eo nomine tertius fuit, auctoritatem, & aſſenſum de re tanta ſtatueret. Pontifex tantum abeſt, ut improbaret conſilium Regis;

A) Nicetas p. 29. B) Anteponit nuptiis hanc procurſionem Nicetas, poſtponit Cinamus; Scriptor hic ſub Manuele vixit, & floruit; cujus res geſtas diffuſe aliquot libris contexuit, perpetuus Principis hujus laudator, aut verius adulator. C) Gulielmus Tyrius lib. 16.

gis; ut cæteros quoque Principes in communionem pulcherrimi facinoris accenderet. A) A.C. 1147

Itaque Bernardo illi vitæ ſanctimonia claro datum a Pontifice promulgandæ ubivis crucis negotium eſt; qui in Conventu Procerum Galliæ Veſelii, Regi, cæterisque in profectionem ituris rubeas cruces veſtibus inſerendas numero longe maximo diſtribuit; cumque fama increbuiſſet, Conradum quoque Imperatorem æmulatione tam præclari certaminis, & itineris ſuccenſum, eo quoque profectus Bernardus non citra prodigia quædam in animos omnium influxit; ut a Conrado, cæterisque Principibus certatim peterentur cruces, omniumque in id bellum voluntates arderent; quibus e Divino oraculo fauſtum expeditionis exitum pollicitus Bernardus, Europam omnem expectatione tantæ rei, ſtudioque complevit.

Conradus prior primis Germaniæ Procerum comitatus, quem ſeptuaginta equitum gravis armaturæ millia præter multo majorem peditum numerum cruce ſignatorum ſequebantur, per Ungariam Conſtantinopolim verſus Majo menſe iter ingreſſus eſt, B) cumque illo Bohemiæ Rex Uladislaus, Fridericus Dux Sueviæ Imperatoris Nepos, Odoacer Styriæ Marchio. In Ungaria rerum id temporis potiebatur Geiſa, alter id nominis Rex; cui oppido odioſa hæc fuit profectio, quod non diu antea bellum cum Germanis victor geſſerat, & Henricum Auſtrium gravi ad fines Auſtriæ prælio fregerat. Extrema is a Gente ſibi tam inviſa verebatur, nec levia etiam pertulit: præter enim immenſæ illius multitudinis graſſationes non parum auri a ſacro virorum ordine in ſacrum ſcilicet profecturi bellum extorſerunt; C) tulit tamen utcunque factum Princeps ſive metu, ſive Religione a vi compeſcenda prohibitus; quin commeatu etiam, omnique benevolentia tranſeuntes juvit. At vero Manuel Imperator, audito Conradi adventu tametſi affinis ſui, quidquid virium, ingenii, ac fraudum habuit, in Chriſtianos hoſce excivit; ut qui ſumme perſuaſum cum Græcorum plerisque haberet, profectioni illi ſpecioſum obtendi Religionis fucum; agi vero aliud nihil, quam ut Orientis, ipſiusque Byzantii Occidentales potirentur. D) Urebat præterea Græcos fortium, & immortalium memoria facinorum, quæ Occidentales in Oriente ediderant; locaque per Orientem, & Principatus ab iis poſſeſſi, quondam Imperatoribus obnoxii.

Itaque Manuel velut in extremo plane Urbis periculo Urbanam multitudinem armis inſtruit; de munimentis, apparatuque militari intus providet; foris vero exercitum itinera Conradi obſervaturum Proſucho Duce late diſpeſcit. E) Ita armis, & odio in Occidentales inſtructus, tamen benevolentiam exterius oſtentat, Legatos ad Conradum rapinas deprecaturos mittit, omnia largiter præſtitum iri pollicetur. Naiſi, cui Niſſæ hodie nomen, Michael Branas Provinciæ Præfectus alimenta a Manuele præbere juſſus, Conradum, ut par erat, accepit, & temperabant aliquamdiu a rapinis Germani; attamen in tanta multitudine caveri ſatis nequiit, ne injuriarum aliquid incolis fieret; quas cum præoccupati ſuſpicionibus Græci exaggerant, ad arma pene ventum eſt. Græci equites a lateribus progreſſi carpebant eos, qui latius divagarentur; Germani viciſſim ſine pretio res ab incolis rapiebant; ſicque mutua hæc inter odia, & offenſiones in Thraciam perventum. Hic minime expectata calamitas elatos Conradi e tanto exercitu ſpiritus compreſſit. Ad Cherobatium oppidum vallis erat longe pulcherrima; quæ amœnitate ipſa ad requiem capiendam invitabat exercitum. Panduntur decenti ordine tentoria, ſpeciesque vaſtæ Urbis ſubito enaſcitur; concurrebat cum loci amœnitate rerum affluentia omnium; ut locum Divinitus plane ad reficiendas e via

A) Annales Franciæ. B) Otto Friſingenſis de geſtis Friderici l. 1. c. 34. C) Bonfinius Decadis 2. l. 6. D) Hanc fuiſſe Occidentalium mentem, aperte innuit Cinamus p. 30. Græcus Scriptor, & Latinis, ut cæteri, infeſtus. E) Nicetas p. 33.

A.C. 1147 vires oblatum Germani crederent. Verum lætitiam diurnam calamitas nocturna in mœrorem vertit; repens e montibus eluvio, atque procella non facile alias conſpecta totam inundavit vallem, ac fluvium Melas, qui mediam ſecabat, ita tumere fecit, ut tentoria paſſim, jumentaque obrueret; A) in fugam montesque diſperſi milites luctuoſam, ac velut extremam eam habuere noctem cum ingenti jumentorum, rerum, atque hominum etiam jactura. Conradus eo caſu edoctus, quam nihil multitudini, quam Deo in omnibus confidendum eſſet; collectis ex calamitate ſuis Byzantium denique pervenit.

Princeps hic inter alia flagitabat, ſibi ut Manuel Urbem ingreſſuro occurreret, utque Imperatorem decebat, acciperet ſplendide; contra Manuel, & nomen Imperatoris in Conrado, & ingreſſum Urbis ceu ſibi periculoſum penitus averſabatur; ita odia magis increbuere; eaque acerbis ultro citroque datis literis ventilata. B) Dehinc partem aliquam Germanici exercitus ceciderant Græci; quibus rebus commotus Conradus, ac, quod bellum ſacrum præ Græco cordi haberet, traducto omni in Aſiam exercitu Nicomediam contendit. Nihil deinceps malorum fuit, quod in perniciem exercitus Germanici non moveret Manuel; negato enim commeatu excludebantur Urbibus Germani; & ſi emere quidpiam illi vellent, Græci in corbibus per muros demittebant: C) quo fiebat, ut quanto vellent pretio, quisquilias ipſi ſuas obtruderent; quin quandoque levato in ſportis auro nihil rerum demittebant. Adhæc monetam adulterari Manuel juſſit, quæ daretur Germanis, cum quid ab iis Græci mercabantur; quam tamen a mercatu hi deinde ſuo excluderent. Fertur, etiam farinæ, quæ dabatur Germanis, calx admixta fuiſſe; quæ ingentem hominum ediderit ſtragem; denique viæ Duces Conrado additi, qui ipſum in Turcorum manus a Manuele jam antea clam præmonitorum conjicerent. Ejusmodi enim calamitatibus deterrere Occidentales a tali dehinc profectione cupiebant Græci, pene digni, qui a Turcis perirent; ut, qui horum progreſſiones, quam Chriſtianorum lætius intuerentur.

Conradum eodem hoc anno cum non minore exercitu per Germaniam, & Ungariam ſequutus eſt Ludovicus Rex Franciæ; in quo generoſa indoles cum morum amœnitate mire conſpirabat. Exercitum is per Ungariam tam innoxie duxit, nihil ut uſpiam querelarum de Gallis eſſet; qua humanitate captus Geiſa, & Ungari, commeatu ultro præbito, donis, & laudibus Regem ad fines Mœſiæ proſecuti ſunt. D) Pari continentiæ laude per Thraciam exercitum duxit Ludovicus; cui Legati Manuelis Michael Palæologus, & Michael Branas officioſe occurrerunt, Regemque magnifice in Urbem perduxerunt; ubi cum Manuele collocutus, omnibusque excultus pro dignitate officiis, atque ſpectaculis, in Aſiam trajecit. E) Ex quo intelligas, Græcos odio quidem Occidentalium longe provectos, attamen odii cauſas haud leves accepiſſe; nec in tantam prorupturos fuiſſe atrocitatem, ſi humanitate cum iis Latini, quam odio certare maluiſſent.

Vix transgreſſo in Aſiam Ludovico funeſta occurrit fama cæſi exercitus Germanici, & calamitatis, in quam conjectus erat Conradus, longe miſerrimæ. Duplex ſe in Syriam Conrado obtulerat via; altera longior: ſed ob maris viciniam opportunior; brevior altera per Cappadociam: ſed laborioſior, atque etiam Turcis propior; elegit hanc alteram Conradus ſtudio gloriæ, Turcosque quam primum laceſſendi abreptus. Qui Duces ſe viæ dederant Græci pollicebantur, octidui ſpatio Iconium per-

A) Otto Friſingenſis; Item Nicetas p. 34. aitque, ob mala Græcis illata eam Germanis calamitatem a Deo immiſſam. B) Ibidem Nicetas, uti & Cinamus; p. 36. qui Occidentales non alio, quam Barbarorum vocabulo identidem indigitant. C) Hæc Nicetas, tametſi Græcus Scriptor de ſuis; reprehenditque eam improbitatem; dubitat tamen de calce farinæ admixta; at Cinamus totus in laude Manuelis, & Occidentalium inſectatione eſt. D) Bonfinius D. 2. l. 6. E) Cinamus p. 36. & 37. perperam tamen Ludovicum Germaniæ Regem, Conradum vero Alemanniæ nuncupat; licet ſub id tempus vixerit; ſed magnus apud hoſce Scriptores exterarum rerum neglectus, an contemptus?

perveniri poſſe; commeatus tantum accipiendum, quod in hos dies ſufficiat, poſt Regionem habituros locupletem. A) Credidere viri albæ mentis, atque octidui iter emenſi in majores ſemper rerum difficultates labebantur; deficiente jam penitus annona, præclari illi viæ Duces ſilentio ſe proripiunt; Germani in media rerum omnium ſolitudine deprehenſi, nec progredi porro, nec regredi valent; ita in eos ſiti, fameque, vix ut conſiſtere pedibus poſſent, tantum non enectos, in Regione montibus aſpera irruunt undique Barbaricæ copiæ, florem militiæ ferro hauriunt, impedimenta occupant omnia; Conradum denique duabus ſagittis vulneratum, relicto magnam partem peditatu, vix cum decima ſui militis parte in fugam agunt. A.C. 1147

Horribili iſthac clade attritus Conradus ad Regem Ludovicum properavit; acceptus e conſpectu tantæ calamitatis cum magna amoris, dolorisque ſignificatione, omnique ope adjutus; jamque ſecurius una iter propius mare ingreſſi erant; at enim, cum Germani Proceres perdita cauſati impedimenta, miſſionem a Conrado peterent, inſuper pro ſolenni inter eas Gentes æmulatione Galli Germanos haberent probroſius, B) ac denique ſui tam modici comitatus Imperatorem puderet, remiſſis in Germaniam Conradus copiis, ipſe Conſtantinopolim longe ab eo, qui venerat, diverſus, ac ſquallore, pudoreque, quod ſummæ fuit Græcis voluptati, pene obſitus, petiit. Occurrit tum venienti Conrado ita a fortuna abjecto Manuel, qui florenti antea noluerat, atque in Urbem inductum omnibus officiis excoluit. Pecuniæ quoque in iter datæ Conrado, ac triremes, quibus in Palæſtinam is deportaretur. Ferunt Manuelem rem ſuam ejusmodi tum officiis egiſſe, atque a Conrado ea neceſſitate conſtricto extorſiſſe; ut Italiam in dotem Irenes affinis ſuæ Manueli promitteret; C) creditu id quidem difficile; niſi vulpinandum ſibi cum vulpe Conradus cenſuerit, ea promittendo, quæ nec explere ipſe unquam poſſet, nec, ſi poſſet, vellet.

Ludovicus inter hæc iter adurgebat ſuum; quem par fere, ac Conradum excepit calamitas. Natalitio Chriſti die Epheſi celebrato Laodiceam promotus eſt exercitus; ubi Meander fluvius in multiplices fuſus gyros, ac vado haud facile transmittendus in conſpectu Barbarici exercitus trajici debuerat. Diu de opere tam arduo deliberatum: demum reperto vado, ſtructaque acie transmiſſus fuit fluvius, atque in hoſtes maximo ardore in trajectu pugnatum; nec modo conjecti illi in fugam ſunt, verum etiam caſtris exuti; cujus victoriæ magnitudinem immenſi oſſium de Turcis acervi diu etiam poſtea teſtati fuere. D) Iter deinceps per Pamphiliam fuit multis implexum difficultatibus, non minus ob hoſtium a latere ſemper ſequentium, & occaſioni imminentium furorem, quam ob Græcorum annonam, ac reliqua negantium perfidiam. Hic vero hoſtium contemptio, diviſæque vires, damnati toties in magnis exercitibus, toties tamen repetiti errores demum victorem illum militem perdiderunt.

In duas diviſus acies exercitus ille ibat, cuique ſuus præerat Ductor; Rex modo huic, illi modo ſe miſcuit, neque longe inter ſe acies iſtæ diſcedebant; quoad Geofridi, qui priorem ductabat, temeritas primam a ſecunda divelleret, atque rei e ſententia gerendæ occaſionem Turcis præberet. E) Prealtum transgreſſuri montem Galli ita inter ſe convenerant, uti prior acies poſteriorem in vertice præſtolaretur, atque una illic noctem acturi caſtra figerent. At Geofridus cum vallem proſpexiſſet, ad capiendum exercitum maxime opportunam, eo inſcia ſecunda acie iter ſuum adproperavit; quo Turcæ obſervato celerrime e lateribus montis in clivum eniſi alteram ab altera acie reſcindunt; ignaro prorſus, quid cum ſecunda acie fieret Geofrido, & jam caſtra procul metante. Forte in 1148

A) Tyrius l. 16. c. 7. B) Meminit inſultantium Germanis Gallorum Cinamus p. 37. C) Id exerte Cinamus p. 38. & 39. D) Teſtatur Nicetas p. 37. acervos illos oſſium a ſe fuiſſe conſpectos. E) Tyrius l. 16. c. 25.

A.C. 1148 secunda tum acie Ludovicus ibat; qui summo in hostes ardore cum suis invectus adversus loci naturam non minus, ac in Barbaros pugnare debuit; dejiciebantur miserabiliter, qui primi jugum contigerant, ab hostibus, atque alios secum in præceps volvebant; cædes oritur hominum juxta, ac pecudum longe miserrima, perturbatio, pavor, ac fuga denique. Verum in loco præcipiti, & ab hoste undique obsesso nec elabendi copia uspiam fuit, nec pugnandi. Plurimi e primis Procerum, ac gregarii fere omnes conciſi; Rex suorum globo fortissime dimicantium protectus vix demum in jugum emersit; sed hic amissis comitibus sub noctem in præruptam refugit petram, unde adversus assilientes Barbaros, ac Regem ignorantes fortissime ad noctem decertavit. Demum noctu ab advenientibus e prima acie, & e voce Regem agnoscentibus, in castra primæ aciei nihil tunc siniſtri perpessæ, ductus maximo mœrore omnes, ac pavore e re tam improspera complevit. Resumptis viribus continuata profectio Attaliam versus est, Urbem Imperatori Manueli subditam; viresque illic e tanto labore refectæ. Cum vero impeditissima, & longa restaret Antiochiam profectio, in naves a Præfecto Urbis oblatas imponere exercitum, tutiusque sic iter ingredi Ludovicus constituit. Sed cum pauciores, quam pro numero militum suppeditatæ essent naves, parte secum assumpta, reliquos sibi consulere, atque terrestri Antiochiam itinere progredi jussit; quibus tamen assidui Barbarorum insultus, & Græcorum vafrities exitio plerisque fuere. Ludovicus cum cæteris Antiochiam demum ingressus est.

Hic vero simultas quædam inter Ladovicum, ac Raimundum Principem exorta profectionem Regis Hierosolymitanam acceleravit. Raimundus operam Ludovici adversus Chalepi Principem quamprimum poscebat; negabat id prius facturum se Rex, quam sacræ terminum peregrinationis contigisset; itaque Raimundi ingratiis festinato iter ingressus Hierosolymis demum vota persolvit. A) Convenerant jam eo Conradus Imperator cum Austriæ, Bavariæque Ducibus, Friderico Nepote, ac Principibus aliis; quave ratione Christianis ejus oræ consultum irent cum Balduino Rege dispiciebant. Demum vocatis Ptolemaidem, quiqui per Syriam, & Palæstinam erant Christianorum Proceribus, habitoque consilio Damasci obsidio decreta est. B)

1149 Vix in aliquo unquam exercitu tot simul Reges, ac viri Principes conspecti, vix etiam turpius, ac infelicius a Christianis bellatum. Damascum ab ea parte, qua irriguis cingebatur hortis, oppugnare adorti magna edita Turcorum strage in spem occupandæ brevi Urbis adducti erant: cum ecce Turcæ ingentibus promissis eos aggressi Christianos Proceres, quorum ob longinquam in Syria, & Palæstina commorationem mixtum ex Syris, & Gallis erat genus, vel qui in vitia Orientalium magna jam parte immigraverant, eo illos permoverunt; ut suaderent Regibus transferenda in aliam Urbis partem castra, illicque oppugnationem instauran-
dam. C) Simul castra Christiana ad munitissimam Urbis partem translata, simul occupatis Barbari hortis, probeque communita vallo ea parte in desperationem capiendæ Urbis conjecere Christianum exercitum; annona quoque præter alias opportunitates destitutum. Adhæc simultas, quæ inter Principem Raimundum, & Ludovicum erat, aliaque privata odia distrahebant animos: denique cum Christianos Syros collusisse cum hostibus, Occidentales comperissent; damnata eorum societate, totque laboribus illorum gratia frustra susceptis, in patriam brevi omnes commigrarunt. Conradus classe Manuelis conscensa ad salutandum eum Achajam, inde in Germaniam properavit. Ferunt, a Manuele admonitum tunc fuisse Conradum, D) ut pactorum de Italia initorum meminisset, idque jurejurando pollicitum esse Conradum; sed hæc promissio simili, atque pete-

A) Annales Franciæ in gestis Ludovici VII. B) Tyrius l. 17. c. 1. C) Idem Tyrius l. 17. c. 6. D) Cinamus p. 39.

petebatur fide, Græco Principi præstita fuerit. Ludovicum Regem na- A.C.
vibns pariter reducem Græca classis aut intercepit captivum, aut, ut 1148
caperet, in propinquo fuit. Bellum jam tum cum Rege Siciliæ Rogerio Imperator Manuel habuit; Græcæ naves in Siculas invectæ, inter quas Gallicæ quoque, ac Rex ipse fuit, pugnam acrem miscuerunt; venissetque Rex in manus, A) ni signo sublato amicum se Manueli, Regemque Franciæ declarasset. Alii ferunt: a navi Græca captum Regem, sed a Sicula libertati assertum. Hic fuit exitus expeditionis illius sacro quidem fervore susceptæ, at magnis cum flagitiis obitæ; quæ res in causa fuit, quod prædictiones Bernardi irritæ ceciderint, Deo favorem antea promissum, sed tamen probitati illius militiæ accomodandum retrahente; cui cum omnia scelera, tum ea præcipue displicent, quæ Religionis obtentu patrantur; nam si flagitiis hominum offendi non vult, quanto minus honorari, & coli.

Bellum, quod jam attigimus, cum Rogerio Siciliæ non ita pridem 1150
Regis appellationem consecuto, filio alterius Rogerii tali de causa Manuel habuit. Rogerius de domo Imperatoria conjugem sibi ab Joanne Imperatore promissam habuit; hoc fatis concedente Basilium Xerum ad Rogerium expediverat Manuel, de connubialibus hisce fœderibus tractaturum. At enim cum a Xero pacta quædam Imperatori haud decora inita essent, omnis ea connubialis tractatio rescissa a Manuele est. B) Non tulit contumeliam Rogerius: valida armatus classe primum quidem Corcyram, munitamque in ea insula arcem Coripho sive fraude militum quorundam Rogerium clam admittentium, seu spontanea civium deditione occupavit. Versa post hæc in Græciam classe, Thebas Urbem opulentam diripit, Corinthum capit, Eubœam prædatur, ac plurima omnis generis supellectili navibus illata onerarias e bellicis efficit, sicque in Siciliam renavigat; qua occasione translati quoque e Græcia multi sunt serici texendi artifices, Rogerio inter belli fragores ad pacis commoda sapienter respectante.

Insperata hac calamitate oppido perculsus Imperator, naves bellicas 1151
juxta, & onerarias mille circiter mari immittit; tum pedestres copias undelibet bono numero acceritas per Bulgariam Corcyram versus ducit; cujus quidem in exercitu Legatus Joannes ille Axuchus fuit, classem Contostephanus ductabat. In Bulgaria moræ aliquid fecerunt Scythæ Istrum transgressi; quos tamen adventu fugavit suo Manuel, atque etiam ultra flumen insectatus est. C) Arx deinde Coripho terra, marique urgebatur a Manuele; cui Veneta quoque classis navabat operam; sed frustra erant vires in arcem celsæ rupi, & in mare procurrenti impositam; ad quam Contostephanus quoque nequidquam jam antea desederat, saxo ex arce emisso demum obtritus. Tentata prælongis scalis, & turris in morem extructis res est: at machina in medio conatu diffracta, quadringentos, qui e lectissimis ascensum tentarant, in mare præcipitavit. Nulla igitur alia, quam in diuturnitate obsidii spes fuit. Eodem quoque tempore e subitaneo quodam inter Græcos, Venetosque milites jurgio pene ad sociale bellum iræ proruperant. Veneti receptu suis cum navibus facto multis Græcos, & Manuelem probris conscideranr; attamen solicita Imperatoris opera, dolorem simulatione tunc quidem obtegentis, ad concordiam traducti fuere. Post mensium trium obsidionem deficiente annona pacti incolumitatem propugnatores arcem Imperatori dediderunt. Obsidione adhuc illa perdurante, Sicula classis Corcyra Græcos avocatura diripere oram Græciæ maritimam cœperat, quin imo Byzantium usque progressa incendia suburbanis intulit; cum parte navalium copiarum in hos expeditus Churupus quidam victoriam retulisse memoratur. D)

Red-

A) Ita Cinamus p. 39. at Ludovicus Belovacensis, ut est in notis ad Cinamum p. 146. captum a Græcis Regem, a Siculis recuperatum ait. B) Nicetas p. 46. C) Ibidem Nicetas. D) Cinamus p. 45.

A.C. Redditurus vicem Rogerio Manuel classem in Calabriam expedivit, pari infortunio Urbes oræ illius oppressuram; sed non par hanc secuta classem felicitas; nam primum ventis, & procellis semel, atque iterum afflicta est; dein vero Palæologus Michael, aliique Duces bono cum successu rem adorti, denique non sat, ut memorabitur, feliciter bellum terminarunt.

1152 A Corcyra oppugnata recta in Serviam profectus Imperator cum Serviis, A) Ungarisque bellum gessit; cujus, uti & aliorum, quæ Manueli cum Ungaris erant bellorum, mirum nullam apud Scriptores Ungaricos uspiam occurrere memoriam; sed gladio Ungari, non stylo, ut fuit ævi illius ingenium, valuerint; quod ut altero præstantius est; ita nisi altero adjuvetur ad posteritatis memoriam, & gloriam parum, aut nihil valiturum. Bello huic non una prætexebatur causa: Serviæ Princeps in clientelam Geisæ Regis, seque, Regnumque suum transtulerat; adhæc bellum Geisa intulit Bladimiro Galliciæ in Russia Principi, & Manuelis fœderato pro Miloslao Russiæ Principe, cujus filiam Rex in matrimonio habuit. Denique Borichus ex conjuge Colomanni Regis ob adulterium repudiata progenitus, postquam frustra Regnum velut sibi debitum, vicinarum Gentium armis contra Belam cœcum prensasset, ad Manuelem profugus, ducta illic e consanguinitate Imperatoria conjuge, in arma hunc Principem, & Græcos impulerat. Cum Bachino Serviæ Principe velitationibus, & prædis agendis potius, quam justo bello Imperator certavit; B) minutioribus enim superior præliis cum eodem hoc Bachino singulari congressus certamine tantum non interfectus est; attamen manu Bachini vulnere debilitata eundem comprehendisse fertur. Aderant equidem Principi Serviæ cohortes aliquot Ungaricæ; C) sed quod Rex Geisa cum Regni robore in Russia tunc adversus Bladimirum bellaret, majora illi submitti auxilia nequierunt. Igitur Princeps pacem cum Manuele ea lege icit; ut in clientelam rursus veterem se referret, atque si bellum in Europa esset, bis mille armatos, si in Asia, trecentos Imperatori subsidio daret. Ita discessum utrinque ab armis, & in Urbem rediit Manuel, ut meditatum in Ungaros bellum majore cum apparatu susciperet.

1153 Cum se tempus primum bello aperuit, validis cum copiis Serviam petiit Imperator; inde Savo ad Belgradum, quæ Græcis tum parebat Urbs trajecto, Zemlini oppugnationem Theodoro Vatazæ, sororis suæ viro, commisit; ipse vero Sirmiensem eam Regionem longe, lateque populatus, magnam secum deditorum, & captorum turbam traxit; Geisa videlicet Rege longe adhuc in Russia cum copiis Ungaricis absente. D) Zemlinum quoque brevi Imperatori est deditum. In regressu ad flumen Savum fama tulit, adventare cum exercitu Geisam; quæ res in curam conjecit Manuelem; at rumor falsus extitit; non Rex enim, sed Regis avunculus Bela, Bani dignitate conspicuus, cum copiis adfuit; qui ut ab ea Regione abduceret Græcos, obsidendæ Branisovæ conatum præsetulit; ei arcendo per Savum rediit Manuel; tum Borichum cum parte copiarum Provinciæ Temesiensi incursandæ infudit. Verum Borichus ægre insequentis Belæ manus effugit. Dehinc cum partium neutri Istrum transgredi animus esset, atque de pace Imperatorem Ungari appellassent, ille rebus velut feli-

A) Nicetas p. 48. cum Serviis hoc bellum gestum esse ait; Cinamus cum Dalmatis; videtur tamen in Servia gestum. Principem Regionis, Archizupanum vocat Cinamus, cæteros Comites Zupanos, qui nobis Ispani dicuntur. Duos hic videtur innuere Archizupanos Cinamus; Dalmatam alterum, alterum vero Bachinum Serviæ. B) Fusissime minutiora hæc Manuelis prælia persequitur Cinamus l. 3. C) Ait Cinamus Ungaros, qui Chalizii dicuntur adfuisse; eos vero Religione a reliquis Ungaris diversos Mosaicam sectari legem, sed eam quoque corruptam. Quinam autem isti Chalizii? nisi forte Jazyges; quos tamen vix dubium, Christiana jam tum sacra amplexos esse; etsi forte judaizaverint prius, Philistæi ab Ungaris appellati. D) Hæc perquam magnifice Cinamus p. 51. aitque: Regiam quoque Ungarorum a Manuele tunc esse direptam; sed profecto intra Danubium, & Savum haud scio, an Regiam Ungari Reges habuerint?

felicissime gestis triumphantis in morem Byzantium jactantia, quam gloria plenior ingressus est. Ea enim captivorum turba, quam nil tale cogitantibus Ungaris in Sirmio rapuerat, velut bello maximo totam Gentem perdomuisset, suorum vanitati illusit; quin etiam, ut victoriæ magnitudinem exaggeraret, captivos illos supra eorum conditionem splendide exornavit, A) Princeps vafer, & ad Gentis suæ mores, ac indolem plane accommodatus. Absente in eo bello Manuele, rursus Siculæ Rogerii naves infestarunt Græcos; quin Byzantium usque progressæ, ex adverso palatii magnis Regem suum clamoribus celebrarunt; sagittis quoque, quarum aurati fines erant, in palatium jactis; quorum subitaneo appulsu non leviter turbatum in Urbe fuit; nec quidquam tamen damni gravioris acceptum. A.C. 1153

Rex Geisa irarum ob damna illata plenus, infestare cœpit Regionem Belgrado adsitam; cui eo usque rursus occurrit Manuel militaris Princeps, bellisque per omnem vitam perpetuis exercitus. Mutuo dein in conspectu ex utraque Danubii ripa constitere exercitus; quod neutris seu virium, seu animorum ad trajiciendum satis esset. De pace appellatus a Rege Imperator ita eam confecit; ut partem captivorum e Sirmio abstractorum ultro libertate donandam promitteret. Discessum tunc quidem ab armis; at anno vix vertente qua, nescio, causa bellum inter eos recruduit apparatu tamen utrinque, quam damno majore gestum: quippe cum Imperatore Triadizam usque progresso iterum pacem Rex composuit. B) 1154

Infelicius ab alia parte res Manuelis habebant; Constantinus Angelus classi Præfectus cum Siculorum navibus temere congressus, & victus est, & captus; nihilo fortunatius Andronico Comneno copiarum in Asia Duci, adversus Torosum quemdam Armenium, qui loca Ciliciæ non pauca Græcis eripuerat, belluin cessit; etenim cum is dissolutius Mopsuestiam oppugnat, subitanea Torosus eruptione imparatos oppressit, Duce vix fuga lapso.

Andronicum hunc (qui Tyrannidem post fata Manuelis arripuit) Isaacio Comneno, Alexii Imperatoris filio progenitum, tametsi flagitiose expeditionem illam obiisset, tantum abest; ut reprehenderet Manuel, ut honoribus etiam ornaret, & opibus; quin Branisovæ, Belgradi, & Nissæ Ducis titulo C) cum jam antea Sebastocrator esset, auctum, insuper Urbe Castoria donavit. Virum enim ob singulares animi, corporisque dotes, & cum quo a tenera ætate consueverat, in intimis habuit Imperator. Et erat Andronicus mentis, animique præcelsi; verum in crudelitatem, fraudes, & vagam libidinem fœde abrepti; qui Manueli, a quo tot cumulabatur beneficiis, & viventi, & mortuo pessimam pro his gratiam retulit. Neque enim tot, tantisque rebus abduci a meditata dudum Tyrannide ille potuit; quam jam antea in Cilicia agitasse, atque Christianos in Oriente Principes sollicitasse fertur; tum vero Belgrado, & Branisova potitus, in spem venit Regis, Ungarorum auxilio meditata in rem conferendi; clam igitur cum eo fœdus icit; Urbes jam memoratas ei cessurum pollicitus, si Imperium armis Ungaricis consequeretur.

Interea Andronicus vitæ Manuelis insidiatus, atque sceleris compertus in carcerem Byzantii mittitur; Ungari eorum, quæ Andronico evenerant ignari, obsident Branisovam; quæ ipsorum festinatio excivit Manuelem, ut in Serviam continuo contenderet. Cognito Imperatoris adventu, relictaque obsidione, Belgradum versus redibant Ungari, D) ad quos consectandos valido cum exercitu ire jussus Basilius quidam Tzintziluchas pedem cum Ungaris contulit; primo impetu, an forte destinato? cessere Ungari; at resumptis dein viribus illustrem plane adversus Græcos 1155

A) Ita Nicetas p. 49. B) Cinamus p. 54. C) Nissæ, & Branisovæ Ducem creatum ait Cinamus p. 56. Nicetas vero Ducem Belgradi. D) Ex hujusmodi narratione liquet; Branisovam Urbem infra Belgradum fuisse trans Istrum.

A.C. obtinuere victoriam cæsis hostium plurimis, atque captis. A) Manuel hac
1155 nequicquam deterritus clade, Joannem Cantacuzenum ad Belgradenses in fide confirmandos, nutare enim fortuna Ungarorum arrecti cœperant, expedit; ipse exercitum pro ripa Danubii collocat. Mutuo in conspectu desedere aliquantisper exercitus; dein per otium de pace tractari cœptum; quam ea admisit lege Imperator, ut capti in superiore prælio rederentur, atque equorum eo casu necatorum vice Ungarici substituerentur; quo facto discessio utrinque fuit. In eadem hac expeditione secutus Ungarica castra fertur Borises, Bosniæ Princeps, jam tum forte Regno illo Regibus Ungariæ obnoxio. Cladis Græcorum causam in Stephanum conjicit Cinamus B) Regis Geisæ fratrem; qui ad Manuelem ob fraterna odia jam antea transiverit; commune enim per ea tempora Principibus Ungaricis turbatoribus, aut proturbatis Byzantii erat perfugium; aitque primum, Stephanum cum suis pedem ex acie retraxisse; verum solemne Græcis clades suas, & dedecora aliis allinere. Certe Cinamus hic perpetuus est, & inconditus Imperatoris Manuelis laudator; quem se in prælia hæc secutum ait, nec tam Historicum, quam militem glorioſum refert: quippe Manuelem uno hastæ ictu sexdecim in Servia hostes prostravisse; in Syria autem solum in hostilem exercitum incurrisse, stratoque cadaveribus campo victorem rediisse; interdum mille, alias decies mille Turcos ab uno illo in fugam actos; quæ is credat, qui omnia, quæ Græci chartis quomodolibet illeverint, credenda judicarit.

1156 Dum Imperator In Ungaros, Palæologus Michael in Calabria adversus Gulielmum, qui Rogerio patri succesſerat, Siciliæ Regem bellum gesſit, non magna ille quidem mole, attamen fortuna sat prospera; quam auri largitione magis, quam suorum virtute sibi demeruerat. Etenim multi de Italis auro illecti Græcanico, ad stipendia Imperatoris transibant partim, partim vero seque, Urbesque suas dedebant. Bassavillas Rogerii ex sorore nepos, quod quam, nescio, ejus sibi Principatus spem fecisset, secutus Palæologum, non vanum Gulielmo metum injecit; nec pauci in societatem sceleris ab eo pertracti. Itaque hujusce armis adjutus Palæologus occupat Boscium, Barium, Tranium, ac per Joannem Ducam terrestri acie Richardum, Gulielmi Ducem semel, iterumque fugat. C) Hæc inter novæ ab Imperatore missæ in Italiam copiæ Duce Angelo Joanne in spem Italiæ Græcos arrexerant; discordia præsertim, bellicoque alio tumultu Regnum illud discerpente. Nam Gulielmus Ecclesiæ ditionem infestare ausus, commovit in se Hadrianum Pontificem, ut sacris, profanisque armis Pontifex in eundem bellaret; quin ad ejus exterminium conspiraret cum Palæologo; a quo auri quoque non parum accepisse fertur. Usus hac occasione Pontifex, ne de armorum magis, quam sacrorum concordia solicitior videretur, de Ecclesiis uniendis Constantinopoli per Legatum egit; D) quas tamen spes non semel resumptas inveteratum in Latinos odium, ac Patriarcharum fastus misere semper disjecit.

Acceptis Ducas Joannes subsidiis, (Palæologum enim repens morbus e vivis abstulerat) obsedit arcem Monopolium, rursusque cum Richardo felici Marte, etsi cruento dimicavit. Captum dein Montepelosum, & Gravina Urbes; cum vero terra, marique appropinquaret Gulielmus, tametsi classem haberet multo inferiorem Ducas, Siculam tamen adortus, bis mille hostium cæsis, debellavit. Sed qui mari vicerant, demum terra a Gulielmo profligati cum Calabria spem omnem Italiæ, quam animo informarant, obtinendæ abjecerunt. Alexium Annæ Comnenæ ex Bryennio Cæsare filium, magni Ducis tunc munere insignem, in Italiam expedierat Manuel; is cum nondum copiarum satis haberet, Joanni Ducæ adjunctus obsidere Brundusium conatu majore, quam viribus cœpit. Illum obsi-

A) Extenuat, quantum potest, Ungarorum victoriam Cinamus; at Nicetas victoriam illustrem ab Ungaris partam esse, non diffitetur. B) P. 59. C) Diffuse minuta hæc, ut ex modo narrandi apparet, prælia exequitur Cinamus l. 4. D) Meminere ejusce rei Annales quoque Ecclesiastici.

obsidio intentum, ac a sociis quoque Italis desertum aggressus Rex, non A.C.
vicit modo, verum etiam cum Duca Joanne, & militum, Ductorumque 1156
plurimis cepit. Equidem ad instaurandum in Italia bellum Comnenum Alexium, Protostratorem Imperator delegarat; qui Anconam profectus, Urbem in clientela Manuelis tunc positam, confectis ex Italia copiis, atque adeo ex ipsa Urbe Roma pretio conductis, Urbes quasdam Gulielmo eripuerat; quæ tamen subsecuta inter Manuelem, & Gulielmum paulo post pace redditæ fuerunt; Gulielmus quoque libertate donavit Græcos præteritis bellis captos, non tamen texendi serici artifices, quos magni instar habebat thesauri; eorum quippe ars per Siciliam brevi diffusa opes ad posteritatem quoque duraturas insulæ invexit. A)

Abjecta Italiæ spe, ad Antiochiam pleno sibi jure vindicandam, ocu- 1157
los Imperator advertit; cui bonam dedit occasionem Raimundi Principis in prælio quodam cum Turcis pugnato interitus; viduam Raimundi Rogerio e Siculi Regis consanguinitate, sed dudum jam Byzantii commoranti, ac ad Cæsaris dignitatem perducto, nectere volebat Manuel; quo illius opera facilius Urbem in potestatem suam transferret. At vidua Constantina, rejecto Rogerio Raynaldo, Hierosolymorum Regis cognato, seque, Urbemque tradidit. Raynaldus, quod Principem eum agnoscere nollet Manuel, infestare Cyprum, & Cretam ausus, in bellum denique Imperatorem commovit. Sed & Torosus Armeniæ Princeps Ciliciam bello lacessere, expugnatis in ea Urbibus nonnullis, cœpit. B) Placuit vindicare Principum, qui clientelam Imperatoribus debebat, audaciam. Profectio hæc in Orientem tanto instituta est silentio; ut Torosus, & Raynaldus non prius de ea cognoscerent, quam Urbes per Ciliciam ab Imperatore obsiderentur. Igitur brevi ab imparatis extortæ Urbes Tarsus, Anabarsus, Longiniades, arcesque non paucæ; quarum fama rerum conterriti Torosus, & Raynaldus de Principe reconciliando consilium ceperunt: & Toroso quidem facilior fuit ad gratiam aditus: non item Raynaldo; qui, quod suis quoque ob Patriarcham Antiochenum dire vexatum invisus esset, ad infimas denique preces apud Manuelem delapsus, habitu miserabili, fune ob collum obtorto magno Occidentalium probro veniam, & Principatum extorsit a Manuele verius, quam impetravit; quam ferox antea in lacessendo, tam nunc in supplicando, quod vehementibus usuvenit ingeniis, abjectus. C) Cognito Manuelis Antiochiam adventu, accurrit Rex quoque Hierosolymorum Balduinus, sive conciliaturus Imperatorem Antiochenis, sive qua alia de causa. Regem perhonorifice in castris accepit Imperator, consilioque illic habito, Antiochiam cum eodem, quæ in clientelam Imperatoris rursus se dederat, triumphantis more ingressus est.

Post varia illic edita spectacula, communi consilio decreta a Principi- 1158
bus in Noradinum, Christianos undequaque carpentem, profectio est; ut bellum hoc averteret Noradinus, Sancti Ægidii, quem habuit in vinculis, Comitem, itemque militum templi Magistrum, ac sex insuper Germanorum millia libertati reddenda pollicitus est, quietemque ab ea parte Christianis; quibus receptis pax data Noradino, an magis vendita? quam ille eo usque tueretur, dum aliquis impenderet metus, dein susque deque haberet. Rebus hisce patratis, reditum per Ciliciam in Urbem cum exercitu Manuel adornavit; at incautius, quam in ea Turcorum, cuivis occasioni imminentium, vicinia conveniebat. Quippe data militibus, ut liberet, domum commigrandi venia, solutis dum ordinibus pro se quisque festinant, exorti ab insidiis Barbari magnam legionibus stragem intulerunt, fremente ac gemente Principe, eamque in hostis vicinia securitatem tot ante, & post eum Ducibus exitiabilem frustra multis incu-

A) Nicetas p. 51. Hæc non uno anno gesta videntur; sed quia nulla pene Græcis Scriptoribus annorum seriem adnotandi cura, unum omnia sub conspectum retulimus. B) Cinamus p. 80. C) De hac probrosa Raynaldi animi dejectione præter Græcos Tyrius quoque lib. 18. cap. 24.

A.C. sante. A) Accessit & domestica alia calamitas: Theodorus Stipiota ærario Præfectus, qui optime res Imperii adhuc curarat, variis circumventus calumniis, innocens licet, oculorum jacturam in aula, quam merito invidiæ Regiam diceres, pertulit.

1159 Cum Turcis Iconiensibus uno, aut altero adhuc anno bellum Manueli fuit: Masutus, Iconiensis Sultanus fato efferendus, in tres filios Principatum distribuerat; Iconii Sultanus erat Chlisiasthlan; divisi animis, ac armis fratres bellabant inter se, eorumque adjuvabat odia Manuel, nunc huic, nunc illi fratrum ostentato favore, & auxilio; demum cum Clisiasthlane cæteris potiore bellavit; is enim vastabat fines, insuperque Laodiceam in Phrygia diripuerat; verum prædationibus magis, quam bello justo inter utrosque res acta. Iconium dein ipsum occupaturus Manuel, quidquid undique virium potest, accersit; evocat ex pacto Armenium Principem, & Raynaldum; ex Servia, & Calabria subsidia contrahit; quin Joannem Contostephanum ad Regem Balduinum pro equitibus accersendis ire jubet; quem bona cum manu illinc reducem viginti Turcorum adorta millia nequidquam infestarunt victi, ac in fugam conjecti. B) Cuncta magno jam apparatu in Barbari exitium comparata erant; cum ille ad pacis conditiones versus eam hac impetravit lege; ut omnes suorum cohiberet dehinc procursiones, atque subsidia in bellum, cum usus posceret, Imperatori præstaret. Pax non modo concessa Barbaro est; verum ipse Constantinopolim profectus, maximoque acceptus splendore, ac muneribus excultus. Manueli enim Turcica societas cordi semper fuit, a quorum institutis quoque, ac legibus non multum fertur abhorruisse; sensim quippe res Barbaricæ placere Græcis cœperant, cum certissimo in eorum dominatum commigrandi periculo, quorum consuetudine, ac moribus lætabantur.

1160 Ungaricum dehinc secutum bellum annos aliquot tenuit: Geisæ Regi fratres erant Stephanus, & Ladislaus; filii vero Stephanus, & Bela. Exortis inter fratres dissidiis prior, ut memoratum est, Stephanus ad Manuelem venit, ducta ejus ex fratre Isaacio in conjugem nepte; hunc non diu postea consecutus est Ladislaus. Interea Geisa diem extremum clausit, cujus morte arrectus Manuel consilium cepit, Stephani illius in Pannoniæ Regnum perducendi; a quo deinde Zemlinum, & Sirmium, cui dudum inhiabant Græci, obtineret. C) Et erant intestinis tunc malis turbatissimæ res Ungarorum; fere enim incerta fluctuabant successionis jura, & de Regia quidem stirpe; sed in quem potiora Procerum confluxissent suffragia, Regnum capessebat. Stephano perducendo additus ab Imperatore Contostephanus Alexius, nec ferro, nec auro quidquam promovit; aversabantur enim Stephanum Ungari ob Græcas fortasse artes, pactaque cum Manuele inita; illius igitur vice Ladislaum pars Procerum, pars Stephanum Geisæ filium Regem optarant; Stephano autem priori secunda abs Rege dignitas ab iis concessa est, qui Ladislaum sequebantur. D) Ladislaus non diu Regno potitus mortem oppetiit; ea occasione turbare magis etiam cœpit Stephanus; verum ab Ungaris pulsus, ad Imperatorem, qui Nissam earum causa turbarum advenerat, sese retulit. Illic Serviæ Principem Desen, quod Ungaricas aperte partes præferret, dareque in Ungaros militem detrectaret, comprehendi Imperator jussit. Inde Belgradum, ac Zemlinum versus promota castra. At enim cum videret Manuel in perducendo Stephano opus se viribus majus suscepisse, deser-

A) Fusius de his Nicetas p. 61. B) Cinamus p. 91. C) Non dissimulat Cinamus id eo bello egisse Manuelem, ut tributariam sibi Ungariam redderet. Perperam autem scribit, moris apud Ungaros, ut Regi vita functo non filius, sed frater in Regno succedat. D) Cinamus p. 92. τῷ γεμὴν στεφάνῳ τὴν ἀρὲμ ἀπεκλήρωσαν τυχὴν Stephano autem Urumi dignitatem contulerunt. Fortasse id decreverint Proceres, ut Stephanus non ille quidem Rex, sed Uram, vel Urunk, quod Ungarice idem est, ac Dominus noster, diceretur, & haberetur. Ac fortasse Græcorum morem, qui frequenter ejusmodi dignitatum appellationes comminiscebantur, secuti sint.

deserto illo ad alia consilia animum vertit. Erat Stephano Geisæ filio, A.C.
tum Regi frater, ut dictum, Bela admodum adolescens; erat & Manueli 1160
pari ætate filia Maria; cumque sobole tunc adhuc mare careret Imperator, decrevit Belæ huic natam conjungere, atque successorem sibi in Imperio Orientis designare. Rei perficiendæ Palæologus Georgius ad Stephanum, & Ungaros mittitur. Cupide ea accepta est Legatio, ac Bela protinus Byzantium expeditus. Ille ab Imperatore festive acceptus, mutato nomine Alexius dicitur, insuperque Cæsaris, & Despotæ dignitate ornatur. Cæterum in toto hoc tam splendido cum Ungaris negotio rem suam, & Imperii agebat Manuel: namque ad Dalmatiam, partemque aliquam Ungariæ a Geisa Belæ filio hæreditate relictam, adjecerat oculos; insuperque Sirmii obtinendi studio æstuabat; quæ res nova bellorum inter Ungaros, & Manuelem sementis fuit. A)

Erat enim Princeps iste dilatandorum Imperii finium, tametsi suos 1162
ipse ægre tueretur, studiosissimus; Italiam adeo ipsam, & Romam sperare tunc ausus. Et bona se ei rei opportunitas offerre visa; Italia inter Fridericum Imperatorem, & Alexandrum tertium Pontificem dira secessione discerpta. Fridericus Ænobarbus constituendi Pontificis sibi arrogabat auctoritatem, supremumque in Romam, & Pontificias Regiones Imperium; obstabant omnimodis Romani, & Alexander; cui Fridericus Octavianum opposuit Cardinalem; hinc fœda plures per annos Italiæ facies, Friderico quidem armis omnia miscente, Pontifice autem captante fugam, & auxilia Principum adversus vim injustam corrogante. Ad hunc postea Pontificem missa multo cum auro a Manuele Legatio est, quæ auxilium adversus Fridericum offerret, ea tamen lege; ut coronam Imperii Occidentalis Friderico ablatam, Manueli Pontifex imponat; ita quoque futurum, ut concordia inter Ecclesias coalescat. Alexander etsi satis perspiceret, Manuelem viribus ampliora polliceri, nec tam studio Pontificis, quam discordiæ inter Latinos serendæ ad ea progressum, allegavit tamen Byzantium Cardinalem Ostiensem, de omnibus uberius cum Manuele collaturum. B) Promissam a Pontifice tot malis presso Manueli coronam, si modo in Italiam ipse commigraret, quidam ajunt, C) sed potiores inficiantur; certe Manuel Pontificias adversus Fridericum dehinc quoque partes auro tamen magis, quam ferro tuitus est; cui Cinamus restituti Pontificis, assertæque ejus dignitatis gloriam vanissime adscribit; at lunæ istius radiis botrum hunc non maturuisse notius est, quam ut dici debeat.

At enim dum spes inanes de Ungaria, deque Italia Manuel captat, 1163
suarum in Asia rerum magnam adit jacturam; Noradinus, acerrimus bello Princeps, lacessebat identidem in Oriente Christianos, Antiocheno quoque Principe Raynaldo, & Tripolitano Comite victis, captisque. Inde in Ciliciam vertit arma, quam tunc pro Manuele administrabat Calamanus Ungarus, Borichii illius ab Ungaria exulis filius. Et bene rem principio gessit Calamanus, fuso, ac fugato hoste; at dum incautius victoriæ instat, victus invicem, captusque est, Ciliciæ populatio, ac clades illata. Avocabant hæc in Asiam Manuelem; verum illum Ungariæ, quam vane somniarat, cupiditas alias ad curas improvide abripuit.

Sive majorem justo partem hæreditate pro Bela Principe Manuel ce- 1164
perit; sive pœnitentia alienatorum Regni finium Ungaros subierit; arma illi, quas pro Bela Græci administrabant, Provinciis intulere. Accesserit alia etiam bello causa; quod Stephanus Regis patruus Græcorum adjutus ope, ad Regnum magnis iterum turbis aspirarit. Producto in Un-

 gariam

A) Hæc pluribus de Bela Nicetas, & Cinamus; nam Ungarici Scriptores horum nihil meminerunt. Insuper Nicetas p. 67. ait, Manuelem Sirmii, & Zemlini cupiditate flagrasse. B) Meminere ejusce Legationis Annales Ecclesiæ in Alexandro. C) Cinamus p. 119. Contrarium enim habent acta Alexandri, citata a Baronio ad annum 1170. Hoc loco Cinamus intemperantissime in Pontifices, & Occidentis Imperatores ob arrogatas sibi hasce dignitates furit; & Imperatorem Pontificis Stratorem per ludibrium vocat.

A.C. gariam Manuel exercitu, ad Titelium caſtra poſuit, A) Ungariam adortus
1164 inteſtino tunc malo ob Stephanum correptam. Illinc Petricum B) progreſſus literas ad Regem dedit pacis in ſpeciem, & benevolentiæ plenas. Hinc per Sirmium Pagatzum, aut verius Poſegam pervenit. Rex Stephanus occurrit venienti magno cum exercitu; in quo Rex quoque Bohemiæ Ladislaus militabat; cujus fidem clam per literas tentavit Manuel. Verum omnis hic belli apparatus ultra minas nequaquam proceſſit. Addicta Belæ Principi ſua eſt hæreditas, ea tamen cautione; ne Stephani turbatoris partes fovere deinceps Manuel pergeret; quibus pactis utrinque diſceſſum. Attamen Stephani fovere factionem, ac pro ſolemni ſibi more diſcordiis ſerendis dare operam, ne poſtea quidem Imperator deſtitit; cui protegendo Michael Gabras, & Chaluphes Nicephorus in Sirmio relicti cum exercitu fuere. Hinc inteſtina recrudeſcebant Ungarorum mala, & ignis gliſcebat ſuppoſitus cineri doloſo.

1165 Demum Stephanus ille a Rege victus, atque Zemlini obſeſſus eſt; quæ res novæ rurſus Manuelis in Ungariam expeditioni occaſionem præbuit, tanquam ſi fœdera violarint Ungari, armis Sirmio illatis. Interea Stephanus, veneno a quopiam miniſtrorum propinato, Zemlini interit; C) Ungari Urbem data Græcis diſcedendi venia obtinent. Imperator collecto Triadizæ exercitu, in Ungaricam rurſus expeditionem curas retulit. Simulaverat principio, ad Chramum oppidum velle Savum trajicere, qua parte Ungaricæ obſtabant cohortes; verum deluſis iis ad Belgradum ſubito tranſcendit, oppugnandoque Zemlino dedit initium. Fortiter diu tulere hoſtem Ungari, Rege exercitui contrahendo operam impendente; ſed demum machinis quibusdam ab Andronico Comneno directis, qui carcere nuper elapſus, & in gratiam ab Imperatore receptus fuerat, ſtrati muri, atque irruptio in Urbem facta; cæſi multi, captique; Stephanus interea Rex etſi ſerius, ſubſidio magnum ducens exercitum accurrit; quo cum experiri nequaquam libuit Manueli; rurſus igitur de concordia actum; Dalmatia, & quæ Belam concernebant, penitus conceſſa a Stephano ſunt, ac bellum ſolutum. Chaluphes Nicephorus in Dalmatiam ire juſſus Spalatum, Tragurium, Sibenicum, aliasque ſeptem, & quinquaginta Ungarici tum juris Urbes pro Bela D) occupavit. In Sirmio vero relictus eſt Conſtantinus Angelus, E) qui Zemlinum, Belgradum, Braniſovam, ac Niſſam opere, & præſidiis communiret. Redux in Urbem cum triumpho Manuel jurejurando adegit Proceres, non alium poſt ſe agnituros Imperatorem, quam Belam Ungarum filiæ ſponſum ſuæ; quod cæteri quidem lubentes præſtitere, non item Andronicus Comnenus; qui ſuis obſtruere luminibus nequaquam ferebat Ungarum; igitur cum & alia urgerent hominem crimina, (quippe Antiochiam progreſſus affinem Imperatoris Raimundi filiam adverſus leges Græcanicas conjugem ſibi adſciverat; illa vero rurſus dimiſſa, cum Balduini Regis vidua nepte ſua fœde conſueverat,) ad Turcos ſponte exulatum abiit, ut ſe ad novas ſpes, clademque Imperii Orientalis improbus ſervaret.

1166 Balduinus, cujus meminimus, Princeps, non ita pridem viceſimo Regni ſui anno humanis elatus ſucceſſorem habuit Amaurum fratrem; quo regnante in arcto jam res Chriſtianæ Hieroſolymis erant, invaleſcente ubivis Noradino, & armis cuncta infeſtante. Hujus ut furorem vitarent Antiocheni; primum quidem in Balduini clientelam, mox in Amauri tranſire geſtiebant, Boemundo tertio in Principatu ſucceſſore tunc adhuc impuberi; at obſtabat Manuel, ſummum in Antiochiam jus ſibimet vendicans.

A) Diffuſe de his Cinamus; aitque: ſemet expeditioni in Ungaros interfuiſſe. Titelium locus ad confluentes Tibiſci, & Danubii. B) Petricum, forte Varadinum Petri. C) Nicetas p. 67. Incerta plane hic annorum ratio: Ungarici Scriptores mortem Stephani hujus in annum Chr. 1173. referunt; at ex Græcorum narrandi ſerie aliud conficitur. Intricata certe, ſi uſpiam, hic eſt Orientalis Imperii Chronologia; quam conjectura magis ſequimur, quam certa ſcientia. D) Cinamus p. 113. E) Nicetas pag. 71.

dicans. Amaurus vero ut adverſus Turcos Imperatoria ſibi affinitate A.C.
proſpiceret, Joannis Comneni (qui Imperatoris Joannis ex filio Andronico nepos erat) natam nomine Mariam in conjugem accepit. A)

Bellum cum Ungaris nuper compoſitum, quibus, neſcio, de cauſis 1167
iterum recruduit. Urebat certe Ungaros Sirmii, atque Dalmatiæ, pro qua tantum fuderant ſanguinis, jactura. Dionyſio cuidam victoriis claro datum a Rege Ungariæ Sirmii repetendi negotium eſt. Græci Duces Michael Gabras, & Branas Georgius Sebaſtorum, ſeu Auguſtorum (eo enim peculiarem Imperatoribus appellationem ambitio Græcanica depreſſerat) dignitate conſpicui, obviam cum exercitu Dionyſio progreſſi, conſertis aciebus victi turpiter, fugatique ſunt; e cæſorum cadaveribus prægrandem excitavit tumulum Dionyſius ad territandos hoſtes, victoriamque exaggerandam valiturum. Clades iſthæc Byzantium nunciata complevit ira Imperatorem; ut pluribus eodem tempore ex partibus perniciem in Ungaros moliretur. Igitur Belam cum Comneno Alexio, ac exercitu Danubium verſus expedivit, quo Ungaros in eam partem abſtraheret; interea vero ex parte Daciæ cum magna militum, & Valachorum multitudine Leonem Vatazen in Ungariam jubet irrumpere; quod tutiſſima ea Regni pars ob montium aſperitatem hoſtile nihil metueret; denique Ducam Joannem e Ruſſia in ſuperiorem Pannoniam irruptionem tentaturum mittit. Duces hi diverſis, ac minime proviſis invecti itineribus, magnam Ungariæ finibus populationem intulerunt. Neque tamen vel ventum uſpiam ad manus eſt, vel memorabile aliquid patratum. Dux Auſtriæ Henricus, cui cognata Manuelis nupta erat, ad Imperatorem Triadizæ tunc morantem quibusdam e cauſis profectus, inducias quoque inter Imperatorem, ac Regem Stephanum confecit. Ita rurſus procella iſthæc deferbuit. B)

Henrici hujus reducis Rex Stephanus connubio ſibi natam adjunxit; 1168
atque non multo intermiſſo tempore ad repetendam Dalmatiam copias expedivit. Ab iis tamen nihil memoratu dignum actum eſt; niſi quod Chaluphen, Provinciæ illi pro Bela Præfectum forte captivum abſtraxerint. Perurgendo in Ungaros bello Contoſtephanum Andronicum, ſororis ſuæ virum, cum valido non Græcorum modo, ſed & Turcorum, & Scytharum exercitu, ac nobilitatis flore in Sirmium expedit Manuel; ipſe vero Triadizæ eventum belli præſtolatur. Trajecto Andronicus Savo obviam ſibi habuit Dionyſium cum quindenis Ungarorum millibus; nec diu feriati exercitus ſunt. Cum moris apud Ungaros noſſet Andronicus, præſtantiſſimum quemque, & naxime nobilem in primis locare ordinibus, contrario ipſe modo inſtruxt aciem, eamque, quod non factum ab Ungaris, geminavit. Ferociter in Græcos invecti Ungari, dextram alam in fugam conjecere, Brana Demetrio eorum Duce cæſo; ſiniſtra quoque in fugam jam inclinabat, ſed adfuit tempori cum ſubſidiaria acie Andronicus, atque Ungaros præcipuis ſuorum in prima acie amiſſis, ac ſubſidiis deſtitutos in fugam præcipitavit. Cæſi de illis haud pauci; cumque Iſtrum trajicere feſtinant, a claſſe Græca octingenti eorum cum quinque Comitibus intercepti. C) Prægrande quoque ſignum militare, quod curru Ungari deferebant, ab hoſte occupatum. Cæterum victoriæ hujus nullus pene extitit fructus: Græci audito novas Ungaris adventare copias, fama ea conterriti trajecto præcipitanter Iſtro retro ceſſere, D) Imperator ovans Urbem ingreſſus eſt. Nec deinceps quidquam bellorum Manueli cum Ungaris fuit. Stephano enim Rege non diu poſtea vita exempto, cum is idoneam Regno ſobolem non reliquiſſet, repetitus Bela ad coronam fuit: rediit igitur in Ungariam Bela, cum jam Manueli ex altera conjuge Maria, Raimundi filia, filius Alexius natus eſſet; cujus cauſa Proceres a jurejuran-

A) Gulielmus Tyrius. B) Cinamus p. 117. Extenuat rurſus victoriam Ungarorum. Verum Nicetas p. 69. ſuperatos ab illis acie Manuelis Duces, ingentemque actam prædam ſcribit. C) Exaggerat hanc victoriam ſuorum Cinamus p. 124. aitque: quinque Zupanos Ungarorum fuiſſe captos. D) Nicetas p. 82.

A.C. jurando Belæ præſtito Imperator abſolvit; quin filiam quoque ſuam Be-
1168 læ deſponſam, quod conjugio huic cognationis obſtarent leges, Ducis Montisferrati in Italia filio Raynero conjugem dedit; in cujus locum duxit Bela Imperatricis ſororem Raimundi Antiocheni Principis Filiam. A) Atque in eum modum Bela Ungariæ, ſeque, Dalmatiamque ſuam cum reliqua hæreditate reſtituit; felix certe, qui a levibus illis ingeniis, & aula atrocibus non diu poſtea parricidiis confundenda ſemet expediverit, Imperatore illo ſi non titulorum, aut Provinciarum amplitudine, at certe Regni felicitate, ſuorumque fide major, & fortunatior.

1169 A bello redux Ungarico Manuel vix quidquam cessationis ab armis habuit. Cum Ægyptio Principe Rex Palæſtinæ Amaurus bellabat; quare Manuel in ſpem adductus fore, ut partem ad minus Regni illius tam opulenti obtineat, ſocia Amauro affini arma conjunxit; fere enim Imperator ille ad remotas longe oras ſpes exporrigebat ſuas, & pennas nido majores. Igitur claſſis Duce Contoſtephano Andronico in Ægyptum navigavit, menſeque Septembri Damiata, celebre tunc Ægypti munimentum oppugnari cœptum. Trium ſpatio menſium fruſtra oppugnationi deſudarunt Græci juxta, & Amaurus. Scriptores noſtri B) Amauro culpam impingunt; ut qui ſerius in caſtra cum ſuis advenerit, ac ducendo præ invidia bellum, infeſtam eam Græcis expeditionem reddere molitus ſit; contra Latini in Græcos infelicitatis conjiciunt cauſam; ut qui malis infracti urgere porro oppugnationem noluerint. Utut ſit: deſperata ea opera reditum a Græcis eſt anni parte ad navigandum minime opportuna; idcirco claſſis tempeſtate jactata pene omnis interiit. Amaurus firmando fœderi, ac Manueli ſibi demerendo Byzantium & ipſe poſtea navigavit; ubi clientelam quoque Imperatori profeſſus fertur. C) Ita jam tum a priſtina Reges Palæſtinæ magnificentia deſciſcebant; ſed in tanta Barbarorum vicinia, & Occidentalium neglectu proximam quamvis arripere tabulam expedire viſum.

1173 Sub hæc tempora egregiam videlicet Venetis gratiam pro navata toties extremis in periculis Imperatoribus opera Manuel retulit. Sive contumeliæ ſibi quondam in Corcyræ obſidione illatæ memor, ſive excitatum in Urbe ab iis tumultum cauſatus, ſeu, quod verius, invidia ob potentiam Reipublicæ tota Græcia quæſtum facientis incenſus, uno die quotquot in eo Imperio Veneti erant, comprehendi, ac in carcerem compingi juſſit, opesque in fiſcum redigi; D) ea res tanto inſtituta eſt ſilentio, ut una non niſi grandior navis Byzantio profuga Venetis cladem nunciarit. Illi indignatione correpti, quidquid erat virium, contrahunt, infeſtant late Græciam, Euripi arcem occupant, & incendunt; Chium depopulantur; magnisque illatis detrimentis dolorem animi effundunt. Acceptis ultro, citroque detrimentis, ac præliis etiam navalibus conſertis, productaque in unum, & alterum annum ſimultate, Veneti cum Rege Siciliæ fœdus in Græcos paciſcuntur; ea res timoris implevit Manuelem præteritorum bellorum, ac infortuniorum memorem, ut omnia placandis iterum Venetis tentaret; igitur non modo priores illis reddidit immunitates, & libertatem, ſed ereptas quoque opes repenſurum pollicitus eſt; ut fortis ad inferendam injuriam, ſic ad vim juſtam propulſandam, quod elatis uſuvenit ingeniis, deſes, ac imbellis.

1175 Elatum inquietumque Imperatoris ingenium gravius multo vapulavit a Sultano Iconienſi, tot olim muneribus, tantaque magnificentia Byzantii exculto: cladem certe, qualem nunquam antea, a Turco accepit, ut reliquos vitæ annos in mœrore ob eam exigeret. Dorilæi, quæ in Aſia ad fines Barbaricos Urbs erat quondam celebris, tunc infelix lapidum acervus, reſtituendi, ac mœnibus communiendi cupiditas Imperatorem inceſſit; alliciebat mira loci amœnitas, ac opportunitas, tum finium dilatando-

A) Nicetas p. 89. B) Nicetas præſertim fraudibus Amauri, quem Amerigum appellat, omnia adſcribit. C) Cinamus hæc pluribus p. 130. D) Nicetas p. 50.

tandorum ſtudium. Sultanus, quod campos Dorylæi ſua in ditione ſi- A.C.
tos crederet, Imperatorem orat: cœptis abſtineat, neve finibus incom- 1175
modet ſuis, nullam ſe dediſſe bello cauſam, quin ultro imperata facturum. Eæ cum ſpretæ eſſent preces, copiæ a Sultano miſſæ nequicquam opus prohibere tentarunt; maxima enim operarum, & multitudine, & fervore, ut Imperator adeo ipſe oneribus humeros ſubjiceret, brevi muris, & vallo firmata Urbs eſt, atque præſidio communita, nec ſemel inter faciendum opus Barbari cum cæde diſpulſi; ita tum quidem res in Aſia habuere. A)

Redux vero in Urbem Manuel, ac in Sultanum, ceu beneficiorum 1176
immemorem ira incenſus, quidquid ſuorum juxta & auxiliarium poteſt, in unum contrahit; non prius e bello receſſurum comminatus, quam Iconium Sultanici dominatus ſedem occuparet. In eam expeditionem præter Servios, Ungari quoque auxiliares magno acciti numero memorantur; forte hoſpitii gratiam eo pacto referre Rex Bela Imperatori voluerit. B) Cum maximis igitur copiis, etſi ſerius ob viarum longinquitatem acceſſerint Ungari, ac adulta jam æſtate in Aſiam trajecerint, adverſus Barbaros Imperator duxit; quem pleraque nobilitas, cognatique Principes ſequebantur. Iterum pacem ſupplex orat Sultanus, iterum per contemptum rejicitur. Interea Turcæ obſervare diligenter Manuelis itinera, citra belli ſpeciem ſinere illum in interiora progredi; cum vero cernerent, anguſtias viarum exercitui ſuperandas eſſe, in montium ſinubus ſeſe recondunt. Nihil hic e Ducis circumſpecti, & prudentis officio ab Impetore geſtum; non exploratæ anguſtiæ illæ, non impedimenta a militum ordinibus disjuncta; ut ſi in amico ſolo iter eſſet, nihil conſilii, & providentiæ impenſum. Interea ut exercitus in valles defluxit, a fronte, a lateribus, quin a tergo quoque Barbari ingenti cum fremitu ingruunt, formidine, ac cæde cuncta permiſcent. Primæ legiones maxima vi exceptæ, quod ob interjecta impedimenta ſuccurrere poſterius agmen non poſſet, magnam accipiunt cladem; tamen via ferro aperta poſt multum laborem tumulum quendam occupant, valloque ex tempore ducto communiunt; at agmen poſterius, in quo Imperator ipſe fuit, a fronte impedimentis, a tergo hoſtibus conſtricti fruſtra virtute nitebantur; miſerabilis pene omnium hic cædes fuit; Imperator ſcuto triginta ſagittis transfixo vix cum pauculis ad primas legiones ſub veſperum emerſit. Hic vero mœſtiſſima erat rerum facies, amiſſis Ductorum præcipuis Andronico Vataza, Joanne Cantacuzeno, floreque militiæ, & nobilitatis, ac mortis imagine omnium oculis obverſante; quippe impugnabant vallum Barbari, accedebant acerba militum in Imperatorem convitia, imprudentiam illius, & cupiditatem fugillantium; ut his fractus deſerere illic ſuos, atque per noctis ſilentia elabi animum induxerit. Interea qui in manibus prædam jam habebat Sultanus, ſive beneficiorum memor, ſive humanas miſeratus vices, pacem certis Imperatori conditionibus obtulit; quarum præcipua erat: Dorylæum ut Imperator demoliretur; nec negatum in iis anguſtiis quidquam Barbaro; ita Manuel ab exitio liber per eandem illam ſuorum oppletam cadaveribus vallem iter ſuum mœſtus, gemensque relegit.

Urgebat poſtea Dorylæi demolitionem Sultanus; ſed verba illi a Prin- 1177
cipe caſſibus expedito, & fidem infra utilitatem ſuam habenti data ſunt. Enim vero irritatus hac injuria Barbarus, quatuor, & viginti ſuorum per Aſiam millia jubet diſcurrere, & ad mare uſque cæde, vaſtitateque cuncta perdere. Parent illi imperatis, & Phrygia vaſtata, Urbibusque quibusdam direptis atrocem in fœdifragos vindictam effundunt. Turcis tamen reducibus a Joanne Vataza prædæ pars erepta, quin etiam multi

A) Fuſius de his Nicetas a pag. 92. B) Meminit certe Ungaricorum auxiliorum Cinamus pag. 136. ibique Hiſtoria illius, qua fuſiſſime quatuor libris res Manuelis proſecutus eſt, deſinit.

A.C. de Barbaris cum Duce cæsi, aut in Mæandrum flumen præcipitati fuere. In eosdem hostes bellanti Angelo Andronico minus arrisit fortuna: is enim adventus fama hostilis percitus, flagitiose deseruit exercitum, eumque post se in præcipitem, ac rationis expertem fugam traxit. Prope erat, ut muliebri veste Andronicum traduci per Urbem juberet Manuel; cognationis tamen respectu abstinuit a supplicio; quo mitiore ad sensum, hoc ad animi cruciatum acerbiore, & fugitivis ejusmodi Ducibus conveniente. A)

1178 Turcæ audentiores hac fuga redditi obsedere Claudiopolim; cujus cum Urbis periculum Imperatori allatum esset; confestim ne apparatu quidem castrensi sumpto, in hostes inedia, frigore, ac rerum omnium penuria vexatus, dies, ac noctes profectionem celerabat; cujus fama adventus conterriti Barbari, Urbem brevi licet in manus venturam deseruere. Erat enim Manuel, quam pace, & in aula luxu dissolutus, tam bello, & in castris laborum tolerantia admirabili, & in utroque pene Principis oblitus. Nam & in castris juxta cum ultimis gregariorum victus, & laborum asperitate certabat, & in aula fœdo Theodoræ ex fratre neptis, & aliarum amore irretitus, exempli pravitate offendiculo Urbi fuit; in illam certe ærarii sumptus profusi, eaque Reginæ instar habita, & culta; ut tanto atrocior esset ad pravitatem exempli pernicies, quanto erat conspectior in scelere tam turpi licentia.

1179 Postremum hoc Manuelis bellorum fuit; deinceps enim paci, & controversis in Religione quibusdam quæstionibus, an mage tricis inutilibus? expediendis se dedit. Ingenium quippe acre, quo libros etiam quosdam scripsisse fertur, quiescere non sinebat Principem laudis, gloriæque intemperanter avidum. Controversia quædam de Christo torquebat Græcos: quanam illud accipiendum esset ratione; quod Servator de seipso: Pater major me est; aliis ad naturam tantum humanam, ceu debebant, assertionem trahentibus; aliis vero ad Divinitatem, non illam quidem, ut a natura humana sejunctam, sed ut conjunctam, & quasi ad inferiorem quandam conditionem nostri causa detractam. Ea cum ferveret quæstio: alterius hujus sententiæ patronus Imperator fuit; decreto quoque ea super re confecto mortem, & excommunicationem iis comminatus, qui contrarium proloquerentur. Circa Mahometi quoque sectam nescio quid insanire Manuel cœperat; in suis Græci codicibus inter alias, quæ damnatæ erant, sectas anathema quoque dixerant Mahometano Deo, sive tali, qualem dixerat Mahometus, generationis omnis intra naturam suam experti. Ceu gravis quædam blasphemia res hæc Imperatorem advertit; ut aboleri illud, nequicquam Patriarcha Theodosio in contrarium obnitente, juberet, atque Mahometo, non illius Deo dicendum anathema præciperet. Egregium sane morum juxta & doctrinæ Divinæ interpretem, & Principem patria illa, Genteque plane dignum!

1180 Eidem Imperatori non pauca alia a Scriptoribus vitia impinguntur; inanis scilicet opum profusio, sordidorum ad dignitates hominum provectio, militaris ordinis insolens in alios dominatio, cæteraque id genus; aut potius consuetæ omni ævo in Principes querelæ, tum demum defuturæ, cum deerunt, qui Regnis, & Imperiis præsint. Ante alia reprehensione dignum est Astrologiæ illius, quam Judiciariam dicimus, studium; totus enim ab astris, & a rerum ejusmodi nugivendis pendebat Princeps ille, qui longam, felicem, ac florentem illi ætatem polliciti, præclaros vaticinii fructus opes, & animum Principis obtinuerunt. Inani isthoc studio factum, ut vitæ securus Manuel, tametsi morbo jam gravi tentaretur, nihil in ordinando post se Imperii statu consilii ceperit, & Alexium filium adhuc puerulum in matris, Procerumque cupiditate semper Imperio illi funesta reliquerit. Mense demum Septembri cum jam de

A) Hæc omnia ex Niceta a pag. 94. uti etiam ea, quæ sequuntur; qui septem libris res Manuelis prosecutus est.

de vita conclamatum cerneret, damnato eo Astrologorum studio, monastica se veste subito obtexit, ac denique anno Imperii octavo supra tricesimum minus tribus mensibus, vitæ autem circiter septuagesimo hæc terrena liquit, Princeps animo magno, & virtutibus apto; sed in earum extrema præcipiti, nec raro turpiter abrepto. A.C. 1180

FL. ALEXIUS COMNENUS JUNIOR.

ALexius tertium decimum ætatis annum vix etiam ingressus, successor a patre relictus est; an verius atroci, & sanguinariæ Procerum cupiditati Divina omnia, & humana ultra omnem barbariem proculcaturæ objectus? Cura pupilli Comneno Alexio, Joannis Imperatoris ex filio Andronico nepoti, ac tunc Protosebasti dignitate illustri mandata erat; qui non obscure ad Imperium niti visus est; præsertim cum tanta apud viduam Imperatricem polleret gratia; ut totum ejus animum, ne cubili quidem excluſus possidere diceretur. Ad hæc nascendi conditio, nec nulla ad occupandum Imperium justitiæ species (Alexii enim hujus pater ætate Manuelem fratrem anteceſserat) animos ipsi sustulerunt. Igitur Republica potitus, arbitratu omnia suo agere, fastu insolenti despicere viros Principes, acerbis sævire in Urbanos quæstionibus, effundere in res inutiles Imperii opes, ac denique fœdo luxu aulam, quin tenellum quoque Alexii animum a bonis studiis avocatum corrumpere; quæ res inter turbida illa ingenia, & livore æstuantia carere perturbationibus omnino non potuit.

Maria Manuelis filia, Rainero Cæsari appellato, ut dictum est, nupta, ante alios Alexii ferre dominatum nequiverat; accedebat novercale in eum Imperatricis odium; illa igitur furiis percita ad cædem tutori Alexio faciendam nonnullos conduxit; sed cum illi in conamine sceleris deprehensi ad carcerem rapererentur, Maria vitæ consultura suæ, ad Divæ Sophiæ cum Rainero fugit. Exorto, ut fit, tumultu populus ad ædem illam convolat, ac miseratione Principis fœminæ ad vim defendendam accingitur. Re intellecta Protosebastus, militarem mittit manum seditiosos compressuram; verum multo confluxu auctæ Raineri partes in bellum denique intestinum, ac media in Urbe gerendum prorupere. Rainerus, ac populus templo pro arce usi, inde vires militum propulsabant; hi autem variis insultibus imminebant ceu obsessis; dein cum perturbatio crescret, in fora quoque, & vicos dimicatio prolata. Ea cum insania unum, & alterum diem inter cædes patrata esset; demum agente Patriarcha Theodosio, Contostephano Andronico, Magno tum Duce, & Joanne Duca fœderatorum Comite, ita conventum inter partes est; ut perpetua utrinque oblivione ea delerentur odia, neve cuiquam inceptum illud fraudi esset; sicque ab armis discessum est, at non ab odiis; quæ in dies magis ob Tutoris potentiam apud lividum illud genus efferveſcebant. A) 1181

Andronicus, cujus in Manuele facta mentio, Comnenus Oeni id temporis in Asia degebat, a Manuele specie cujusdam exilii eo amandatus. Cum enim diu ille sua cum Theodora flagitiose apud Turcos oberrasset; demum ærumnis confectus rediit ad Manuelem; a quo erratorum quidem impetravit veniam; attamen quod is inquietum hominis ingenium vereretur, procul ab aula, & Urbe degere jussus. Erat vero Andronicus ille

A) Diffuse de his Nicetas a p. 125. qui unus propemodum e Græcis res hujus ævi gestas literis complexus est; testis horum oculatus, & vir Senatorii tunc ordinis.

A.C. 1181 ille ingenio ad crudelitatem, luxuriam, omneque genus vitiorum plane facto; quæ tamen vitia, cum tempus poſceret, obtegere, atque aliud habere in pectore reconditum, aliud in lingua promptum ſolertiſſime norat; adhæc animus illi excelſus, indoles vegeta, & perſpicax, forma corporis regia, & ætate ipſa veneranda popularem illi amorem conciliabant. Is igitur cum averſos a Tutore omnium in Urbe animos intelligeret, ad invadendam, quam diu antea cogitabat, Tyrannidem, fœcundum ſceleribus, & fraudibus pectus convertit. Publicis, privatisque ad Urbem literis hortatur Proceres, pupillo ut conſultum quam optime vellent; reprimerent augeſcentem quorumdam in immenſum potentiam; ac pacem, concordiamque inter ſe colerent; quibus effecit literis, nihil ut illi Alexio pupillo, nihil Urbis felici ſtatu videretur antiquius; igitur quos Tutoris urebat potentia, & favor, in Andronico uno reponere ſpes ſuas, populi, quantam poſſent, benevolentiam ei colligere, demum ad Rempublicam capeſſendam hominem ſponte currentem ſua propellere. Acceſſit his Mariæ Cæſariſſæ inquies; quæ aula relicta ad Andronicum in Aſiam profugit; atque ad Tutorem opprimendum luxu, & ignavia in aula conſepultum hortata eſt.

1182 Andronicus itaque confectis nonnullis in Paphlagonia copiis, Nicæam verſus progreſſus eſt; & a quibusdam quidem Urbibus, ut diverſa erant Græcis ſtudia, acceptus ultro, rejectus ab aliis, in varias factiones animos disjunxit. Andronicus Angelus Iſaacii, & Alexii, qui poſtea imperarunt, pater, in turbatorem a Protoſebaſto expeditus, ſed ab Andronici milite ſuperatus, in cauſa fuit; quod ad illum Aſiatici paſſim deſciſcerent. Idem Angelus a Protoſebaſto corrupti negotii poſtulatus, defecit ad Andronicum; Manuel denique, & Joannes Andronici, qui tum in Urbe erant, filii opportune in patris favorem Urbem præparabant; ita undique vaferrimi illius Principis res augeſcebant; qui ad ſe venientes admirabili, qua valebat, eloquentia, quin lachrymis adeo ipſis intime devinciebat. Reſtabat Tutori in claſſe ſpes, quæ tranſitum præpediret Andronico, & in virtute militum Latini nominis; magno enim numero Itali, Francique Byzantii tum morabantur, ac fidem Principibus Græcis præ Græcis ipſis præſtabant. Verum Magni Ducis Contoſtephani clancularia ad Andronicum defectio rem denique evertit; qua factum: ut cives correptis Andronici deſiderio armis invaderent aulam, atque Protoſebaſtum illum indigne vexatum carceri manciparent; aulam vero armati pro Andronico communirent.

His rebus perfectis, Urbs in adverſam continentem Andronici in occurſum effunditur; Alexius Tutor vinctus eidem fiſtitur, ac ab eodem, tametſi cognatione juncto, oculis, ac, quæ eorum inter ſe fuit immanitas, etiam virilibus A) orbatur; Andronicus denique plauſu omnium maximo in aulam perductus Alexii pupilli Tutor, Rectorque Imperii conſtituitur. In Italos, & Francos, quorum nec opes, nec in Principes fidem ferre populus poterat, arma deinceps verſa; atque illi, & ab Urbe, & a claſſe circumcluſi relictis, quas habebant, opibus, ægre varia in loca ſparſi profugere; nec paucis vitam cum opibus inſanientis popelli furor eripuit.

Fidem pene ſuperat, quanta, quam effræni crudelitate tecta quidem principio, poſt etiam aperta, Andronicus hic ætate licet grandævus ſeſe geſſerit; quamve præcipiti quadam inſania in abſurdiſſimas voluptates, luxumque ſe effuderit; quæ latius ab aliis depicta ſummatim hic nobis, & primis duntaxat lineis attigiſſe ſuffecerit. B) Sceleratis quibusdam in conſilium adſcitis, quo juſtitiæ populo obtruderet fucum, nihil niſi de eorum ſententia acturum ſe ſimulabat; præclari autem illi Conſiliarii tantum abeſt, ut obſtarent in aliquo Andronico, ut minimos ejus nutus pro

A) Nihil de hoc altero Nicetas; meminit vero Tyrius l. 22. c. 12. B) Fuſiſſime de his Nicetas a pag. 112.

pro imperiis haberent. Idcirco multi de viris Principibus, aut Reipublicæ male geſtæ, aut aliorum criminum accuſati, partim ejiciebantur ab A.C. 1182 Urbe, partim cæcabantur. Nec damnabat ſeveritatem populus Potentiorum injuriis jam antea irritatus, atque in ſtudium juſtitiæ crudelitatem eam referebat. Ita brevi eos, qui Tyrannidi obſtare poterant, amolitus eſt Andronicus. Nec expers hujus fuit mali Maria cum Rainero conjuge; qui veneno, ut fama erat, ejus juſſu poti, continuatis funeribus elati ſunt.

Miſerabilior erat Mariæ Imperatricis interitus; quæ falſo accuſata 1183 crimine, quod Belam Ungariæ Regem, ſororis virum ſuæ, ad inferenda Imperio arma impuliſſet, A) primum quidem carcere, & inedia acerbe vexata, demum Alexio quoque ejus filio (huc enim illum Tutoris improbitas provolverat) cædi matris ſubſcribente, ſtrangulata eſt. Ferunt Manueli filio cædis hujus executionem ab Andronico mandatam eſſe; illum vero a tanta abhorruiſſe crudelitate, ob eamque cauſam in odia parentis incurriſſe. Hæc cum aliaque iniquitatis plena tam licenter ab Andronico perpetrari cernerent Angelus Andronicus, ac Contoſtephanus, cum ſexdecim, quos habebant, filiis, aliisque de Procerum numero conſilia adverſus Tyrannidem contulere; at cum ea detecta eſſent, Angelus quidem cum ſuis fuga lapſus eſt; Contoſtephanus vero cum quatuor filiis, ac quibusdam nobilium cæcitate punitus. Acerbiſſima dein in alios quoque, qui damnatos cognatione, vel conſuetudine contigerant, exercita eſt quæſtio.

Nec melius extra Urbem res Imperii habuere: Iconienſis Sultanus miſero hoc rerum ſtatu ad lucra uſus ſua, expugnavit Sozopolim, Cotyalim, Provincias expilavit, Pergamum diuturna obſidione afflixit. Alia ex parte Bela cum Ungaris Niſſæ, & Braniſovæ imminebat; cui ferro omnia, & cædibus per Serviam miſcenti Branas Alexius utcunque obſtabat. Denique ad bella extera domeſticum quoque acceſſit. Nam Vatazas Joannes Dux bello ſtrenuus Philadelphiam, nonnullasque Aſiæ Urbes in Andronicum armarat; hic vero Lapardam Andronicum cum exercitu miſit, Joannis molimina oppreſſurum. Joannes quamquam æger, adminiſtravit præclare belluim, ac in lectica, unde exercitum ſpectare poſſet, perlatus, ope filiorum Joannis, & Manuelis, at conſilio ſuo hoſtem fregit. Prævalens demum morbi vis finem, & Joanni huic, & bello illi attulit. Urbes Joannis morte conſternatæ deſcivere ad Tyrannum; filii vero præclari illius Ducis capti, cæcatique ſunt. Ita ſanguine, & ſceleribus domi juxta, & foris omnia redundabant.

Tot inter flagitia Andronicus æquitatis ut ſe, & pupilli oſtenderet ſtudioſum; eundem alumnum ſuum corona in æde Sophiæ ipſe cinxit, poſteaquam ulnis eundem ſuis in ambonem extuliſſet, ac lachrymis, quas in poteſtate habuit, ubertim perfudiſſet, mirante pietatem illam populo, & patrem Alexii in Andronico prædicante; hiſce enim floribus miſerabilis victima Alexius, ac brevi cædenda conſpergi debuit; ut lætius, minoreque cum ſtrepitu jugularetur. Ejusmodi rebus præparato populi animo, nec multo tempore intermiſſo cum variæ identidem ſeditiones in Aſia ebullirent; nam & Nicæa cum Cantacuzeno Theodoro ad rebellionem ſpectabat; & Pruſa, aliæque Urbes novis rebus ſtudebant; præclarum illud Andronici conſilium cenſuit: nullum fore turbarum finem, ni demum Andronicus ex Tutore Imperator fiat, nec pupilli tantum, ſed ſuo quoque nomine rebus moderetur. Id cum ab iis decretum eſſet, prodeunt in publicum graves illi patriæ Patres, magnaque vociferatione Imperatores Alexium, & Andronicum proclamant; ac tantus erat populi in Tyrannum amor, ut nemine quidquam in contrarium movente, maximo Urbis aſſenſu invitus in ſpeciem raperetur Andronicus; atque au-

A) Credibile, Belam Regem affini factam ſuæ injuriam armis ultum eſſe; aut jura in eas Provincias ſua perſecutum.

A.C. 1183 rea in ſella locaretur, Alexio quoque pupillo gratulantium vocibus, ac plauſibus immixto. Deductus poſt hæc in ædem Sophiæ, cum ad myſteria percipienda iret, jusjurandum dedit; non alius rei ſtudio, quam Alexii, & boni publici ad eam dignitatem progreſſum ſe; atque ita corona cinctum eſt caput illlud ſanguinaria crudelitate, & iniquiſſimis deſignationibus refertum; eoque, quo involutum poſtea eſt, exitio plane dignum.

Quam pura mente jurejurando ſemet obſtrinxerit Andronicus, non diu poſtea omnibus patuit. Sceleſtum illud Andronici conſilium cenſuit: rurſus finem nullum turbis fore, objectamque perpetuæ viciſſitudini aulam, ac in ſe diviſam, duo ſi capita adoraret; tollendum e medio Alexium boni publici gratia, atque Andronico, liberisque ejus Imperium affirmandum. Quid multis? Stephano Hagiochriſtophoritæ, & Tripſicho Conſtantino ſolertiſſimis ſcelerum Andronici adjutoribus cædes Alexii mandatur. Illi noctu juvenem aggreſſi nervo ſtrangulant, caput præcidunt, truncum vero corporis, cui Andronicus inſultaſſe fertur, in mare provolvunt. Ita periit Alexius Octobri menſe quintum decimum ætatis annum non plane egreſſus, poſteaquam titulotenus duos quidem ſub Alexio Comneno, unum cum Andronico annum præfuiſſet. Deſponſam illi Agnetem, Ludovici ſeptimi Galliarum Regis filiam, vix undecim annos natam, præclarus ille Tutor Andronicus vietus licet ſenex, in conjugem accepit, non Deum, non homines reveritus; atque ceu ruptis jam honeſtatis repagulis, ad extremam plane impudentiam dicam, an amentiam? provolutus.

FL. ANDRONICUS COMNENUS.



TYranni verius, quam Imperatoris nomine compellandus hic Andronicus, duos propemodum adhuc annos rebus ſcelerate ille quidem, & crudeliter, attamen pro ingenii ſui acrimonia, & vehementia non prorſus infeliciter præfuit. Nam & ſcelerum illam in Urbe Byzantina illuviem, ac audaciam ſevere coercuit; & nobiliorum in tenues injurias plus etiam, quam hi vellent, ultus eſt; & ne quidquam tot edictis repreſſam hactenus bona naufragorum diripiendi aviditatem penitus extinxit, vectigalium quoque diminutio, ac rebus tractandis ſolertia magnam illi apud populum benevolentiam conciliarant; quam denique fœdo luxu, importunitate, ac immenſa humani ſanguinis ſiti penitus evertit, ſeque in exitium, non facile adhuc in aliquo Principum ulla ætate conſpectum, præcipitem egit. A)

1184 Alexii ut necati invidiam ab ſe amoliretur, apud Patriarcham, Collegiumque Sacerdotum inſtitit; uti ſe a jurejurando tam Manueli, quam Alexio præſtito, & boni publici cauſa violato abſolverent; quo nihil apud venale illud genus impetratu facilius fuit. Peſſimi igitur, ac degene-

A) Scelera Andronici, & Tyrannidem duobus complectitur libris Nicetas.

generes iſti poteſtatis Divinæ uſurpatores liberum illum pronunciarunt; A.C. honores quosdam umbratiles, ac proximum in aſſidendo Principi locum 1184 ſua dignum vanitate, eapropter conſecuti. Alexii interitum ut late fama ſparſit, non defuere; qui vindicandum ſibi ſcelus, ſed animo, quam fortuna majore ſuſciperent. Joannes ante alios Lapardas, Dux bello clarus; qui Belæ tunc Ungaro in Servia obſiſtebat, relicto illic Collega Brana Alexio, quod hic Andronico faveret, transgredi in Aſiam, bellumque illic in Tyrannum moliri conſtituit. At enim in trajectu maris reflante vento ab amicis Andronici comprehenſus, atque ab eodem adempto viſu in tenebras retruſus, cœptis excidit. Nihilo faventior fuit fortuna Nicææ, & Pruſæ præcipuis in Aſia Urbibus; quæ imperia Andronici averſatæ arma corripuerant. Producto in hos exercitu, oppugnandæ Nicææ initium Andronicus fecit; quam ſtrenue propugnabant Cantacuzenus Theodorus, & Iſaacius Angelus, poſtea Imperator. Hunc ad deditionem ut perpelleret Tyrannus, materno ſupplicio terrere voluit; quam Byzantio adductam, atque arieti, quo Urbs impugnabatur, alligatam dira inhumanitate telis propugnantium objecit; qui illam tamen non læſam, feliciter in Urbem rapuere. Acriter igitur diu Tyranni cupiditati, & crudelitati civitas obluctata eſt; ſed ea alacritas Cantacuzeni demum interitu reſedit; hic enim obequitantem prope muros conſpicatus Andronicum, generoſo ab Urbe procurſu prope erat, ut perimeret; ſed equo forte prolapſo effuſus, atque exanimatus ſpes una Urbis ſecum evertit. Itaque cives incerta bellorum veriti, ultimumque, ſi Andronicus vinceret, excidium, ad clementiam illius præmiſſo Urbis Præſule ſupplices acceſſerunt. Ac primum quidem omnibus, ipſique Iſaacio benignum ſe præbuit Andronicus; poſtea vero exiliis, bonorum direptionibus in plerosque Nobilium perbacchatus, ut victam ſe Urbs non ſciret modo, verum etiam ſentiret, effecit. Iniquior multo erat Pruſenſium fortuna: ii enim muri ariete ſtrati ruina nimium quam perculſi, ſegniusque reſiſtentes, ſpatium militibus dedere ſubeundi, ac Urbem hoſtilem in modum diripiendi. Quadraginta e Primoribus Urbis circum muros Andronici juſſu pependere. Atrox ante alios fuit Angeli Theodori adoleſcentis ſupplicium; qui erutis oculis aſello impoſitus, atque in fines Imperii perductus, ſibique uni relictus Turcorum adeo commiſerationem excivit. Lopadium quoque Urbs ab Andronico expugnata, eandem in ſe atrocitatem experta eſt; ubi ne Præſulem quidem Urbis religio texit, quo minus oculorum jactura ſuum in ſeditione ſtudium lueret. His rebus bello geſtis Byzantium rediit Princeps; atque ab adulatore illo populo feſtivis acceptus clamoribus, fortunatus ſibi, beatusque viſus eſt.

Sed brevi graviter eum perculit Iſaacii cujusdam e Ducarum ſtirpe (Iſaacii is Imperatoris Joannis filii, ex filia nepos fuit) in Cypro defectio; qui e captivitate ſub id tempus Turcica elapſus, ſeque in Cyprum Prætorem mitti mentitus, inſulæ illius Principatum arripuit; quem tam exquiſita in omne genus hominum crudelitate, tam fœda, effrænique luxuria adminiſtravit; ut non tam induiſſe per nefas Principem, quam hominem exuiſſe inſulanis videretur. Exſternavit Iſaacii Andronicum fama; in quem ob belli longinquitatem cum nihil poſſet, in Ducam Andronicum, itemque Conſtantinum Macroducam, tametſi in hac cauſa innoxios, quod cognatione Iſaacium attingerent, illiusque a Barbaris liberandi auctores fuiſſent, furorem effudit; lapidibus igitur medio in foro illius juſſu a populo obruti, periere viri Principes, exitio quidem illo, at non alia de cauſa, quam quod intimi Andronico, ſcelerumque ejus adjutores fuiſſent, digniſſimi. Cyprus inſula tam nobilis in Iſaacii manſit poteſtate; in qua inſanire atrociter ille perrexit, quoad denique illius ſceleribus Regnum tam illuſtre in perpetuum Græcis, ut dicetur, excideret.

Hac

A.C. 1185 Hac quoque gravior altera in Andronicum, & Græcos tempeſtas commota eſt, vindicante tot eorum ſcelera Numine, & inteſtina, quibus peribant, mala aliis, atque aliis exaggerante. Alexius Comnenus a priori illo diverſus itidem Imperatoris Manuelis ex fratre nepos, ab Andronico in Scythiam relegatus, illinc ad Gulielmum Siciliæ Regem profugit, ulturus ejus armis Andronicum, vique arreptum Imperium vi pariter extorturus. Infinita enim infelicis ejus dominatus ardebat apud Græcos cupiditas, quaſi ſumma beatitatis humanæ eſſet, Imperio tam fluxo potiri. Non multis ad perſuadendum Siculo bellum opus fuit: opimas jam antea prædas e Græcia Siculi egerant; tum vero ab Andronico cum cæteris Latini nominis acerbe, ut dictum eſt, in Urbe habiti vindictam, cædesque ſpirabant. Igitur trajecto in Græciam exercitu, averſis alio Byzantinorum animis, inteſtinisque iis turbis agitata Urbe, negotio pene nullo Gulielmus, & Dyrrachii, & Theſſaliæ, & Theſſalonicæ per Duces potitus eſt; quam Urbem tuebatur David Comnenus, muliere ipſa magis mulier, & ignavus. Urbs itaque Auguſto menſe deditione in Siculorum manus venit; in quam tamen non ſecus, ac vi expugnatam acerbe ſævitum, dirisque vexationibus extrema perpeſſi cives, animam cæteris omnibus amiſſis, retinuiſſe pro lucro habebant.

Interim, dum hæc in Græcia agerentur; cædibus, & ſanguine atrocius pene, quam captæ Urbes, Byzantium madebat, Andronici ſcilicet crudelitate non vel proximis, vel in ſcelere adjutoribus levi quavis de cauſa parcere ſoliti. Comnenus Alexius, & ipſe a Manuele, ſed ex ſceleſta Theodoræ illius conſuetudine ſuſceptus, ac Irenæ Andronici filiæ ſimili ex thoro per nefas progenitæ conjugio, proculcatis legibus conjunctus, conſiliorum aliquid in caput Andronici contuliſſe delatus eſt. Non effugit atrocitatem ſoceri gener; in exilium actus primum, mox etiam oculis orbatus natalium, conjugiique turpitudini finem conſentaneum invenit. Irene, quod maritum lugeret, ſevere a patre increpita, familiares Alexio effoſſis oculis in carceres conjecti, unus Mamalus etiam flammis triſti Urbanis ſpectaculo uſtulatus fuit. Denique Tripſichus ille acerrimus crudelitatis Imperatoriæ adminiſter, quod adverſus filium ejus Joannem quidpiam obmurmuraſſet, uſu oculorum ſpoliatus, in foveam, quam ſæpe multis antea ſtruxerat, infelix decidit.

Hiſce Andronici ſceleribus, Urbisque in illum odio præclare uſi Siculi, plura ſubinde Græciæ loca occuparunt; in quibus præcipui nominis Epidamnum, & Miſynopolis; quibus rebus tam facili opera perfectis, Byzantium ipſum prædæ deſtinabant, urgente ad id Alexio, qui in caſtris eorum fuit, Comneno; certumque expeditionis exitum pollicente. Objecerat equidem Siculis ſuos Imperator exercitus, Ducibus Joanne filio Imperatore deſignato, Andronico Palæologo, Theodoro Chumno; verum Joanne circa Philippopolim venatu, luxuque occupato, nihil pene in hoſtem illum Andronici quidem imperio geſtum eſt; qui interea Urbem velut ad proximam obſidionem ſtrenue communierat, quamvis mollis ipſe in locis ab Urbe remotioribus, & voluptuariis totum ſeſe in libidines effunderet; cujus & fœda id genus ſcelera, & præclaras alias animi dotes multis depingit hoc loco Nicetas. A) Erat enim Princeps ille ex contrariis, & pugnantibus inter ſe vitiis, ac virtutum umbris mire diſtortus, ac monſtro ſimilis; cujus membra quædam venuſta, alia miſere deformia, ipſa hac rei inſolentia magnum intuentibus horrorem ingenerant.

Cæterum non diu in ſcelere, & Tyrannide graſſari Deus ſivit Andronicum: ob cædes quotidianas, malaque hactenus memorata ingens jam illius apud populum, ſimulata ejus probitate antea captum odium increverat; augebant hoc ſiniſtri de bello rumores, denique crudeles, quædam deſignationes, & vana futurorum ſolicitudo in immenſum incenderant. Maximus virorum præſtantium in carceribus tunc gemebat numerus,

A) A pagina 169.

rus, eorum ſcilicet, qui non tam ob ſua delicta, quam ob eorum, quos Andronici crudelitas ſuſtulerat, propinquitatem vincti tenebantur. Coacto adulatorum cœtu Princeps de eorum ſententia atrox propoſuit edictum; quo ſupplicio capitis damnabantur omnes, quiqui in carceribus tum erant, velut clancularii eorum molitionibus exciti in arma fuerint Siculi; nec quieti per eos proſpectum ſatis eſſet. Manuel, quod carnificinæ huic nollet ſubſcribere, iram Andronici patris incurrit; cui juniorem is filium Joannem in Imperio prælatum volebat, velut non ſatis ad ingenium, crudelitatemque ſuam facto. Tam ſanguinaria in miſeros crudelitas, quæ exhauſtura pene nobilibus Urbem fuit, vehementer ab Andronico animos omnium abduxit. Acceſſit, quod in furorem denique cives abriperet, aliud, quod is aggreſſus eſt facinus: ſubierat illi nefaria magicas per artes (nam & ab his non abhorrebat) ediſcendi cupiditas; quisnam poſt ſe Imperium obtenturus eſſet? Id negotium Hagiochriſtophoritæ datum; qui evocato nocturnis quibusdam incantamentis malo Dæmone didicerat, a literis S & I illius inchoaturum nomen, qui Andronico ſuccederet; idque paucos intra dies perfectum iri. Confuſa res, & implexa, ut omnia tenebrionum illorum ſunt viſa; ita tamen accepta ab Andronico, ut Iſaacium quendam ſignificari crederet; nec major illi, quam ab eo, qui Tyrannidem in Cypro arripuerat, Iſaacio, metus erat; at breve intra tempus is adeſſe nequibat; obſtabat etiam Hagiochriſtophorites, ac Iſaacium Angelum, cujus ſupra mentio fuit, tollendum e medio ſuadebat; verum hic Iſaacius ob ignaviam nihil metus Andronico ingerebat.

Interea Andronico in locis voluptuariis extra Urbem commorante, veritus neſcio quid Hagiochriſtophorites, comprehendere Iſaacium illum conſtituit; arbitratu deinde Andronici necandum. Armatus proinde cum ſatellitibus illius ad ædem progreditur, ſeque e veſtigio ut ſequatur, imperat; externatus nuncio Iſaacius, ex deſperatione Hagiochriſtophoritam protinus interimit; ipſe vero ad Sophiæ ædem aſyli gratia refugit. Viri Principis attonita eo caſu civitas, in templum magno numero infunditur, ſuamque lamentanti ſorten, ac Andronici Tyrannidem incuſanti mœſta auſcultat. Cognatis dein Iſaacii arma arripientibus, civesque ad libertatem vocantibus, ingens in Urbe extitit ſeditio, quam literis, & promiſſis ſedare nequicquam conatus Andronicus, altero mane in aulam rediit. Ea interim nocte ergaſtula in Urbe perfringuntur, armatur ingens illa miſerorum manus, ac cum totam jam Urbem incendium illud corripuiſſet, populi multitudo, Iſaacio extrema omnia verenti, coronam quandam e pariete templi detractam imponit; tametſi deprecaretur ille dignitatem, de vita, quam corona ſolicitior. Adfuit furorem illum repreſſurus Andronicus; ſed demum multitudine adverſus paucos prævalente, a ſuis quoque deſertus, raptim e palatio familiarium quibusdam, ac duabus mulierculis Anna, quam ſibi per nefas copularat, & alia meretricula in navem aſſumptis, ne in tanto quidem præcipitio amorum oblitus ſuorum, in Tauro-Scythiam profugit. Illius cognita fuga Regiam perrumpit populus, multos auri centenarios, & ſupellectilem diripit; tum denique Iſaacium deinceps imperaturum incredibili fortunæ inter eos levitate in ſolio collocat.

Andronicus Chelen oppidum delatus celerabat interim fugam; verum non tantum homines, ſed & ventos, & mare adverſarios habuit; tentato nequicquam aliquoties curſu, in littus identidem ejectus, ac eouſque tentus eſt, dum ſatellites ab Iſaacio miſſi miſerum comprehenderent; gravi itaque catena collo, pedibus, ac manibus injecta, non Principis, ſed latronis, feræque beſtiæ in morem, in aulam, in qua tumidus antea ſeſe circumſpexerat, deducitur. Non facile alicui unquam Principum tam fœda, tam inhumana barbarie inſultavit populus, præut infelici huic Andronico; ut videatur omnis commiſeratio, bonique ſenſus deſultoriam eam Gentem deſeruiſſe. Eorum præcipuus

A.C. 1185 fuit furor, quorum ille cognatos peremerat; igitur in conſpectu Iſaacii excuſſi Andronico dentes, pulſatæ maxillæ, nates verberatæ, ac, quæ longum foret percenſere, inſolentiſſima quævis ludibria ad ſatietatem ingeſta. Sic vexatus infelix Princeps in carcerem truſus eſt; illic dies aliquot excruciatus, duodecimo Septembris die, ad novam producitur cataſtrophen; excuſſo uno oculo mulæ impoſitus per Urbem infinita inter ludibria circumducitur; alii verubus latera pungunt, aquam alii ferventem, aut recrementa in faciem effundunt; ac, cuivis ut collibitum eſt, atrociſſime inſultant. In theatrum perductus, duas inter columnas pedibus ſuſpenditur; hic rurſus carnificina recrudeſcit: nam ad innumera, quibus totum cruentabatur corpus, vulnera ne illis quidem membris, quæ pudor fari vetat, inſani pepercere. Inter tot acerbitates ne verbulo queri auditus eſt Andronicus; illa duntaxat ingeminans: Domine miſerere! itemque: quid calamum contritum infringitis? Hiſce rebus confectus, ægre demum toto corpore laniatus vitam abrupit, poſteaquam unum & alterum non plane completum annum Imperio ſolus præfuiſſet. Duos habuit Andronicus liberos, Joannem, & Manuelem; ad quorum utrumque infelicitas paterna continuo tranſiit. Joannes enim cognita in exercitu patris infelicitate a ſuismet Ducibus cæcatus, acerbo cum cruciatu animam brevi egit. Manuel vero in carcerem ab Iſaacio conjectus, atque itidem oculis orbatus eſt; tametſi nihil tale promeritus, & atrocibus patris ſui deſignationibus fere ſemper adverſus. Sed apud Principes purpuræ retinendæ ſolicitos ſæpe vel nomen ipſum, ac genus, quin imo poſſe ſceleratum fieri, pro ſcelere eſt. Manueli huic duo ſuperfuere liberi, Alexius, & David; & hic quidem turbatis poſtea Græcorum rebus, & Urbe a Latinis occupata, Paphlagoniam pro ſe Provinciam arripuit; Alexius vero Trapezuntinum, cui adminiſtrando præerat, occupavit Principatum; a quo multi primo quidem Ducum, dein Imperatorum nomine, ſerie non interrupta ad expugnatam uſque per Turcos Conſtantinopolim, & paulo diutius Trapezunti imperarunt. A)



FL.

A) Vide de his ſtemma Comnenicum in Familiis Byzantinis p. 158.

FL. ISAACIUS ANGELUS.





Saacii hujus commoda fuere initia, medium turbatiſſimum, exitus denique infelix. Data omnibus, qui ab Andronico ergaſtulis tenti erant, libertate, aliisque ab exilio revocatis, magna ſubito Procerum, & bellatorum manus auxit Urbem, & exercitum, ingensque adverſus Siculos omnia rapinis funeſtantes decertandi alacritas mentibus indita; quam, ut felicius promoveret Imperator, Branæ Alexio mandata exercitus ducendi cura, quadraginta auri centenarios, nervum belli præclarum, ad exercitum expedivit. Siculos e rerum ſucceſſu ſuarum, & ex abundantia rapacitas, rerumque neglectus perdidere. Urbem verſus illi contemptim ducebant copias, velut nullo victricibus eorum armis dehinc obſtituro; quodve caput ad perniciem fuit, copias plures im partes diſpeſcuerant. Primum igitur Branas juxta Miſynopolim deſidentes aggreſſus Siculos, Urbe etiam occupata fugavit; poſt vero in Demetrizæ campis metu, & luxu fractos furioſe aggreſſus aut cecidit plerosque, aut in flumen Strymonem præcipites jecit. Fuere in captivis præter plurimos Richardus, & Balduinus Duces, ſed & Alexium illum, Siculici hujus belli auctorem, ſecurum jam Imperii, & hiantem fortuna deſtituit captum a Græcis, & cæcatum. In reliquos Siculos circa Theſſalonicam prædis agendis intentos furorem effuderunt incolæ, plurimis eorum interfectis. Denique claſſis Sicula, eorumque infelices reliquiæ fugam Italiam verſus arripuere; neque illam ob maris, ventorumque acerbitatem, damni expertem. Decem in univerſum Siculorum millia bello illo cæſa memorantur, quatuor vero capta; qui per diverſa diſpertiti ergaſtula, cum alimenta illis a Principe de publico negantur, inedia plerique contabuere, fruſtra agente per literas Gulielmo Rege, eamque inhumanam barbariem Iſaacio objectante; nihil enim victoria inſolentius eſt, etſi neceſſario ad fortunæ inconſtantiam reſpectu nihil illa humanius, nihil moderatius eſſe conveniat. A) A.C. 1186

Bello hoc perdurante Siculo, & viribus Imperii eo averſis, a Sultano Iconienſi damnum illatum eſt haud leve; Provincias enim milite va-

A) Iſaacii res geſtas tribus libris complexus eſt Nicetas; de quo hæc in ſummam coacta.

A.C. cuas valido aggreſſus cum exercitu populationem late circumtulit, non
1186 niſi munerum, & penſitationis pactione a graſſando abductus. Nec magis arriſit fortuna in ea, quam adverſus Cypri Tyrannum Imperator inſtituit, expeditione: nullis ille vel promiſſis, vel minis ab occupata Tyrannide, & exquiſita in inſulanos crudelitate abſtrahi cum poſſet, ſeptuaginta navium claſſem eo expedivit Iſaacius, Ducibus Joanne Contoſtephano, & Alexio Vataze, quem excæcarat Andronicus; quive, quod conſanguinitate Iſaacium attingeret; quamvis nulli per cæcitatem rei aptus, ſat tamen aptus bello gerendo viſus eſt; ſed a cæco Duce nil niſi confuſe, ac temere geri potuit; excenſione improvide facta circumventi a Tyranno Imperatorii, plerique cum Ducibus captivi fuere; in quos immaniter graſſatus eſt Tyrannus, eaque victoria ſuum in inſula dominatum firmavit.

1187 Ut vicinius, ita moleſtius multo, multoque periculoſius cum Blachis Hæmi, & Bulgariæ incolis, atque adeo cum Gente ipſa Bulgarica Iſaacio bellum fuit. Sumptibus per bella exhauſtus, cum ad nuptias priore elata conjuge animum adjeciſſet, deeſſentque ad magnificentiam opes, tributis ea cauſa vexare populos cœpit. Allata Iſaacio in conjugem inde ab Ungaria tum fuit Margareta Regis Belæ III. filia; cui Mariæ nomen ex more peregrina immutandi nomina Græcis tum ſolemni inditum eſt. Itaque cum Bulgari abactione pecorum, aliisque modis ad penſitationes adiguntur, Ducibus Petro, & Azane fratribus, ac in aula ab Iſaacio per contemptum rejectis, arma corripiunt; ſeque de violentia Græcorum egregie ulciſcuntur. A) Reprimendis illis Imperator ipſe ab Urbe progreſſus rem ſat proſpere geſſit, fugatis iis, ac in montium, quæ creberrimæ illic occurrunt, anguſtias retruſis; illi partim in latibula, arcesque ſuas reconditi, partim Iſtrum fuga transgreſſi, metu belli Imperatorem liberarunt; ut miſſa longiore in eos mora Urbem victor repeteret. Remoto hoc a cervicibus metu, turbidi illi populi e latibulis ſuis effuſi, ac Scytharum copiis adjuti, urgere porro perduellionem, Thraciamque rapinis cruentare perrexerunt. Imperatoris patruus Joannes bono cum ordine, & ſucceſſu in eos progreſſus, at ob ſuſpiciones quasdam ab Iſaacio revocatus, promovit nihil. Tum Cantacuzenus Joannes, cui Imperatoris ſoror nupta erat, olim ab Andronico cæcatus, inaudito ad hanc diem exemplo univerſo exercitui præfectus eſt. Quid a cæco expectari Duce aliud, quam præceps in foveam lapſus potuit? Bulgari nocturna in exercitum impreſſione, cum nec proviſum antea caſtris per cæcum Ducem eſſet, nec jam per cæcam noctem provideri poſſet, in trepidationem, & fugam exercitum conjecere; ita caſtrenſis omnis ſupellex Bulgaris in prædam ceſſit; qui ea collecta, Azaneque, & Petro regium in morem exornatis, Bulgaricum reſtituere Regnum pro virili adniſi ſunt

1188 Comprimendæ huic ſeditioni, Branas ille Alexius, nupera de Siculis clarus victoria, exercitui ab Iſaacio præficitur; ſed ſucceſſu qualem a Duce, & rebus bene geſtis tumido, & inſana dominandi cupiditate dudum incenſo expectare poterat; fere enim clari in eo Imperio Duces, non aliud virtuti præmium, quam purpuram, coccineosque calceos expectabant; infra meritum eſſe ſuum quidvis rati, quod infra cupiditatem pene infinitam eſſet. Branas itaque moderate, fortiterque bellum in Bulgaros exorſus, ſed corruptis repente militum in exercitu animis Imperator acclamatus, quem ab Iſaacio acceperat, in eundem incredibili levitate exercitum vertit. Obſeſſa igitur Urbs eſt, Iſaacio pene in deſperationem acto; fere enim quod roboris fuit, cum Alexio in Bulgaros ierat; ſed & Provinciæ Orientales juxta, & Europææ ſtudebant Branæ; Urbana tamen multitudo pro Iſaacio fuit; qui Divina magis fretus ope, Dei Genitricis, quæ Hodegetria dicta eſt, imaginem hoſti in muris objecit; ipſe vero palatio abditus monachorum precibus eam propulſare perniciem adniſus eſt.

Erat

A) Præter Nicetam, agit de his Georgius Acropolita p. 8.

Erat tum in Urbe Conradus, Monferratenſis Marchionis Gulielmi fi- A.C.
lius, ſibique ſororem Iſaacii paucos ante dies in conjugem deſponderat; 1188
Cæſaris ob id dignitate auctus, vir animi juxta, & virtutis excelſæ; qui cum Imperatorem in ſacris ejusmodi armis omnem reponere defenſionem cerneret, ſapienter admonuit; in hoſtem non dextra ſolum, ſive ſacris, ſed ſiniſtra quoque, ſeu profanis armis bellandum eſſe. Itaque re militari ſibi ab Imperatore delata, Conradus quidquid militum poteſt, in Urbe contrahit; homines Latini nominis, Siculosque ergaſtulis eductos armis inſtruit; ac valida brevi confecta manu eruptionem in Branam, Urbi velut jam jam caſuræ inhiantem, generoſe inſtituit. Concurſum acriter prope Urbem ipſam eſt; ac tametſi Conradus numero ſuorum longe eſſet inferior, & alacritate tamen, & prudentia illius factum; ut perduelles in fugam verterentur. Conſpecta ſuorum fuga Branas, & Conrado ne galea quidem, ac thorace protecto, in ſpem venit reſtituendi cæſo Duce prælii, Urbisque continuo occupandæ; verum caſſo in Conradum ictu elatus, ac ab eodem haſta transfixus occubuit. Caput ejus reſectum, inter ludibria diu ſpectatum, lectiſſimæque ejus e Comnena ſtirpe conjugi oblatum eſt; caſtra perduellium a milite non minus, quam a cive direpta; profugis autem omnibus venia a Principe indulta; quorum Primores cum ad clementiam Imperatoris rediiſſent; jubebat eos ad Patriarcham progredi, & ea, quam perduellione contraxerant, labe animos purgare; quam Principis religionem ſecuti alii, alii etiam cavillo inde, quod Iſaacius olim Clero nomen dediſſet, detorto perſtrinxere; ita nec armis, nec beneficiis reduci ad frugem indomiti illi, & ad turbas, ſceleraque projecti animi valuere.

Victoriam iſtam, clementiæque laudem neſcio, quo actus vindictæ ſtudio, brevi Imperator corrupit; quippe data Urbico exercitui poteſtate eorum diripiendi ædes, & facultates, qui perduellibus ſe admiſcuerant, ab infima plebe, militibusque Latini nominis multorum opes direptæ ſunt; atque ſuburbanis ædibus, quæ Branam ſecutæ erant, ignis injectus. Nec citra cædem nonnullorum, quam victoris militis plerumque affert graſſatio, ea exercita eſt vindicta; qua cæteri offenſi cives, in Latinos velut mali tanti auctores, verterunt arma; ita rurſus media in Urbe certatum eſt; quam contentionem ægre demum viri nobiles ab Imperatore miſſi compreſſere. Sic enim ceu vertigine præ ſenio correpta Urbs, ac ſibimet gravis in præcipitium magis, magisque defluebat.

In Bulgaros Scythicis adjutos auxiliis, Scythicoque pro more fugi- 1189
tando, & omnia corrumpendo belligerantes uno, & altero anno Iſaacius exercitum duxit; qui utut rejecti non ſemel, damnisque nonnullis affecti ſint; reddebant tamen ſtrenue Græcis vicem, & omnia circa Philippopolim vaſtando Imperatoris molimina acriter ſufflamminabant; cum & Regionis ingenium montibus, viarumque anguſtiis implexum pro tumultuantibus faceret, & Imperator ipſe ad loca circa Byzantium voluptuaria, circique ſpectacula identidem recurreret; ſpatiumque novandi, ac turbandi ſeditioſis daret. Multum quoque rebus attulit detrimenti Conradi illius, voti exſolvendi cauſa ſuſcepta in Palæſtinam profectio; ubi ille res poſtea geſſit admirabiles; cujus viri tam ſtrenui ductu res Imperatoris abs dubie feliciter aſſurrexiſſent. Atque ita Bulgarica hæc defectio complures tenuit annos; quo factum, ut Regio illa non tam Provincia eſſet, quam deſertum latronum ſpelæis confertum; donec denique iidem turbarum auctores plenum Bulgariæ dominatum, procumbentibus magna mole Græcorum rebus, ſibi aſſererent.

Non parvam bello huic remoram attulit Theodori cujusdam in Aſia perduellio; qui Urbem Philadelphiam primum, mox Lydiam Provinciam ad defectionem traxit. Obſedit igitur Iſaacius Philadelphiam, cumque ob firmitatem potiri loco nequiiſſet, data omnibus, ipſique Theodoro impunitatis venia, ſic tamen; ut ad privatam is vitam rediret, Urbem

A.C. 1189 in gratiam recepit. Regreſſum ad ingenium Theodorum, ac turbas molientem Baſilius Vatazas ad Turcos denique profugere compulit.

Inter domeſticas haſce turbas gravior ſubito exorta eſt ab exteris procella; expeditio nempe Friderici Imperatoris in Palæſtinam, cujus profectionis cauſas brevi cognoſſe juverit. Amaurus, cujus ſupra mentio fuit, Palæſtinæ Rex, Balduino filio id nominis inter eos Reges quarto, Regnum moriens liquerat; qui quod per valetudinem gerendis rebus non eſſet, Proceresqne inter ſe diſcordiis fluctuarent, Saladinus magni vir animi, Ægyptius Princeps diducebat ſenſim Imperii ſui fines, atque Palæſtinæ Regnum in plures etiam Principatus, & Principes diſſectum, identidem vellicabat; nec leves Balduino hoc regnante a Chriſtianis acceptæ clades; quoad is in flore ætatis quinque, & viginti natus annos, Regnum ſuo ex ſorore Sybilla nepoti, itidem Balduino tredecim tantum annorum puerulo relinqueret. Exorta inter Raimundum Tripolis, & Galilææ Principem, ac inter Guidonem Luſignanum, qui ſororem defuncti Balduini Sybillam habebat conjugem, de adminiſtratione Regni contentio atrox peperit diſſidium; quod demum morte pueruli illius in ſanguinariam crudelitatem, perfidiam, proditionem, cum Hieroſolymorum in manus Barbaricas prolapſu degeneravit. A) Raimundus quippe velut conſanguinitate Regibus defunctis junctus, ad ſe trahebat ſucceſſionis jura; contra vero Sybilla ad fœmineum illa ſexum retrahebat; nec denique invitis Proceribus coronata, marito quoque in conſortium Regni adſcito Raimundi ſpes evertit. Quod itaque Procerum ſtudiis nequibat, Barbaricis aſſerere ſibi Regnum armis decrevit Raimundus, promiſſo quoque ad Mahometi inſaniam tranſitu; ſi Saladinum ea in re adjutorem nanciſceretur. Nihil Saladino ea optatius fuit perfidia; validiſſimo proinde ſuorum exercitu bellum Palæſtinæ infert. Chriſtiani nominis labes Raimundus non contentus evocaſſe in Luſignani perniciem Saladinum, inſuper florem omnem Chriſtianitatis illius Barbarico objicere ferro penſi non habuit. Igitur ſimulato publicæ rei ſtudio in eo, quod de reſiſtendo Barbaris Principes habuere, conſilio auctor magnopere fuit; ut educto ex Urbibus omnibus præſidio contraheretur virium quidquid ſupererat, uniusque dimicationis eventui res ſumma permitteretur. Ita enim & ſuperandas facilius Barbari copias; & Urbium incolumitati, quæ obſidioni ferendæ pares haud eſſent, conſultum iri. Ignari verſutiæ hujus reliqui facile in ſententiam eunt; & ex omni Palæſtina copiæ in unum contrahuntur; nec contemnendum duodecim equitum, ac viginti millium peditum exercitum conficiunt; eidemque illi proditori ceu locorum, & bellorum magis gnaro, ducendum in hoſtem tradunt. Bellum vero cuſtodem ovium lupum! Raimundus Tiberiadem verſus promotis caſtris in ardua, præruptaque loca eadem intulit; ubi primum quidem Templarii milites ſtrenue hoſtem aggreſſi, atque ab eorum multitudine circumfuſi, aut capti omnes ſunt, aut cæſi; Raimundo nihil eorum periculis opitulante; tum vero reliquus exercitus, præoccupato undique exitu, horribili laniena a Barbaris cæſus eſt; Rex ipſe Luſignanus cum Marchione Montisferrati Gulielmo, ac primis Procerum captus; Raimundo cum quibusdam perfidiæ, quod ſolum inde retulit præmium, fuga a Barbaris conceſſa. Ab hac victoria nihil pronius erat Saladino, quam Urbes præſidiis exhauſtas in poteſtatem accipere. Itaque Ptolemaidis Urbis ob vicinum mare opportuniſſimæ intra biduum potitur; tum alias omnes excepta Tyro, Tripoli, & Aſcalone occupat; denique Hieroſolymas admoto exercitu brevi ad deditionem compellit. Reginæ, & Chriſtianis Occidentalibus datum a Barbaro; ut ſarcinis tantum ſuis onuſti Urbe egrederentur; ſicque ſacrata illa Chriſti veſtigiis Urbs tanto olim Chriſtianis ſanguine quæſita, tanto defenſa, poſt octogeſimum, quam occupata

A) Agunt de his Latini Scriptores, Gulielmus Tyrius; qui his interfuit l. 21. Chronicon Gervaſii. Guilielmus Neubrigius in Annalibus. Godefridus monachus in Annalibus &c.

pata erat, annum, ob infelicem Principis unius ambitum in manus de- A.C.
nique Barbaricas decidit. Nec diu ſceleri tanto ſuperfuit Raimundus; 1189
cum enim videret, Saladinum nihil minus agere, quam ut ſcelerata illa pacta conventa in rem conferret, Tripoli ex animi cruciatu, mœroreque interiit.

Poſt hæc Regina, data Urbe Aſcalone, conjugis, & Templariorum Magiſtri libertatem a Saladino emit; atque Tripolim, quæ ſola jam Urbs in poteſtate ejus fuit, commigravit; Tyrus enim, cum illo perveniſſet Conradus, cujus ſupra in defenſando Iſaacio præclaram conſpeximus operam, eidem ſeſe ſubjecit, ut ab imminente Barbaro eam vindicaret; & vero præſtitit hoc tam fortiter Conradus, ut omnes Tyro oppugnandæ vires fruſtra Saladinus effuderit. Obtulerat ille pro Urbe obtinenda patrem, quem in vinculis habebat, Conradi; verum a Conrado generoſe rejectus, atque diſcedere coactus eſt; Conradus vero capto quodam præcipui nominis Barbaro, permutatione facta patrem quoque ſuum libertati aſſeruit.

Florentes ante Chriſtianorum in Palæſtina res, cum in arctum hoc modo coactæ, ac pene pro deploratis eſſent, in omnem ſe verſabant partem Pontifices Romani; Clemens præſertim tertius, afflicto ut Orienti inde ab Occidente opem porrigerent. Itaque ſtimulati rurſus literis Principes, largitiones ſacræ populis propoſitæ, multique eum in finem Conventus habiti. Gulielmus Tyri Archi-Epiſcopus geſtis non minus rebus, quam ſcriptis celeber, obibat Regum aulas, opemque afflictis poſcebat. Philippus Auguſtus Galliæ, & Richardus Angliæ, qui tum in Normannia armis inter ſe diſſidebant, Reges conventi a Gulielmo ſunt, abolitisque diſſenſionibus feliciter ad opem ferendam invitati. Atque illi paratis validiſſimis claſſibus expeditionem mari poſtea ingreſſi ſunt; quos tamen magnæ aliæ claſſes, magnaque militum e Dania, Anglia, Sicilia, Calabria manus in Palæſtinam præceſſere.

Confecto hoc feliciter negotio, ad Fridericum contendit Gulielmus; ubi non minus eventus voto reſpondit; Fridericus enim Imperator labis illius, quam exercitis diu cum Pontifice ſimultatibus contraxerat, delendæ in frequentiſſimo Principum Germaniæ Conventu crucem cum ſuorum præcipuis aſſumpſit, maximisque ex tota Germania centum ſcilicet, & quinquaginta millium paratis copiis terreſtri itinere per Ungariam, Thraciamque in Orientem profectus eſt. Sequebantur Imperatorem Fridericus ejus filius Dux Sueviæ; Leopoldus Auſtrius; tum Principes Germanici ſexagenis plures. Exceptos perhumane Bela Rex Ungariæ, commeatuque adjutos Belgradum uſque deduxit. Tum vero difficile per Bulgariam iter fuit, Provincia populorum defectione tunc diſcerpta, & latrociniis plena. Per Joannem Ducam, Legatum ſuum ita cum Friderico Iſaacius convenerat; ut Græci ubivis annonæ, quantum ſatis eſſet, Germanis ſuppeditarent; invicem iſti omni abſtinerent injuria. Ac felicia erant progreſſionis hujus initia; ut vero propius Philippopolim iter fuit, Joannes idem Ducas, & Cantacuzenus Andronicus, Friderico deducendo miſſi vanis Iſaacium ſuſpicionibus compleverunt; jam antea formidantem Germanos, Imperioque metuentem ſuo, ac forte etiam (quod Latini prodidere) cum Saladino, & Iconii Sultano clam colludentem. A)

Nihil deinceps inter eos amicum fuit; Iſaacius, ut hæc a Niceta, qui Philippopoli tum Præfectus erat, in hiſtoriam relata ſunt, omnes viarum occupari anguſtias, præſtrui materia, & armatis hominibus, tum itinera ubivis habere infeſta juſſit; Manuelem vero Camyzen acriter cum exercitu profectioni obſiſtere. His Fridericus intellectis, vim vi repellit, occupat Philippopolim, ac perruptis levi negotio obicibus, in Græcos exercitum

A) Id quidem non affert Nicetas; at cætera Iſaacii in hoc genere vitia, fraudes, vanitatem, animi impotentiam ſcite expingit a p. 211.

A.C. citum promovet. Nec tamen deprecari bellum idem deſtitit Fridericus,
1189 non Conſtantinopolim, ſed Palæſtinam armis ſuis propoſitam ſancte teſtatus; at enim Iſaacius vanus una, & imbellis obſtabat identidem, extremum Germanis exitium comminatus; in quam pertractus eſt mentem a Doſitheo quodam Veneto, Studiani tunc aſceterii monacho; hic Iſaacio olim Imperium prædixerat, tunc vero vaniſſimus vates prædicabat omnino fore, ut armatus Byzantium irrumpat Fridericus; at in ipſo tanti operis molimine fœde ab Iſaacio intereat. Pro oraculis verba impoſtoris hujus Iſaacio fuere; quem is tribus ex ordine Patriarchis Baſilio, Niceta, & Leontio breve intra tempus non alia de cauſa, quam quod ita ipſi collibuiſſet, ſubmotis, demum in apice Sacerdotii illius collocare voluit; ſed Clero acriter obluctante perficere incœptum omnino nequit. Tam videlicet ſancte ſumma illa, ut prædicabant, ſacraque apud Græcos dignitas habita eſt.

Manuel Camyzes Protoſtrator A) Germanos fraude oppreſſurus, delectos bis mille equites ſilentio Philippopolim verſus ducit; reliquum vero regredi exercitum jubet; at prævenere aſtum Germani; duobusque illis millibus probe mulctatis, reliquum adeo metu complevere exercitum, ut is maximis retro itineribus profugeret. Vix tandem a ſuismet Proceribus eo propelli Iſaacius potuit; ut Legatos Friderici contra jus, fasque detentos remitteret, B) atque ad concordiam animum referret; tum quoque inepte vaticinatus, Fridericum ante Paſcha periturum. Deriſit vanitatem Græci Principis Fridericus; atque exercitum, quod autumnus præcipitaret, vel invito illo in hyberna per Provincias diſpeſcuit.

1190 Tandem conventum inter eos: ut Iſaacius datis etiam fidei ergo obſidibus, annona ſuppeditata ſuismet Germanos navibus in Aſiam transferret; contra Fridericus daret operam, ne detrimenti aliquid ea Germanorum profectio adferret; ſicque miſſis ultro, citroque muneribus ineunte vere exercitus ille in Aſiam traductus eſt. Inſtituto Laodicæam verſus itinere, atque a civibus ſumma illic humanitate exercitu refecto, arbitrabatur Fridericus, nihil ſibi cum Turcis fore negotii, quod Sultanus Iconienſis amicitiam per Legatos detuliſſet. Verum Barbari priorum memores expeditionum, & fortunæ, ad flumen Mæandrum vellicare primum incurſionibus Germanos, mox etiam magnis exercitibus a fronte, a tergo laceſſere, atque illud habere propoſitum, ut in locorum anguſtiis deprehenſos obruerent. Fridericus hoſtes iſtos primo ad Philomelium cecidit, Urbe quoque ſubverſa; dein inter convalles delapſus, cum ceu adparatam illi prædam incurrerent, aſtu excepit, ac vicit; poſtremo ad Urbem Iconium acri prælio profligavit, plurimis Barbarorum enectis, Urbeque ipſa inter dimicandum occupata. Eodem quippe tempore Fridericus pater in campo adverſus exercitum hoſtilem, Fridericus vero filius in eos, qui ab Urbe procurrerant, certavit; eosque in terrorem actos inſequutus, atque in Urbem poſt eos infuſus eſt; ita utrobique maxima Turcorum cædes extitit.

Sultanus, qui in arcem ſe ſubduxerat, de conditionibus pacis cum Friderico egit; nec ea invite ab Imperatore profectionis tam longinquæ memori accepta fuit; igitur datis a Sultano obſidibus, & commeatu, quieteque capta opulentum prædis exercitum in Armeniam minorem abduxit; ubi a Livone Regionis Chriſtiano Principe honorifice & pro Imperatore acceptus eſt. Jamque fama tantarum rerum Orientem pervagata ſpe Chriſtianos, metu Saladinum compleverat; cum res minime proviſa tantas expectationes cum incredibili jactura momento abrupit. Cum per Ciliciam iter eſſet, epulis ad Cydnum flumen captis, cupido ſubierat Fride-

A) Protoſtratoris dignitas apud Græcos eadem erat, quæ ſupremi in aula ſtabuli Præfecti; nec raro integris exercitibus præficiebantur. B) Latini Scriptores ajunt: ab Iſaacio Legatos Imperatoris, viros Principes vinculis fuiſſe oneratos; At Nicetas, in cujus ſcriptione nihil apparet fuci, detentos tantum prodidit; eaque affectos contumelia, quod diu detectis capitibus adſtare coram Iſaacio debuerint.

Fridericum, abluendi in eo amne per æſtivum calorem corporis, immemorem periculi illius, quod pari ex cauſa Alexander quondam Macedo eodem in amne adierat. Limpidiſſimus inter umbras, recensque amnis ſuopte ingenio ad lavandum invitabat Imperatorem; qui demum amœnitate illa victus in aquas ſe jecit; id vix etiam factum, obſtructis ſubito corporis meatibus linqui animo, mergique cœpit; ereptus tamen, atque ſibi redditus, poſt brevem vitæ moram cum ingenti luctu, & conſternatione exercitus diem obiit extremum; Princeps ob animi magnitudinem, ob bella feliciter geſta, ob exitum denique tam inſperatum cumprimis memorandus. A) A.C. 1190

Ab interitu Imperatoris ſumma in exercitu auctoritas in Friderici ejus filium devoluta eſt; qui iter a rerum inopia, Turcorumque incurſibus infeſtum emenſus, Antiochiam demum tenuit. Illic major etiam illata Germanis calamitas: ingens rerum in ea Urbe copia exercitui, fame tantum non enecto, in perniciem vertit; avidius expleti eſcis milites, morbis primum, mox etiam lue correpti, exhauſtique ſunt; ut Tyrum ingredienti poſtea Friderico non niſi ſeptem peditum millia, & ſexcenti equites e tam florenti exercitu ſupereſſent. Tyro Ptolemaidem itum eſt; quam Urbem ingens Chriſtianorum e Danis, Italis, Anglis, Gallisque jam antea terra, marique urgebat Duce Luſignano Rege exercitus. Sed aderat obſeſſis cum majore exercitu Saladinus; igitur in annos tres inter plurimas rerum viciſſitudines ea extracta eſt obſidio. Fridericus morbo correptus non diu in vivis fuit; laborantibus vero Chriſtianis, Reges duo, Philippus Galliarum, & Richardus Angliæ ſinguli maximis cum copiis, plurimorumque Chriſtianorum ex omni parte affluxu ſubvenere; ac in tantum ſuſtulerunt Chriſtianas vires, ut centena facile horum millia numerarentur. Richardus in progreſſu, quod naves vento disjectæ male ab Iſaacio Cypri Tyranno vexatæ fuiſſent, inſulam cum exercitu aggreſſus eſt, & crudelem illum, ignavumque Principem non modo aſſerta inſula debellavit; verum etiam vinculis oneratum abduxit. B) Inſula hæc tam nobilis a Richardo poſtea Regi Luſignano data eſt, ac in perpetuum Græcis deperdita.

Ptolemaide Chriſtiani deditione occupata, cum Saladino acri 1191
conflictu decertarunt; in quo Regis præcipue Richardi inſigni virtute depreſſæ Barbarorum partes; ita ſunt, ut quadraginta fere eorum millia delerentur. Nec dubium, quin ſi victoriæ inſtitiſſent Chriſtiani, & Hieroſolyma, & Palæſtina omni potiti eſſent; ſed cum captis Urbibus reficiendis, ac muniendis lentius inſiſtunt: dum procellis diſſenſionum Principes inter ſe fluctuant: dum æmulatio Gentem unam in aliam accendit; elapſa manibus occaſio eſt, non facile reditura. Subitanea quoque Reginæ Sybillæ ſine liberis mors, atque etiam Conrado illata per ſicarios nex rerum faciem invertit; quippe Conradi conjugi Iſabellæ, quam is in Palæſtinam veniens duxerat, Sybillæ illius ſorori, jure ſanguinis Regnum debebatur. Hanc igitur Henrico Campaniæ Duci nepoti ſuo Rex Angliæ nuptum locavit, titulos eidem Regios allaturam. Luſignano autem Cypri ab eodem Regnum eſt attributum; quæ res nequaquam omnibus probabantur. Diſſidiis igitur cum res Chriſtianæ agitarentur; plurimi Regis Richardi importunitate adacti, atque in his Galli cum Rege, ac Germani Occidentem repetierunt; Saladinus contra bello ſtrenue inſtaurato effecit demum, ut opimas pacis conditiones a Rege Richardo cum morbo conflictante obtineret; inter quas erat: ut occupatas poſt Ptolemaidem Urbes demolirentur Chriſtiani, reliqua Palæſtina cum Urbe Hieroſolyma in Barbarica poteſtate relinqueretur; neque tamen peregrini ab ea Urbe Chriſtiani manipulis haud magnis eo progreſſi arcerentur, induciæ in triennium, & trimeſtre eſſent. Ita tantorum moliminum vix aliquod

 ruſſus

A) De Friderico multis, & magna cum laude hæc exequutus eſt Nicetas. B) Meminit hujus præter Latinos jam citatos Nicetas quoque.

A.C. rursus fuit operæ pretium, Deo sanguinaria Christianorum inter se odia, ac scelerum in tanta multitudine illuviem plectente; eoque faciente palam, Christianis virtutum, quæ Deus-Homo reliquit, vestigia magis consectanda esse, quam pedum; nec tam armis fidei sinceritatem, quam vitæ probitate testandam; & denique sanctitatem inferendam loco magis, quam e loco exspectandam; sed ad Isaacium turbis suorum pene discerptum narratio redeat.

1192 Cum enim ignave una, parumque prospere præesse Proceres Isaacium cernerent, ejusdemque illius exemplo tam subito in apicem illum provecti nihil mediocre saperent, factum est; ut assiduis pene conjurationibus impeteretur Isaacius. Impostor quidam Alexii illius ab Andronico Tyranno cæsi tam dextre personam in Asia simulaverat; ut imponeret plerisque, atque negotium Imperatoriis Ducibus, ipsique Alexio Isaacii fratri faceſſeret; demum a quopiam e famulatu suo interfectus. Eandem in se personam alius quidam nebulo, exercitu perinde seditiosorum auctus recepit; verum a Theodoro Chumno victus, cæsusque est. In Urbe quoque Isaacius Comnenus, Andronici illius Tyranni ex fratre nepos, elapsus carcere, atque in ædem Sophiæ tumultui concitando profugus turbas dederat; verum captus ex cruciatu nimio, ut socios pandaret, interiit. A) Postea Tatitius Constantinus perinde factiosus oculorum jactura punitus est. Andronicus quoque Comnenus, Cæsaris Bryennii, & Annæ illius Comnenæ ex Alexio filio nepos, novarum delatus rerum, oculorum cladem pertulit. Alexius vero Andronici Tyranni nothus, primum in monachum detonsus, mox aulæ redditus, dum concitandæ in Isaacium seditioni Sophiæ ædem tumultu petit, captus perinde, visuque orbatus est. Tantus, tam fluxæ dignitatis ambitus, an magis insana quædam animi intemperies miseros excruciabat. Quamquam negari nequit, vanis quandoque actum suspicionibus Isaacium supplicia ejusmodi irrogasse; sic Constantinum Aspietem exercitui in Bulgaros Præfectum cæcari jussit; quod is scripsisset Imperatori: fieri non posse, ut exercitus geminis simul cum hostibus Bulgaro, & fame conflictetur. Atque ita Princeps ille jurijurando, quo se in aditu Imperii obstrinxerat, tunc stetit; nullius videlicet, quantumvis in se aut Rempublicam delinqueret, vitæ, aut membris nociturum. Verum pollicitatio ejusmodi, ut insipiens fuit, ita nec religiose observata.

Urgebant occeptam semel seditionem Cumanis quoque in societatem accersitis Bulgari. Imperator exercitu in illos producto, cum ferarum ritu in saltus eos dispergi, inde vero furiosius carptim erumpere cerneret; re nulla gesta memorabili, quod nec anni tempestas bello esset opportuna, reditum adornarat. Inter valles, montesque ea fuit profectio, quam per ardua montium Bulgari assectabantur, atque terrorem importuni comites assiduum ingerebant; nec intra terrorem res stetit: parte exercitus una e saltibus emergente, alteram, in qua Imperator erat, adorti, ingenti strage cædunt; ut vix eluctari ab anguſtiis Imperator cum paucis quiverit. Acceptæ ut cladis aboleret dedecus Princeps, rumorem de victoria ab se obtenta spargi in Urbe jussit; subitaque ea lætitia populum perfudit; quæ si non mitigaret penitus animos, at certe primos illos ex dolore impetus comprimeret.

1193 Ignaviorne enim, an vanior hic fuerit Isaacius, non facile affirmes; cui cum multæ se res adversæ darent, nihil tamen, quam victorias, & triumphos loquebatur; adhæc Imperium in triginta, & ultra annos sibi protractum iri somniabat; tum, quidquid in Oriente Barbarorum esset, armis suis debellandum; Imperii limites extensurum ultra Euphratem; Hierosolymam denique cum gloria occupaturum; cumque insanas ejusmodi spes ad remotissima vane exporrigeret, ea, quæ ante pedes erant, securus negligebat; certe sub postremos Imperii annos omni pene publicæ rei

A) Hæc sparsim, & multis Nicetas a p. 282.

rei administratione in alios translata, in aulam, luxumque se totus abdi- A.C.
dit. Et primo quidem Theodorus Castamonites, illius avunculus, senex 1193
tantum non delirus Rempublicam pro arbitratu tractabat. Post hunc vero per quemdam puerum Isaacio in deliciis, munia omnia, Magistratusque, ac rescripta veniebant; cum interea Imperator epularum, balnearumque deliciis pene diffluēret; & hoc demum arbitraretur, esse imperare, voluptatibns pro ingenio expleri. Hæc tamen, aliaque ejus, quæ brevitatis studio præterimus, vitia, virtutes quasdam, si misceri tamen ex vero hæc possunt, habuere permixtas. Nam in extruendis sacris ædibus munificus, in egentes, ac cives liberalis, clemens in supplices, facileque placabilis sæpe apparuit. Huic tam vario, tamque ex contrariis composito vitæ generi exitus plane is, qui in ea ingeniorum levitate expectari poterat, respondit.

Cum a victoria jam memorata majora molirentur Bulgari, Nissam- 1194
que, Philippopolim, Anchialum, & Varnam aut infestarent acriter, aut etiam diriperent, magnis subito auctus animis Imperator in eos movit; instauratisque locis iis, ac Barbaris depulsis, quin Serviæ quoque Principe ad Merobum amnem superato, ad socerum suum Regem Belam in Ungariam contendit. Credibile, de auxiliis Belam socerum ab Isaacio adversus Bulgaros sollicitatum esse; nam & submissorum postea per Urbem Vidinam a Bela auxiliorum mentio occurrit. Interea rebus utcunque sic pacatis, & Angelo Constantino juvene quidem, sed bellatore strenuo exercitui ejus oræ Præfecto Byzantium rediit. Non segniter Dux ille Provinciam fungebatur suam, seditiosis sæpe insigniter coercitis; sed ingenium nactus Græcanicum, succesſuque rerum inflatus, de invadendo adversus patruum Imperio ferox juvenis somniare cœpit; captus tamen ab iis ipsis, qui conjurationi in speciem assensi erant, atque Imperatori oblatus, cæcitate temeritatem luit. Sic enim inter eos, ut virtute quis, & rebus gestis, ita ambitione, & insano regnandi furore eminebat.

Et Isaacii in irrogandis pœnis præcipitantia, & intoleranda illius 1195
ignavia, ac vanitate offensi Proceres, clam de amoliendo illo, ac Alexio illius germano in Regnum provehendo miscere consilia cœperant; nec alienus ab his erat Alexius, occulta dudum Imperii occupandi spe inflatus, multisque jam antea Præfecturis, gestisque bellis, ac tum Sebastocratoris dignitate clarus; cui cum omnia frater Imperator tribueret, ille nihil minus, quam fratris salutem spectabat; adeo omnem in iis humanitatis, & consanguinitatis sensum Imperii ille fulgor oppresserat. Nova in Bulgaros, & majore, quam unquam nisu instituta profectione, auxiliis undelibet, a Rege quoque Ungaro accersitis, videbatur magnum quid, & memorabile eo anno in perduelles Imperator patraturus; quem in finem prodierat ipse in Thraciam, vanus tunc quoque, & inquietus; nam Basilacii cujusdam fatui vatis, at pro oraculo quodam a simplice plebe culti sententiam de rerum successu suarum improvide sciscitatus est. Simulato Basilacius entheo quodam furore, imagini Isaacii subito arreptæ oculos expunxit, & dira quædam in Imperatorem obmurmuravit. Sive mali Dæmonis ea fuerit prædictio, occulta conjuratorum consilia non ignorantis; sive eo ipso qualicunque vaticinio ad meditatum scelus exequendum arrecti fuerint conjurati; certe vaticinium paucos intra dies eventu comprobarunt. Venatum forte e castris cum paucis Isaacius prodierat: cum inquieti illi Proceres, Branas Theodorus, Georgius Palæologus, Raul Constantinus, Michael Cantacuzenus, aliique collatis inter se consiliis, boni, ut præferebant, publici studio Alexium Angelum adeunt, ac in tabernaculum Imperatoris introductum, magna totius exercitus voluntate Imperatorem, etsi in speciem obluctantem, consalutant. Missi confestim, qui comprehenderent, cæcarentque Isaacium; qui cum turbari omnia in castris eminus, ac equites adversum se procurrere cerneret, id, quod erat, suspicatus, imagine Dei Genitricis, quam secum eximius illius cultor

A. C. 1195 geſtabat, arrepta, atque Diva ſubſidio vocata in fugam ſe jecit; verum in amnis cujusdam tranſitu occupatus, ac in aſceterium Pereæ deductus, diem illum Aprilis menſis decimum poſtremum vidit eadem, qua multos antea damnarat, cæcitate & ipſe mulctatus; poſteaquam annos novem, ac menſes octo imperaſſet, quadrageſimum vitæ nondum egreſſus; Princeps acerbis jactatus caſibus, ac majoribus etiam reſervatus. Filios habuit, Alexium e priore conjugio tragædiæ illius, qua deinde Græcorum in Oriente dominatio propemodum intercidit, auctorem; & Manuelem ex Ungara Margareta, fortuna & ipſum, ut dicetur, varia agitatum. Nunc interea Iſaacio in tenebris, & ſquallore relicto, quoad narrationis ad eum nos ordo reducat, quid Alexius e tanto ſcelere emolumenti tulerit, expediamus.

FL. ALEXIUS ANGELUS COMNENUS.



REpudiato Angeli, ceu humiliore cognomento, Comneni maternum ſibi Alexius adſcivit, velut cum eo nomine patrati in fratrem ſceleris memoriam, animique exin morſum aboliturus; nam & hoc excruciatum poſtea ferunt. Igitur coronam ut firmaret Alexius, quidquid auri ab Iſaacio in bellum profecturo collectum fuit, id ad demerendos Ducum, militumque animos profudit. Euphroſyna quoque Ducæna ejus conjux, elati mulier ſupercilii, omne genus hominum in Urbe largitionibus, promiſſisque ad ſuſcipiendum benevole Alexium præparabat; ut fluxis illis ingeniis non modo non diſpliceret mutatio tam iniqua, verum etiam arrideret. Equidem Contoſtephanus Alexius prædictionibus quorumdam fretus (maximo enim tum in pretio Aſtrologorum Byzantii nugæ erant) armare infimam plebem, ſeſeque pro Imperatore gerere cœperat; comprehenſus tamen, atque carcerem pro aula conſecutus. Alexius vero poſt dies aliquot Urbem ſumma omnium voluntate ingreſſus, coronam in æde Sophiæ accepit; non ſat equidem, ut Græcis viſum, auſpicato; namque in aulam reducem excuſſit equus, corona quoque capite decidua, & diffracta; quod certe ſiniſtrum perituri Alexio imperante Imperii omen eſſe potuit.

Certius tamen rei hujuſce omen capi poterat ex ignavo, molli, ac diſſoluto illius, conjugisque Euphroſynæ, quæ pari cum marito poteſtate erat, ingenio. Ut enim amatas tantopere aulæ delicias, honoresque tuerentur, profuſione maxima opes Imperii non in militem, reprimendosque hoſtes, ſed in populum, aulamque demerendam improvide retulerunt; nemo fere petebat quidquam, quin auferret; expers nemo ſolatii ab aula redibat; qua quidem re infinita illa habendi, Remque publicam pro ingenio tractandi cupiditas irritata magis eſt, quam expleta; cumque

que felices ſibi eo rerum ſtatu viderentur Byzantini; deficiente nervo bellico, vigoreque militari emarceſcente funditus interire cœperunt. A) A. C.

Ut Alexius imperium arripuit, duæ in Aſia ebullivere ſeditiones: alteram exorſus eſt impoſtor quidam, Alexium, Manuelis filium ſe mentitus; multi quippe miſeri illius Principis perſonam per ea tempora in ſe ſumebant; is itaque Turcicis quoque adjutus ſuppetiis, ac Ducibus Alexii fugatis, ne ipſummet quidem Alexium adverſus ſe progreſſum reveritus, in ſpes magnas aſſurgebat; verum a quopiam de ſuis clancularie petitus inſaniam hanc cum vita abrupit. Altera erat ſeditio ab Iſaacio illo Cyprio, e vinculis Richardi Angliæ Regis elapſo; qui purpuram tam expertus acerbam prenſare tamen ſic inſtitit, ut opimis etiam invitantem conditionibus ad concordiam Alexium ſuperbe reſpueret; ſed hic quoque pro crudelitatis merito a ſuiſmet veneno potus interiit. Cum Bulgaris deinceps omnia ferro miſcentibus Alexio res fuit. Aſanes enim, & Petrus defectionis diuturnæ Duces, nuſquam quieti, Thraciam infeſtabant; adverſus quos Regionis ingenio contra vim protectos anceps erat belli gerendi ratio. Comnenus Iſaacius Imperatoris gener in fugam Bulgaros conjecerat; at victoriam feſtinatione corrupit nimia; nam plura cum exercitu emenſus ſtadia ita fatigarat militem, ut pugnæ dein tempore vires defluerent; in quos ab inſidiis coorti Aſanes, & Petrus, Iſaacio comprehenſo, qui poſtea in carcere mortem oppetiit, reliquos ad Urbem uſque Serras acriter conſectati ſunt. 1196

Aſani tamen non diu ſic furere conceſſum; Ivanco cuidam viro e Bulgaris ſtrenuo, ac de invaſo Aſanis thoro accuſato, necem is inferre paravit; ſed ab eodem præventus, gladioque confoſſus eſt. Ivancus vero cum fruſtra adverſus Petrum bello contenderet, Byzantium profectus, præclaram in ſuos populares Imperatori operam locavit. Sed neque Petro fraude cujusdam ſuorum perempto diuturnus inter Bulgaros fuit Principatus. Succeſſit horum frater Joannes, qui Regiam apud ſuos conſecutus appellationem, maximis poſtea cladibus Thraciam exhauſit. 1197

Sed nec a parte Orientali turbarum expers fuit Alexius; Turcicus enim Ancyræ Galatiæ Princeps, bello in Imperatorem moto, Dadibrenum Urbem obſedit; in quem adoleſcentes Branas Theodorus, & Andronicus Catacalo Duces expediti, juveniliter adminiſtrarunt bellum, & ex inſidiis deleti fuere. Dadibrenum hoſtibus ea ſe dedit conditione; ut emigrandi civibus poteſtas eſſet. Demum pace, ſed dedecoris plena id bellum commutatum. Ita nihil uſpiam e ſententia Alexio, fraterno ſanguine contaminato, ceſſit.

Major his illum ab Henerico Friderici Imperatoris filio metus percu- 1198
lit; is enim Gulielmi, cujus filiam habebat conjugem, ſine liberis maribus decedentis in Regno Siciliæ ſucceſſor, Legatione ad Alexium miſſa, quidquid ab Epidauro Theſſalonicam uſque erat, velut ſuum repoſcebat; quod eum terræ tractum armis olim a Gulielmo aſſertum in jura Regum Siciliæ commigraſſe obtenderet; aut itaque redderet uſurpata Alexius, aut ſeptuaginta auri centenariis bellum redimeret. Quid ageret adverſus prævalidum hunc adverſarium diſſolutus luxu Princeps? nihili habita tam fœdi exempli, & adhuc non auditi labe, tributum auro perſolvendo populis impoſuit, quod Alemannicum idcirco dictum; ſed cum ad ſeditionem res ſpectaret, eo omiſſo ad templorum theſauros, uſitatum extremis rebus, at raro felix perfugium, oculos adjecit; cum & hic turbaret ſacer Ordo, ac obluctaretur, ſepulchra Imperatorum violanda, aurumque illinc congerendum cenſuit; itaque ex ornamentis tot Principum conflavit argenti bene multum, Henerico pro averruncando bello mittendum; verum Rege illo prius, quam aurum mitteretur, vivis elato, non quidem opum, at bonæ exiſtimationis, famæque jacturam, vel orbis totius opibus præferendam, Alexius ſubiit.

A) Hujus quoque Alexii res geſtas tribus libris fuſe Nicetas complectitur.

A.C. Cum igitur injuriæ undiqne paterent Græci, Genuenſis quidam Py-
1198 rata, cognomento Caphures, navibus oras Græciæ infeſtare, ac oppugna-re cœpit, inſulisque quibusdam direptis nullum prædis faciebat finem; quem perinde pactione auri aliqua abducere ab incepto Imperatori vi-ſum. Et tunc igitur decorum infra utilitatem fuit. Nec mirum, ita ab-horruiſſe ab armis Urbem deliciis propemodum enervatam; in qua qui-dem Imperatores Imperii Majeſtatem veſtium magnificentia, aulæ im-menſo luxu, ædium ſplendore, & pompa definitum rebantur, ſatisque dignitati conſultum ſuæ, ſi externo huic ornatui ad nihil aliud, quam prædam valituro conſuleretur; Proceres vero eo rerum fulgore perſtri-cti id ſpectabant unum; ut & ipſi, quam proxime ad aulicum accede-rent luxum, aut certe aulæ ipſius per fas, aut nefas potirentur. Ita fie-bat; ut cum Imperium foris decreſceret, Urbs tamen Imperii caput ſa-crarum, & profanarum ædium elegantia, civium iſthuc profugorum af-fluxu, & vitiis, in quæ ſolum laborabant, in immenſum accreſceret.

1199 Deteſtanda iſthæc luxus conſectatio, ne intimis quidem parcere ſo-lita, aulam quoque Alexii brevi perturbavit. Meſopotamitanus quidam Conſtantinus, publicus tunc rerum Adminiſter, Imperatrici omnia pro po-teſtate agenti charus in paucis fuit; hujus gratia urebat fratrem Impera-tricis Baſilium, itemque generum ejusdem Contoſtephanum Andronicum; quem ut iſti exturbarent aula, atque Imperatricis circumſcriberent po-teſtatem, violati illam pudoris, atque pravæ cum Vataza quodam, quem filium adoptarat Alexius, conſuetudinis accuſarunt. Verumne id crimen, an impactum fuerit? non ſane liquet; illud non ambiguum: Euphroſynam hanc & luxu effrænem, & dominatus impotentem fuiſſe. Vatazæ ea ac-cuſatio capite ſtetit; Imperatrix vero aula ejecta, menſes ſex conjuge, & Imperio caruit; demum tamen iisdem accuſatoribus apud Alexium agentibus recepta in gratiam; nihilo deinceps minus & Imperium, & mollem mariti animum in poteſtate habuit. Meſopotamitanus vero tan-tum abeſt, ut dejiceretur gradu; ut etiam Theſſalonicenſi ornatus Sacer-dotio profanas una, ſacrasque res ad ſeſe raperet; ſed invidia demum Pa-triarchæ Xiphilini Georgii criminum perperam impactorum poſtulatus, & Sacerdotio, & aula excidit.

1200 Cum Iconienſi Sultano pax levi de cauſa abrupta in belli rurſus cu-ras Alexium abſtulit: a Sultano Ægyptio miſſos dono Imperatori equos Iconienſis per iter intercepit; ac tametſi præſtiturum ſe hoc damnum Imperatori polliceretur, tantum is tamen iræ indulſit, ut mercatores Ico-nienſes, qui rem Byzantii faciebant, fortunis exutos carceri includeret. Barbarus exercitu Provinciis illato vindicavit injuriam; Tantalumque, & Cariam ad Mæandrum Urbes occupavit; cives in alias oras abducti, ha-bitique perhumaniter; quin agris etiam locupletati ſervitutem barbaram patriæ libertati, ſed tanta Græcorum importunitate, & toties diſcerptæ prætulerunt. Imperator in Aſiam progreſſus, vix menſis unius ſpatio ex-peditioni dato, ad Urbanas delicias, locaque ad Boſphorum voluptuaria ſubito recurrit; neque ab aliis Ducibus dignum aliquid memoratu actum eſt; ita enim torpedo quædam, bellicarumque rerum neglectus mentes inſederat, ut vel intueri jam ferrum, niſi, quod per fraudem in ſe mu-tuo ſtrinxerant, tæderet. a) Valachi quoque cum Scythis Iſtrum trans-greſſi eodem fere tempore infeſtarunt Thraciam; Tzurulum uſque pro-greſſos, ac prædis impeditos adorti Græci fugarunt quidem; at dum præ-dæ plus, quam fugitivis intendunt, victi rurſus, fugatique memorantur.

Subitaneæ ejusmodi bellorum procellæ toto Alexii Imperio plures per Thraciam fuere. Adverſus Chryſen quendam Bulgarum, loca Theſ-ſaliæ, Strumizam, & Proſacum vi occupantem, prodierat Imperator, ſed eventu, & fortuna ſolemni; ut enim ante invaſum Imperium pro forti, bellicoſoque Duce habitus eſt, ita cognato fœdatus ſanguine, defluente velut

a) Multis ſæpe mollitiem ſuorum, luxum, vanitatem, & acerbe inſectatur Nicetas.

velut virtute militari imbellis, ac infelix fuit. Proſacam arcem valido A.C.
adortus aſſultu cum nec ſcalæ, nec alia bello opportuna ſummam per ſocordiam curata eſſent, profecit nihil; quin eruptione hoſtis damni non parum illatum; itaque coactus Imperator eſt, loca occupata eidem ra-ptori relinquere; quem tamen ad amicitiam adjunxit prius, quin neptem eidem ſuam, alio licet conjugio implicito, defluente apud eos legum ſe-veritate copulavit.

Vix ea ſopita tempeſtas; cum majorem commovit Ivancus ille Bul- 1201
garus, quem ſibi antea adjunctum, ac temere honoribus excultum Phi-lippopoleos Præfectum Imperator juſſerat. Pati diu quietem non potuit vir ferox, una & militaris; defectioneque inſtituta Principatum Regionis arripuit. Manuel Camyzes cum Theodoro Laſcari, & Andronico Palæo-logo ire in turbatorem juſſus, locis quibusdam, quæ Ivancus communie-rat multo labore expugnatis, in inſidias deinde præcipitatus in captivis Ivanci fuit. Camyzis illius opes propemodum Regias invaſit in Urbe Ale-xius, nihilque pro ejus libertate egit. In Ivancum vero Imperator pro-greſſus non armis, ſed perjuriis certavit; promiſſis enim maximis, ac ju-rejurando firmatis ad ſe pellectum, in vincula denique conjecit, ſacro il-lo impudenter abuſus verſu: cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.

Sub idem tempus acris in Urbe inter ſacri Ordinis viros exorta eſt diſceptatio, ad plebeculam quoque, & ad forum progreſſa; an videlicet in Euchariſtia integer, ut nunc in gloria eſt, Chriſtus, an ejus tantummo-do pars corporis, eaque corruptioni obnoxia edenda Chriſtianis daretur? quæ ut ſopita ſit contentio, non profertur; Imperatorem tamen prio-res, verasque partes ſecutum. Ita ſacra juxta, & profana miſere turbis fluctuabant.

Frequentium certe, quæ in Alexium ebulliebant ſeditionum, & bel-lorum pene jam tædet meminiſſe. Lagus quidem Joannes cuſtodiæ Præ-torii Præfectus, ergaſtulis facinoroſos expediebat, qui furta e ſacris, & profanis locis conquirerent, eamque ad Lagum prædam referrent; cum fruſtra hominem tantæ improbitatis populus apud Principem detuliſſet; demum armis quoque correptis tumultum excivit; ut non niſi immiſſo in Urbem exercitu ea comprimi ſeditio valuerit.

Aliam non diu poſtea, periculique majoris commovit Comnenorum quidam, cognomento Craſſus; qui ad ædem Sophiæ profugus, atque a ſe-ditioſis Imperator acclamatus, aulam adeo ipſam armatus occuparat; ſed dum ſolutius poſt diurnum laborem epulis ſe in aula diſtendit, neque de excubiis ſatis providet ab illis, quos in Urbe armarat Alexius, per noctem oppreſſus, cæſusque eſt.

De eadem Comnenorum Gente Joannes alius, in Provinciam Mylaſ-ſenam tributis colligendis miſſus defectionem moliri cœpit; pulſusque ad Turcorum arma perfugium habuit. Huic opprimendo prodiit ab Urbe cum exercitu Imperator; ſed vix Aſiam attigerat, ad Urbanas continuo delicias reſpectare cœpit; rediit itaque in palatium, duplici tum defun-ctus periculo; nam & in mari tempeſtate propemodum interiit, & de-inde pars palatii Imperatorii dehiſcens pene eundem in præceps traxit, nonnullis e Procerum ordine male contritis; quæ calamitates maxime illius, quæ Urbem, & Alexium oppreſſura erat, veluti prænunciæ fuerunt.

Ante vero, quam hæc ingrueret, fortunæ quodam blandimento delinitus eſt Alexius: Manuel Camyzes cum in captivitate deſertum ſe, fortunisque everſum ægerrime ferret, ad Chryſen illum in Theſſaliam profectus, in ſocia eundem arma commovit; nec pauca per Theſſaliam loca armatus aſſeruit. In hos igitur progreſſus Imperator, & Urbes occupatas reparavit, & per-domuit Camyzen, & Chryſen illum Strumiza occupata coercuit, & de-nique optatam diu cum Bulgaro Joanne pacem compoſuit.

Impe-

A.C. 1202 Imperio ſic pacato, ſecurum ſe undique, ac felicitatis velut in apice poſitum exiſtimabat Alexius; at enim Dei nunquam non extenta in perduelles, & Tyrannos manus, inde illum cum maxima Imperii Orientalis ruina detraxit. Cæcus ille Iſaacius libertate a fratre donatus, ne in illis quidem tenebris adeundi poſtliminio Imperii, adque filium Alexium transmittendi ſpem unquam abjecit; itaque cum hominibus Latini nominis crebro ea ſuper re collocutus, datis ad filiam ſuam Irenen, quæ Philippo Suevo Occidentis Imperatori nupta erat, literis, ad ferendam ſibi, & adoleſcenti filio Alexio opem, ut maritum propelleret, orabat. Alexius demum Juvenis Piſana navi Byzantio profugus ad Philippum in Germaniam ſemet contulit. A) Cupiebat opitulari miſeris hiſce Principibus Irenes amore Imperator; at bella, queis Germania tunc, Italiaque conflagrabant, inteſtina negotium tam difficile remorata fuere. Proinde non armis ille quidem ſuis, at commendatione apud cruce ſignatos ſua, qui in Palæſtinam a Veneto ſinu claſſe profectionem parabant, cauſam Alexii ſolerter egit.

Poſt Saladini in Ægypto interitum, hæreditas illius in duodecim, quos habebat, filios diſtributa res illic barbaricas infirmarat; adhæc Saphadinus Saladini frater, præteritum ſe indignatus, raptis armis oppugnabat nepotes, & aliis quidem perdomitis; aliis vero ad amicitiam adjunctis, Ægyptum, & Palæſtinam permiſcebat. Opportuna plane recuperandæ Hieroſolymæ ea fuit perturbatio; qua ut Chriſtiani uterentur, nihil non egere Pontifices; demum aliquot ante annos e Germanis præcipue, Saxoniæ, Auſtriæ, Brabantiæ, Bavariæ Duces, plurimique alii Principum Conſtantinopolim, inde vero Iſaacii claſſe (nam ultimus Imperii ejus tum agebatur annus) in Palæſtinam translati fuere. Sub horum adventum Henericus Palæſtinæ Rex, e feneſtra tranſitum exercitus dum ſpectaret, cum ruina ædificii forte prolapſus vitam perdidit; cui Emericus Luſignanus, prioris Luſignani non pridem vita functi frater, ac jam Cypri Rex, ducta Iſabella quartum tunc nubente in Regno ſucceſſit. Viribus in unum contractis, uno, alterove prælio victus a Chriſtianis Saphadinus prope erat; ut vitam cum quadraginta ſuorum in acie cæſorum millibus amitteret. B) Scivere quidem vincere Chriſtiani illi, at uti victoria neſcierunt; Hieroſolyma enim, quæ tam facile occupari poterat, neglecta, arcem quandam in præcipiti poſitam, Thoronum trium ſpatio menſium nequicquam oppugnarunt. Milites Templarii fluxis jam valde moribus auro occæcati barbarico, eo Herbipolitanum Præſulem Conradum perpulere, ut deſerta arcis propediem in manus venturæ oppugnatione, alio arma, viresque vertendas ſuaderet Principibus; cumque a pluribus in eam itum eſſet ſententiam, cæteri, quibus nefaria ea ſuboluerat fraus, indignatione correpti ab iis ſemet disjunxere; ita diſcordia Chriſtiana animos extulit Saphadino. Cum hoc Germanicus iterum pugnavit exercitus; & victoriam, ſed cæde Henrici Saxoniæ, & Friderici Auſtriæ Ducum luctuoſam retulit; denique ſubitaneus de Imperatoris in Germania occaſu, deque bellorum illic incendiis rumor Principes Germanos in patriam quemque ſuam diſſipavit. Ægre deinceps Saphadini molitionibus obluctabantur in Palæſtina Chriſtiani; quos Innocentius Tertius ut erigeret Pontifex, ad reſumendam majoribus denique animis, ac mage concordibus eam profectionem Chriſtianos undique eſt exhortatus.

Unus, alter, tertius in hiſce adhortationibus annus abiit; cum in Gallia præſertim, Italia, Belgio plurimi rurſus Principes, atque milites aſſumpta cruce, ardentibus plane animis ad profectionem illam concurrere. De modo proficiſcendi deliberatum inter Duces Compendii in Picardia eſt; demumque decretum: ſollicitandos eſſe oblato auro Venetos, ut claſſe parata, & annona in unum annum ſuffectura Chriſtianum in Palæ-

A) Nicetas p. 284. B) De his Abbas Urſpergenſis in Chronico. Arnoldus Lubecenſis, & reliqui ſacrarum expeditionum Scriptores.

Palæſtinam exercitum transferrent. Præerat tum Venetis Ducis titulo Dandulus Henricus, vir & animo, & conſilio, & longo rerum uſu præcellens; cui Manuel olim Imperator, ob loquendi libertatem candente admota lamina ita oculos vitiarat, ut perexiguum eorum haberet uſum; at mentis perſpicax acies jacturam eam egregie penſabat. Is igitur perſuaſit Reipublicæ, ut non modo cruce ſignatorum petitioni lubens ſubſcriberet; verum etiam ultro de ſuo quinquaginta cum militibus triremes adjecturam ſponderet. A) A.C. 1202

Annus integer apparatui nautico Venetiis impenſus; cum interea cruce ſignati a remotioribus oris lente colliguntur, alii vero moræ longioris pertæſi, breviore in Palæſtinam trajectu, ab Italia, & Gallia feſtinant; ac demum pauciores opinione Principes, Venetiis cum lecta tamen militum manu adfuere. Præcipui erant: Bonifacius Montisferrati Marchio, Balduinus Comes Flandriæ cum fratre Henerico, Ludovicus Comes Bleſenſis, Comes Henricus Sancti Pauli, atque alii e Gallia præſertim Proceres; hi cum promiſſo Venetis auro numerando non eſſent, periculumque diſſolvendæ expeditioni inſtaret; Dandulus & huic, & Reipublicæ conſulturus pollicetur: remiſſuram de pacto auro Rempublicam, ſi Principes in recuperanda, quæ non ita pridem ad Regem Ungariæ deſciverat, Jadera, Dalmatiæ Urbe operam præſtarent ſuam. Difficilis ea Principibus viſa deliberatio; quid enim inconvenientius, quam arma in Barbaros tanto cum fervore ſuſcepta, in Chriſtianos, & amicos aliorum gratia ſubito vertere? Obſtabant Pontificiæ quoque in talia auſuros comminationes; denique perpetua rei tam inſolentis infamia deterrebat. At cum nulla expediendi conſilii ſupereſſet illis ratio; demum ſenex ille Dandulus ſuam eos in ſententiam traxit. Itaque communibus Venetorum, & Principum illorum armis oppugnata Jadera, atque etiam expugnata; Ungaris, quod inter Emericum, & Andream Belæ nuper demortui liberos contentio eſſet, opis nihil ferre valentibus. B) In capta Urbe hyemem victor egit exercitus; ad quem Alexius ille adoleſcens, a Philippo Imperatore commendatus, cum parentis Iſaacii opem efflagitantis literis ſeſe contulit. Hic nova rurſus, ancepsque oritur de reducendo Byzantium Alexio deliberatio; an non enim ſuccurrendum Palæſtinæ quamprimum, extreme cum Barbaris conflictanti? an bella ex bellis ducenda, quibus & minuerentur ipſi, & in Chriſtianos pro Barbaris ſævirent? quid ſi fallat præconcepta ſpes? quid ſi opus viribus hoc majus ſit? nec anni unius curriculo in rem conferendum? nec aliis Principibus, nec Pontifici C) Romano rem uſque adeo temerariam probatum iri? At obſtabat his acerrime idem Dandulus, injuriarum Venetis per Græcos illatarum memor, ac vindictæ cupidiſſimus. Acceſſere Alexii pollicitationes; qui & auri plurimum, & claſſem in Palæſtinam deinde ituris, & armorum ſocietatem, & perennem denique Græcæ cum Latina Eccleſia concordiam D) largiſſime Ducibus addicebat. Denique commendatitiis Philippi Imperatoris literis ad ſuſcipiendum opus tam anceps perurgebantur Duces. Poſt multa ultro, citroque agitata, demum reductio Alexii, tametſi nec Jaderæ occupatio, nec nova hæc conſilia Romano Pontifici probarentur, decreta eſt.

Bellici hi Occidentalium motus Byzantinum perlati, magno alios, at nullo Imperatorem Alexium metu turbarunt; adeo enim Urbis firmitati, civiumque multitudini confidebat; ut apparatus hoſce Latinorum, ceu futiles joco inter convivia traduceret, ac, cum tanta capiti ejus impen- 1203

A) De hoc apparatu, deque obſidione Conſtantinopoleos egere præter Andream Dandulum Venetum, Vilharduinus quoque, qui interfuit; & poſtea Æmilius Scriptores Latini. B) Venetos ob Jaderam expugnatam excommunicatos a Pontifice fuiſſe, diſerte habet Spondanus ad annum præſentem. C) Nicetas p. 289. ait: Pontificiis literis commendatam cruce ſignatis Alexii reductionem; verum in hoc refellitur ex literis Pontificis Innocentii citatis ab Allatio in Notis ad Acropolitam p. 11. D) Inſectatur Nicetas Alexium ob promiſſam hanc concordiam, tanquam aliquid ἀποπέτατον, ut ait p. 289.

A. C. 1203 deret procella, ædificiis aliis improvide occupatus, ne de classe quidem instruenda, nec milite centuriando generosæ aliquid cogitationis susciperet. Occidentales mare ingressi, occupato per iter Epidamno, fausta usi navigatione brevi ante Urbem cum classe prævalida, in qua peditum viginti, equitum octo fuisse millia memorantur, constitere. Tum vero Alexius, ut fere, qui remota rident pericula, præsentibus gravius percelluntur, conspecta Latinorum classe, animis confestim cadebat; nec occurrebat sat aliquid validum, quo defendendæ Urbis consilia expediret; in portu naves, quas hosti objiceret, vix ullæ: muri Urbis vetustate pluribus in locis infirmi: Urbana multitudo fugæ, prædæque, quam defensioni opportunior; ac tantus erat Latini apud eos nominis horror, ut ad aspectum ferratorum illorum militum, ceu spectri, aut mali dæmonis toti cohorrescerent. A)

Erat Urbs hæc, cum a Latinis obsideretur, conferta illa quidem hominibus, sed quæstui faciendo, aut opificio, non Marti intenta; e quibus tamen, quod Latini quidam prodidere, sexaginta equitum millia, nec minorem peditum numerum Imperator tunc Alexius confecit. B) Nec Nicetas diffitetur, grandem ab Alexio Latinis objectum deinde fuisse exercitum, ut eo conspecto rebus diffidere suis illi occiperent; non tamen numeri istius meminit; ac certe, si ad res Byzantinas hactenus enarratas curatius attendimus; ne florentissimis quidem Urbis illius rebus ea militum copia sive domi, seu foris Imperatoribus suppeditavit. Illud certum: Urbem multorum ab Asia Turcicis infesta armis, atque Thracia Scythico furori objecta, affluxu admodum tunc auctam fuisse, ac etiam ædificiorum multitudine, elegantiaque, dum in ædificando, quam bellando plus solertiæ Imperatores ponunt, pulcherrime, ac latissime porrectam; in qua præter palatia plurima sacræ ædes quingentæ propemodum numerabantur, C) ut Constantinopolis pulcherrima, ac felicissima toto orbe tum civitas haberetur.

Urbem hanc rebus illustrem aliis, sed sceleribus supra modum deformem gravissima Dei vindicta sic brevi perculit; ut incendiis, rapinis, omnique infelicitatis genere deformata vix aliquid pristini decoris retineret. Latina classis, oppressis Græcorum navibus, ac prægrandi, quæ portum coercebat, catena multo labore vix diffracta, occupavit portum illum, ac excensione ex parte Pereæ facta, nequicquam prohibentibus magno eam numero Græcis, ac in fugam non semel jactis, castra in continentem non longe a Blachernarum palatio in parte Urbis septentrionali exposuit. Post minora ultro, citroque certamina, decimo septimo mensis Julii die navibus, & machinis propius Urbis muros admotis, adorti oppugnationem Latini vi tanta operi institerunt, ut e turritis navibus in fastigia mœniorum eluctati irruptionem quoque in Urbem tentarent; at cum repellerentur fortiter, cassamque eam viderent operam, ignem tectis intulerunt; enimvero furens flamma confestim illata ædibus, magnam Urbis partem miserabili incendio involvit. Alexius rebus tam sinistre fluentibus, fugæ jam tum consilia agitabat; vix demum magnis populi irritatus convitiis, armata multitudine ingentem ipse in Latinos extra Urbem eduxit exercitum; ut conspectu illius tam inopinato remitterent ab oppugnatione, nutarentque animis Latini: nec spes victoriæ Græcis deerat, si vel Theodoro Lascari, viro forti, & a procursibus in Latinos strenue susceptis claro, ac genero Imperator suo exercitum commisisset, vel incurrere in hostes Urbanam multitudinem sivisset; sed is summam per inertiam hoste vix conspecto obverti signa jussit, insequentibus acriter Latinis; eaque hostis dejectione ad expugnandam Urbem egregie animatis. D)

Redux

A) Ingentem fuisse apud Græcos Latini nominis metum, pluribus locis testatur Nicetas. B) Spondanus ad hunc annum ex literis Ducum ab obsidione datis; quem numerum Vilharduinus, & alii multo majorem, sed parum verisimiliter faciunt. C) Albericus in Chronico. D) Expugnatam tunc a Latinis Constantinopolim quidam prodidere; at certe ex Niceta, qui aderat, & sincere omnia enarrat, id minime conficitur.

Redux in aulam Alexius, abjecta omni dignitatis conservandæ spe, A. C. consilio cum pauculis communicato, relictis in aula conjuge, & necessa- 1203
riis, ac decem auri centenariis, pretiosisque quibusdam cimeliis navi injectis, turpiter ab Urbe Debeltum anno Imperii octavo, ac mense tertio profugit. Comperta Imperatoris fuga tam degener, cui nec opes ad defensionem, nec, si vir ipse fuisset, viri defuerant, in magnam Urbanos desperationem adegit; fit ingens in Urbe concursatio, vociferatio, pavor denique. Unum in cæco illo, qui in Urbe hærebat Isaacio, adversus Latinorum arma perfugium fuit. Igitur validis ab æde sua civium provocatus clamoribus, in aulam deducitur Isaacius; quodve factum adhuc non erat, collocatus in throno cæcus ille, & cadaveri, quam homini propior ab omnibus Imperator salutatur. Exin Euphrosyna, & Alexii necessarii carceri mancipantur; ad Latinorum vero Duces mittuntur Legati, qui ea fortunæ, summæque dignitatis vicissitudine Principibus exposita, filium Isaacii Alexium, cujus gratia Urbem illi obsederant, cum patre imperaturum reposcerent. Assensere postulatis Duces; non tamen Alexium prius aulæ reddituri, quam ea Isaacius rata haberet, quæ cum filio Latini jam antea pepigerant. Missis de Procerum ordine Gallorum juxta, & Venetorum in Urbem quibusdam, quamquam duriora erant, quæ petebantur, assensus tamen est Isaacius; atque ita summa aulæ, Urbisque lætitia deductus a Ducum præcipuis in Urbem Alexius patri in solio assedit.

Una jam torquebat aulam cura: qua demum ratione ea, quæ Alexius Latinis spoponderat, in rem conferri, atque Imperium adversus Alexium illum profugum, & bellum in Thracia instaurantem confirmari posset? Quidquid in aula, & penes Euphrosynen auri repertum est, quin imo, quidquid ab Urbanis corradi potuit, id plenis in Latinos modiis Isaacius admetiebatur, nec facile tantus ille, victorque exercitus expleri poterat; A) proinde cum alia non suppeteret pollicitis standi ratio, templorum quoque thesauri eum in finem usurpati fuere; attamen longe adhuc a pacto Ducibus auro profusæ licet opes aberant. Instare illi contra ferociter, appellare crebro Alexii fidem, profectionem in Palæstinam autumno adurgente obtemdere. Cum itaque tam brevi tempore promissa expediri nequirent, Alexius magnopere Ducibus auctor fuit, profectionem ut suam proximum in ver rejicerent; B) interea hyemem ad Byzantii mœnia exigerent; ita futurum, ut & aurum opportune conficeretur, & si res nutarent suæ, armis Latinorum erigerentur. Nec difficiliter petitioni huic delatum a Ducibus; quibus Græcorum, labantisque Imperii opes præ Palæstina jam cordi erant. Igitur profectio cum maxima Imperii illius ruina in ver proximum dilata.

Ne vero reliqua anni pars otiosis elaberetur, Alexius sexdecim auri centenarios Marchioni Bonifacio pollicitus, ut secum in expeditionem adversus profugum Alexium Adrianopoli bellum instaurantem copias produceret, pervicit. Ante vero, quam hi in bellum irent, inopinatus plane casus lamentabilem Urbi illi cladem, ruinamque intulit. Latini milites cum otiose per Urbem discursant, Mahometanum, quod Saracenis in Urbe commorantibus Imperatores indulserant, Fanum conspiciunt, reique commoti indignitate, grege facto in illud incurrunt; obsistunt raptis obiter armis Saraceni, confligunt Latini ferociter, atque Græcis quoque Saracenos adjutantibus propelluntur; qui ut Græcis vicem reponerent, aliquot eorum ædibus ignem injiciunt; validissimo in omnem partem perflante turbine, luctuosissimum omnium, quæ Urbs illa unquam conspexit, exortum incendium noctes, ac dies tenuit duos, tanto, tamque inaudito furore, ut nec ædes lateritiæ, nec columnæ, nec ulla ædium firmitas illud vincerent; ita a Septentrione, & Occidente ad Sophiæ usque

 ædem

A) Exaggerat hæc quoque velut iniquissima Nicetas p. 296. B) Vilharduinus, qui ex parte Latinorum expeditioni interfuit, eamque descripsit.

A.C. ædem pars maxima, atque pulcherrima Urbis cum incredibili rerum ja-
1203 ctura in cineres abiit. A)

Urbe ſic miſerum deformata, cum Bonifacio, & exercitu adverſus profugum illum Imperatorem Adrianopolim progreſſus eſt Alexius; ſed oſtentaſſe eminus arma ad fugandum illum ſatis fuit. Eo itaque in Græciam profugo, & Adrianopolis, & reliquæ per Thraciam Urbes facile Alexio per Bonifacium aſſertæ, exercitusque ad Propontidis loca hybernatum reductus.

1204 Fieri non poterat, ut collectitius ille e tam diverſis nationibus miles, neque uni Ducum alicui ſuprema imperanti auctoritate obnoxius, verum in diverſos diſpertitus Principes, ſatis in officio contineretur, & ab injuriis inferendis arceretur. Proinde magnificæ extra Urbem ædes, quæ longiſſime totum illum Boſphori ornabant tractum, paſſim ab iis direptæ, ſuburbanis quoque prædandi aviditas, quin in Urbem adeo ipſam quandoque illata eſt; quæ militum licentia vetus Græcorum in Latinos odium mirum quantum exaggerabat; ut armis quoque per intervalla confligerent, ac vim vi, ſed plerumque infelicius repellerent. Exacuebantur hæc civium odia tributorum incrementis, ad conficiendum, quod Latinis promiſſum eſt, aurum; denique Iſaacii, & Alexii ſordida, ineptaque Imperium adminiſtrandi ratio, in furorem cives accenderat. Nam Alexius quidem in Latinorum caſtris crapula, & comeſſationibus præter decorum dies, ac noctes exigebat; Iſaacius vero veterem relapſus ad inſaniam, in futurorum ſciſcitandis eventis totus erat; quem Monachi mero largius hauſto optimarum ſpe rerum implebant, futurum polliciti: ut uſum quoque oculorum reciperet, atque multos adhuc in annos vitam, Imperiumque extenderet. Sed neque Iſaacio huic cum filio Alexio ſat conveniebat, quod Alexius totam rei adminiſtrationem ad ſeſe raperet; Iſaacius vero ob cæcitatem præteriri ſe, contemnique ægrius ferret. Acceſſit his fraudulentum Alexii Ducæ, qui a depreſſis, contractisque ſuperciliis Murtzuphli nomen habuit, ingenium; qui totus in eo fuit, ut jactis inter Latinos, & Alexium diſcordiarum ſeminibus, & Alexium a Latinis, & populum ab Alexio avelleret, ipſeque Principatu potiretur, vir bello cætera non inſtrenuus, & ad ingenium turbulentæ illius multitudinis accommodatus.

Nec ſuæ illi fraudes irritæ fuerunt: cum enim intimus eſſet Alexio Protoveſtiarii B) tunc munere inſignitus, Latinorum crebrius exaggerando rapinas, avaritiam, ſuperbiam; oſtentando populi averſum ab eo ob Latinos animum; eo denique Juvenem illum perpulit Principem, ut alienata ſenſim a Latinis mente, non difficilem Urbanis arma in eosdem molientibus ſeſe daret. Seu connivente igitur, ſeu jubente Alexio, clam cymbæ complures pice, ſulphure, ac cætera materia igni opportuna completæ ſunt, ac ſubito incenſæ; ſicque in claſſem Occidentalium ſecure in portu deliteſcentem immiſſæ, propius erat, ut exitio rem eorum nauticam involverent, C) qua ſemel peſſumdata, periturus abs dubio Latinus erat exercitus. Claſſiarii ea de improviſo conſpecta peſte nequaquam conciderunt animis; ſed cum incredibili contentione, laboreque diuturno contis, ac remulcis, propulſato cymbarum in naves incurſu, difficillime ab ea ſemet clade expediverunt. Cum ea ſiniſtre Græcis fraus cecidiſſet; veritus Latinorum iras, & vindictam Alexius, ſignificat Ducibus, popularem illum ſe inſciente extitiſſe furorem, nec fide in Latinos, nec eorum gratia ſibi antiquius quidquam eſſe, tutoque in ea acquieturos Principes. Verſutus ille Ducas hanc Alexii cum Latinis colluſionem Urbanis indicat; illi immenſo jam antea in Imperatores incenſi odio atrocius efferveſcunt, atque quinto, & viceſimo Januarii die in ædem Sophiæ maxi-

A) Deplorat multis funeſtum hunc Urbis caſum Nicetas p. 293. B) Inſignis erat in aula Byzantina Protoveſtiarii dignitas, cui ſupellex regia curæ erat; nec raro exercitibus Præfecti inveniuntur. C) Non meminit hujuſce fraudis Nicetas; meminerunt vero Scriptores Latini.

maximo cum tumultu accurrunt; tum vero ejurata in Principes illos fi- A.C.
de, alium ſibi Imperatorem conſtitui flagitant; mortem quoque Senato- 1204
ribus, ni id faciant, comminati. A) Cum in tam lubrico quisque e Principibus viris faſtigium illud perhorreſcit, tridui is tumultus, deque novo Imperatore deliberatio tenuit; demum ferox ille, & rationis expers populus, nobilem quendam adoleſcentem, Nicolaum Canabum, Imperatorem proclamatum, ac a Patriarcha coronatum in ſolio eadem in æde ſacra apparato collocavit.

Re Imperator Alexius comperta, (nam Iſaacius ex morbo animam jam tum agebat) accerſito in palatium Bonifacio, de ſuppetiis Latinorum in Urbem accerſendis egit; & adfutura in diem ſequentem fuere auxilia, ni rem omnem Alexii illius Ducæ, alia omnia ſimulantis perfidia, eadem adhuc nocte diſturbaſſet. Is enim piſcari in turbido bene gnarus, corruptis palatii cuſtodibus, ac nonnullis e Procerum ordine præparatis, concubia nocte Alexium Imperatorem ſomno excitat, atque Urbanam pro foribus adeſſe multitudinem, necem illius ſitientem conclamat; trepidus ad hæc Princeps quærit: quid in tanto diſcrimine facto opus? pollicetur ſuam in occultando Alexio Ducas operam, eundemque per tenebricoſos palatii anfractus deductum, ingratiſſimus una, ac vaferrimus in ergaſtulo quodam vinculis adſtringit. Tum die altero vocato in cœtum populo conſilium exponit ſuum: ab Alexio videlicet copias Latinorum ad palatium, Urbemque die altero occupandam accerſitas eſſe; tanta ut Urbem calamitate eriperet, eundem abs ſe carceri noctu mancipatum; nunc, ſi populus rem ſummam in manus ſibi tradat, defenſurum totis viribus Urbem, atque gloriam labantis Imperii cum pernicie Latinorum conjuncturum. Nec multis ad volubiles eos animos in ſententiam trahendos opus fuit; ingentibus omnium ſtudiis Alexius ille Ducas Imperator proclamatur; qui & Canabum illum, eventum rei in æde Sophiæ ſolicite opperientem carceri includit; & juveni Alexio, vita ejus veneno cibis admixto nequicquam tentata, fauces elidit; tum denique corona in æde Sophiæ inſignitus, ad arma Latinorum propulſanda Urbem acriter comparat. Iſaacius audito, quæ evenerant, auctaque ex dolore morbi vi, vitam tot fortunæ viciſſitudinibus miſere jactatam abrupit; poſteaquam ſex fere menſes cum Alexio ffilio iterum imperaſſet. B)

Intellecto Duces Latini Alexii occaſu, ad vindicandam eam perfidiam, Urbemque tam locupletem ſubigendam conſilia contulere. Equidem Ducas vocato in colloquium Dandulo de pace ſermonem habuit; ſed, quod acerba quædam Duces Latini, adhæc quinquaginta auri centenarios e veſtigio numerandos poſcerent; exulceratis utrinque in immenſum animis, omnis ea pacis tractatio evanuit. Itaque Duces obſidendæ rurſus Urbi ſeſe accingunt: machinas perfringendis muris idoneas aptant: viciniam Urbis procurſionibus diripiunt; Ducas vero eductis non ſemel in hoſtem copiis non prorſus infeliciter bello inſiſtit. Ad Urbis illius infelicitatem, hoſtiumque incrementa improvidus quidam Urbis amittendæ in populo metus maxime pertinuit. Erat Byzantii e Piſanis, Genuenſibus, Venetis, reliquisque Latini nominis gentibus ingens virorum fortium manus; qui e longa illic ob rem faciendam commoratione civitatem conſecuti fuerunt, ſtrenuamque in defenſanda Urbe rerum & ipſi ſuarum jacturam veriti, adverſum reliquos Latinos operam præſtabant. Græci cum cernerent, Latinorum in ſe in immenſum excreviſſe odia, eorum, qui in Urbe erant, veriti perfidiam, aut cum hoſte colluſionem, omnes Latini nominis cives egredi coegerunt; C) ita præſtantium manu bellatorum, & imminuta Urbs eſt, & hoſtes aucti. Ducas inter hæc Alexius, majore educto ſuorum ab Urbe exercitu, conflictu decernere de rei ſumma cupiebat;

A) Ita Nicetas quoque, qui ſe huic tumultui cum ſummo animi mœrore interfuiſſe ſcribit, p. 297. B) Hæc quoque Nicetas p. 298. C) Acropolita p. 3. plura millia Latini nominis civium egreſſa ad hoſtes ſcribit; cujus non meminit Nicetas. Orditur vero ſuam a capta Urbe Hiſtoriam Acropolita Georgius.

A.C. 1204 at Græci tum etiam inferiores Urbem repetierunt; quo in receptu imago quoque Dei Genitricis præferri Imperatoribus in bello ſolita, quam appellabant Hodegetriam, A) velut omen tranſituræ ad hoſtes victoriæ amiſſa eſt.

Præparatis demum turritis iis navibus, octavo Aprilis die vi ſumma oppugnationem Urbis Latini adoriuntur. Dimicatum memorabili conamine eo die utrinque fuit; ac Latini multis ſuorum amiſſis receptui canere coacti. At nihil ſucceſſu hoc ſiniſtro infracti, in diem Aprilis duodecimam, aggreſſionem priore validiorem Duces decernunt: admotis rurſus turritis illis navibus, datum oppugnationi initium eſt; & antemeridiano quidem tempore res Græcorum viſa ſuperior; poſt vero meridiem duo de Latinis in turrim quandam Urbis eniſi, tantam propugnatoribus injecere formidinem; ut deſerta turri pro ſe quisque diffugerent; hos alii ex aliis conſecuti occuparunt denique turrim; ac porta una & altera ſociis reſerata, ſeptentrionalem murorum tractum ſub noctem obtinuerunt. Ea re tanta Urbanis etſi numero prævalentibus injecta eſt trepidatio; ut arma, viresque omnibus defluerent.

Nocte certamini ingruente, veriti aſtum Latini in ea, quam occuparant, Urbis parte ſeſe in ordinibus tenent; reliquam autem Urbem concurſat acriter Ducas ille Alexius, atque ceu in extremo diſcrimine ad platearum communiendos exitus, ſtrenueque pro aris, & focis decertandum cives cohortatur; ſed obſtabat auribus timor, ac ingens animi dejectio. Igitur alii opes defodiunt ſuas, alii fugam ab Urbe (neque enim ob amplitudinem, niſi unam illius partem Latini infeſtam habuere) arripiunt; quod cum videret Ducas, deſperata & ipſe Urbis defenſione, in palatium redux aſſumpta ſecum Euphroſyna, Alexii illius, qui in Græciam fugerat, conjuge, filiaque ejusdem, quam deperibat, Eudocia, & cujus gratia rejecta priori conjuge jus, fasque proculcarat; lemboque conſcenſo ab Urbe profugit; cui menſes duos, ac dies aliquot Tyrannus magis, quam Imperator præfuerat. B)

Nox illa tumultus, ac trepidationis plena, cum in diem vergeret, ac jam fuga Alexii vulgata eſſet; fit ad ædem Sophiæ novo deligendo Imperatori concurſatio; in qua duo Theodori Laſcaris, & Ducas, uterque virtutis eximiæ, pro Imperio certabant; perinde, ut ſi in navi jamjam mergenda pro gubernaculo obtinendo contenderent. Laſcaris tamen Ducæ prælatus, ornamentis Imperatoriis, & inauguratione opportunius in tempus rejecta, populum ad obſiſtendum viriliter Latinis, qui in reliquam ſenſim Urbem arma jam promovebant, hortatus eſt; verum in animos timoris, & periculi magnitudine attonitos, nihil verbis, nihil precibus, nihil promiſſis profuit; itaque lembo & ipſe conſcenſo in Aſiam cum Primoribus ſemet etulit. Latinus interea exercitus in forum princeps illatus, cum videret nihil defenſionis moliri cives, ſed ſupplices cum vexillis, ac crucibus undique occurrere, per Urbem & ipſe diſperſus fortunas civium, quas incendia reliquas fecerant, diripit; prædam quippe victori militi conceſſerant Duces; ea tamen lege: ne vel vitæ cujuspiam pacati, vel pudicitiæ nocerent; utque prædam unum in cumulum collectam ex æquo deinceps partirentur. C) Poſt hæc Marchio Bonifacius Regiam occupat, in eaque illuſtres fœminas, Annam Ludovici Regis filiam, Margaretam Ungaram Iſaacii viduam, pluresque inventas honeſte habet, nec multos poſt dies Margaretam ſibi in conjugem nectit. Henericus vero Flander Blachernarum occupavit palatium; e quo multi Græcorum Procerum vitam, & abeundi veniam pacti ſeſe dediderant. In utroque hoc

A) Imaginis occupatæ meminit Vilharduinus. B) Ita de hoc Alexio Nicetas; a quo ſe in calamitoſo hoc rerum ſtatu ex officio Logothetæ ſecretorum, quæ primaria erat dignitas, dejectum queritur p. 299. Alexium illum Angelum Iſaacii filium, & Alexium Ducam ſeorſim inter Imperatores non retulimus; tum quod turbatiſſimum, & breve eorum fuerit Imperium; tum quod Alexii alterius extra Urbem dignitati ſuæ adhuc inhiantis Imperio interceptum. C) Vilharduinus.

hoc palatio immenſa ſupellex regia, & apparatus repertus; ante alia vero ſacra vetuſtatis cimelia; ut crucis Dominicæ pars inſignis cum aliis ſalutis noſtræ inſtrumentis, ac Sanctorum illuſtria plane Lipſana; A) quæ poſtea vel dono Principibus per Europam miſſa, vel ab iis, qui aderant, exportata, multas præclaris, ſanctisque ejuſcemodi ſpoliis Urbes locupletarunt. A.C. 1204

In captam Urbem militari aliquamdiu ſævitum eſt licentia diripiendis præſertim opibus; quæ tantæ congeſtæ a Latinis ſunt, quantæ non facile in ulla captarum aliquando Urbium. Ut vero victorum ille deferbuit furor, civibus, ſeu manendi, ſeu ab Urbe migrandi indulta eſt venia, B) a qua quidem nobiliores pene omnes cum Camatero Patriarcha in alias ſe oras exportarunt; plebs vero in Urbe ut antea hæſit, opificio, augendisque, quarum jacturam adierat, fortunis intenta. Multis ſuam, Urbisque, cui interfuit, calamitatem luget Nicetas, & ipſe tunc Selybriam ab Urbe profugus; atque inhumanam Latinorum barbariem, crudelitatem, ſacrilegia incuſat; crediderim tamen, dolori illum ſuo nimium indulſiſſe; quid enim a victore, fraudibusque Græcorum exulcerato milite expectari aliud potuit? in lucro profecto ducere debuerant, quod vitæ eorum parſum ſit; quod vix arbitror, præſtituros fuiſſe Græcos, ſi perinde Latinarum quampiam Urbium armati occupaſſent; nam qui in ſuos barbarum adeo in morem ſæpe deſævierant; quid alienis tanto præſertim ab iis disjuncti odio feciſſent? Quamquam nec culpæ expertes Latini; qui omiſſa in Palæſtinam profectione, Græcorum ſeſe turbis miſcuerint; C) at enim ea tum Occidentalibus inſederat opinio: obtinendæ Palæſtinæ non expeditiorem ſupereſſe viam, quam ſi Urbis illius Latini potirentur. Quamquam profecto contra evenit: cruce enim ſignati novo illo Imperio fundando diſtracti, ac ulterioris profectionis immemores, tantum abeſt, ut prolabentibus in Palæſtina rebus prodeſſent; ut etiam multi de illis, qui in Palæſtina tunc militabant, miſſo tam ancipiti in Barbaros bello, Byzantium, velut paratam ad prædam currerent; ut neceſſitas injecta fuerit Regi Emerico Luſignano, inducias in ſexennium cum Saphadino paciſcendi. Græci denique id, quod ſemper ab illa cruce ſignatorum profectione verebaantur, maximo ſuo experti malo, ac quaquaverſus per Imperium ſparſi miſere peſſumibant.

Neque enim per Impoerium minus, atque in Urbe ea turbatum occaſione eſt: Græcorum Prrincipes ab Urbe profugi, aut Provinciis Præfecti earum pro ſe, ut poterat quisque, dominatum arripuerunt; fuſumque antea per Aſiam, & Europam Imperium, illud in minutulos Principatus diſcerpſerunt. Nam in Aſia quidem Bithyniam cum Nicæa, Pruſa, nonnullisque Urbibus Theodorus ille Laſcaris, primum Deſpotæ, poſt etiam Imperatorio nomine obtinuit. Trapezuntem, & Colchidem Alexius pro ſe arripuit Comnenus; Paphlagoniam vero David itidem Comnenus, Andronici ut dictum, ex Manuele nepotes; Mauroſomes Manuel Mæandrium occupavit tractum; Theodorus quidam Philadelphiam cum parte Ciliciæ. D) In Europa Myſiam Joannes ille Bulgarus pleno ſibi jure cum Regia, quin etiam Imperatoria appellatione aſſeruit; in Peloponneſo, & Theſſalia Leo quidam Sgurus loca complura, ducta poſt etiam in conjugem Eudocia, Alexii Eximperatoris, ac profugi filia obtinuit; Michael denique Angelus Imperatorum patruelis Epiri dominatum ſibi aſſeruit. Ita pro uno plures extitere Græci Principes; quodve nunquam ſatis admirere, ne tum quidem concordes, ſed armis, & fraudibus invicem formidati; uſque adeo infelix, ac vertendis rebus nata ambitio eorum ſibi penitus animos vendicarat. Fugitivus ille Imperator Alexius, Ducam Ale-

A) Recenſentur ſacra hæc, & illuſtria cimelia tunc elata a Spondano ad hunc annum. B) Acropolita p. 11. C) Sacrilegia, plurimaque ſcelera a cruce ſignatis in occupatione Byzantii perpetrata, exprobravit Ducibus per literas Innocentius; quæ citantur ab Allatio in Notis ad Acropolitam p. 11. D) Hæc ſparſim ex Niceta, & Acropolita.

A.C. 1204 Alexium perinde profugum, abſtracta illi filia Eudocia, erro erronem inſidiis exceptum cæcavit. Ducam hunc Alexium miſere per Theſſaliam oberrantem, ac comprehenſum dein Latini in Urbem adduxere; atque judicio celebrato, de parricidio, aliisque criminibus damnatum ex altiſſima, quæ in Urbe fuit, columna præcipitem egere; ita periit fax, & buſtum patriæ, & caput exitio tam funeſto digniſſimum.

Compoſita, ut licebat, Latini Urbe, tumultuque conſopito de deligendo novo e ſuis Ducibus Imperatore conſilium habuere. Delecti duodecim e primis ſunt Galli juxta, ac Veneti; ſex nempe Antiſtites, totidemque Proceres, qui Imperatorem ſuis deſignarent ſuffragiis. In Philippum Occidentis Imperatorem, abſentem licet, quorumdam inclinabant vota, A) cui filia Iſaacii Irene nupta erat, Imperii illius, ut videri poterat, hæres; ſed cum turbatus rerum ſtatus præſentem poſceret Principem, demum concordibus eorum ſuffragiis Balduinus Flandriæ Comes Imperator delectus eſt; atque ſexto decimo Maji menſis die corona in æde Sophiæ cinctus. Is fœderatorum ut ope recens firmaret Imperium, Theſſaliam Bonifacio, Cretam Venetis, Godefredo e Tricaſſina nobilitate Achajam beneficiario poſſidendam jure attribuit; atque ita Creta inſula tam nobilis in Venetorum deinceps poteſtate hæſit. Jam itaque ad Latinos in Oriente Imperatores narratio tranſeat; de quibus tamen pauca a Græcis commendata memoriæ ſunt; brevi itaque, quæ colligi undecunque poterunt, complectemur; Græcorum quoque Principum non immemores, eorum præſertim, qui conſtituta Nicææ in Bithynia dominatus ſede nomen, & dignitatem Imperatoriam utcunque tuebantur; quoad denique præclara unius, & alterius de illis virtute Byzantium ipſum, vetusque Imperium a Latinis ſocordia, rerumque neglectu ſuarum pari, atque Græcorum antea fuerat, abſorptis, vendicarent.

A) Spondanus ad hunc annum.

BALDUINUS FLANDER.



IMperator Balduinus animi, corporisque dotibus illuſtris, duos ſupra triginta tunc natus annos, a vitæ integritate, caſtimonia, magnanimitate, egentium cura, hoſtium adeo ipſorum laudem, admirationemque promeruit; A) at hiſce ejus decoribus non par reſpondit fortuna; ac in univerſum loquendo, Latinorum illi conatus, Urbisque occupatio non perinde, ut ſpes erat, vel Chriſtianæ commodarunt rei, vel optatos ſucceſſus habuerunt, vindicante eam aliena diripiendi aviditatem Numine, & arma ſui cauſa arrepta adjuvante quidem in Græcorum plectendis ſceleribus, ulterius vero, ac par erat, progreſſa deſtituente. A.C. 1204

Ac initia quidem ſat bene Balduino ſe dabant; qui ne Imperium unius ambitu Urbis miſere tum deformatæ concluſum haberet, exercitu in Thraciam producto, reliquas illic Græcorum Urbes occupare aggreſſus eſt: hæ vero, ne par acciperent infortunium, non difficiliter in Imperatoris novi jura concedebant; igitur Oreſtiadi ante alias, Didymotico, & Philippopoli Latini nominis præſidia fuere impoſita; B) illinc in Theſſaliam Balduinus duxit; Urbs Theſſalonica ultro occurrit venienti, ac pro Imperatore illum reverita eſt; id unum deprecata: ne promiſcuam militum fæcem, direptiones haud dubie apportaturam inferret; nec difficilem poſtulato tam æquo Imperator ſeſe præbuit.

Cæterum Balduino Græciam peragrante, prope factum eſt; ut civili inter ſe bello Latini confligerent; adeo non ſolos ea ætate Græcos ſubitanea hæc e diſcordiis mala divexabant. Theſſaliam cum Theſſalonica promiſſam ſibi Marchio Bonifacius habuit; cum itaque dominatum oræ illius a Balduino apprehenſum cerneret, ira percitus, moliri defectionem per Thraciam cœpit; occupato Didymotico, Urbibusque quibusdam, quin ut Græcorum concurſu vires efferret ſuas, Manuelem ex Margareta conjuge privignum, & Imperatoris Iſaacii filium adoleſcentulum Imperatoriis inſignibus exornavit. Demum tamen Danduli Venetiarum Ducis, Procerumque aliorum interventu compreſſa ea fuere diſſidia, ac Theſſalia Bonifacio conceſſa.

A) Nicetas etſi Latinis ſtylo infeſtus, laudat ab hiſce virtutibus Balduinum; a caſtimonia præſertim p. 315. B) Idem Nicetas p. 317.

A.C. 1204 Nactus Theſſaliam Bonifacius, ad Græciam quoque reliquam, & Peloponneſum Græcis eripiendam vires retulit; cui multum ad id negotii commodat Imperatoria umbra, adoleſcens Manuel; hoc enim circumducto, ac pro Imperatore oſtentato, cum & alias angue pejus Latina Græci arma formidarent, paſſim ſeſe Bonifacio dedebant. Sgurus quidam Leo turbatiſſimo ad latrocinandum abuſus Imperii ſtatu, multas occuparat Græciæ Urbes, ac tractabat inhumane; in his fuere Corinthus, Argo, Thebæ, Athenæ, magnaque Græciæ, & Peloponneſi pars; qui demum ex humili eo repente progreſſus eſt, ut Alexius Eximperator earum antea Regionum Dominus, nunc in iis ipſis exul, ad eum velut cliens ſeſe referret, eidemque filiam Eudociam, nuper Ducæ Alexio abſtractam, conjugem locaret. Verum Bonifacius victricibus loca illa armis pervagatus, quidquid pene Leo occuparat, præter Corinthi arcem, & Nauplium in poteſtatem redegit ſuam, prædonemque illum, uno & altero fractum prælio, in arctum compegit.

Ad Bonifacium hunc, pleraque illa Græciæ parte potitum, ſemet Alexius Eximperator ſua cum Euphroſyna contulit; ac principio habitus perbenigne locum quendam vitæ tolerandæ obtinuit; poſt vero ob inquietem ſive Monferratum, ſive ad Philippum Occidentis Imperatorem ludibrium fortunæ miſſus fertur. A) Illo tamen non perveniſſe Alexium, argumento eſt, quod de eodem Acropolites: B) a Michaele videlicet Angelo Epiri Domino, & patruele emptum pretio Latinis numerato fuiſſe Alexium, ac libertate donatum. Illinc vero in Aſiam profectum, rurſus Imperio adverſus generum ſuum Laſcarim, Barbaricis etiam adjutum armis inhiaſſe; uſque adeo, ne tanta quidem malorum ilias infelicem hominis ambitionem obruere poterat.

Hoc Thraciæ, & Græciæ ſtatu Imperii, in Aſiam quoque transferendi ſolicitus Balduinus, Henricum fratrem cum Petro Plancio ad Urbes ejus oræ occupandas, cum exercitu ire juſſit; & Lopadium quidem, Adramitium, multæque illic Urbes, ne defenſæ quidem, ad victores transierunt. Laſcaris Theodorus ægre a Nicæenſibus ad Principatum admiſſus, exercitum in Latinos non contemnendum produxerat; verum Græcis ne aſpectum quidem Latinarum cohortium ſuſtinentibus, c) fruſtra fuit. Par erat fortuna Theodoro alteri Philadelphienſi, qui in illo Imperii naufragio partem Phrygiæ aliquam arripuerat; hunc victum, & pulſum locis quibusdam mulctavit Henricus; reſtabant Laſcari Urbes munitiſſimæ, Nicæa, & Pruſa ab Henrico oppugnari cœptæ; verum ſubita de bello Bulgarico fama retraxit in Europam Henricum; atque ſpatium colligendi ſui Græcis, Imperiumque ejus oræ confirmandi dedit.

Rex Bulgariæ Joannes, hoſtis Græcorum perinfenſus, ut Regnum firmaret ſuum, a Græcorum illud Eccleſia abſtractum Pontifici Innocentio per Legatos ſubjecerat; D) a quo invicem Regni accepit inſignia per Leonem Cardinalem miſſa. Ut autem Byzantium in Latinorum venit manus, eo Græcorum arrectus infortunio Joannes, Regno & ipſe dilatando, vaſtandisque eorum Urbibus intentus, ſuam per Legatos amicitiam Balduino detulit. Verum Legati aſperius opinione accepti a Ducibus fuere; tum quod ferre tantos Joannis ſucceſſus non poſſent; tum quod Myſiam per ſeditionem avulſam, Imperii partem contenderent, non proinde, niſi in clientela Imperatoris Balduini poſſidendam. E) Reſponſo iſthoc, ut præferoci erat animo, irritatus oppido Joannes, ac nobilium quorumdam Græcorum, qui Alexium antea ſecuti erant, ac tam Bonifacio, quam Balduino, ſuam fruſtra operam detulerant, acceſſione auctus, id cepit conſilii; ut horum ope Græcas per Thraciam Urbes ad libertatem vocaret,

A) A Niceta tum ſcribente, ſed in tanta perturbatione rerum quid in Græcia ageretur, forſan ignorante. B) Acropolites p. 86. qui hic ſuam exorditur Hiſtoriam. C) Nicetas ſincere, ut apparet, res eorum temporum complexus, multis immanem illam Græcorum formidinem perſtringit. D) Spondanus ad hunc annum. E) Nicetas.

caret, junctisque armis in Latinum nomen, quam poſſent acerrime dimicarent. Ea res extremam Urbibus per Thraciam perniciem accerſivit; namque in varia diſtracti ſtudia Græci, & a Latinis deinde, & a Bulgaris infeliciter peribant. A.C.

Nobilibus itaque iis impellentibus, Urbes Didymoticum, Oreſtias, 1205
Byzia, Tzurulum, Arcadiopolis, Adrianopolis a Balduino præſidiis Latinorum aut pulſis, aut necatis deſcivere; quæ defectio ad maturandam expeditionem Balduinum, & reliquos adegit. Lectiſſimo igitur quoque ab Urbe producto, cum ipſo veris initio in Thraciam progreſſus Balduinus, Byziam quidem, & Tzurulum ſolo admoto metu, vi Arcadiopolim, civibus pro merito caſtigatis recepit; tum Adrianopoli oppugnandæ admovit exercitum. Rex Bulgarus majore exercitus parte in montibus, ſylvisque recondita eminus obſeſſis aderat, perque procurſores Scythicos laceſſebat identidem Latinos. Scythis ſemel, ac iterum in fugam conjectis, cum rurſus illi prodirent, nec finem exercitus divexandi ullum facerent, placuit Balduino, ac Ducibus, acrius perſequi agmen illud volaticum, ac in aſpera adactum loca penitus perdere; ſed conſilium iſthoc infeliciter cecidit; contra enim Balduinus cum flore militiæ ad loca pertractus iniquiora, & a multitudine hoſtium undique circumventus, amiſſis Ducum, militumque præſtantiſſimis, decimo quinto Aprilis die, anno Imperii nondum etiam evoluto, captus ab hoſte eſt; cecidit in eo prælio Ludovicus quoque Bleſenſis Comes; Dandulus vero, qui cum reliquiis apud Adrianopolim hæſerat, cognita ſuorum clade, fuga citatiſſima Byzantium petiit; ipſe quoque ex nimia fugiendi contentione brevi ad plures elatus. A) Joannes victoria potitus, Balduinum inhumane prorſus Ternobii in carcerem compegit; Scythis vero pro navata opera diripiendæ Thraciæ poteſtatem fecit; ſicque rurſus infelix Regio, quæ libertatem a Joanne ſperaverat, evaſtata, & a Latinis cladis dolore exacerbatis vexata crudeliter, in voraginem quandam malorum præcipitabat.

Victoria iſthac opportune uſus Joannes, victis rurſus in Theſſalia nonnullis Latinorum copiis, Urbem Serras deditione cepit; ac Bonifacio bis repulſo, direptionem intulit Provinciæ. Henricus interea rerum pro captivo Balduino adminiſter, reſtituendæ Thraciæ ſatagebat, exercitu e Latinis reparato; ad quam militiam ſequendam Cardinalis Thomas Maurocenus Venetus, ac tunc Patriarcha Urbis a Pontifice dictus, ſacris etiam comminationibus cives Latini nominis adigebat; Urbes Græcæ, quæ a Latinis defecerant, oppugnari deinde ab Henrico cœptæ; ac Aprum quidem Urbs capta, maleque tractata eſt; Oreſtias fruſtra diu obſeſſa, uti & Didymoticum; Scythicæ enim cohortes omnia circumcurſando, atque evaſtando Latinorum conatus fruſtrabantur.

Joanne Rege in Theſſalia occupato, Alexius Aſpietes Philippopoli Præfectus, ac Procerum Græcanicorum unus, neſcio quid a Bulgaro defectionis, aut Tyrannidis ſua in Urbe moliri cœperat; quo comperto Joannes obſedit cum exercitu Philippopolim, captamque crudeliter excidit; Aſpieten ipſum pedibus patibulo affixum dire interemit; cujus importuna exulcerati barbarie Græci reliqui, partim in Aſiam ad ſuos ſe Duces retulerunt, partim vero Latinis adjuncti ſunt; Oreſtias igitur, & Didymoticum Latinorum ultro accerſivere præſidia, ac Theodorum Branam, qui unus propemodum e nobilioribus Græcis Latinas a principio partes ſecutus erat, viduamque Andronici Annam, Ludovici VII. Galliarum Regis filiam, conjugio ſibi conjunxerat, Præfecti nomine ad ſe mitti flagitarunt. Ita rurſus Latinorum in Thracia vires confirmatæ.

Hiſce rebus ſupra modum irritatus Rex Bulgarus, maximas Scytharum copias in Thraciam ire, funditusque omnia delere jubet; illi mandata Regis ad ſummum exſorbent; per eos Ruſum cæſo Latinorum præſidio

A) Gregoras p. 7. ex vulneribus acceptis obiiſſe Dandulum ait; ſed verius Nicetas; qui enim cæcus ille conflixiſſet?

A.C. 1205 fidio everſum eſt, Aprum exciſum, Radeſtum, Arcadiopolis, Meſena, Tzurulum, Athyra, cum oppidis, vicisque ſimili infortunio funeſtatæ; ingensque hominum multitudo in ſervitutem ducta; Thracia certe florentiſſima, ac cultiſſima Urbibus Regio, propemodum in ſolitudinem iis vaſtationibus acta eſt. Solæ Urbes Selybria, Byzia, Didymoticum, Oreſtias, & Adrianopolis vim Barbaricam firmitate mœnium eluſere, accerſitoque Latino præſidio ſemet utcunque adverſus Bulgarum tuebantur. A)

Produxerat ad defenſionem Thraciæ rurſus exercitum Henricus, Scythicaque ea deferveſcente procella, reſtituendis Urbibus operam dabat; verum cognito Balduini interitu ad capeſſendum Imperium in Urbem rediit; neque enim toto illo, quo Balduinus captivus vixit tempore, de alio Imperatore Latini cogitarunt; quod ipſum admiratur, probatque Nicetas, & Græcis ceu illuſtre moderationis ſpecimen oſtentat; ut quibus ſolenne ſit jam tunc, cum Imperatori novo coronam imponunt, alium animis deſignare, quem recens inaugurato cum res, & occaſio tulerit, ſufficiant. Ita levis, fluxaque ea Gens, vel Græci ipſius Nicetæ judicio fuit. Porro Balduinum poſt anni unius, & menſium quatuor captivitatem; crudeli prorſus, & indigno mortis genere peremiſſe fertur Rex Bulgarus; quippe pedibus, ac manibus truncatum in vallem egiſſe præcipitem; ubi poſt acerbum tridui cruciatum infelix, alioque fato dignus Princeps animam egerit. Hæc de Balduino, qui Selybria turbines iſtos proſpectabat Nicetas; at Latini in carcere obiiſſe Balduinum Scriptores prodiderunt. B) Acropolites demeſſum illi caput, auroque incluſum cranium poculi vice Bulgaro Regi fuiſſe ſcripſit. Utcunque fuerit, miſerum, ac tantis imparem initiis Balduinus exitum habuit; Nec Bonifacio mitior fuit fortuna; qui anno a Balduini nece altero, in prælio cum eodem Rege Joanne temerarie pugnato occubuit. Cujus Provincia partim a Michaele Angelo Epiri Domino invaſa eſt, partim vero a Joanne. Sed & Joannem iſtum in obſidione Theſſalonicæ ob immenſam illam in quosvis, ſed præcipue Græcos crudelitatem vindicta Dei brevi perculit. C) Somniarat ille virum armatum pone aſtare, atque haſtam ſibi vibrare in latus; dehinc vero tantis laterum correptus eſt cruciatibus, ut ex iis animam efflarit. Theodoro id Martyri, Patronoque ſuo beneficium Theſſalonicenſes acceptum tulerunt. Joanni huic Borilas ſororius in Bulgarico Principatu ſucceſſit; ſed nec Balduino mares ſuperfuere liberi; fœminæ binæ: Joanna, & Margareta, Principibus in Gallia viris conjuges datæ.

HEN.

A) Diffuſe iſta acerbas inter querelas exequitur Nicetas. B) Citantur a Spondano ad annum præſentem. C) Acropolites p. 9.

HENRICUS FLANDER, ET THEODORUS LASCARIS.



COgnito Balduini interitu, de communi Procerum Latinorum aſſenſu, Imperium pleno jure Henricus viceſimo Auguſti die capeſſivit, Balduini frater; vir bello impiger, quemve nec res proſperæ efferrent, nec deprimerent adverſæ; qui tantis minime fractus bellorum procellis, ac cum nova dignitate, velut nova decertandi alacritate auctus, coactis in unum Latinorum copiis, vi magna adverſus Bulgaros Scythis adjunctos in Thraciam progreſſus eſt, ac conſerta acie illuſtrem conſecutus victoriam; per quam & Thraciæ, Græcarumque Urbium reliquiis, & Imperio in Oriente Latinorum utcunque conſultum deinceps fuit; & denique tantis bellorum turbinibus finis ea parte impoſitus. A) Ad virtutem hanc militarem reliquas quoque animi dotes Imperatore dignas adjungebat Henricus; quo factum, ut reſpirarent e tot ſenſim malis, qui Byzantii hæſerant Græci, ſuosque Principes ad turbas, & excidia factos non multum requirerent. B) A.C. 1206

Sed & in Aſia minore res Græcanicæ viſæ erigi; poſteaquam Theodorus Laſcaris, Tyrannis aliquot perdomitis, partem illius haud modicam virtute, induſtriaque ſibi adjunxiſſet. Duobus ille annis non Imperatorio, ſed Deſpotæ tantum nomine rebus præfuit; ut vero Philadelphiam, & Mæandrium tractum dominatui aſſeruit ſuo, Imperatoriumque pro dignitate ſuſtinere poſſe nomen viſus eſt, e priſca inaugurandi conſuetudine coronam Nicææ accepit; quam eidem in locum Joannis Camateri Patriarchæ Didymotici in Europa commorantis, nec volentis in Aſiam trajicere, Michael Autorianus novus impoſuit Patriarcha. C)

Vix auſpicato Imperium Theodoro, unde minime debebat exitium imminere viſum eſt; ab Alexio nempe ejusdem ſocero; (Anna quippe Alexii Eximperatoris nata in conjugio Theodori fuit.) Alexius ille tot rebus

A) Hic demum Hiſtoriam ſuam concludit Nicetas. B) Acropolites pag. 12. C) Acropolites pag. 5.

A.C. adverſis probe edoctus, nihil eſſe acerbius purpura per fraudes, & ſcelus
1206 quæſita; tamen novo, & atrociore ſcelere aſpirare ad illam, & vetus urgere inſtitutum perrexit. Audito enim, Theodorum generum Imperatorio in Aſia nomine rebus moderari, adepta, ut dictum eſt, per Michaelem patruelem libertate in Aſiam transgredi, adjunctoque partibus ſuis Turcorum Sultano Jathatine de Aſiatico illo dominatu armis decertare inſtitit; Jathatines, qui jam olim Conſtantinopolim ob fraterna diſſidia progreſſus, ac ab eodem hoc Alexio tunc Imperatore in filium adoptatus, Chriſtianeque inſtitutus erat, nec ita pridem in Sultanicam a ſuis dignitatem ſubvectus, cupide Alexium accepit exulem, illatoque Laſcari bello cum viginti armatorum millibus Antiochiam ad Mæandrum ſitam obſidione circumcluſit.

Inopinati uſque adeo belli rumor non leves injecit Theodoro curas, tum primum e tanto naufragio vires, animumque recipienti, & neque a copiis militaribus, neque a nervo bellico ſat inſtructo. Raptis igitur præpropere duobus tantummodo ſuorum millibus, quorum octingenti Italici generis ſtipendiarii fuere milites, Antiochiam verſus profectionem celeravit, non tam viribus, quam conſilio, ac feſtinatione Barbarica hæc molimina oppreſſurus. At enim opinione paratiorem offendit Jathatinem; qui multitudine vallatus ſuorum, ac victoriæ ſecurus, manipulum illum Theodori verius, quam exercitum circumdat, ac Italorum, qui ante alios ſtrenue dimicarant, occiſis permultis, ipſummet Theodorum ad ſingulare conquirit certamen; neque in tanta pereundi neceſſitate ſeu virtus, ſeu verius fortuna Theodoro defuit. Jathatines tam valido in caput Theodori ictu invectus eſt, oborta ut vertigine confeſtim is ab equo prorueret; at in ipſo lapſu redditus ſibimet, ac in pedes eluctatus Theodorus, primos equi Sultanici pedes ferro reſecat, tum corruenti ab equo Barbaro caput præcidit, ſublatumque exercitui victor oſtentat; eo facinore ſimul victis rediere animi, ſimul Barbaris trepidatio, deſperatioque injecta. A) Igitur hi in fugam conjecti, impedimentis quoque, ac turbatore illo Alexio hoſti relictis, ad ſua rediere. Neque diu poſtea ſancita inter Theodorum, ac Turcos pace, tranquillitate ab ea parte proſpectum.

Alexium illum Superis, hominibusque inviſum, ac ſuo pro merito tot infortuniis caſtigatum comprehendit Laſcaris; Nicæamque perductum, in Hyacinthi aſceterio veſtem induere monaſticam compulit; neque ultra generi in ſocerum vindicta, & ira elata eſt; quin ſuppeditatis etiam largiter alimentis fovebat miſerum, alia quamvis ſupplicia, & ergaſtula promeritum. In eodem hoc aſceterio diem poſtea ſuum Alexius clauſit; Euphroſyna vero ejus conjux in Urbe Arta, ut ſcelerum, ita calamitatis, errorumque comes, & uterque triſte a patria peſſumdata, malisque toleratis ſpectaculum. B)

1207 Victor eum in modum de Barbaris, deque ſocero Theodorus, deinceps cum Davide Comneno, & Imperatore Henrico conflictatus eſt; Paphlagoniam uti dictum, in communi illo naufragio arripuerat David; quam ut adverſus Theodorum omnia, quæ Imperio antea paruerant, ſibi adjungere molientem tueretur, ad ſocietatem Latinorum Byzantium recurrit; certum pactus annonæ numerum: ſi armis præſto ſibi eſſent. C) Et ſtrenue fines aliquamdiu ſuos horum ope tuebatur David; verum illis deinde ſive alio occupatis bello, ſive ſerius in rem incumbentibus, Heraclea, & Mamiſtra Urbibus expugnatis, Provinciam illam ſibi ſubjecit Theodorus, eaque terrarum acceſſione in ſpes majores aſſurrexit. D)

1208 At enim hac parte fortunatum Henricus brevi mulctavit; qui in Aſiam, ut militaris, ſtrenuusque erat Princeps, transgreſſus, quasdam Theodori copias primo impetu fudit, atque occupatis Urbibus Pænameno,

A) Meminit certaminis hujus Nicephorus quoque Gregoras; qui iſthic Hiſtoriam exorſus, ad ſua uſque tempora diffuſe deduxit. B) Gregoras p. 11. C) Nicetas de his ante interitum adhuc Balduini. D) Acropolites p. 8.

meno, Lentiano, Anchiaro, maritimam Aſiæ oram obtinuit, ac pace cum A.C.
Theodoro ſancita retinuit etiam. Idem Henricus, ut captas Urbes in ob- 1208
ſequio firmiores haberet, tractavit perbenigne dedititios, ac officiis quoque militaribus, quod ſummæ Græcis voluptati erat, admovit; A) non neſcius, nihil eſſe aut affinius Tyrannidi, aut ad exaſperanda ſubditorum odia exquiſitius, quam ſi opum, & honorum, quæ illi in Principes congerunt ornamenta, in alienos refluere videant; ſibi vero velut præſtitæ mercedem operæ egeſtatem relinqui, & ignominiam.

Itaque Imperii deinceps Græcanici hæc fuit partitio: Byzantio, Thraciæ, parti Græciæ, ac maritimæ Aſiæ Henricus; Bithyniæ, Paphlagoniæ, Ciliciæ, aliisque in Orientem vergentibus Provinciis Theodorus imperabant; Comnenus Alexius Trapezuntem, & Colchidem; Michael vero Angelus Epirum, Albaniam, Theſſaliam, Ducum, aut Deſpotarum nomine obtinebant. Cretam, & quasdam Ægæi maris inſulas Veneti, alias Franci quidam Proceres, uti & Peloponneſum habebant; res demum Bulgaricæ inteſtinis turbatæ motibus (Aſanis quippe filius Joannes adverſus Regem Borilam Regno inhiabat) in arcto fuere.

Michaeli Epiri Domino, cujus nunc incurrit mentio, tres fuere fratres: Theodorus, Conſtantinus, & Manuel, Imperatorem in Aſia ſecuti Theodorum. Cum vero Michael liberis careret Regno idoneis, Theodorum fratrem inſtituit hæredem, quem idcirco mitti ad ſe ab Imperatore Theodoro popoſcit. Hic ut haberet e Græcis, qui a tergo Latinis moleſtiam quirent faceſſere, expedivit in Græciam Theodorum, adjuratum tamen prius, ſibi ut fidem deinceps præſtaret, ac in clientela Imperatorum Græcanicorum oras illas poſſideret. B) Transgreſſus in Epirum Theodorus, Michaeli caſu quodam interfecto ſucceſſit. Hunc in modum in Europa non minus, quam Aſia confirmari cœperunt Græci, ſpesque poſt tot res turbidas, & inſanas affulgere viſa melior.

Nec deinceps bellorum quidpiam, aut narratu admodum memorabi- 1213
le de Henrici, ac Theodori Imperio apud Scriptores occurrit; credibile, ſaturos tot malorum, & excidiorum populos illos, præter morem quietem deinceps agitaſſe. Et Henrici quidem Imperium decem fere annorum ſpatio definitum fuit; cujus octavo anno Cardinalis Pelagius Conſtantinopolim ab Innocentio III. Legatus venit. C) Pontifex hic ne temporario tantum emolumento Byzantium in manu Latinorum eſſet, urgebat aſſidue Henricum, uti ad concordiam Sacrorum cum Romana Eccleſia cives adigeret; in quod negotium modis omnibus incumbere Pelagium voluit. Nihil cum apud obſtinatos lenia prodeſſent remedia, ad ſeveriora ventum eſt; igitur Monachis, aliisque in ſententia veteri propugnanda ferventioribus completi carceres, occluſa eorum templa; quin capitale quoque iis propoſitum ſupplicium, qui pervicaces eſſe pergerent. Verum omnibus hiſce machinis parum, aut nihil profectum eſt; civium Primores Henricum adeunt, & vel Sacris ſuis libertatem, vel liberam ab Urbe in alias oras miſſionem flagitant. Imperator agi in ſolitudinem Urbem cum nollet, veteres illis ritus (ſi qua Acropolitæ hæc talia referenti fides) relinquendos cenſuit. Itaque capti, vinculis expediti ſunt; quorum tamen permulti, ut ſecurius videlicet perirent, Nicæam, & in Bithyniam ad ſuos ſemet etulere. Laſcaris Imperator ſex ultra Henricum annos vitam produxit, Annaque conjuge demortua, Armeniam quandam virginem ſibi deſpondit; ſed ea repudiata Mariam, Petri Altiſiodorenſis Comitis filiam, Roberti, qui poſt Henricum imperavit, ſororem in conjugem legit.

Etenim elato ſine liberis Henrico, variantibus Procerum Byzantino- 1216
rum ſententiis, ac parte quidem Andream II. Hungariæ Regem, D) parte vero

A) Acropolites p. 12. B) Acropolites p. 10. C) Acropolites p. 12. Meminit Spondanus quoque ad hunc annum. D) Meminit Andreæ ad Imperium vocati Allatius in notis ad Acropolitam p. 19.

A.C. 1216 vero ſocerum ejus, quem nominavimus Petrum, Philippi Galliarum Regis patruum, ſucceſſorem optante; demum Petrus hic potioribus vocatus ſuffragiis, qui Jolantham Henrici ſororem in conjugio habebat, nec parum ipſe ad occupandum Byzantium operæ attulerat, e Gallia Byzantium iter iniit. Romam ex itinere profectus ab Honorio III. coronam accepit, extra Urbem tamen in Æde D. Laurentii; ne quid Imperatoribus Occidentis præjudicii crearet. A) Illinc cum Regio comitatu, lectaque militum manu claſſe in Albaniam tranſiit; ferturque in oppugnanda Urbe Dyrrachio Venetis operam navaſſe; verum conamine illo fruſtra ſuſcepto, iter ſuum per Theodori Angeli in Epiro, & Theſſalia dominantis Provincias proſecutus, Byzantium verſus eſt. Ne autem felicem ea profectio ſortiretur exitum, idem ille Theodorus impedimento fuit; de quo contraria inter ſe, Latini, Græcique Scriptores: Hi enim a Theodoro inter anguſtias montium Albaniæ prope Dyrrachium victas eſſe Latinas copias, ipſumque interfectum Petrum ſcripſere; B) cæteros, qui cladi ſupererant, vinculis adſtrictos; contra illi Petrum fide a Theodoro data ſecurum per ejus Provincias iter feciſſe; C) verum inter montium anguſtias a perfido illo obrutos, cæſosque, Petrum vero cum Proceribus in vincula conjectum, in quibus ille triennium, aut eo amplius exegerit; denique a Theodoro ſimulata conventione, & amicitia invitatum ad epulas Petrum crudeliter interfectum eſſe. Ita Petrus hic Altiſiodorenſis, Imperator quidem inauguratus fuit, nunquam tamen Imperium adiit ſuum; quo etiam reſpectu ſeorſim inter Orientis Imperatores repoſitus a nobis haud eſt. Petro huic tres fuere mares liberi: Philippus, Robertus, Balduinus; & Philippus quidem patria contentus ditione, Imperii Orientalis jura in Robertum tranſtulit. Petro in vinculis detento, Jolantha ejus conjux biennium Byzantii rebus præfuiſſe fertur; poſtea vero Robertus, & Balduinus ordine imperarunt, quorum quidem diuturnior illic fuit dominatio, quam felicior; hoſtibus enim undique conſtricti, & acciſi, peneque ad ſolam Urbem redacti, cum ignavius, ac mollius, quam pro ingenio Francorum, rebus præſunt, effecere; ut ſenſim Nicæni Principes in Europa quoque Imperium diducerent ſuum, penitusque demum Latinos poſſeſſione Urbis dejicerent; quæ ut evenerint, compendio ſicut alia, dabimus. Illud autem permoleſte nos habet, quod Scriptores noſtri res Græcanicas enarrare contenti, perparum de geſtis interea Latinorum memoriæ conſignarint; ut vix nudam annorum, quibus iſti imperarunt, ſeriem proferre in medium citra hæſitationem liceat.

Cum Maria Petri iſtius Filia, non plus triennio Laſcaris exegit; qui paulo ante occaſum ſuum, firmiore ut amicitia Byzantinos ſibi Principes devinciret, Eudociam e priore conjuge ſibi natam Roberto in matrimonium dare, etſi affinitatis apud Græcos obſtarent leges, animum induxit. Adverſabatur nuptiis ejuſcemodi Manuel, qui tum Nicææ erat Patriarcha; ſed & mors brevi Theodoro ſuperveniens deſignationes iſtas reſcidit. D) Fuere præter hanc Eudociam Imperatori Theodoro filiæ, Maria, & Anna; hæc Joanni Vatazæ Didymotico oriundo nupta eſt; Vatazes Ducæ maternum (quod familiare Græcis perſæpe fuit) velut illuſtrius ſibi adſcivit cognomentum; ac quod liberi mares non eſſent Theodoro, ſucceſſor in Imperio Græcanico ab eodem eſt deſignatus. Maria natarum altera, Belam Andreæ Ungarorum Regis filium conjugem eſt nacta, tum videlicet, cum occaſione ſacræ in Palæſtinam expeditionis Rex Andreas per Provincias Theodori ab Oriente redux iter in Ungariam haberet. Sed quia ſacræ illius in Orientem profectionis mentio rurſus illata eſt, hanc quoque pauculis, ut alias, perſtrinxiſſe non alienum abs re fuerit.

Occu-

A) Spondanus ad annum Chriſti 1217. B) Acropolites p. 141. C) Videnda hæc diffuſius apud Allatium in notis ad Acropolitam p. 19. & apud Spondanum. D) Idem Acropolites p. 11.

Occupato Byzantio, averſisque in alia bella cruce ſignatorum animis, in ſexennium inducias cum Saphadino Emericum Palæſtinæ Regem pepigiſſe diximus; quod priusquam ſe tempus evolveret, fato Emericus ceſſit cum conjuge Iſabella, quin etiam cum filiolo cognomine; ut rurſus ad fœminam Regni illius, perquam licet acciſi, & ad duas pene Urbes Tyrum, & Ptolemiadem redacti jura deciderent. Fuit hæc Maria, Emerici natarum major; cui de jungendo viro gubernaculis pari, & coronando, diuturna inter Proceres exarſit diſceptatio; ita demum compoſita: uti ad arbitrium Philippi Auguſti Francorum Regis rem totam deferrent; isque quem vellet Mariæ conjugem, & Regem daret. Joannes Briennenſis, Campaniæ Comes, deſignatus demum a Rege eſt; qui copiis quibusdam, ſed tenuibus ære ſuo confectis, Ptolemaidem circa annum a nato Salvatore milleſimum ducenteſimum decimum navigavit. A) A.C. 1216

Jam induciæ cum Saphadino pactæ finem acceperant; earundem prorogationem offerebat Saphadinus, ſed a Templariis equitibus improvide rejectus, ad bellum totis viribus inſtaurandum incubuit. Joannes accepto in manus Regno, dignum ſemet judicio Regis Francorum probavit; at cum impar animo belli gerendi facultas virorum, & æris inopia ſuppeteret, demum intra muros Ptolemaidis compulſus, ab hac Urbe & Tyro arcere Barbaros pro lucro habuit. Ea res cum ad Pontificem Innocentium perlata eſſet, literis, Legationibus, ac quovis hortamentorum genere ad ferendam Orientalibus opem Europæos perurgebat. Cum vero præclari hi conatus in irritum fere reciderent; de potentiori, uſitatoque tunc remedio Conventu Patrum univerſali cogitavit. Indictum proinde Romam eſt Concilium, milleſimo ducenteſimo decimo quinto æræ Chriſtianæ anno, & maxima Præſulum, Principum, ac Legatorum frequentia in æde Lateranenſi celebratum. B) Hic inter plurima alia negotia, litesque Chriſtianorum pertractatas id præcipue Pontifex curæ habuit; ut ad Palæſtinam recuperandam, bellumque majore animorum, & ardore, & concordia inſtaurandum omnes accenderet. Et fuerunt, ut fere in omnibus ejusmodi Conventibus, concitatiſſimæ omnium in id opus voluntates; quæ tamen, cum ad rem ventum eſt, aut frigeſcebant continuo, aut privatis abreptæ commodis, in contraria ſtudia, & odia ſcindebantur.

Innocentio hæc interea morte ſubitanea prærepto, Honorius itidem hoc nomine tertius ad promiſſa explenda Reges, Ducesque exſtimulabat: Imperatorem Fridericum II. bella Germaniæ a tali profectione remorata fuere; alios quoque Reges ſua aut commoda, aut odia detinebant; unus igitur Regum Europæorum, Andreas II. Ungarus, Ducem ſe Chriſtianis in Orientem ituris dedit; quem plurimi ex omni Europa ſecuti; ante alios Leopoldus Auſtriæ, Ludovicus Bavariæ Duces, Palatinus Rheni, Moraviæ, Brabantiæ, multarumque Provinciarum Domini, cum Germaniæ, ac etiam Ungariæ Præſulibus plerisque; hi cum Rege Venetias profecti Venetorum navibus C) in Cyprum, illinc vero cum prævalido exercitu Ptolemaidem navigarunt. Cæterarum gentium cruce ſignati Meſſanæ, & Brunduſii conſcenderunt mare; Colonienſes vero, & Friſones cum Duce Hollandiæ ab oſtio Moſæ fluminis longo in Palæſtinam circuitu direxerunt vela. 1217

Ut Ptolemaidem ſub anni milleſimi ducenteſimi decimi ſeptimi autumnum ventum eſt, diebus pauculis quieti impenſis, profectio in Palæſtinam inſtituta fuit; Rege Hieroſolymitano Joanne, & Rege Cypri Hugone, Boemundo Tripolitano Duce, Andream velut ſummum exercitus Imperatorem conſectantibus. Cognito Chriſtianorum molimine, Saphadinus Corradinum

A) Videndi de his Abbas Urſpergenſis in Chronico; Matthæi Pariſii ad hos annos Annales, & Jacobus de Vitriaco, qui expeditioni interfuit. B) Spondanus ad hunc annum. C) Blondus, & cæteri Veneti Scriptores ajunt: Regem Andream pro hac trajectione Venetis Dalmatiæ Regnum in perpetuum ceſſiſſe; at profecto nihil ſimile apud Ungaricos occurrit; nec certe Regiæ fuit poteſtatis, Regna coronæ Ungaricæ innexa alienare.

A.C. dinum filium initiis hiſce cum exercitu obſtiturum miſit; verum ille ſi-
1217 ve metu tanti apparatus conterritus, ſive, quod quidam prodidere, A) clade aliqua ab Andrea affectus, ſubito Babylonem verſus retroceſſit. Chriſtiani, qui hac hoſtis trepidatione uti percommode poterant, vaſtatis Saracenorum terris, lecta præda, & corporibus in amne Jordane pietatis cauſa ablutis, ceu illius tantum rei gratia profectionem tam longinquam ſuſceperint, Ptolemaidem rediere. B) Credibile, hyemi jam adurgenti, aliisve incommodis, ut fere in ejusmodi factum expeditionibus, ceſſiſſe Duces; ne tamen nihil omnino egiſſe viderentur, in regreſſu prævalidam, quam in monte Thabor Barbari extruxerant arcem, Ptolemaidi vicinam, & infeſtam obſederunt. Cæterum conatus iſte jocularis propemodum fuit; ſuperato enim inter dimicandum arduo monte, cæſisque, qui aditum præcluſerant, Barbaris, cum faſtigium jam tenerent, & arx impetenda foret, Boemundo Principe aggreſſionem velut toti exercitui periculoſam diſſuadente, omiſſum eſt incœptum, ac eadem adhuc die e monte deſcenſum. Barbari eruptione facta acceptam in aſcenſu cladem, in deſcenſu Chriſtianis reddidere.

1218 Exin diviſis ob rem non ſat bene geſtam ſententiis, aſperrima quoque hyeme, & plurimis incommodis fracti Chriſtianorum animi, nihil tum quidem generoſum in Barbaros moliti ſunt; quin exercituum quoque quadrifariam facta diſceſſio, expeditionem tantam fruſtrata eſt; & illi quidem, qui ſerius adventantes Ptolemaide hæſerant, rurſus in patriam commigrarunt; Rex Hieroſolymæ, & Dux Auſtriæ ad Cæſaream tendebant; Templariorum vero, & Teutonicorum Magiſtri cum cruce ſignatorum parte non modica prope montem Carmelum. Denique Rex Ungariæ C) voto ſatisfactum ſuo ratus, domeſticis eum avocantibus turbis, primum in Cyprum cum Inſulæ illius Rege, inde vero in Ungariam navigavit; quem tamen non totum iter mari emenſum eſſe innuit Acropolites; dum ab eo per terras Imperatoris Theodori revertente deſponſam filio Belæ Mariam ſcribit. D)

Qui in Palæſtina remanſerant cum Rege Joanne, Dux Auſtriæ, trium Militarium Ordinum Magiſtri, cæterique Principes cum bona cruce ſignatorum manu exacta hyeme conſilium cœpere transferendi in Ægyptum belli; tum quod propius mare pugnaturis opportunior eſſet commeatus parandi ratio; tum ut hoſte in ipſis viſceribus debilitato, facilius deinde Hieroſolyma, quo vota collineabant omnium, potirentur. Confirmavit eosdem in ſententia per idem plane tempus numeroſæ claſſis Friſonum, Colonienſium, cæterorumque ab Europa appulſus. Itaque concordibus animis Peluſium, aliter Damiata in oſtio Nili fluminis Urbs, & ampla, & optime communita, die triceſimo Maji menſis anni ducenteſimi decimi octavi ſupra milleſimum, obſideri a Chriſtianis cœpit. Obſidio iſthæc in octodecim ipſos menſes extracta, ac inter plurimas bellorum, & fortunæ viciſſitudines patrata eſt; Chriſtiani enim communitis probe caſtris, claſſe commeatum, recentesque ab Europa copias accipiebant, & confirmabantur in dies; præſertim poſteaquam Cardinalis Pelagius Pontificis Legatus cum frequentiſſima cruce ſignatorum manu eo advenerat; contra vero Meledinus, & Corradinus, Saphadini nuper demortui liberi, cum maximis exer-

A) Ungarici Scriptores, Thuroczius in Andrea, & Bonfinius l. 2. D. 7. B) Jacobus de Vitriaco Hiſtoriæ Orientalis l. 3. C) Andream triennio in Oriente commoratum eſſe, ejusque auſpiciis captam Damiatam, ſcripſit Blondus, & ex eo Bonfinius; at certe Jacobus de Vitriaco nullam in expeditione ad Damiatam Andreæ mentionem facit; uti neque alii; Thuroczius ipſe in Andrea ait: per menſes tres Andream in Oriente commoratum fuiſſe. D) Multis contendit Spondanus ad hunc annum, Andream claſſe conſcenſa mari in Ungariam reverſum; ut evincat expeditioni ad Damiatam non interfuiſſe; at certe Acropolites per ditionem Laſcaris illum revertiſſe aperte, teſtatur: *μαρίαν δὲ δευτέραν τῶν αὐτῷ θυγατέρων τῷ Ρηγὶ Ουγγρίας διερχομένῳ τὴν αὐτῷ χώραν ἐκτῶν Ιεροσολύμων εἰς κῆδος ἐπὶ υἱῷ παραδίδοσι.* Mariam vero filiarum alteram, Regi Ungariæ Hieroſolymis per Regionem illius revertenti ſponſam filio jungendam tradidit. Ex quo dubium ad minus redditur: an non is expeditioni ad Damiatam interfuerit.

exercitibus imminebant Chriſtianis; ſæpeque integris etiam aciebus inter A.C.
eos concurſum eſt, alternante identidem belli fortuna; ac dum furore 1218
magis, ut fuit ævi illius ingenium, quam conſilio pugnatur, clades alias aliis exaggerante.

Ad extremum Peluſii defenſores Barbari fame, morbisque enecti, atque ab octoginta armatorum millibus ad tria duntaxat millia redacti, incruentam Chriſtianis liquere Urbis occupationem; quippe tria quoque ea millia ferendis armis per morbos vix erant; itaque plures per dies nullus per muros hoſtis conſpectus eſt; ea re Chriſtianorum quidam obſervata, murum exteriorem impune conſcendnnt, pari felicitate transgrediuntur & alterum, ac denique tertio ſuperato, pauculis Barbarorum repugnantibus, Urbe potiuntur. Nihil in ea præter pallidam mortis imaginem videre erat; domus omnes aut mortuis, aut brevi morituris confertæ; quæ ne tabes in Chriſtianos quoque tranſiret, ingreſſum exercitui provide vetuerunt Duces prius, quam Urbs ab ea clade expurgata eſſet. Præda omnis generis affatim intus reperta, diuturnæ obſidionis mala penſare viſa eſt. Ingens denique totum Orbem Chriſtianum de tanto opere lætitia, ſed non longum duratura occupavit. Meledinus, & Corradinus Urbis occupatione conſpecta, effuſa ſemet fuga ad Regni penitiora retulerunt. Et Corradinus quidem Hieroſolymæ muros, quod illius conſervandæ ſpem non haberet, disjecit, una ſolum Davidis excepta turre; Meledinus vero inſtaurando exercitui, motibusque Chriſtianorum obſervandis operam impendit. A)

Peluſio hunc in modum occupato, Rex Joannes reducendum in Pa- 1220
læſtinam exercitum, pacemque, quam percommode offerebat Meledinus, amplectendam omnino cenſebat; at obnitebatur contra Cardinalis Legatus; urgendum porro victoriæ curſum, & Babyloni ſive Cairo vires admovendas; ac perdomitis penitus Barbaris, ſecuritati Palæſtinæ in perpetuum magis, quam ad tempus proſpiciendum. Lite hunc in modum inter Principes exorta, cum alias quoque ſententiarum diverſitas ſæpe Regem cum Cardinali colliſiſſet, disjuncti rurſus fuere Ducum animi; & Rex quidem vario uſus obtentu, remigravit Ptolemaidem; pars vero cruce ſignatorum non minima, Europam repetiit; reliquus demum cum Cardinali exercitus circum Damiatam egit hyemem; illo omnia in futurum bellum moliente, atque Pontificem de novis ſuppetiis inſtanter appellante. Lætus ſuorum ſucceſſu Pontifex, impetravit demum ab Imperatore Friderico, per id plane tempus Romæ coronato, crucem uti ipſe in Orientem poſtea iturus ſumeret; nunc vero lectam ſuorum manum vela in Palæſtinam facere juberet. Itaque Dux Bavariæ cum Epiſcopo Metenſi, nobilitate Sicula, & Apula (quæ Friderico tum parebant Provinciæ) validaque armatorum manu Ptolemaidem primum, inde Damiatam ſub hyemis exitum tenuere. Sed & Joannes Rex, qua cruce ſignatorum precibus, qua Pontificis hortatu perſuaſus, ſemet Peluſio, & exercitui bono cum numero reddidit; in quo Genuenſibus quoque, Piſanis, ac Venetis accurrentibus, ſeptuaginta facile armatorum millia cenſebantur. Nuſquam rei e ſententia gerendæ opportunitas major Chriſtianis exorta eſt. Meledinus enim tanto conterritus apparatu, ultro opimas pacis conditiones Principibus detulit; quibus & Palæſtinam omnem cum Hieroſolyma, & Peluſium ipſum perpetuo addicebat; nec Regi Joanni, & Proceribus res hæ diſplicebant; verum interceſſit compoſitioni tunc quoque Cardinalis Legatus, pene magis miles, quam Sacerdos; atque niſi cum Saracenici Imperii, ac Babylonis excidio terminandum eſſe bellum, generoſius, quam prudentius negabat; cui ſacris quoque armis, & minis adverſus obluctantes inſtitutum urgenti, demum paruere omnes; & profectio inter duo Nili brachia in interiora Ægypti inſtituta.

A) Hæc Jacobus de Vitriaco; Godefridus Monachus; aliique diffuſe perſequuntur. Spondanus quoque ad hunc, & ſequentes annos.

A.C. 1221 Meledinus pacem rurſus ſupplex orat, rurſus per contemptum rejicitur; quod cum ei non procederet, conſulto venienti cedit hoſti, exercitumque in alteram Nili ripam transportat; interea vero aſtum ad opprimendos Chriſtianos non ſane pro captu Barbarico comminiſcitur: dum enim Chriſtiani inter duo Nili brachia de trajectu amnis conſultant, ac per longiorem moram annonæ, quod acceperant, abſumunt, repente Barbari cataractas Nili fluminis reſerant, ac in canales, qui Chriſtianum claudebant exercitum, tantam immittunt aquarum vim, ut exitu, redituque præcluſo, omnem ei elabendi ſpem, facultatemque adimerent. Quid hic in arcto deprehenſi agerent Chriſtiani? ad infimas converſi preces, exitum, pacemque a Meledino nuper contempto poſcunt; & fuit ea Barbaro humanitas, ut quamvis facile Chriſtianum perdere exercitum poſſet, exitum tamen detumeſcentibus aquis, interea autem annonæ multum fame tantum non enectis, largiretur; ea tamen lege: ut induciæ in octennium dehinc eſſent; Damiata autem deductis e veſtigio præſidiis redderetur; quibus ipſe viciſſim ſanctam Domini Crucem olim a Saladino in prælio ad Tiberiadem occupatam redhibuit. A) Ita de capta Damiata brevis admodum Chriſtianis fuit lætitiæ ſenſus; qui demum nullo tot laborum operæ pretio, quin cum ingenti opum, virorum, & exiſtimationis jactura in patriam quique ſuam rediere; uſu docti: cum in omnibus hominum negotiis, tum præcipue in victoria natura inſolenti, ob oculos habendum aſſiduo vetus illud: ne quid nimis. Lubricam adhæc illam eſſe; neque ei manibus retinendæ, ac primo prenſandæ minus conatus impendendum. Sed jam ad Laſcaris exitum, qui anno hanc Chriſtianam expeditionem ſecuto accidit, flectenda narratio.

1222 Theodorus itaque Laſcaris expletis in Imperio annis decem & octo vitæ circiter quinquageſimo, regnandi, & vivendi finem fecit; vir conſilio non minus, quam manu promptiſſimus; cui conſervati in tantis ruinis Imperii Græcanici gloriam merito omnes adſcripſere; B) per eum enim non modo repreſſi fuerunt plures Tyranni, ac Latinorum impetus; verum etiam Urbes in Aſia Turcis confines operibus, & præſidiis communitæ. Hæc tamen Theodori decora adulterabat præceps in iram, & Venerem animus; ut familiaria magnis, & in alto poſitis ingeniis vitia, ita rationi, rectæque gubernationi præprimis infeſta. Succeſſit ei in Imperio Joannes, quem diximus, Vatazes; qui ſocerum in reſtituendo Græcorum Imperio non æmulatus modo eſt, verum etiam longe, multumque ſupergreſſus; cujus, uti & Roberti, qui poſt Jolantham matrem imperare Byzantii cœpit, res geſtas, brevi pro inſtituto jam complectimur.

ROBERTUS C) ET JOANNES VATAZES.

UT diuturnum Joanni huic, ita fortunatum apud ſuos Imperium fuit; is enim ſuperiorum errata Principum corrigens, pacis artes cum bellicis ex æquo jungebat; ut nec in re familiari, & politica rite ordinanda illo ſolertius, nec in bellis fortiter, & aſſiduo gerendis inquietius quidquam eſſet; itaque ab eo agriculturæ, & reliquarum artium ſtudia feliciter in Urbes tot direptionibus exhauſtas reducta, luxus nobilium, & aulæ ſedula cura circumſcriptus, ac intra fines modeſtiæ

A) Godefridus Monachus, & cæteri ſupra recenſiti. B) Nicephorus Gregoras p. 10. Acropolites p. 13. C) Robertus hic matri Jolanthæ biennium, ut Spondanus ad annum C. 1217. refert, Imperium adminiſtranti ſucceſſit; ut adeo tertius nunc ejus Imperii annus agi videatur. Sed hæc nobis valde incerta.

ſtiæ compulſus, opes aulicæ non tam a populis, quam a prædiis, villisque Imperatoriis magna induſtria confectæ, denique ne minima quidem augendæ rei omiſſa ſolicitudo; cujus luculentum fuit exemplum corona illa, quam conjugi Annæ, auro, gemmisque præſignem Joannes confici curavit, A) dicta ovaria, quod pretio ex ovis divenditis parato nata eſſet. Quod quis jure in Principe ſtudium reprehendat, toti Reipublicæ non uni ſibi progenito? qui niſi de opibus, nervoque bellico ante proviſerit, fruſtra magnas animo deſignationes informaverit, habiturus Rempublicam corpori alimentis defecto ſimilem, ac brevi in ſe, quo major eſt, hoc majore mole ruituram. A.C. 1222

Ut vero e Reipublicæ commodo Princeps hic totus fuerit, invidiam tamen, quod e privato in ſolium eluctatis plerumque uſuvenit, in ipſo Principatus ſui exordio non effugit; namque & a fratribus deceſſoris, & Procerum conjuratione impetitus, ægre Imperium, ſeque conſervavit. Laſcaridæ fratres Alexius, & Iſaacius generum a fratre ſibi prælatum indignati, commovebant Græcos; cumque nihil in illis ſpei cernerent, ad Robertum Conſtantinopolim profecti, arma Latinorum in Joannem ſollicitabant; qui diſcordiam Græcorum, in emolumentum verſuri ſuum, cupide operam addixerunt.

Itaque altero jam ab adito Principatu anno, bellum inter Joannem, & Robertum exarſit: apud Pœmanenum Urbem deſtinato uterque exercitus concurrit; ac principio quidem inclinatæ Græcorum acies, dein vero alacritate, & fortitudine Imperatoris Joannis confirmatæ, victoriam de Latinis illuſtrem retulerunt; per quam & Latinorum vires, ſtrenuiſſimo quoque interfecto, plurimum imminutæ ſunt; & fratres illi comprehenſi, ac luminibus orbati, ac denique Græcis ad Europam quoque repetendam Byzantiumque ipſum ſpes, ac cupiditas injecta. B) 1224

Victoriæ iſtius fructus fuere plures ad oram maritimam Urbes tunc a Joanne occupatæ: Pœmanenum, Lentiana, Chariores, Barbeniacum, ante alia vero ingens apud Latinos animi dejectio; ut tam ipſi dehinc formidarent Joannem, quam antea Græcis formidini erant; ut fere animorum noſtrorum habitus fortunæ ſeſe modo accommodat. Pro tanto hoc in Gentem ſuam merito hanc brevi a ſuis Joannes retulit gratiam; ut præcipua inter illos dignitate conſpicui, Andronicus Neoſtongus, cum fratre Iſaacio, itemque Syynadenus, Tarchaniota, Phlamulius, aliique in eum conjurarent; quæ tamen prius in lucem prodiit, quam matureſceret conjuratio. Neoſtongus manu, & oculis, reliqui fortunis, aut carceribus pœnas inquietis dederunt. Deinceps vero Imperator majore palatii, ſuique cuſtodia adhibita, non de hoſtibus perdomandis, quam ſuorum vanitate in officio tenenda, ſolicitior fuit.

In Latinos deinceps quoque ſed minore mole ab eo bellatum eſt; 1225
quibus jam in Europa quoque Adrianopolis civibus Joannis præſidium accerſentibus interiit. Demum Latini viribus, ut in ſolo, Genteque aliena deſtituti ad pacis ſtudia ſemet contulerunt. Pax igitur ſic inter eos ſancita eſt: ut quidquid in Aſia Latini juris ad Auſtrum antea fuerat, Joannis deinceps Imperio pareret; Nicomediam ſolam, ac obverſum Byzantio maritimæ oræ tractum Latini poſſiderent.

Ad pacem hanc cum Joanne ſanciendam alio, quod pro foribus erat, bello Robertus, & Latini fuerint compulſi. Theodorus enim Angelus, Epiri Dominus, Theſſalia quoque, ac Theſſalonica potitus, cum per Græciam late jam imperitaret, Deſpotæ haud contentus appellatione, ornatum ſumpſit Imperatorium; coronam ſcilicet, & calceos cocco tinctos; diſtributisque pro more aulæ muniis Byzantinum ſemet Principem venditabat; quod ut non nomine tantum, & externa ſpecie tenus feciſſe videretur, contracta quam maxima poterat ſuorum manu Conſtantinopolim verſus duxit; ac eodem tempore, quæ imprudentiæ illius ſumma

A) Gregoras p. 20. B) Acropolites p. 15.

A.C. erat, & Latinos, & Joannem Imperatorem, & denique Bulgaros bello appetiit; ac Latini quidem ſuperiore fracti prælio, imminutique pene ad ipſâ Urbis mœnia Barbaricis Theodori graſſationibus compulſi fuere. Adrianopolis, quam in Europa Joannes obtinebat, deductis præſidiis a Præfecto illius Joanne Chamytzæ, quod defendendæ non eſſet, Theodoro eſt tradita, & hactenus quidem bene prædatori res ceſſerat. A)

1226 Non eadem illi cum Bulgaris, & Rege eorum Joanne, Aſanis filio (qui Borilam poſt bellum ſeptenne Regno exuerat) fortuna fuit; quibuscum Theodorus primum quidem amicitiam, quin affinitatem quoque, Regis filia fratri ſuo Manueli copulata, contraxerat; at cum importunus fines Bulgariæ permiſcet; ad arma inter eos ventum eſt. Certamen atrox prope Hebrum flumen fortuna diu neutram in partem inclinante fuit; demum fractus eo prælio Theodorus, & copias ſuas magno numero cæſas vidit, & ipſe in poteſtatem Bulgarorum eſt delapſus. Cum captivis, ipſoque Theodoro præter Bulgaricum morem humane Rex egit; at cum ne illa quidem fortuna pati quietem Theodorus poſſet, oculis orbatus acerbum reperit ambitionis ſuæ exitum; & fabula fuit deinceps quoque per varios eventus traducenda.

Theodoro eum in modum capto, frater illius Manuel Provincias Deſpotæ duntaxat nomine obtinuit; magna tamen ſui parte imminutas. Nam Rex Bulgarus pluribus Macedoniæ, Pelagoniæ occupatis locis, præclarum victoriæ fructum tulit; quem ut perpetuum ſibi faceret, rebus rite ordinatis, dedititiisque humane, & leniter tractatis, nobiliorem de animis, ac antea de corporibus victoriam retulit; Principibus, ſi magni, & felices eſſe cupiant, præ lauro, & triumphis expetendam. B)

1229 Hoc rerum in Oriente ſtatu, ac circa eadem hæc tempora (nam paucula, conciſe, & ſine annorum nota de his Scriptores noſtri) Robertus Imperator in Italiam profectus eſt, C) ſive coronam de manu Pontificis auguſtiore, quam Byzantii factum erat, cærimonia accepturus, ſive etiam labantibus Latinorum Byzantii rebus, per auxilia Principum proſpecturus; cumque illinc reverteretur, in Euripi arce diem obiit extremum, D) poſteaquam novem circiter annos Byzantii præfuiſſet; de quo quia plura memoriæ Scriptores non ſuggerunt, non aliud quidpiam proferre in medium licet. Ad Balduinum itaque, alterum hoc nomine Principem Byzantinum tranſeundum eſt; quem recentiores quidem Roberti filium, vetuſtiores, & qui rebus interfuit Acropolites, E) fratrem Roberti exerte innuunt; quos ut in rerum narratarum ſerie, ita & in hoc ſequi quid vetat?

BALDUINUS SECUNDUS, ET IDEM JOANNES VATAZES.

Alduino huic, dum Robertus efferretur, immatura fuit ætas, Regnoque impar; idcirco Latini Proceres de viro authoritatis, uſusque magni diſpiciebant, qui Imperii undique fluctuantis gubernacula tractaret interea, dum Balduino apta ad id ætas ſuccreſcit. Rex Hieroſolymorum, cujus ſupra memineramus, Joannes Regno per id tempus exutus, & octogenario jam propior, ſed tamen corpore, & animo vividus, F) cum

A) Pluribus hæc Acropolites p. 16. Gregoras p. 15. B) Iidem ſupra citati. C) Spondanus ad hunc annum. D) Acropolites p. 19. E) Pag. 19. expreſſe ὁ ἀδελφὸς αὐτῆ Βαλδουΐνος. Fuit autem Acropolites tunc Byzantii annos natus undecim, cum hæc gererentur.

A) cum & filiam Martham haberet innuptam, opportunus plane viſus eſt, qui locata Balduino in conjugem filia, rem interea Byzantii graviter laborantem confirmaret; porro Joannes ille importunitate Friderici II. Imperatoris, generi quamvis ſui, Regno Hieroſolymorum hunc in modum exciderat. A.C. 1229

Pontifex Honorius, induciis cum Saraceno initis, aut nihil eum remorantibus, aut jam prope exituris, agebat rurſum, & moliebatur omnia, quo bellum illis pro recuperanda Hieroſolyma inferretur; quam ob cauſam in ſimultates quoque magnas, & difficiles cum Friderico delapſus eſt. Quippe Imperatorem velut voti reum, cujus abſentia res in Ægypto Chriſtianæ conciderint, acerbis inſectatus eſt literis Pontifex; cui cum acerbioribus reſpondiſſet Fridericus, imo in ipſas Eccleſiæ Romanæ terras violentus invaſiſſet, eo demum proruperunt itæ, ut Chriſtianorum quoque communione Imperatori Pontifex interdiceret. Poſteaquam animorum æſtui utrinque plus juſto indultum fuit; tandem poſt varias utrinque Legationes redintegrata inter eos eſt concordia, & Fridericus ſacris illis vinculis exolutus, cum firma tamen pollicitatione: primo quovis tempore trajiciendi in Palæſtinam, atque rem Chriſtianam pro auctoritate, & officio curandi. B)

Hanc ut profectionem maturaret, firmaretque Pontifex, evocavit in Italiam Regem Joannem, ac perfecit denique, ut Jolantham Joannis natu majorem, ex Maria Regni hærede filiam, Fridericus tunc viduus in conjugem acciperet; Regni Hiereſolymorum jura eidem allaturam. Sic enim non pro communi modo re, ſed ſua quoque acturum omnia ſolicitius Imperatorem, Barbarosque demum Hieroſolyma deturbandos. Bene jam & ordine res proceſſerat; cum Fridericus Divini, humanique juris perturbator, ac tam in Pontificem, quam in alios quosvis injurius, ne ſocero quidem ſuo pepercit; illum enim per Europam auxilia corrogantem, tametſi in pactis connubialibus cautum eſſet, uti Regnum penes Joannem ad vitæ exitum perſiſteret; tamen titulo in ſe Hieroſolymorum Regis translato, Regno penitus exuit; cumque exercitu, ac valida claſſe ſub annum Chriſti milleſimum ducenteſimum viceſimum octavum, cum jam ex Jolantha Conradum haberet filium, in Palæſtinam vela fecit. Cæterum hæc expeditio Friderici plena non injuſtitiæ modo in Joannem, ſed & dedecoris in nomen Chriſtianum fuit; quippe cum Saracenis in Palæſtinam appulſus, inducias in decennium pepigit Fridericus, ejusmodi pactis: ut Hieroſolyma jam muris exuta, in poteſtate dehinc Friderici eſſet; ſuum tamen Saraceni quoque haberent fanum, ac liberam illic commorandi facultatem; iis vero induciis non continerentur, Tripolitanus Princeps, ac Antiochenus, Templarii Equites, cæterique in Oriente Chriſtiani; qui extra ditionem Friderici eſſent; neve iis a Saraceno impetitis Imperator auxilio veniret. Atque ita Fridericus Hieroſolymam ingreſſus, coronam Regni illius magno ſuorum tripudio, magno cæterorum, ac Pontificis præſertim, qui Gregorius tunc nonus erat, irriſu, & contemptu accepit. Rex Joannes metu tam potentis adverſarii, trajicere in Palæſtinam minime auſus eſt; hunc itaque oberrantem, & fortuna exutum ſua, Proceres Byzantini rebus moderandis Cæſaris titulo C) exornatum præfecerunt.

Joanne igitur Rege res illic moderante, bellum rurſus, ut nunquam æquo Latini, Græcique inter ſe fuerunt animo, recruduit. Ferunt in cauſa hujus extitiſſe Trapezuntinum Principem Comnenum; qui filiam Balduino ſuam ea ſpe obtulerit, ut e Joannis Imperatoris communibus armis

A) Acropolita Joannem hunc Byzantii a ſe conſpectum narrat. B) Egere de his Cuſpinianus in vitis Imperatorum; Blondus, Sanutus, Torſellus in Hiſtoria terræ ſanctæ; Nauclerus, &c. & ex iis Spondanus ad hos, & ſequentes annos. C) Cæſaris titulum Joanni tributum, auctor eſt Acropolites pag. 20. niſi Græcum ſecuti fuerint morem Latini; quo tamen more hæc appellatio non modo Regia, ſed etiam Deſpotica, & Sebaſtocratica inferior jam fuit.

A.C. armis perdomiti, Provinciis ipſe poſtea augeſceret; rejectum vero a Latinis, dolorisque impatientem, ſocietatem armorum cum Joanne Imperatore pactum eſſe, ac bellum denique exarſiſſe. Cæterum cum conſtet, Theodoro huic, non Comneni, ſed Bulgari Regis filiam matrimonio junctam eſſe; hæc armorum, & affinitatis fœdera non ultra tractatum proceſſerint; præſertim cum Græci hi Principes majore pene odio, & invidentia inter ſe, quam a cæteris quibusvis hoſtibus diſſiderent; ita eos imperandi ambitio cum excidio Gentis ſuæ efferaverat. A)

1232 Bellum iſthoc diu inter ſolos utrinque apparatus conſtitit; neque enim niſi tertio ab adventu Regis Joannis anno, initium ei datum eſt; a quo Imperatorem Joannem domeſticæ quoque turbæ haud mediocriter remoratæ ſunt; nam Procerum quidam, cognomento Gabala, dignitate Cæſar, defectione inſtituta Rhodum occuparat, B) ad quem illinc ejiciendum expeditus Palæologus Andronicus, rem e ſententia geſſiſſe memoratur. Joannes demum Rex in Aſia copias prope Lampſacum expoſuit, progreſſus in ora maritima Cenchras uſque; quem ex adverſo comitabatur Imperator Joannes, & infeſta Latinorum molimina non tam manu, quam conſilio, pulcherrimo utique, & nobiliſſimo vincendi genere reprimebat; ut menſium adeo quatuor expeditio in irritum Latinis reciderit; rediere itaque hi Conſtantinopolim, non tamen emolumenti omnis expertes; ut qui in reditu Pegarum Urbem proditione civium cujusdam ſuffurati ſint.

1233 In arctum undique ut Latinos redigeret Joannes, nova ſemet armavit affinitate; filio enim ſuo Theodoro, quem eodem, quo Imperium auſpicatus eſt anno, progenuerat, C) undecim tunc annos nato deſpondit Helenam, Joannis Aſanis Bulgarorum Regis filiam, matre Ungara, Maria Andreæ II. filia, progenitam. Cum connubiali hoc fœdere arma quoque ab iis ſociata in Latinos fuere. Igitur Aſanes ab Occidente, ab Oriente Joannes Imperator in Latinos incurrerunt; hicque occupato Lampſaco trajecit Helleſpontum, & Calliopolim in Europa expugnavit; quo cum Rex quoque Bulgarus veniſſet, innovatis fœderibus Helena Imperatori tradita eſt, transferenda Nicæam, & Theodoro, ut ætas ſuccreverit, illiganda; inter alia, quæ tunc Principes hi inter ſe pertractarunt, illud quoque gratificandi ſtudio datum Bulgaro eſt; ut Præſul Bulgariæ Ternobienſis, dehinc a Patriarchæ Byzantini exemptus jure, ſupremum in ſuos Sacerdotium eodem Patriarchæ nomine obtineret, D) dignum videlicet dante, dignum accipiente munus, & utrinque inſolentis in re Divina, minimeque ad ſe pertinente faſtus argumentum.

1234 Hiſce rebus pro animi ſenſu confectis, ad bellum utrique incubuerunt; Thraciæ tot jam alias cladibus exhauſtæ, illata rurſus vaſtitas, ac Latini in unam fere Urbem compacti. Quare Joannes Imperator occupavit auream Cherſoneſum, Ganum montem cum arce, Tzurulum, aliaque non pauca in Europa; & ſpem Latinos Byzantio deturbandi corroboravit.

Inter geminos hinc, atque illinc concluſi hoſtes Latini, in id conſilium omne contulerunt; ut Bulgarum a Græcis abſtractum ad amicitiam adjungerent ſuam, Joannemque Thracia ut minimum dejicerent; E) neque in traducendo ad partes alias Bulgaro labor infelix fuit; norat ille, Græcos utilitate tantum ſua metiri omnia; neque expertem ſe fore periculi, ſi Joannem Imperatorem Provinciis, quæ unquam Byzantio antea paruerant, inhiantem Urbis illius potiri contingeret. Fœdera igitur cum Latinis nihil notam inconſtantiæ in tanta Græcorum levitate veritus, clam init; tum vero ſimulat videndæ, & alloquendæ filiæ, quam Theodoro

A) Spondanus id ex Latinis Scriptoribus; at non meminere hujus Græci. B) Obiter de Gabalæ hujus perduellione Acropolites. C) Ita Acropolites p. 14. D) Gregoras p. 14. E) Quonam anno id acciderit, definire vix licet; ſuſpicando rem ſequimur, ob ſummam Scriptorum noſtrorum in hac quidem parte indiligentiam.

doro deſponderat, deſiderio teneri ſe; nec negatum id ab Imperatore eſt, A.C.
& patri, & fœderibus tam, ut rebatur, ſanctis adſtricto. A) Rex ut na- 1234
tam in poteſtate habuit, deluſo Joanne, cum eadem in Bulgariam profectus eſt; atque primo quoque tempore exercitu Latinis ſociatus, obſidendo Tzurulo initium fecit, defuncto jam tunc Hieroſolymorum Rege Joanne, & Balduino rerum ſummam obtinente.

In hac obſidione Comanorum quoque multitudo non ita pridem ſedibns ſuis ejecta, & in Macedonia novas quæritans, operam Latinis locaſſe memoratur. Præerat tuendæ arci Tarchaniotes Nicephorus, Dux equidem bello clarus; qui tamen ab hoſte undequaque circumſeptus, non conſervaſſet Joanni locum illum, niſi Bulgarum Regem divinitus, ut Græci exiſtimabant, ceu fœderum ruptorem immiſſa calamitas indidem abduxiſſet; namque eodem tempore allatum ei eſt: conjugem ejus Ungaram, filiolum, ac Præſulem Ternobienſem vitam liquiſſe; quo nuncio oppido perturbatus, ac ob perfidiam has ſibi immitti clades reputans, in Bulgariam copias reduxit; quin etiam miſſis ad Joannem Legatis redintegravit amicitiam, ac filiam Theodoro in Aſiam transmiſit. Latinis hoc ſubſidio deſtitutis tantum non fuit virium, ut Tzurulo potirentur; atque ita hac quoque parte conatu fruſtrati ſuo abiere.

Balduinus a Bulgaro deſertus, velut in re deſperata Principum Latini 1238
nominis imploravit opem, in Italiam, Galliamque ea cauſa profectus; ante alios vero Ludovici Divi Francorum Regis. Neque profectio iſta opis expers fuit; ſatagente enim præcipue Gregorio IX. pars cruce ſignatorum non minima, præcipue Francorum (ingens enim circa hoc tempus in Palæſtinam expeditio tota Europa parabatur) in Græcos pro Conſtantinopoli arma vertit; ſexaginta (ſi fides Acropolitæ) B) horum millia per Germaniam, Ungariam in Thraciam profecta opem Balduino addixere; ab his igitur obſeſſum eſt Tzurulum, & quaſſatum vehementius, demumque a Præfecto Petralypha Joanne, ſuppetias deſperante, Balduino traditum. Præſidiarii cum Duce captivi Conſtantinopolim abacti ſunt. Opitulari equidem laborantibus ſuis non mediocri cum exercitu ſatagebat Imperator Joannes, Nicomediam uſque progreſſus, & loca quædam minoris nominis in poteſtatem redegerat; at quod claſſis illius, navibus tredecim merſis, ſuperata a ILatinis eſſet, conatui eventus nequaquam tum quidem reſpondit. Cladem hanc navalem a Venetis illatam, qui & ipſi jus civium Byzantii habebant, illud indicio eſt: quod horum Scriptores C) meminerint præclaræ in liberanda Conſtantinopoli circa hæc tempora ſuorum operæ; quibus ut gratiam redhiberet aliquam Balduinus, inſignem Crucis Dominicæ partem cum ſpinea Chriſti Corona largitus ſit, cum non levi Græcorum juxta, ac qui Byzantii erant, Latinorum indignatione, ſacris hiſce opibus, & præſidiis deſtitui non ferentium.

Haſce cruce ſignatorum, qui Balduino operam navarunt, copias ſub- 1239
ſecutæ ſunt eodem itinere multo ampliores ex tota pene Europa, Ductore Theobaldo Navarræ Rege; quem plurimi, e Gallica præſertim nobilitate ſecuti, Hugo Burgundiæ, Petrus Britanniæ Duces; Almericus Monfortius, Comites item Nivernenſis, Brenenſis, Matriconenſis, pluresque alii; quorum tamen profectio minime cæteris fortunatior fuit; quippe viarum aſperitate, & longinquitate, hoſtiumque per Syriam præſertim factum incurſu, ut vix tertia ſui parte exercitus ille in Palæſtinam pertingeret; illic vero diſcordiis, temeritate, cæterisque, quæ ex illa nationum colluvione emergebant, vitiis confuſiſſimæ res erant; D) Meledino fatis functo, ſucceſſor ejus, & filius Edel cum Neſer Damaſceno Sultano

A) Acropolites p. 23. B) Hunc cruce ſignatorum adventum illico priori expeditioni ſubnectit Acropolites; quem tamen aliquot poſt annos accidiſſe ex Spondano, & aliis Latinis Scriptoribus liquet. C) Blondus, Nauclerus, & alii a Spondano citati; qui tamen ſpineam Domini Crucem, & ſacra alia Cimelia non Venetis, ſed Ludovico Regi Galliarum pretio vendita multis contendit. D) Narrantur hæc diffuſe a Matthæo Pariſio, Sannuto, & aliis expeditionum harum Scriptoribus.

A.C. bellum habuit; eadem hæc, quæ adjuvare debuerat, Barbarorum diſcor-
1239 dia rem Chriſtianam colliſit; qui enim pro Friderico res illic curabant, negarunt omnino inducias cum Meledino pactas infringi oportere; cæteri pars Damaſcenum, pars Ægyptium ſine ordine, ſine imperio infeſtarunt. Et Britonum quidem Dux Damaſcenum vaſtavit agrum; Dux vero Burgundiæ obſedit Gazam Sultano Ægyptio obnoxiam, ubi illum cum exercitu ſecurius deſidentem inſperato circumvenere Barbari; ac florem Chriſtianitatis ferro hauſerunt, ſeptuaginta Gallicis Proceribus in diram ſervitutem raptis; Ducem Burgundiæ vix ipſum fuga abſtulit. Exinde fœdius etiam acta res; nam Templarii quidem equites, Damaſceni contra Ægyptium partes pactis quibusdam amplexi ſunt; cæteri vero Chriſtiani Ægyptium adjuvabant; Rex igitur Navarræ cum plerisque cruce ſignatorum, deſperata in tanta caligine ſereniore fortuna, conſcenſis Ptolemaide navibus in Europam remigrarunt.

Hac itaque cruce ſignatorum ope confirmata utcunque res Latinorum Byzantii eſt; ut tametſi ad occupandam Urbem illam totis niteretur viribus Joannes, tamen ut diuturnum habuerit Imperium, ne tentare quidem obſidionem ſerio auſus ſit; jecit tamen futuræ ſementem fortunæ erigendo res ſuas Aſiaticas, & in Europa ſenſim diducendo magnorum more Principum; qui non quod ante pedes modo eſt, videant, ſed ad futura quoque tum etiam cum eſſe deſierint, in ſuos benefici mentem longiſſime exporrigant.

1241 Comanos ſupra in obſidione Tzuruli memoratos, ut in Thracia, & alibi ſedes quærerent, tempeſtas Scytharum erumpentium adegerat. Scythæ, quibus nunc Tartarorum appellatio, ab ultimo Septentrione numero pene immenſo circa hæc tempora proruperant; maximis non Aſiam minus, quam Europam cædibus perturbaturi; earum Ductor, ac Imperator Sitziſchanes fuit; quo in ipſo cœpti operis molimine vivis exturbato, filii Chalaus, & Telepugas multitudini illi vagæ, & ſedes quæritanti præfuere. A) Exercitum deinde inter ſe partiti, Chalaus quidem ad mare Caſpium, & in Aſiam reliquam, Telepugas in Europam vaſtæ adinſtar procellæ ſemet effuderunt; Chalaus Perſis, Saracenisque debellatis ad Euphratem uſque arma protulit; qua occaſione modicæ illæ Chriſtianorum in Palæſtina reliquiæ atrociorem cæteris omnibus calamitatem pertulerunt; quippe Coraſmini populi ſedibus ſuis per Scythas ejecti, ab Ægyptio Sultano regionem vitæ tolerandæ flagitarunt, operam bello polliciti. Fervebat adhuc Ægyptium inter, & Damaſcenum acre bellum; quod ut fortunatius perſequeretur, Coraſminos belli ſocios habere voluit Ægyptius; & fœdere ſemet cum Chriſtianis tutior ſic futurus illigavit; verum Chriſtiani Ducibus maxime Templariis bello jam inter Barbaros fervente abruperunt, quibus neſcio de cauſis fœdus, atque cum Damaſceno ſemet Sultano ſociarunt. Indignatus enim vero perfidiam Ægyptius, Palæſtinam incolendi cauſa Coraſminis addicit, eosdem Chriſtianis bellum jubet facere; illi feritate plus quam barbarica effuſi, quidquid obvium erat, ferro delent, ſacram Urbem cæſis ſex Chriſtianorum millibus fœdiſſime conſpurcant, atque horrenda inhumanitatis ſuæ veſtigia ubivis defigunt; demum trium Ordinum Militarium Magiſtri S. Joannis, Templariorum, & Teutonicorum contracta cruce ſignatorum, quanta poterant manu, adjunctis præterea Damaſceni Sultani ſuppetiis, prope Urbem Gazam decretorio cum Coraſminis prælio, & biduo quidem ferociſſime decertarunt; at enim multitudine obruti, aut cæſi cum duobus equitum Magiſtris Chriſtiani ſunt, aut capti; pauci Ptolemaidem fuga ſemet explicuerunt. B) Diu deinceps evaſtandæ Palæſtinæ Barbari illi incumbebant, quoad Sultanus Ægyptius bello demum abrupto eorum opis non indigeret; quos denique ceu

A) De hac Tartarorum eruptione pluribus agit Gregoras pag. 17. Duces hos Tartarorum, alii aliter appellant; ſed malumus Gregoram ſequi, temporibus hiſce proximiorem. B) Hæc quoque Scriptores ſupra laudati.

ceu ſibi quoque ob immanitatem periculoſos aut exturbavit Palæſtina, A.C.
aut malos male perdidit. 1241

Eadem Tartarorum, cujus meminimus procella, res quoque Turcicas in arctum compegit; quæ late olim per Aſiam diffuſæ, hoc tempore ad Principatum duntaxat Iconienſem, finibus haud ſane latis conſtrictæ erant; præſertim, poſteaquam & gravi prælio fracti a Scythis Turcæ ſunt, & annuo tributo pacem redimere coacti. Sultanus Turcorum Jathatines, cum ægre res tuetur ſuas, Legatione ad Joannem Imperatorem miſſa, non modo de pacis firmitate, ſed etiam de amicitia, jungendisque adverſus communem hoſtem armis ſolicite egit. Eam Barbari Legationem ita complexus eſt Imperator; ut neque nihil ei deferret, neque omnia, ſed pacem cum Turcis agitare contentus, labaſcere res eorum in ſinu gauderet. Sic decreſcentibus Turcorum rebus, augeſcebant res in Aſia minore Græcorum; nec minus agricultura, quam mercatu, artibusque florentiores redditæ.

Dux alter Scytharum Telepugas cum maxima hominum multitudine irrupit in Europam, ac Comanis, Ruſſisque devictis, plurimam ſuorum in Poloniam, & Ungariam nubem effudit; in hanc certe quingenta Duce Batho millia, qui victo Rege Bela IV. triennio Ungariam dilacerarunt. A) Comani igitur hunc in modum Regione ſua, quæ circa Boriſthenem erat, exuti, novam in Macedonia, & Thracia quærere adacti ſunt; & tam Bulgaro Regi, quam Balduino, ac etiam Imperatori Joanni operam bello addicebant; qui poſtremus multa eorum millia in Aſiam traduxiſſe, ac in agris, militiave collocaſſe memoratur; B) cæteri per Ungariam ſparſi, hodieque, ſed finibus modicis, vetus nomen in linguam, & mores Ungarorum licet translati, tuentur.

Ab his rebus quieta inter Joannem, & Latinos erant omnia; & incertum: pacene confecta, an malorum ſatietate, utrinque ab armis temperatum; circa quod idem tempus conjuge Irene, muliere & ingenio, & virtute præſtanti orbatus eſt Imperator Joannes; atque ad alias animum nuptias appulit; cui inde ab Europa deducta eſt Anna, Imperatoris Friderici filia, Manfredi Siciliæ Regis ſoror. Cæterum Anna hæc conjugio parum eſt uſa felici, ob mulierem quampiam nomine Marceſinam, magiſtram antea ſuam, & quam e Sicilia cum cætero nobilium fœminarum cœtu Nicæam advexerat. Marceſina quippe vultu ad illecebras facto, nec animo melior, ſenſim in ſe pellexit Imperatorem; ac denique in tantum adſtrinxit ſibi, ut Dominæ, quin Imperatricis inſtar, neglecta conjuge Anna, ab Imperatore haberetur. Hinc ingens in Aula probrum, & proborum dolor indignantium, Principem tot aliis conſpicuum decoribus, fœda hac conſpurcari labe, & qui ſupra alios Imperio, ac virtutibus cæteris ſit, libidinis fœditate juxta cum viliſſimis dejici. Ante alios Nicephorus Blemydes aſceterio cuidam Præpoſitus, vir inſigni, & probitate, & ſapientia, probro huic ſeſe objecit; nihil enim Imperatoris amores reveritus, Marceſinam, ad ædem aſceterii ſacram inviſere volentem, aditu violentus excluſit. Illa clamoribus omnia, & furiis complente, auliciſque ut fit, Principem ad vindictam exſtimulantibus, nequaquam tamen Imperator dolori vel ſuo, vel mulieris paruit; quin magis collaudato viro amentiam incuſabat ſuam, qui in id dedecoris videns, volensque ſeſe præcipitaverit. C) An vero a tricis ejuſcemodi ſemet expediverit penitus, animumque ad frugem reduxerit, non produnt Scriptores; & profecto in hoc vitii genere, quam pronum noſſe, & odiſſe errorem ſuum, tam difficile corrigere; ubi ipſa flagitii licet odioſi conſectatio, pars pœnæ eſt longe miſerrima.

A) Thuroczius in Bela. B) Ab Acropolita p. 23. C) Gregoras p. 22. qui multis, nec immerito Blemydem illum laudat. Suadebat hic efflictim ſuis concordiam cum Romana Eccleſia; atque de ea re librum quoque fertur conſcripſiſſe; ut idem Gregoras alibi teſtatur.

A.C. Plurium, ut videtur, annorum quietem turbæ Græcorum inteſtinæ
1242 rurſus abruperunt. Rex Bulgarus a morte conjugis, Theodori illius Angeli, quem ab eodem Rege olim captum, & cæcatum meminimus, filiam Irenen, forma illius captus in conjugem accepit; atque ita cæco illi Theodoro non modo conceſſa libertas eſt; verum etiam Theſſalonica ejecto Manuele fratre reſtituta; Theodorus ad veterem relapſus ambitionem, filium ſuum Joannem Imperatoriis exornatum inſignibus Imperatorem appellavit; Manuel vero in Aſiam profugus Imperatoris Joannis flagitavit opem, a quo Deſpotes appellatus fuerat; nonnullisque adjutus copiis in Macedoniam redux, Lariſſam, & plura circum loca in poteſtatem redegit ſuam; quæ ut tuto poſſideret, cum fratribus in gratiam rediit, cum Theodoro videlicet, a quo ejectus erat, cumque altero Conſtantino, qui perinde illarum partem aliquam Regionum Deſpotæ titulo obtinebat. A)

Manuele non diu poſt hæc ſuperſtite, Michael Angelus illius Michaelis, qui primus in Albania, & Epiro dominatum invaſerat, filius nothus in ditionem ſucceſſit. Et videbantur ſat proſpere familiæ hujus Angelicæ res in Græcia habere; quod fratres amicitiam inter ſe colerent; quas tamen perturbavit Joannes Imperator, non ferens Joannem Theodori filium Imperatoria appellatione, & inſignibus uti; quem in finem arma non minus ac fraudes ex ingenio Græcorum intendit. Etenim trajecto rurſus cum exercitu Helleſponto, Theodorum velut res alias cum eodem acturus ad ſe accerſiit; ut vero in poteſtate patrem habuit, ſubito in filium ejus Joannem Theſſalonicam verſus exercitum promovit. Joannes Angelus improviſo hoc eventu perculſus, cum & ſibi a copiis deſtitutus, & patri metuit, ad æquas, iniquas conditiones deſcendere compulſus eſt; quarum præcipua erat, uti abjecta ea Imperiali pompa, & appellatione contentus, Deſpotæ titulo Theſſalonicam in Imperatoris Joannis clientela poſſideret. Ita rebus e ſententia, & citra ſanguinem confectis, Nicæam repetiit Imperator.

1243 Ad omnes augendæ rei occaſiones oculatiſſimus Princeps ille, non longo intermiſſo tempore, occupatarum in Europa Urbium viſendarum gratia, cum mediocribus copiis Helleſpontum tranſiit; venienti Philippos inexſpectato allatum eſt nuncio: Calamanum, Aſanis nuper fato functi filium, vivere deſiiſſe; jamque ſub puerulo Michaele, ejusdem Aſanis Joannis ex Irena filio, res Bulgaricas eſſe; quo nuncio ad lucra arrectus ſua, conſilium felicius cepit, quam æquius, invadendæ armis Bulgariæ; nam quid aliud a Principe, utilitate tantum ſua omnia metiente, exſpectares, & cultore æquitatis hactenus, dum ſuis illa opportunitatibus deſerviret? Subitaneo itaque adortus bello Bulgaros, cepit Urbem Serras; poſt vero copias Melenicum promovit; quæ tamen Urbs præcipui licet nominis ultronea civium deditione prius in manus Joannis venit, quam illic copiæ adeſſent; ita enim arma humanitate ille condiebat, ut illis territaret tantum, iſta vero, ſed non invitos vinceret. Illinc profectus plura circa Rhodopen obtinuit loca; tum etiam Scopiam, Stumpium, Chotobos, limitibus Imperii ad Hebrum uſque amnem prolatatis; perturbati his rebus Bulgari, ea conditione pacem cum Joanne compoſuiſſe, ut is occupatis contentus porro ne progrederetur, pro lucro habebant. B)

Bello hoc vix etiam compoſito, ſimilis fines augendi occaſio eodem adhuc anno in Theſſaliam Joannem cum exercitu avocavit. Angelo Joanne fatis erepto, ſucceſſerat in Thaſſaliæ Principatu Demetrius, prioris frater; Juvenis projecti ad omnem impudentiam, & Tyrannidem animi; cujus cum ſubditi ferre amentiam nequirent, per occultos Imperatorem nuncios ad Urbem ejecto Demetrio occupandam ſollicitarunt. Citatis pro-

A) Quo hæc anno evenerint, prorſus incertum; quod nec Gregoras, nec Acropolites annorum hoc loco notam appoſuerint ullam; niſi quod ex narrationis contextu huc referenda videantur. B) Diffuſe, & minutatim hæc perſequitur Acropolites; licet narratione admodum intorta, & inordinata; multa tamen, nec immerita cum Joannis laude.

proinde itineribus, prius Theſſalonicæ Imperator affuit, quam belli, aut A.C.
periculi ullius ſuſpicio ad Demetrium pertingeret; Imperatore non invitis civibus in Urbem admiſſo, in arcem refugit Demetrius; tum vero deſertus undequaque, ad clementiam Imperatoris ſeſe contulit; qui Theſſalonica in ditionem accepta, Præfectoque eidem Palæologo Andronico, cum captivo Demetrio in Aſiam trajecit.

At enim vix exacta domi hyeme reddidit ſemet Europæ Joannes, 1244
& Byzantinos vexare rurſus armis cœpit; ita enim hinc, illincque aliquid decerpendo diducebat fines, & ad veterem amplitudinem lentis potius auctibus, quam magna belli mole promovebat; ea bellandi ratione invidiæ minus, non minus vero emolumenti, & certius collecturus. Tzurulo igitur, Byziaque Urbibus expugnatis, in maximas illic anguſtias rem Latinam adegit.

Ea tanto cum ſucceſſu patrari a Græco Principe Pontifices Romani 1245
dum cernerent, nihil pro conſervanda Latinis Conſtantinopoli Urbe tantæ opportunitatis non moliti ſunt. Innocentius IV. certe Pontifex in Concilio univerſali ſub annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quadrageſimum quintum Lugduni in Gallia celebrato, id in primis habuit curis: ut Balduino pro fatiſcente illo Imperio, vel mage Imperii umbra conſervanda idoneas pararet ſuppetias; ad quem Patrum Conventum ipſe inter primos Balduinus acceſſerat. A) Itaque data cruce ſignatis facultas eſt, armis in Saracenos ſumptis adjutandi Balduinum, eædemque his, atque in Barbaros progredientibus utilitates propoſitæ; fructus adhæc Sacerdotiorum, quos per ſuam a loco abſentiam Præſules lege amittunt, per Europam omnem Balduino addicti; denique Pontifex ipſe decimarum ſibi obvenientium partem non minimam eidem Imperatori largitus eſt. Nec ſubſidia iſthæc Balduino nihil commodaſſe, inde conficias; quod licet tantis undique ſucceſſibus Imperator Joannes augeſceret, ipſa tamen, quæ ſola reliqua erat, potiri Conſtantinopoli, ut maxime vellet, atque in id nervos omnes contenderet, non valuerit.

Etſi autem in Balduino conſervando eniteretur Pontificis cura, ta- 1247
men nec de Joanne ad Romanæ Eccleſiæ concordiam aggregando ſpem is omnem abjecit; quæ res toties necquidquam tentata, ſi demum aliquando ſuccederet, maximas inde extituras videbat utilitates; primum Gentis ipſius Græcanicæ, in qua tanta ſemper fuit ingeniorum abundantia, ſalutem; deinde expeditam Saracenis, aliisque in Oriente Barbaris arma inferendi rationem; demum belli, quod de Byzantio aſſiduum, ancepsque erat, compoſitionem, vel affirmando Urbis dominatum Balduino, vel eandem veteribus Dominis, cum ad ſanitatem rediſſent, reſtituendo. Negotio tam arduo exantlando allegatus a Pontifice ad Joannem Imperatorem eſt Joannes Parmenſis, ſupremo, in Ordine D. Franciſci, Magiſtratu, nec minus doctrina, probitateque inſignis, B) qui ut Nicæam venit, promptam plane in id opus Imperatoris reperit voluntatem; ſive enim ab expeditionibus cruce ſignatorum ſibi metueret, ſive ſuapte ingenii bonitate ad concordiam hanc inclinaretur, præcipuis, quæ a Pontifice propoſita ſunt, concordiæ capitibus, cum Manuele Patriarcha ſubſcripturum ſe pollicitus, ſtudium, expectationemque Pontificis mire accendit; quem in finem Legatos quoque ſuos Romam Imperator deſtinarat.

Ad promovendum tam ſalubre negotium, permultum afferebat momenti Imperatoris affinis Maria, Ungariæ Regina, Laſcare, ut dictum eſt, Imperatore genita; quæ ut populares ſuos ejusdem boni, cujus ipſa Belæ IV. connubio effecta eſt, participes redderet; crebris Joannem literis de concordia admonebat; tum etiam hortata Pontificem eſt: ne ſpem negotii tam utilis ad exitum denique deducendi abjiceret. Jamque in proximo fuit, ut optata diu concordia coaleſceret, niſi bellum inter Ge-

A) Spondanus ad hunc annum. Nam Balduini vix meminerunt Scriptores Græci. B) Wadingus in Annalibus Minorum ad hunc annum.

A.C. nuenſes, Græcosque exortum ad alias Imperatorem curas abſtraxiſſet. Sed neque Legatis Romam miſſis, ob illud, quod inter Fridericum, & Pontificios flagrabat bellum, acceſſus ſæpe licet tentatus patuit; abrupta proinde tractatio eſt tam ſalutaris; Joanne tamen Parmenſi plures per annos Nicææ remanente, & concordiam dehinc quoque totis viribus perurgente.

1248 Bellum cum Genuenſibus ob Rhodum, nocturno furto ab iisdem occupatam, extitit. Cum enim poteſtas data eſſet cruce ſignatis adjuvandi Balduinum extreme laborantem, tumque ingens Ductore D. Ludovico, Francorum Rege Chriſtianorum in Palæſtinam navigaret expeditio, Genuenſes, & rem adjuturi communem, & tamen ſuis quoque proſpecturi commodis, inopinato Rhodum Inſulam, arcemque, abſente Joanne Gabala, loci Præfecto, & in Latinos cum Imperatore bellante, occuparunt. Furtiva Inſulæ tam opportunæ occupatio ira inflammavit Joannem, ut non conquieſceret prius, quam extremis licet viribus, belloque diuturno Inſulæ potiretur. Igitur Joanni Cantacuzeno datum eſt negotium, rapto e Thraceſiorum, quam adminiſtrabat, Provincia, exercitu confeſtim obſideret Genuenſes; neque operæ ulli, & labori parceret. Cantacuzenus in Inſulam progreſſus, loca quædam minoris nominis aſſeruit; tum arcta Urbem obſidione vallavit; quæ cum eſſet munitiſſima, atque commeatu affatim inſtructa, vim Græcorum omnem facile, diuque eluſit. Acceſſere adhæc Francorum equitum lectiſſimi centum, & amplius a Vilarduino Achaiæ Principe, dum cruce ſignatos in Palæſtinam deportat, Rhodum opportune immiſſi; qui procurſionibus ſuis vaſtando circum omnia, hoſtemque aſſidue, & fortiter vellicando, ad ſummam pabuli, ac commeatus inopiam adegerunt; tantum pauca, ſed lecta virtute præſtantium manus in imbelles potuit.

Imperator eludi ſic ſpes ſuas indignatus, Smyrnam proficiſcitur; illic prævalidam ædificat claſſem, novumque, ac juſtum in Inſulam exercitum transportat, ſummam expeditionis Theodoro Contoſtephano committit; equites illi viri fortes, ſed ex ſucceſſu, quod proclive, temerarii a Græcorum multitudine cæduntur omnes; ſicque Genuenſes deſperata Urbe, & ſuppetiis, diſcedendi veniam pacti, eandem Imperatori tradunt; qui ſi emolumenti non retulerint aliud, certe tamen impedimento fuiſſe, ne Byzantium caperetur interea, dum cruce ſignati in Palæſtinam provolant, ærisque juxta, & virorum jacturam hoſtibus cauſaſſe, magnæ inſtar victoriæ fuit.

1249 Chriſtianorum hæc in Palæſtinam expeditio noviſſima omnium fuit, & ſicut fortunatior cæteris primo ingreſſu, ſic exitu longe omnium infeliciſſima. In Concilio Lugdunenſi ſuperius memorato, communi omnium Ordinum conſenſione decretum fuerat: vindicandam ſummis, & extremis viribus de Barbaris Hieroſolymam, & ordinatiore, quam adhuc factum erat, profectione Chriſtianorum in Oriente incolumitati proſpiciendum; quem in finem, & deſignati viri præſtantes Cruci prædicandæ per omnes oras ſunt, & plurima in optatum rei eventum ſaluberrime ſancita. Sacræ iſtius militiæ Ducem ſe profeſſus eſt Rex Franciæ Ludovicus, a vita probe juxta, fortiterque acta celebratiſſimus; qui jam olim gravi conflictatus morbo, voti religione ad hanc profectionem ſe obſtrinxerat, ſi periculo ſolveretur; tum vero voti reus ordinato rite Regno, Blancæque matri commendato, cum conjuge, tribusque fratribus Alphonſo, Roberto, & Carolo, cum flore totius nobilitatis Francicæ, cum exercitu de ſuis prævalido, cum non parva aliorum quoque cruce ſignatorum manu, claſſe ad Foſſas Marianas conſcenſa, ſub exitum anni milleſimi ducenteſimi, quadrageſimi octavi in Palæſtinam navigavit. In Cypro Inſula exacta Ludovico hyems eſt, non citra multorum de ſuis jacturam a cœli inſolentia, annonæque inopia cauſatam; demum cum Rege Cypri, Henerico Luſignano, cum Templariorum militum Ordine, aliisque ex Oriente Chriſtianis Rex Damiatam verſus vela veris initio flexit. Fama tanti moliminis

liminis brevi oras omnes pervagata excivit Barbaros, licet antea inter ſe A.C.
diſcordes, ut junctis viribus pro re communi ſatagerent, atque grandi ad 1249
Damiatam, qui exſcenſionem prohiberet, objecto exercitu ipſa expeditionis primordia fruſtrari contenderent. Et certe non plena modo periculi, ſed deſperata ad Damiatam exſcenſio viſa erat; niſi generoſa Regis pietas deſperatione ſuperior eandem Francis ademiſſet. Is enim ordinata ante portum claſſe, licet undique tela detorquerent Barbari, ſuis ad audendum animatis, humerorum tenus ſemet in aquas jecit; cujus exemplo tantus militi injectus eſt ardor, ut pro ſe quiſque in mare ruerent, atque infeſta hoſti ſigna inferrent. Eluctati in littus primi pedem fortiter figunt, tum aliis, atque aliis ſuccedentibus prælium exoritur atrociſſimum. Barbari ad extremum, vi, impetuque Chriſtianorum fracti, & prodigio tantæ fortitudinis obſtupefacti, deſerto littore in fugam proruerunt. Neque hic ſolum Barbarorum pavor, & Ludovici felicitas ſtetit; ii enim non modo relictis impedimentis in ulteriora Ægypti ſemet etulerunt; verum etiam Damiatam Urbem diuturnæ ferendæ obſidioni apprime comparatam, quæ tantum olim Chriſtianis faceſſivit negotium, metu quodam pannico exſternati, vacuam hominibus liquerunt. Ita Chriſtiani mira prorſus, & non adhuc in ejusmodi expeditionibus viſa felicitate, quam probitati Regis nec immerito adſcribebat miles, Urbe tam opulenta potiti, ſolemnes in ea Deo grates perſolverunt. A)

Quod ſi Barbarorum dejectione, & perturbatione uti noſſent Chriſtiani, næ illi facile Babylonis, ſive Cairi, ac reliquæ Ægypti dominatum ſibi aſſeruiſſent, cum eorum ſexaginta eſſent millia valentium, & quod caput ad rem fuerat, victorum. Verum quies diuturna reficiendis, ut putabant, viribus Damiatæ indulta exercitui, in perniciem vertit; nam & morbis ob cœli, locique inſolentiam ſtrata ſunt corpora, & animi flagitiis, ut proclive e rebus proſperis, ad libidinem humanum eſt ingenium, fœde inquinati; & Barbaris demum colligendi ſui, immanesque cogendi exercitus ſpatium indultum. Equidem nihil non actum eſt a Ludovico maturandæ profectioni, ſuorumque ſceleribus comprimendis; at dum Barbarici tantum fundendi ſanguinis cupidus, ſeverioribus in ſuos abſtinet remediis, non perinde probitatis, ut fortitudinis exemplo eisdem profuit; nec tam pronum fuit, eos a vitiis retrahere, quam in medios hoſtes, mortemque ipſam impellere; adeo difficilius eſt animum vincere, quam hoſtem. Poſt quinque fere moram menſium produxit demum Damiata exercitum Ludovicus Novembri menſe, & e Ducum ſententia Babylonem verſus iter ingreſſus eſt, veluti in ipſo capite Hydram tot malorum oppreſſurus.

In transmittendo flumine Taneos non levis exorta eſt difficultas, 1250
quam exaggerabat lectiſſimus pro ripa altera Barbarorum exercitus; & hæſere in eo trajiciendi conamine Chriſtiani ad initium Februarii uſque menſis; cum demum reperto vado, etſi admodum difficili, ſubito, nec hoſtibus multum repugnantibus in adverſam ripam eluctati ſunt. Hic vero Barbarico in occurſum advolante exercitu, cruenta exarſit dimicatio: Templarii equites cum magno ſuo Magiſtro, & nobilitate Francica ardentius in hoſtes invecti, & a ſociis abſtracti cladem acceperunt; ubi Robertus quoque Regis frater necem fortiter oppetiit. Affuit traducto jam toto exercitu in tempore laborantibus ſuis Ludovicus; ac redintegrato certamine, ſuorum cædem inſigniore Barbarorum clade vindicavit; impedimentis quoque occupatis, ac ſupremo Saracenorum Duce interfecto.

Biduum ab hac Regis victoria fluxerat, cum Saraceni, & copiis, & animis aucti atrociorem priore pugnam rurſus inſtaurant. Dimicatum utrinque obſtinatiſſime una, & ferociſſime; ad extremum mira Regis alacritate, & pugnandi ardore repreſſi ſunt hoſtes; ea tamen Chriſtianorum

ſtrage

A) Hanc Ludovici expeditionem deſcripſit præ cæteris Jonvillæus, qui interfuit; Matthæus Pariſius, Nangius in Chronico, &c.

A.C. 1250 ſtrage, ut ad continuandum Babylonem verſus iter, tertiumve prælium attentandum, aut illuſtre in Barbaros edendum facinus, nec vires jam, nec animi ſuppeterent, Templariis præſertim cum magno ſuo Magiſtro plerisque interfectis, & optimo quoque vulneribus debilitato. In eadem proinde ad flumen ſtatione integrum prope bimeſtre ſive novas præſtolando ſuppetias, ſive meliorem rei gerendæ occaſionem opperiendo a Chriſtianis exactum eſt. Diuturna iſthæc commoratio in loco minime opportuno victorem illum exercitum perdidit; vel magis Deus, cui ſolenne, medio eodem ad oppoſitos uti fines, calamitate immiſſa, & Chriſtianorum caſtigarit ſcelera, & Ludovici magnitudinem acerbis objectam caſibus illuſtriorem orbi reddiderit.

Namque ea factum mora, ut reſtagnantibus Nili paludibus, cadaverumque putore cœlum inquinante, inſolito morborum genere totus pene correptus ſit exercitus; acceſſit his annonæ inopia, intento ad omnem nocendi occaſionem hoſte, & naves adverſo Nilo ſubeuntes occupante; acceſſit cum novo, & valentiore exercitu Sultanus ipſe Melechſala, extrema quævis pro Ægypto tentaturus; acceſſit acerba febris, quæ Regis proſtrato corpore, animi quoque ad bellandum obfirmationem demum eliſit. Igitur reditus per idem flumen Damiatam exercitui indicitur; verum corporibus, plerorumque morbo languentibus, receptus hic in conſpectu Barbarici exercitus difficillimus, quin omnino deſperatiſſimus fuit; etenim Saraceni, obſervato Chriſtianorum motu, diſcedentibus undique affunduntur; pontem, qua tranſeundum erat, navesque intercipiunt; invadunt furioſe caſtra languentibus adhucdum conferta; poſtremo exercitum Ludovici undique concluſum atrociter ferro hauriunt. Defendebant equidem ſe, Regemque viriliter Franci, ſed demum numero obruti aut cæſi ſunt, aut capti; Rex cum fratribus Alphonſo, & Carolo, cumque Rege Cypri vivus in poteſtatem Barbarorum venit, Procerumque item Francorum multitudo magna; ægroti in caſtris cæſi omnes; ferunt triginta eo die Chriſtianorum millia deſiderata; clades denique fuit, qua nulla Chriſtianorum in Oriente, aut fœdior, aut damnoſior.

Rex Ludovicus tametſi mala acervatim undique irruiſſent, omniaque minitarentur Barbari; eam tamen in his præſetulit animi magnitudinem, quæ vel ignoratum illum hoſtibus Regem prodere facile poterat; perinde enim, ut ſi inter aulicos ſplendores res illius eſſent, nihil de ſerenitate frontis, ſolitaque animi moderatione remiſit; quin ne a ſtata quidem quot diebus precatione ſane prolixa, præpedire illum triſtis ea fortuna, ac rerum perturbatio valuere. Et inflexit crudeliſſimi quantumvis Barbari cor Deus, ut libertatem Regi, & Chriſtianis polliceretur pactis, nec probroſis adeo, nec perfectu difficillimis: Damiatam ſibi Rex rederet, tum captivos omnes Saracenos; penderet inſuper quadringenta librarum auri millia; contra ipſe pollicitus eſt: duodecim, quæ in poteſtate habebat Chriſtianorum millia, libertati reddenda; res in Palæſtina futuras eo loci, quo ante bellum; inducias utrinque in decennium prorogandas; qui ægris corporibus Damiatæ remanerent, poſtea cum rebus in locum tutum per Saracenos deportatum iri; quæ certe in ea fortuna conditiones erant, ut non optimæ, ita minime aſpernandæ.

Jam in exitu erat compoſitio; cum ecce nova tragœdia non ſine ingenti Regis, & cæterorum periculo ſubito eam perturbavit. Proceres Saraceni incertum, quo acti furore, mota atroci in Sultanum ſeditione perpulere infimam militum fæcem, ut grege facto in tabernaculum Principis ſui irruerent, ac crudeliter poſtremum hunc e celeberrimi illius Saladini familia ſucceſſorem interficerent. Patrato hoc facinore ſtrictis, ut erant gladiis, & furore accenſi in Regis Ludovici, Procerum tabernacula irruunt, mortemque horrendas inter vociferationes intentant. Extremum jam a Barbaris ictum Rex, & Proceres fortiter opperiebantur, attamen neque tunc ultra minas, & verba res proceſſit; veriti enim jacturam pacti auri

ſub-

ſubire Proceres Barbarici ratam habuerunt initam cum Sultano compoſitionem; ea tantum addita cautione: ut Regis frater Alphonſus obſidis interea remaneret loco, dum dimidium lytri repræſentaretur. Pacta hæc jurejurando utrinque firmata ſunt; quo rurſus caſu ſanctiſſimi illius Principis magnanimitas admirabiliter eluxit; ut qui ne mortis quidem intentatæ metu, nec ullis ſuorum ſuaſionibus induci potuerit, ut in ea jurisjurandi forma quidpiam a Chriſtianorum inſtitutis, & moribus alienum adderet; etſi addi id citra piaculum poſſe, quidam de Præſulibus cenſerent. A.C. 1250

His in eum modum perfectis, libertati cum ſuis redditus eſt Ludovicus; Damiata Barbaris reſtituta; nec diu poſt, dimidia illa auri ſumma depenſa, Alphonſus Regis frater receptus. Sed e more nimirum ſuo pactis ſtetere Barbari; quippe neque exhibiti ab iis capti ſunt, nec ab injuriis Damiatæ temperatum; multi impuberes ad complectendam Mahometis inſaniam adacti; quin militum quoque non pauci, dum Chriſtum ejurare nolunt, fœde trucidati; quas ob cauſas ægreſcebat animo magis, quam corpore Ludovicus, nec ullis adigi ad reditum ſuorum conſiliis potuit; paratus vel cum vitæ diſpendio miſeris illis Chriſtianorum in Oriente reliquiis opitulari. Itaque fratribus & bona Procerum manu in Gallias remiſſa, quinquennium ipſum in Palæſtina commoratus, inſignia ſanctitatis ſuæ veſtigia ubivis defixit.

Res illic Chriſtianas tantum non deploratas adjuvit multum exorta inter Barbaros diſcordia; Sultanus quippe Damaſcenus adverſus novum Ægypti Regem, Regnum velut jure ſibi debitum obtendebat; ob quod acriter inter ipſos decertatum eſt, utrisque Ludovici, & Chriſtianorum amicitiam affectantibus; ac Ægyptius quidem captivis, quive Mahometo per vim initiati erant, redditis, ac quæ Ludovicus popoſcerat, perfectis, arma a ſe Chriſtiana plurimum debilitata avertit. Ludovicus vero, poſteaquam plurima in Palæſtinæ emolumentum præſtitiſſet, Urbes Cæſaream, Sidonem, aliasque aut inſtauraſſet, aut communiſſet, de milite, annona, auro providiſſet, in Gallias ab irata, quam amica fortuna celebratior, & illuſtre in utraque Principibus ſpectaculum navigavit.

Poſtrema hæc, uti dictum, in commune Chriſtianorum erat profectio; nam per partes delhinc quoque vires in Palæſtinam Chriſtianis affluebant; eorum præſertim, quibus Regionis, aut Urbis pars aliqua illic obtigerat; Ptolemaide ante alias conferta erat Chriſtianorum e plurimis nationibus multitudo, ob maris viciniam, cæterasque Urbis commoditates; ut fere, quot illic Regiones, & vici, tot eſſent diverſæ nationes, ſuis quæque Magiſtratibus, nemini autem, qui gradus ad interitum fuit, ſupremo jure obnoxiæ; quod Fridericus Imperator, quive poſt eum Regni illius affectabant titulos, longe poſiti Palæſtinam velut pro deperdita haberent. Factum igitur eſt: ut exorta Ptolemaide inter Genuenſes, & Venetos, æmularum in Europa quoque tunc Urbium cives, de templi cujusdam poſſeſſione contentio, in atrox bellum media in Urbe gerendum prorumperet; collatæ inter eos ſæpe manus, claſſes etiam in mari commiſſæ, aliis modo hos, illos modo adjuvantibus; quæ eorum amentia plures tenuit annos; ac perditura rem illic Chriſtianam jam tum fuerat, niſi Tartarorum cruenta in Saracenos expeditio vires alio Barbaricas avertiſſet; & Ptolemaidis, reliquarumque Urbium excidium in poſterius diſtuliſſet; inundante interea vitiorum apud Chriſtianos omnia illuvie, & vitæ, armorumque, quam profitebantur ſanctitatem, vel Barbarorum judicio refellente. A)

Has inter bellorum in Oriente perturbationes, & averſa alio cruce ſignatorum ſtudia, a quibus Græci metuebant plurimum, quieta videntur fuiſſe tam Conſtantinopoli, quam apud Imperatorem Joannem omnia; quam quidem Joanni quietem abrupit Michaelis illius Angeli, qui late 1254

A) Hæc multis continuator Gulielmi Tyri Heroldus, item Sannutus, & alii.

A.C. 1254 jam in Epiro, & Albania imperabat, inquies; ut Provincias tuto is obtineret, fraudibus magis, quam jure acquisitas, non modo amicitiam cum Joanne inierat, verum etiam Mariam, Theodori e Joanne Imperatore progeniti filiam, filio suo Nicephoro desponderat; A) at ut inexplebile habuit ingenium, cum se opibus, ac viribus circumfluere cerneret, Thessalonicæ quoque, & Thessaliæ obtinendæ bellum Joanni, nihil illis connubiorum fœderibus retardatus intulit. Hac provocatus injuria, trajecit in Græciam cum exercitu Imperator; atque per Duces suos Nicephorum Tarchaniotam, Alexium Strategopulum, & Michaelem Palæologum, Andronici illius filium, in Provincias fœdifragi vindictam effudit; tum vero Bodinum, Castoriam, Deabolim Urbes occupavit; quibus rebus supra modum perturbatus Michael, ad pacis se consilia retulit; neque difficilis ad gratiam Michaeli fuit aditus; addicta rursus Nicephoro Maria est, iidemque ex Angelica familia Principes, Despotæ appellati; ne vero facti hujus impunita maneret licentia, Urbibus Prilapo, Peloso, & Crois in Albania mulctati sunt, auctiores quidem titulis, sed fortuna, quod utrumque e re Imperatoris fuit, minutiores.

Apud eundem hunc Imperatorem illa in expeditione commorantem, gravem affectati Regni incurrit suspicionem Michael; qui postea imperavit, Palæologus, ob voces ambigue de illo a quibusdam jactas; qui equuleo licet torti, nihil tamen indicii adversus Palæologum adferre poterant. Et præpollebat Michael ille iis animi, & corporis dotibus, septem tunc, ac viginti natus annos, quæ invidentiæ, & suspicioni apud versatile illud hominum genus facile paterent. B) In illum diversæ postea habitæ sunt quæstiones; quibus cum extundi nihil posset, ferri candentis attactu innocentiam probare suam ab Imperatore jussus est. Neque enim insolens hæc ea ætate fuit innocentiæ probatio; apud Latinos tamen, quam Græcos usitatior; ob quod etiam, rem ejusmodi ceu barbaram, & a Græcorum moribus alienam, aversatus est Palæologus. Cum itaque nihil verberibus etiam inflictis ab eo Imperator expressisset, gratiæ illum reddidit suæ; adjuratum tamen prius: ne sibi, suisque aliquando insidias struereti quæ tamen juramenta ad exstimulandam magis, quam extinguendam regnandi libidinem apud Gentem illam fere semper valuisse, & vidimus adhuc, & porro in Michaele isto visuri sumus. Eidem sic expurgato, Isaacii fratris sui neptem, Theodoram matrimonio Imperator junxit, daturus filiam quoque suam, ni ab ingenio Palæologi ad magna nato metuisset.

1255 Redux ab hac expeditione Nicæam Joannes, in gravem decidit morbum; subita enim membrorum correptus paralysi, sensuumque officio destitutus diu jacuit; postea autem redditus sibi, ex eodem per intervalla morbo menses aliquot laboravit. C) Hæc Imperatoris ægritudo, Innocentiique IV. Pontificis, qui tum contigit exitus, magnam rei Græcanicæ perniciem attulere. Parmensis enim illius Joannis, uti memineramus, diu Nicææ commorantis opera effectum jam erat, concordiæ inter Latinos, & Græcos negotium, Imperatore nihil magis cupiente, & Præsules quoque duos ei fini Romam allegante; sed ea res pene in exitu jam posita, Pontificis, Joannisque interitu disturbata est; redeuntibus ad ingenium Græcis, & Theodoro, qui patri successit, a concordia penitus alieno. D) Joannes nulla Medicorum ope relevari cum posset, Smyrnam religiose profectus frustra & illic malo levamen quæsivit; unde regressus, ac delatus Nymphæum, in suburbano palatio septimum, & vicesimum Novembris diem supremum habuit; posteaquam annos vitæ duos, & sexaginta, Imperii tres, & triginta explesset; Princeps omnibus, quæ magnum efficere queunt, decoribus conspicuus; & si absque Venerea illa, quam memine-

A) Gregoras p. 24. Acropolites, qui interfuit p. 38. & sequentibus. B) Multis hæc Acropolites Palæologo addictissimus. C) Gregoras p. 25, D) Vadingus in Minorum Annalibus; meminit Acropolites quoque remissorum a Theodoro Romam Legatorum; eorumque reducendorum curam sibi mandatam esse.

mineramus, macula fuisset, primis Imperatorum accensendus; sed Princi- A.C. 1255
pem omnibus absolutum numeris vix effigiare animo, ne dum invenire tam facile possis; adeo res hæc in excelso, & præcipiti sita est.

THEODORUS VATAZES, ET IDEM BALDUINUS SECUNDUS.

NEc diuturnum, nec insigni quopiam facinore notatum fuit Theodori hujus (qui ab avo materno dici Lascaris voluit,) Imperium. Patre fatis functo, ab exercitu, universoque Procerum ordine salutatus Imperator est; neque enim pater, aut nominarat eum Imperatorem, aut quod raro timida patrum omittit ambitio, ornarat; sive ut incertitudo Imperii virtutis in Theodoro studium accenderet, sive ut suorum benevolentiam tanto magis sibi adstringeret Joannes, quanto minus eorum vim afferre libertati velle videbatur. A)

Acclamatus itaque Imperator eodem mense Novembri Theodorus, coronam de manu Arsenii Patriarchæ accepit; quem e solitudine, in quam virtutis se causa abdiderat, nuper abstractum, quod morte Manuelis Sacerdotium illud vacaret, eidem Theodorus præfecit; hominem frugi quidem, sed rudem; quod tum facere velut pro more Principibus illis fuit; ut videlicet simplicitate sacri illius, & summi, ut prædicabant, Magistratus facilius ad libidinem quamvis suam abuterentur. B)

Vix auspicato Imperium Theodoro bellum cum Bulgaris fuit; quo- 1256
rum Rex Michael, Joannis morte ad recuperanda, quæ puer amiserat, arrectus, Hebro transmisso flumine, Urbes quasdam, & oppida armatus occupavit. In hunc, tamesi & copiarum tunc paucitas, & hyemis intemperies obstarent, trajecit Hellespontum Imperator, & bellavit. Cæterum tota isthæc expeditio velitationibus magis, & levibus quibusdam utrinque offensionibus, quam justo bello acta est; minutatim perscripta ab Acropolita Georgio, qui rebus hisce non interfuit modo, sed præcipua etiam inter suos auctoritate præfuit.

Bulgaris semel iterunque fugatis, locisque nonnullis occupatis, regressus in Asiam Theodorus, exercitum confecit ingentem; nec ex quo amissa ab iis est Constantinopolis, conspectum, plerisque bello idoneis ad militandum adactis. Verum priusquam in Europam cum exercitu hoc migraret, calamitas illic accepta est a Manuele Lascari; qui Imperatoris avunculus, & a genere magis, ac cognatione, quam a virtute militari ad Ducis officium commendatus fuit. Is enim a quatuor Scytharum millibus, qui pro Bulgaro erant, appetitus, fugatusque est; quem ut errorem cumprimum corrigeret Imperator; ineunte vere novum illum exercitum Thraciæ intulit. Conterritus tanto eo apparatu Bulgarus, uno de Principibus suis Roso Uro, Regis Ungariæ genero C) ad Theodorum allegato, tractatum de pace iniit; nec difficiliter utrinque in eas itum est conditiones; ut redditis, quæ ultro citroque occupata erant, ad veteres utrique terminos sese reducerent. Ita pro emolumento belli non aliud, quam cædes, & vastitatio fuit.

Eam ut lubens pacem amplecteretur Imperator, Michaelis illius De- 1257
spotæ turbulentum fecit ingenium; D) qui occasione Imperatorii interitus, bellique Bulgarici ad turbas, quibus solis ali videbatur, regressus, miscere omnia in Thessalia occœpit. At enim inopinata hac cum Bul-

A) Gregoras p. 26. B) Acropolites p. 44. C) Sic de Uro hoc Acropolites; cujus autem Regis gener fuerit Urus, vel quo nomine conjugem habuerit, divinare non licet. D) Gregoras p. 28.

A.C. garis pace, & Theodori in Theſſaliam adventu conturbatus, conjugem
1257 ſuam deprecaturam ſimul, ſimul connubium Nicephori filii cum Maria Imperatoris nata, diu jam antea pactum procuraturam miſit. Impetravit precibus utrumque ab Imperatore Theodora, atque nuptiarum ſolennia peracta ſunt. Pax vero ita Michaeli nihil tunc negare auſo data eſt, ut is Dyrrachium, præcipui in Albania nominis Urbem, oppidaque nonnulla Imperatori addiceret; quæ ab homine horarum omnium impetrare facilius fuit, quam tueri.

In Theſſalia commoranti Theodoro perlatum eſt, Palæologi Michaelis ſubitaneum ad Turcos profugium; qui jam antea de prava Imperii cupiditate ſuſpectus, ac forte conſcientia quoque ejus criminis exagitatus, ne jacturam ferret oculorum, quam ei Theodorus aliquando comminatus erat, ad Turcos ultroneus exul abiit; atque Sultano Iconienſi adverſus Tartaros tunc bellanti operam locavit, cum legione illic e Chriſtianis confecta. Illius virtute repreſſit Scythas Sultanus; verum defectione cujusdam e Proceribus poſtremo ſuperatus, & ad penſitandum iis tributum adactus eſt; quo tempore adeo in arcto res erat Turcica, ut propius eſſet ab interitu; nec ſurrectura unquam, niſi ſocordia, & diſſenſio inter ſe Chriſtianorum opem, manumque ei porrigant. Non diuturna tamen Palæologi apud Turcos fuit commoratio; quippe Imperator impunitatem, fide etiam interpoſita, veteremque dignitatem ſupremi equorum in aula Curatoris ei reddidit; ignarus tum videlicet: quantam familiæ ſuæ in eo foveret perniciem, & e præſenti felicitate, ut fere conſuevimus, de rerum ſecuritate ſuarum conjectans.

1258 Rebus in Theſſalia ex animi ſenſu confectis, rediit in Aſiam Theodorus, Michaele Laſcari exercitus in Græcia parti Præfecto; & Acropolite Georgio, qui horum memoriam ſcriptis commendavit, earum Præfecto Regionum conſtituto; verum Michael ille Ætoliæ Princeps, ob alienatas nuper Urbes æger, pari, atque eas conceſſerat, animi levitate rurſus repetiit; diſperſosque Duces, & copias Theodori fugavit, tum occupavit Urbes nonnullas, Prilapum ante alias; Acropolitam ipſum obſeſſum diu, ac fide licet data occupatum, vinculis adſtrinxit. Ad compeſcenda turbulenti illius molimina, Palæologum Michaelem recens a Turcis reducem allegavit Imperator; ſed minore, quam neceſſe erat, cum militum manu; quam ob cauſam Michaelis illius defectio dehinc quoque aliquot per annos Græciam turbavit.

Simili diſcordia vel magis animi inſania res Bulgariæ per ea tempora laborabant; Michaelem enim eorum Regem Calamanus conſobrinus e vita proturbavit; idem Calamanus vero a Roſo Uro cum exercitu fugatus eſt; & a quopiam Bulgarorum, dum vagus oberrat, interfectus. Idcirco deficiente ſtirpe Regia, in Procerum ſuffragia dignitas ea conceſſit; qui demum Conſtantinum Tæchum, opibus, & authoritate potentem, Regem præfecerunt. Conſtantinus, Æmulo quodam, cognomento Mytze ſuperato, & in Aſiam fugato, qui ſororem Regis Michaelis habebat, per Legatos amicitiam Theodoro Imperatori detulit; quove ſolium obtineret firmius, filiam ejusdem Irenen conjugio ſibi necti popoſcit; quod ea Aſani Regis neptis ſanguinis quoque jura quæpiam in Bulgaricum Regnum ſibi allatura videretur. Et quamvis alio Conſtantinus conjugio implicitus foret, priore tamen conjuge ad Theodorum, velut fidei ergo in Aſiam transmiſſa, Irenen denique ſibi copulavit, A) Græcis publici boni cauſa conjugia diſſolvere religioni nequaquam ducentibus; & dum vero Eccleſiæ capiti ſubjici recuſant, in abſurda quæque, ut putiſcenti uſuvenit membro, ſenſim defluentibus.

1259 Rebus pace, belloque ita conſtitutis, Imperator Theodorus ſubito correptus eſt morbo; ac demum ad extrema ſiccato toto corpore deductus; cum non longe ab ultima vitæ linea abeſſet, veſtem indu-

tus

A) Gregoras p. 30.

tus monaſticam, acerbos inter gemitus errata ſuperioris vitæ deploravit; A.C.
tantamque humi provolutus effudit lacrymarum vim, ut e pulvere ſic 1259
madefacto lutum exiſteret; criminaque Mytilenenſi Antiſtiti confeſſus eſt; felix ſi ita ea lavit, ut elueret! ſed in tantis Græcorum tenebris, & veræ Eccleſiæ odio, totque aliis flendi, & dolendi cauſis, quis ſinceram affuiſſe pœnitentiam affirmare auſit? Obiit itaque Magneſiæ Theodorus Auguſto menſe, quarto Imperii anno non penitus expleto, ætatis ſexto, & triceſimo; cui filius unicus Joannes, tum octennis ſuperfuit; A) filiæ vero præter jam memoratas, Theodora, & Eudocia.

Joannem pupillum, dum apta Regno ætas adveniret, fidei, & curæ Georgii Muzalonis novi hominis, ſed apud Theodorum præ omnibus gratioſi, & maximis dignitatibus exculti, moriens pater crediderat; illique, & Patriarchæ Arſenio ſummam Imperii, Proceribus juramento in hæc adactis, commendarat. Verum enimvero hominis nulla nobilitate ad maxima progreſſio, aliorum generis claritate, & ambitione tumentium invidiam non effugit; eorum ante alios, qui Theodori olim importunitate vexati ſunt; principes horum fuere Alexius Strategopulus e Melliſenorum ſtirpe, Conſtantinus Tornicius, Nicephorus Alyates, Theodorus Philes.

Illi igitur exercitu in partes tracto, paucis a morte Theodori diebus, tametſi rurſus fidem jurejurando Muzaloni obſtrinxiſſent, Magneſiæ in ædem Soſiandri aſceterii, dum juſta Imperatori defuncto fierent, armati irrumpunt, illicque Muzalonem fruſtra in ſacrarium confugientem, cum fratribus Theodoro, & Andronico, nihil loci, nihil jurisjurandi religione prohibiti, furioſe diſcerpunt; B) exin vero tametſi plurimos Procerum tractandæ Reipublicæ torqueret libido, præ omnibus tamen Palæologum Michaelem, magni Ducis titulo exornatum, & tam a ſtirpis vetuſtate, quam morum, & formæ elegantia commendatum præficiunt.

Tulit non invitus mutationem hujuſcemodi Arſenius; hominem quippe ſimplicem, ita obſequiis, verborumque officiis demulſerat Palæologus, ut is regendo Imperio aptiorem, pupilloque addictiorem cenſeret neminem. At Palæologus ſimulare, ac diſſimulare callidus, obtenta Republica ingentibus, qui in arce Magneſia acervati erant, theſauris ita uſus eſt, ut & militarem ordinem, & Proceres ſuos quam maxime efficeret; reliquis, quos ſuæ obſtituros cupiditati rebatur, e publico ſubmotis, aut etiam relegatis. His artibus perfecit brevi Palæologus; ut e magno Duce Deſpotes diceretur; ornamentis ejuſce dignitatis e manu Arſenii, pupillique Joannis acceptis. Sed neque his contenta dignitatum gradibus Palæologi ambitio, prenſare ſummum cœpit faſtigium; igitur quos beneficiis demeruerat, blandis appellare ſermonibus, ſolicitudinem, angoreſque animi, ne ſe ut Muzalonem populus opprimat, oſtentare; C) neque unquam ab inſidiis tutum, ni in ſummæ dignitatis conſortium cum pupillo adſciſcatur, prædicare. Quid multa? conveniunt mobilia illa ad omnem fortunæ auram ingenia; & Palæologum in ſpeciem reluctantem, ac jurisjurandi religionem, qua avo, patrique pupilli obſtrictus fuit, obtendentem, ſcutis, ut mos illius ævi erat, ſublatum ipſo Januarii menſis principio Imperii Conſortem proclamant; Præſules denique venalia illa capita jurisjurandi vinculis boni publici cauſa Michaelem expediunt. Hæc cum cerneret Arſenius, tum vero velut ſomno excitus, vereri pupillo curæ ſuæ credito ab ambitione hominis ad extrema progreſſa, ſed ſero nimium cœpit.

Cum itaque videret, non integrum jam eſſe, hominis cupiditati plu- 1260
rimorum favore ſubnixæ obluctari, novo a Michaele exacto juramento,

A) Joannem hunc pupillum ſex annorum tunc fuiſſe, prodit Gregoras p. 31. Acropolites annorum octo p. 66. Pachymeres demum, qui hic prolixam ſuam exorditur Hiſtoriam, novem ei annos attribuit. B) Horum conjuratione occiſum Muzalonem, ait Acropolites; at Pachymeres, militum, præſertim Italorum, qui Græcis militabant, ſeditione necatum ſcripſit. C) Pachymeres p. 31. de his diffuſe; ſed Acropolites magnus Palæologi laudator, invito iſta omnia Palæologo contigiſſe narrat.

A. C. 1260 quo is neque nociturum pupillo, nec in familiam ſuam Imperium translaturum; quin ut Joannes adoleverit, eo ſe abdicaturum A) ſancte videlicet, ut cætera ſpoponderat, eundem corona pro more paucis poſt acclamationem diebus Nicææ inſignivit. Jam igitur Palæologorum ſeries Principum compendio narranda nobis obvenit; quæ ut non rite, ordine neque ſumma apud Græcos dignitate potita familia eſt, ita plurimis jactata calamitatum generibus, demum ruinoſum vetuſtate ipſa Imperium illud ſecum infeliciter tumulavit.

MICHAEL PALÆOLOGUS.



INitia Principatus, etſi perperam quæſiti, ſat fuere fortunata Palæologo. In ipſo enim honorum aditu bellum per Duces Joannem Palæologum fratrem, Alexium Strategopulum, & Tornicium Conſtantinum adverſus Michaelem illum Ætoliæ Deſpotam auſpicato geſſit. Michael hic cognita Theodori morte, & pupilli Procerum cupiditate fluctuantis ſtatu miſerabili, magnis ſuccinctus affinitatibus (Annam enim Guilielmo Vilarduino Achajæ Principi, Helenam Manfredo Sicilicæ Regi filias locaverat) tum etiam generis claritate, quippe de Angelorum familia elatus, Græciam omnem, & Imperatorios honores ſibi deſtinaverat. Nec ſocero defuere auxiliis generi; & Guilielmus quidem ipſe cum non mediocri exercitu, Manfredus autem per quadringentos equitum lectiſſimos B) præſto bellanti adfuere.

Arcem in Pelagonia Bellegradum obſidione premebat Michael; inde ut hoſtem depellerent Imperatorii, nec viribus pares, nec numero, fraudem ſubſidio advocant; hominem artis Pelaſgæ ad Michaelem ſpecie transfugæ mittunt, qui eidem ſignificet; auxiliares Francos, & Germanos cum Ducibus Imperatoriis de Michaele prodendo pactos eſſe; ut qui odio Gentis, & Provinciarum cupiditate, affinitatem ejus, ſusque deque habeant. Eo temere conterritus indicio Michael, per noctem cum filio Nicephoro, & familiaribus caſtris ſemet ejicit; cognita ſub diluculum ejus fuga

A) Pachymeres p. 60. B) Gregoras p. 36. ait; Manfredum ipſum expeditioni huic interfuiſſe; at non Acropolites, nec Pachymeres; nec credibile, cum tam pauca manu Regem iturum fuiſſe; ſed nec Latini Scriptores expeditionis iſtius meminere.

fuga ingens oritur in caſtris perturbatio; ingruunt una perturbatis Imperatorii, Franci, & Germani fortiter ſeſe pugnæ apparant; quos adeo ſociæ non adjuvere Michaelis cohortes, ut etiam prodiderint. Etenim alter filiorum Michaelis Joannes ſpurius, quod Franci quidam generis maculam per contemptum ei objeciſſent, vehementi ira percitus, & in ipſo pugnæ fervore a tergo auxiliares ſuos adortus, ad Imperatorios deſcivit. A) Illi igitur undique proditi cæduntur; capitur cum præcipuis Princeps ipſe Guilielmus; victoria denique luculenta aliorum magis vitio, quam virtute ſua Græci potiuntur. B) A. C. 1260

Princeps Guilielmus onuſtus vinculis indecore tractus ad Imperatorem eſt: e quibus ut ſe exolveret, Urbes in Peloponneſo nonnullas eidem poſtea pactus fuit: Monenbaſiam, Mainum, Hieracium, Mytzetram; C) ſicque fines Imperii illius in Peloponneſum rurſus prolati. Duces ob rem bene geſtam ita muneratus eſt Palæologus; ut fratrem quidem ſuum Joannem Deſpotam, Tornicium Sebaſtocratorem, Strategopulum vero Cæſarem juberet, dignitates conferens ambitioſo titulo, & ornatu, quam reipſa magnas, ſed tamen levibus, & elatis illis ingeniis, nec citra Imperatoris lucra conſentaneas; quas largiendo, magna dare videretur, nec quidpiam tamen ipſe amitteret.

Hoc ſucceſſu magis etiam elatus Imperator, gemina jactabatur cura; altera, quo pacto Collegam amoliretur Joannem pupillum; altera, quonam modo recuperata Conſtantinopoli immortale ſibi decus accerſeret. Ac cum Joanne quidem ita egit; ut illum in neglectum apud ſuos adduceret; decerperet ſenſim aliquid de Imperatoria, quam præferebat umbra; ac denique ab oculis ſubmotum citra ſtrepitum perderet; idcirco in Magneſiam arcem ſubductum, ludicris, ut ætas ferebat, occupavit; D) quod cum Arſenius cerneret Patriarcha, ingemuit incogitantia ſua pupillum in id malorum præcipitatum, abjectaque necquidquam reclamantibus ſuis dignitate, in monaſticam ſe ſolitudinem tenebris, quam luci aptior retruſit; cui Imperator Epheſinum ſubſtituit Antiſtitem Nicephorum.

Quod vero Urbem attinet occupandam, etſi res Latinæ ſub Balduino extreme jam languerent, plus tamen ſpei in perfidia civium, quam ſuorum virtute habuit; hac eum impleverat non ita pridem civium non nemo; ſibi enim portæ unius claves commiſſas, ingreſſurum ea tuto Imperatorem, ſi mediocribus modo cum copiis adforet. E) Transmiſſo igitur cum exercitu Helleſponto, ac Selybria primo impetu expugnata, non Urbis quidem ipſius, ſed Galatæ oppugnandæ conatum Imperator prætulit, Conſtantinopolim quoque clam, ut conventum erat, occupaturus; at civis ille ablatam ſibi portæ cuſtodiam cauſatus, promiſſa in rem non contulit; admotis deinde arietibus, & machinis quatiebatur a Græcis Galata; verum Latinis extremas propugnando oppido vires admoventibus, incœptum non proceſſit; itaque anni unius inducias cum iisdem pactus Imperator, Nymphæum hybernatum abiit.

In eo poſitum otio acceſſit Sultanus Turcorum Azatines, a Tartaris Regno ad extremum, & Regni ſede Iconio exutus; blande is, magnificeque in ſpeciem, at una vafre acceptus eſt; F) quippe conjuge, liberisque illius ſecuritatis obtentu Nicæam occluſis, circumductabat ſecum Azatinem ſpebus opimis oneratum Imperator; interea autem clam cum Tartarorum Principibus, a quorum omnia late proterentium impetu ſumme formidabat, per Legatos amicitiam conciliavit. Turcorum cæteri ad limites Orientalis Imperii progreſſi latrocinando magis, quam bellando res ſuſtentabant ſuas; ne in ea quidem fortuna, ut fortes decebat, libertatis,

A) Hanc cauſam victi Guilielmi affert Pachymeres p. 47. Priorem vero Gregoras p. 37. Viſum nobis eſt, utramque confluere in unum potuiſſe. B) Acropolites victoriam ſcribit relatam, qualem ſol non viderit, ſed profecto victoria fuit de copiis & non magnis, & proditis. C) Pachymeres p. 48. D) Gregoras p. 39. E) Acropolites pag. 75. F) Gregoras p. 1. Pachymeres p. 99.

A.C. tis, Regnique inſtaurandi immemores, quibus deinde calamitas iſthæc ad magnam fortunam, & Imperium gradus fuit.

1271 Hyeme prætergreſſa & induciis, bonus quidam caſus Urbem Byzantinam toties necquidquam impetitam, nec opinato in manus Palæologi dedit. Ad bellum Michaeli in Ætolia, & Albania inferendum, Alexium Strategopulum cum octingentorum non amplius manu militum trans Helleſpontum ire Imperator juſſerat; huic cum propius Conſtantinopolim iter eſſet, Urbis viciniam Græcis jam obtinentibus, forte accidit; ut cum quibusdam civibus ruri colendo occupatis, in ſermonem delaberetur. Multa de ſtatu Urbis ſciſcitanti, vires narrant attritas Latinorum, & Balduini ignaviam, tum Urbem milite vacuam; quod pars eorum maxima Daphnuſiam in Ponto Euxino Inſulam cum claſſe oppugnatum iſſent; nihil factu pronius, quam ut Urbem modica licet cum manu occupet; notum ſibi occultum quendam cuniculum, qua immitti miles queat; & reſeratis portis ſocios accipere; nec ſe certamini, & periculo defuturos adverſus genus Latinorum, quorum ipſi dominatu premerentur; demumque hæſitantem aliquamdiu Cæſarem ad rem tanti molimnis experiundam pertraxere. A)

Quinta, & viceſima Julii die Cæſar, ut conventum erat, proditione civium illorum ſub diluculum cæſis ad portam, quæ Fontana dicta eſt, vigilibus in Urbem introgreſſus, imparatos, & ſopitos aggreſſus Latinos, magnum excivit tumultum; B) concurrebant quidem ad arma pauci, qui inerant Latini; at ſimul ignoratione copiarum, quas Cæſar haberet, ſimul proditione civium conſternati, & fugam magis, quam defenſionem reſpectantes, in magnum palatium mari vicinum, cum Balduino convolabant. Cognito, confuſam infelici caſu Urbem, qui Daphnuſiam oppugnabant Latini, altero mane cum claſſe advolant, vires eidem recuperandæ admoturi; quorum ut frangeret ſpes, & furorem Cæſar, Urbi pluribus ex partibus ignem injecit; quo conſpecto, Latini, cum caſſam in tantis ruinis operam cernerent, Balduino, conjugibusque, ac liberis, qui ſe aut in palatium, aut in portum ejecerant, in naves acceptis, in Italiam vela fecere: Cæſar autem reſtinctis ignibus nuncium occupatæ feliciter Urbis ad Imperatorem allegavit.

Dictu incredibile: quanta voluptate receptæ Urbis nuncius Palæologum, Græcosque omnes affecerit; ratos cum veteri Imperio priſcam felicitatem, decus, tranquillitatem, omnia denique reditura; verum morbi eorum pertinaciores jam, magisque inveterati erant, quam ut curationem aliquando admitterent. Imperator paucos intra dies cum aula, & Andronico filio tunc bimulo, ad Urbem acceſſit; utque memorabilem redderet ingreſſum illum, extraordinariis decorari cærimoniis voluit; C) idcirco ad portam auream diem unum, & alterum ſubſiſtens (qua ingreſſurum illum omine quodam prænunciatum fuit) D) ſacros hymnos, precationesque per ſuos concinnari juſſit tempori opportunos; dein vero univerſo cum exercitu Deum largiter deprecando, per eandem auream portam, Hodegetriæ Deiparæ Icone prævia, in Urbem ſolenni pompa decimo quarto Auguſti die invectus eſt. Poſt hæc perpurgata ab incendiis, & buſtis, ordinataque civitas; Italis, Venetisque, qui in Urbe remanſerant, Galata, ad incolendum data; Cæſari triumphus in Urbe, & acclamatio per annum ſolennis decreta; E) Arſenius Patriarcha Nicephoro anno vertente defuncto, in thronum Patriarchicum revocatus; Imperator vero etſi jam antea Nicææ, iterum tamen in Urbe e ritu veteri coronatus;

quo

A) Acropolites p. 77. B) Sic Gregoras, & Acropolites; at Pachymeres p. 80. diverſus non nihil, ſcalis occupatam Urbem, narrat. C) Multis hunc ingreſſum Pachymeres pag. 85. Item Acropolites, qui orationem abs ſe de recepta Urbe dictam narrat; atque hic deſinit ejus Hiſtoria. D) Pachymeres p. 73. Michaelem adhuc infantem ait; non aliter ad quietem componi valuiſſe ab Elogia ejus ſorore, quam ſi carmen ei concinuiſſet de recipienda per eum Conſtantinopoli; idque pro fauſto omine acceptum. E) Gregoras pag. 44.

quo tempore novos ei adulatio titulos affinxerit; novum enim ſemet appellavit Conſtantinum, deinceps Michael, eoque titulo uti cœpit; A) qui tamen vix longius a Conſtantini magnitudine aberat, quam ſimius ab homine. A.C. 1261

Firmando deinceps in familia ſua Imperio, princeps fuit Palæologo cura; qua cauſa cum Tartarorum Rege Chalao non amicitiam modo, ſed affinitatem quoque iniit, Maria filia eidem deſponſa; quæ tamen Chalao cito demortuo, filium ejus Apagum conjugem nacta eſt; B) cum Ægyptio quoque Sultano per Legatos conciliata eſt ab eo amicitia; ac ut procellam, ſi quam Latini in ſe molirentur, præverteret, Legatos concordiæ Eccleſiarum cauſa Romam deſtinavit; qui tamen ex itinere ab Italis comprehenſi, quod ad Palæologum deſciviſſent, (Itali quippe & ipſi origine erant) crude interfecti fuere. Et hæc quidem de amoliendis bellis exteris ſat provide.

Ne autem domeſtica everteretur procella, proſpicere per ſummum nefas aggreſſus eſt. Pupillum enim Joannem hæredem, & Conſortem Imperii non modo Imperialibus exuit ornamentis, verum etiam oculos eidem, candente admota lamina, extingui juſſit; C) huc enimvero reciderunt tot illa, & tam ſancta juramenta, quibus toties perfidus hic Princeps avo, patri, Proceribus, atque Præſulibus ſeſe obligarat. Sed regnandi ambitio, quæ bonorum quoque ſæpe obnubilat ingenia, quidni facile, Principem cupiditatibus violentiſſimis irretitum, in id ſceleris propelleret. Non tulit factum tam iniquum Arſenius; igitur in Conſeſſu Antiſtitum, ſolenni cærimonia Imperatorem Chriſtianorum Cœtu expunxit; in quo Patriarchæ facto ita ſe Imperator geſſit; ut ſceleris pœnitentiam præſeferret quidem, attamen non multum exinde angeretur; non ignarus: ut dignitatem ejuſce Sacerdotii, ſic quoque vinculi illius diſſolutionem, quatenus homines attinet, in manu ſua eſſe, & libens publico mœrore illo ſecuritatem imperandi redimebat. Sorores Joannis pupilli ſupra memoratæ, ne forte, ſi e Procerum ordine viris jungerentur, conſequendi ſpem Imperii in iis accenderent, exteris copulatæ ſunt; duæ quidem nobilibus quibusdam Latini nominis, tertia vero, cujus nomen ignoratur, Sventiſtlavo montanæ cujusdam Regionis in Bulgaria Domino. Tam infelicem pupilli ſortem acerbe tulerunt populi, montium circa Nicæam accolæ, & rebellione ob id conciita, diu turbas creabant; alii improbare facinus auſi, ut Holobolus quidam, atrocitatem in ſe Principis non jam timidi, & de purpura ſoliciti, ſed ut prona de ſcelere in ſcelus, cum te in præceps dederis, eſt prolapſio, crudelis quoque experti ſunt. 1262

In his malis non infeliciter tamen recuperatum adminiſtrabat Imperium Michael; cujus finibus in veterem amplitudinem diducendis, trifariam bellum intulit; Michaeli Albaniæ Principi; Inſulis, in Ægæo mari a Venetis, Francisve poſſeſſis; Achajæ demum Domino in Peloponneſo. In Michaelem Angelum Cæſar ille Strategopulus non perinde, ut alias, faventem habuit fortunam; non ſuperatus modo ab eodem, verum etiam captus, ac Manfredo Siciliæ Regi dono miſſus; hic vero libertatem ſorori ſuæ Annæ, olim Joanni Imperatori nuptæ, dato Cæſare procuravit. Namque viduam Annam retinebat omnino apud ſe, forma ejusdem captus Imperator Michael; cujus fruſtra oppugnabat pudicitiam, paratus legitimam quoque repudiare conjugem Theodoram, ex qua plures jam ſuſceperat liberos, & Annam adjungere, ſi libidini obſequentem ſuæ habuiſſet; D) tot vitiis magnus cæteroqui conſilio Princeps laboravit. Hac permutatione libertatem conſecuta Anna, ad fratrem in Siciliam conceſſit infelix Græcorum commercio mulier; & ab altero quidem Imperatorum, contra ac decebat, neglecta, ab altero per nefas expetita.

A) In Familiis Byzantinis p. 190. B) Pachymeres p. 99. C) Gregoras p. 46. Pachymeres p. 108. qui & acerbe propterea Michaelem reprehendit. D) Pachymeres p. 104.

A.C. Ut Cæſaris errorem corrigeret Imperator, Joannem fratrem cum
1263 Michaele Cantacuzeno, Tarchaniota, aliisque in Albaniam expedivit; qui variis procurſibus, ac minutioribus præliis in eas compulere Michaelem anguſtias, ut is ſanctiore jurejurando (ſi ſancti tamen aliquid in eo genere Græcis fuit) pacta, & fœdera procurare neceſſe habuerit; cujus filio Nicephoro tum viduo, Anna Imperatoris ex Eulogia ſorore, & Cantacuzeno neptis conjuncta, pacis hujus videri ſequeſtra potuit.

Alter Imperatoris frater Conſtantinus Peloponneſium urgebat Principem, obſeſſo Monembaſio, inter varias modo faventis, infeſtæ modo fortunæ vices; demum tamen & Monembaſio, & Lacedæmone, & montana Regione potitus. Philanthropenus denique claſſi Præfectus Chio, Lemno, aliisque occupatis Inſulis, quin Euboeæ quoque Principe, per Icarium quendam capto, ſat feliciter bellavit. A)

1264 Deterius aliquanto res in Aſia habuere: Turci enim a Tartaris proturbati ferebant, agebantque Imperii limites, ſedes illic liberas, vel ingratiis Imperatoris poſituri. Ad hos compeſcendos Imperatoris frater Joannes cum mediocri exercitu multa, ut ſtrenuus, & virtute præſtans fuit, præclare geſſit; attamen cum Gentem cerneret ferocem, & intractabilem, ne abducto exercitu, mala ii rurſus inferrent, Regionem illis ſat amplam incolendam attribuit; tractabatque ut amicos, quos perdere ut hoſtes non poterat, ſed quorum amicitia funus aliquando Palæologis, & Imperio portaret. Et certe, quam fruſtra a vicinis iis ſperaretur quies, patuit haud ita multo poſt; nam cum e Paphlagonia, & Opſicio tributa quæſtores Imperatorii importunius exegiſſent, irritati illi magna parte ad ſocietatem ſemet Turcicam aggregabant; ita perditorum illorum augeſcebant res, ac opes, & domi infelices, foris formidari cœpere. B)

1265 Sed major etiam hac a Turco profecta calamitas, Imperatorem ipſum pene oppreſſit; Azatines Turcorum Princeps apud eundem, uti dictum, exul, ac pro reductione ſua ſæpe ſupplex, cum verba ſibi ab Imperatore dari cerneret, nec ignoraret pacem cum Tartaris ictam, gravi aliqua accerſita clade hanc Imperatoris ſimulationem ulciſci conſtituit; igitur patruum quendam ſuum, Tartaricum itidem Principem, & Conſtantinum Bulgarum, qui ſororem pupilli Joannis nuper cæcati Irenen habebat, ob idque iras in Imperatorem gerebat, ad arma eidem inferenda impulit. Forte in Theſſaliam ſive negotiorum, ſive bellorum cum Michaele Angelo cauſa, prodierat Imperator; cum ecce tempeſtatis ſubitæ in morem Tartari, Bulgarique in Thraciam infundi, exurere vicos, & diripere, tum vero ad comprehendendum Imperatorem citatiſſimo curſu ferri, vix diurna demum, nocturnaque fuga ad mare provectus, cymba ſalutem quæſivit Imperator, comitum plerique capti, vaſtitas Thraciæ miſerabilis illata. Azatines demum ipſe ab Æni Urbe, ubi captivi inſtar detinebatur, liberatus, atque a procurſoribus iis abductus eſt. c) En præclaros Turcicæ ſocietatis, & amicitiæ jam tum fructus!

1266 Hos inter qua ſucceſſus, qua offenſiones ea tamen Imperatorem vellicabat cura, quod a Patriarcha triennium jam & amplius ab Eccleſia abſciſſus, domi, non item publice ſacris intereſſe auderet; quæ res & majeſtatem minuebat regnantis, & Procerum odio, ac invidiæ exponebat; quamobrem ſæpius appellabat Arſenium, duritiem poneret aliquando, ſeque ſupplicia pro admiſſo facinore expendere paratum in gratiam reciperet. At vero Arſenius priſcæ vir ſeveritatis, vel memoriam ejuſce rei averſabatur. Vocato Præſulum Cœtu ſuam lamentatur ſortem Princeps, Arſenii inclementiam multis incuſat, nec impetrat tamen quidpiam; cum proinde aperte nihil metu populi in Arſenium auderet, compoſito crimine Sacerdotio illum evertere, aliumque, quo libitu uteretur ſuo, ſuffi-

cere

A) Pachymeres pag. 111. B) Multis virtutem Joannis iſtius attollit Pachymeres. C) Gregoras pag. 50.

cere conſtituit. Adulatorum nonnemo Sacerdotum, qui bene mentem A.C.
Principis introſpexerat, libellum porrigit Imperatori, quo Arſenio crimi- 1266
na quædam, at perperam, impingebantur; mutaſſe ſcilicet illum nonnulla in re Divina facienda: ad hæc cum Azatine Turco familiarius verſatum, illum ne ſacra quidem æde excluſiſſe; aliaque id genus; quæ etſi inania manifeſto viderentur, tamen Arſenius judicio Præſulum, ſententiam ad arbitrium Principis accommodare ſolitorum, damnatus, & Patriarchatu abdicatus eſt. Quin etiam cum quidam ſub id tempus in Principem temere conjuraſſent, & excarnificati falſo Arſenii nomen detuliſſent, volente ita Imperatore, excommunicationis ſententiam idem ille Arſenius a Præſulibus accepit. Sic vafer Princeps duritiem Patriarchæ ultus eſt. In locum Arſenii Germanus ex Adrianopolitana ſede, qui Imperium Palæologo olim prædixerat, ab eodem ſublectus fuit; qui tamen cum invidia populi, & Procerum conflagraret, nec reddere Imperatorem Eccleſiæ auderet, poſt quadrimeſtre ſubdole id quoque procurante Principe, ſemet abdicavit; cui denique Præſulum ſuffragiis Joſephus quidam, prius Imperatori a Confeſſionibus ſubſtitutus, Imperatorem ſolenni, & publica cærimonia Eccleſiæ reſtituit. Qui Arſenio ferventius favebant, improbavere hæc omnia, ſeque a reliquorum conſortio reſciderunt; unde dira in ea Eccleſia rurſus enata ſeceſſio eſt, diuturnas datura turbas; ſed inter turbidos, & rebus inſanis cum voluptate miſceri aſſuetos. A)

Turbata ſic Urbe, Turci limites interea deſolabant Imperii Aſiaticos, 1268
occupato Meandrio tractu, Caria, & Paphlagonia ad Sangarim uſque flumen evaſtata; quod averſis in Europam curis, & copiis minor eſſet Aſiaticarum rerum ſolicitudo. Incendebatur ejusmodi nunciis populus; at Imperator Præfectorum acceptas calamitates extenuantium mendaciis occupatus negligebat; B) ſic ſæpe rerum adminiſtri dum imperantium ſolicitudini, & dolori mederi volunt, Rempublicam perditum eunt; quaſi vero minus malum ſit illis, cum Republica perire, quam dolere.

Majorem aliam per id tempus a Barbaris in Oriente res Chriſtiana accepit cladem: Bendochar Ægypti Sultanus, illato reliquiis illis cruce ſignatorum in Palæſtina bello, multa dire in eos perpetravit; ac demum Antiochiam, Principe Urbis Conrado in Italiam auxiliorum gratia profecto, expugnavit, ſeptemdecim illic millibus Chriſtianorum conciſis, centum vero millibus in ſervitutem ductis; ſic cecidit Urbs tanto cruce ſignatorum conatu parta, totque annis, inter tantas rerum viciſſitudines ſervata. Nec ſimile effugiſſent infortunium reliquæ in Palæſtina Urbes, ſi non Bendocharem, Tartarcum occupaſſet bellum; Chriſtianis interim ne tanta quidem ruina ad concordiam arrectis, & Hugone Cypri Rege adverſus Siciliæ Reges, Regni illius Hieroſolymitani umbram verius, quam corpus prenſante. C)

Carolus enim Andegavenſis, devicto hoc ipſo tempore Conradino, Si- 1269
cilia, & Regno Neapolitano potitus, Palæſtini quoque Regni ſucceſſorem ſe ferebat; at Hugo, ejusque poſtea filius Henricus, extincta Friderici familia, ceu debitam ſibi obtendebant coronam, eamque Ptolemaide ſibi impoſuere; quod diſſidium cum univerſali Regni illius excidio demum, ut dicetur, deſiit.

Rex idem Siciliæ Carolus, inter initia Principatus ſui gravem injicit Palæologo curam; quippe Balduini Imperio ejecti filio Henrico in generum adſcito, ad eundem Conſtantinopolim reducendum claſſem & exercitus apparaverat; D) qua conterritus fama Palæologus, & ipſe armavit ſeſe; quove periculum iſthoc amoliretur, ad Pontificis Romani concordiam reſpectavit; vere, an ficte, quis definiat? hoc alterum ſuadet, vafri Principis non inexperta talium mens; illud vero, multiplex illius in ſuorum

A) Prolixe has Eccleſiæ turbas perſequitur Pachymeres multis paginis. B) Pachymeres p. 175. C) Sannutus l. 3. c. 7. D) Gregoras p. 49.

A.C. obſtinatione flectenda conatus; quod negotium annis pluribus tractatum, exitum nihilo, quam alias, feliciorem habuit.

1271 Aliud interim bellum excepit Imperatorem; & clades quo inexpectatior, hoc acerbior. Joannes, Michaelis Ætoliæ Principis nuper fato elati filius nothus, & ipſe Regionis cujusdam in Theſſalia Dominus, utque pater, turbulentus, ab Imperatore, a quo Sebaſtocrator dictus erat, deſcivit; A) ad quem denique perdendum exercitus quadraginta adeo millium terra, marique ſub Joanne Imperatoris fratre expeditus Byzantio eſt. Claſſem navium ſeptuaginta Latinorum in mari Ægæo navibus Philanthropenus objecit; Joannes autem Palæologus, Regionem fœdifragi illius aggreſſus, ipſa multitudine ſic obruit; ut nihil pene ejus incœpto obſiſteret. Joannes ille nothus, in arce Patrarum concluſus, & a ſpe undequaque deſertus, velut fera caveæ concluſa obſidebatur; qui ex deſperatione clam ſe per obſcuram noctem ex arce demiſit; tum ad Achajæ Principem progreſſus, acceptis ab eo trecentis Francis equitibus, ſuorumque adjuncta manu in Theſſaliam rediit; quo interim tempore Imperatorii deſidebant ſummam per inertiam, Joannis, quem fugiſſe ignorabant, omnino ſecuri. Sic otio, & comeſſationibus immerſos, repente pluribus ex partibus cum incondito clamore adoritur Joannes; illi re improviſa turbati obiter arma rapiunt; at cum ordinata acie Francos præſertim, irruere vident, conſternati, ac magnum rati adeſſe exercitum, poſt brevem dimicationem in fugam, fruſtra retentante eos Palæologo Joanne, effunduntur. Clades a tam pauca manu accepta eſt fœdiſſima, caſtra direpta, multi capti, ac rebus, aut vita exuti, docuere; ne tum quidem non cavendum in bello, dum nulla cavendi cauſa apparet. B)

Dolorem cladis hujus mitigavit aliquantiſper victoria a claſſe relata; Philanthropenus cum Latina triginta navium claſſe congreſſus, ancipiti diu prælio decertavit; factumque fuiſſet, ut vincerentur Græci, niſi fugitivus ille Imperatoris frater cum reliquiis copiarum e littore tempori adfuiſſet; hic enim milite lembis impoſito, laborantibus opportune ſubvenit, eosdemque ad ſtrenue bellandum voce miſerabili e littore obteſtatus eſt; ad extremum & multitudine, & obſtinatione ſua fregere Latinos Græci; & una, alteraque dempta, naves eorum aut ceperunt omnes, aut merſerunt. Lenivit ea victoria Imperatorem Joannes; ornamentis tamen Deſpotarum abſtinuit dehinc, ab ira exulcerati fratris verens; cui filii quoque erant, ejusmodi jam ornamentis maturi. C)

1272 Andronicus hi fuere, & Conſtantinus; priori in conjugium deſponſa tunc fuit Anna, Regis Ungariæ Stephani V. filia, ac per Germanum Expatriarcham, & Michaelem Laſcarem Byzantium deducta; virgo multis decoribus præſignis, & ſocero, conjugique acceptiſſima; D) eam cum viro anno inſequente corona inſignivit Imperator, & Andronicum in conſortium Imperii adſcivit.

1273 Tentatam nuper cum Romana Eccleſia concordiam, hoc ardentius arripuit Michael, quo magis ad id, & maximis in ſe Caroli apparatibus, & aſſiduis Gregorii X. Pontificis hortatibus impellebatur; hic enim, ut primum Pontificatum adeptus, Legatis Byzantium expeditis, largiſſime omnia pollicebatur Imperatori, ad concordiam modo ſuos adduceret; quod ille præſtare ſolertiſſime adniſus eſt, vocatis ſæpe in unum Præſulibus, & tam Urbis certiſſimo objecto periculo, quam rei utilitate, ac honeſtate ad capeſſendam concordiam incitabat; aſſentiebantur Imperatori principio Græci; rati, nunquam rem tantam perfectum iri, conatumque ejusmodi, ut adhuc factum erat, facile levi quavis aura diſſipandum; at cum deinde cernerent, Imperatorem ſerio, & ex animo, ut præferebat, in rem incumbere, plerique cum Joſepho Patriarcha palam & acriter oblu-

A) Gregoras p. 56. Huic Michaeli ſucceſſit in Epiro legitimus filius Nicephorus; duo vero alii, Michael, & Joannes Byzantium profugere. B) Multis de hac clade Pachymeres p. 181. C) Pachymeres p. 186. D) Pachymeres p. 178.

obluctari cœpere; ut adeo jurejurando quoque ſe obſtringerent, nunquam ad concordiam redituros, A) cum dicerent: fieri omnino non poſſe, ut qui tot per annos nullum Patriarcha ſuperiorem agnoviſſent, deinceps Romani Pontificis, hominis & Itali, & longe poſiti Imperio mancipentur; tam altas jam, firmasque in animis eorum radices ambitio egerat, non niſi Turcico olim ferro exſcindenda. A.C.

Quo vero magis obluctabantur Præſules, eo inſtabat Imperator pertinacius, & ad ſeveriora quoque deſcendebat; Veccum certe Joannem, primariæ in ea Eccleſia dignitatis, Cartophilacem dicebant, virum cæteris doctiorem, carceri ea cauſa cum omni familia concluſit; at Veccus poſtulatis Blemydæ Nicephori libris, qui Nicææ multa olim pro hac concordia conſcripſerat, ac lectis, demum & ipſe ſententiam ad concordiam flexit. Obſtabat interim pervicax Patriarcha, & Eulogia ſoror Imperatoris, quæ in tantum proceſſit impudentiæ, ut Regem Bulgariæ Conſtantinum, per filiam ſuam Mariam, eidem defuncta Irene nuptam, ad bellum Imperatori inferendum concitare non vereretur; ut hæ videlicet turbæ, ac belli metus ab inchoata jam concordia illum avocarent. Cæteri quoque ex omni nobilitate, & populo execrabantur aperte concordiam; quorum audaciores aut carceribus, aut exiliis ab Imperatore mulctati fuere; Joſephus Patriarcha in Latinos, & Principem pervicax, dignitate ſubmotus eſt; Veccus vero Joannes eidem ſubſtitutus; tum vero paci Eccleſiarum concludendæ allegati ab Imperatore Romam ſunt, præter alios Germanus Expatriarcha, Epiſcopus Nicænus, & Georgius Acropolites; qui Romam cum pretioſis profecti muneribus, atque omni benevolentia a Pontifice exculti, rediere cum Legatis Pontificiis; his deinde in ædem Sophiæ inductis ab Imperatore, atque proclamato illic inter rem Divinam Gregorii, ceu Oecumenici Epiſcopi nomine, concordia toties tentata, perfecta denique videri poterat. Iidem illi Imperatoris Legati, ad Lugdunenſe quoque alterum univerſale Concilium profecti, confirmarunt initam nuper concordiam; unum illud deprecati: ne in ſacro Symbolo vocula, Filioque exerte apud eos poneretur; neu ritus Eccleſiæ illius veteres immutentur; ea quippe citra atrocem populi tumultum fieri non poſſe; tria autem, quæ viciſſim a Patribus petebantur, B) polliciti fuere; memoriam ſcilicet Pontificis inter ſacrificandum, appellationem ad eundem, ceu ſupremum Judicem in cauſis Præſulum, Primatum denique generatim ſupra Patriarchas.

Gregorio deinde fatis concedente, ſuffectus in locum Joannes XXI. 1275
Præſules duos Ferentinum, & Taurinenſem ex Ordine D. Dominici Conſtantinopolim allegavit; qui eo denique rem deduxere, ut Imperator cum filio Andronico ſolenni formula fidem publice Romano Pontifici obligaret; D) cui relaturus gratiam Pontifex, modis omnibus avocabat a bello Carolum, & invitum quamvis, religionis etiam intentato vinculo, ab eodem retentabat; non neſcius: infirmam hanc, metuque expreſſam concordiam ruituram continuo, ſi arma concrepuiſſent.

Interea miſceri ab imo Conſtantinopoli omnia, obſiſtere ferociter 1276
cœpto Imperatorio Sacerdotum plerique, ab iis, qui cum Principe ſentiebant, velut grandi obligatis piaculo abhorrere, furere ante alios Eulogia Imperatoris ſoror; cui ut gratum faceret filia Maria, Conſtantinum virum ad bellum Imperatori inferendum impulit; Patriarchas etiam Orientis, quin adeo Sultanum ipſum Ægyptium exſtimulare in eundem auſa. Huc expers rationis in Latinos odium, apud Gentem maxime lividam

A) Idem Pachymeres, qui pluribus capitibus, & admodum prolixe turbas has Eccleſiæ, tentatamque concordiam exequitur toto fere libro V. B) Hæc tria Latinorum poſtulata tribus verbis exequitur Pachymeres; poſtulaſſe nimirum, τὸ μνημοζύνον, τὸ ἔκκλητον, τὸ πρωτεῖον. Vide Spondanum ad hunc annum. C) Ex notis P. Poſſini ad Pachymerem p. 137. qui hæc ex Regeſto Nicolai II. Nam juramenti nec Pachymeres, nec Gregoras meminere.

A.C. accreverat; cui pene optabilius viſum eſt, nullam eſſe, quam Latinis in
1276 re Divina videri inferiorem. A)

Sed elatæ mulieris iſtius faſtum brevi ad ultima depreſſit Deus: Conſtantino ejus conjuge ægro, incurſabant Bulgariam Tartari, Principe ob invaletudinem minus iis reprimendis intento. Lachanes quidam ſubulcus, ad quidvis audendum projectus, æqualium ſibi collecta fæce incurrentium Tartarorum manipulos cecidit ſæpe, atque præda cæteros quoque allectante, magna brevi circumdatus turba, illuſtris e nihilo, & formidabilis videri cœpit; cujus ut fama Bulgariam pervaſit, facinoroſorum plurimum auctus confluxu, tantos ſibi ſumpſit ſpiritus, ut Regiam illic dignitatem invadendam deligeret. Turbatis ita rebus, armisque undique perſtrepentibus, neceſſe habuit Conſtantinus, acie confligere cum ea ſuorum fæce; verum victus, & cæſus turbatiſſimam prædonibus reliquit Bulgariam.

1277 Erat penes Imperatorem per id tempus adoleſcens, Aſanes Joannes exul, e ſtirpe apud Bulgaros Regia materno genere oriundus; cui reducendo cæde Conſtantini opportunum adeſſe tempus videns Michael, ſuam eidem filiam Irenen deſpondet, atque copiis inſtructum in Bulgariam occupando Regno expedit. His circumdata hoſtibus Maria vidua, animi pendebat diu, quamnam in partem ſe daret; an ad Lachanis conferret non gratiam modo, verum & conjugium, an ad Imperatorem ſibi tam infeſtum captiva duceretur? Vicit demum invidiæ, iræque æſtus animum: mulier eo genere, & ortu Lachani ſubulco nubit, dotale, ut rebatur, ei Regnum allatura; verum Lachanes, etſi principio felix, & ſtrenuus, poſt alterum tamen Principatus annum a nobilibus Bulgaris, & Imperatorio exercitu in magnas demum actus anguſtias, & ad Tartarum Principem Nogam fugere compulſus eſt. Ternobii cives ab ejus fuga ſe cum Urbe, & Maria ultro Aſani dedidere; eaque ad Imperatorem cum filio Michaele ducta; ſic undique profligata & pudicitia, & ambitio miſeræ illius mulierculæ fuit. B)

Cæterum neque Aſani diuturnus hic erat Principatus: is enim a quodam Bulgaro Tertere. opibus præpollente, Regno poſt aliquot abhinc annos exutus, fugere Byzantium debuit; vindicante hic quoque factum Imperatoris Deo; ut qui auctor fuerit Terteri, repudiata ut legitima conjuge, majoris conjunctionis, & ſecuritatis cauſa Aſanis ſororem duceret, propoſita etiam Deſpotica, ſi id faceret, dignitate. C) Sic nusquam tuta Principibus quæſita ſcelere ſecuritas.

1279 Inter has publicarum rerum vices durabat plures in annos cœpta in Religionis negotio Byzantii perturbatio; nihil hortatibus, nihil ſuppliciis Imperatore in obſtinatiſſimos promovente. In Joannem Veccum Patriarcham, qui libro quoque edito Divini Spiritus a Patre, & Filio proceſſionem acerrime propugnabat, præprimis perditorum flagrarunt odia; quem ut amolirentur denique, ad ſolennem ſibi calumniandi, & Præſules ſedibus exturbandi, artem recurrerunt; quamobrem concinnato quodam in Patriarcham libello, mendaciis conferto, eoque Imperatori porrecto, aliorum ſpecie criminum in jus eundem vocarunt, quarto ab adepta dignitate anno. Et alienarat a Joanne aliquantiſper Imperator jam antea animum; primum, quia ille nimium fervori indulgebat ſuo, & Imperatori negotium perſæpe exhibebat; deinde, quia ob editum librum illum in atroci odio verſari apud populum, & Joannem, & ſe ejus defenſorem norat; proinde accuſationes in eum non difficiliter admittebat; & tametſi non condemnaret aperte, animi tamen in contrariam partem inclinati indicia haud levia edebat; quo Joannes cognito, ultro abdicare dignitatem conſtituit, ac ſe privatas ad ædes retraxit.

Inte-

A) Ita multis Pachymeres p. 241. qui licet & ipſe Schiſmaticus, tamen improbat hanc tantam ſuorum obſtinationem. B) De his præter Pachymerem, Gregoras quoque p. 67. C) Pachymeres p. 251.

Interea opportune adfuere Nicolai III. Pontificis Legati: Epiſcopus A.C.
Groſſetanus, cum tribus ex Ordine Minorum, cœptam jam Eccleſiarum 1279
concordiam confirmaturi; quos de iis, quæ circa Joannem acciderant, celare quam maxime Imperator ſtuduit; non neſcius: ſimulationis liquido convictum iri ſe, ſi ſuum in vexando Principe, concordiæ iſtius defenſore, cœptum innoteſceret; clam proinde obnixe rogavit Joannem, in ædes rediret Patriarchicas, ſeſeque pro eo, qui fuit, gereret; quod & factum eſt, Imperatore in defenſando Joanne voluntatem deinceps ſuam omnimodis comprobante.

Iisdem præſentibus Legatis Conventus Præſulum, & Monachorum ab Imperatore celebratus eſt; in quo rurſus iis, quæ Legati flagitaverant, & quibus jam antea ſubſcriptum fuit, Græcorum permulti aſſenſum præbuere; ſed tam ſimulate, tamque fraudulenter (quemadmodum narrat, qui adfuit Pachymeres A) ipſe quoque partium concordiæ adverſarum) ut & Legatis, & Imperatori præter verba datum ſit nihil; hisque recedentibus plerique ad ingenium regreſſi, Monachi præſertim, furioſe adverſum Latinos depugnarunt. Cum ſic Imperator auctoritatem contemni ſuam cerneret, enimvero graves in iras exarſit; igitur carceribus, verberibus, exiliis, oculorum exuſtionibus, quin capitalibus etiam ſuppliciis ſævire in pervicaces cœpit; qui cum jam palam obloqui non auderent, ad famoſos converſi libellos, Imperatoris ſcelera, & invaſum per fraudem thronum crude traducebant; quo rurſus in immenſum accenſus Principis animus, ſententiam capitis propoſuit omnibus, qui libellos ejusmodi aut legerent, aut penes ſe aſſervarent; digni quidem ſuppliciis, ſed tamen in hac tanta inſania, quos velut atra bilis exagitat, miſerandi.

Ut vero ſincerum in concordia animum Pontifici exhiberet Imperator, duos Epiſcopos, Ignatium, & Melletium, reliquis pertinaciores Romam miſit, pro arbitratu illius plectendos; quos tamen cum honore, & commendatione bona remiſit Pontifex, eorum, ut credibile, ſimulatione illuſus; quam illius benignitatem in ſequiorem partem accepere Græci; cum dicerent: ne Pontificem quidem magnopere concordiæ huic ſtudere, ut qui principes ejus adverſarios non modo dedecore non affecerit, ſed etiam honore ornarit; ſic malignis animis etiam beneficium pro maleficio fuit.

Quo vero magis Religio Conſtantinopoli Græcorum pervicacia labo- 1280
rabat, hoc in partibus Orientis publica res a Turcorum furore magis in dies fatiſcebat. Azatines Sultanus, in exilio fato ſublatus, Melecum filium reliquit; qui Tartaricis quibusdam adjutus copiis, rediit ad Turcos, novis jam Provinciis e rapina circa Meandrum, & in Paphlagonia locupletes; & ab aliis quidem admiſſis ad Principatum, ab aliis rejectus eſt; non ferentibus, in labores ſuos, & ſpolia exulem intromitti; B) ad extremum poſt varias belli vices Melecus ab Amurio Turco victus, fugatusque eſt. In ſeptem poſthæc Toparchas res diviſa fuit Turcica; quorum præcipui fuere: Amurius, Caramanus, Sarchanes, & Ertucules, filium nactus Oſmanem, ſive Ottomanum, virum pugnacem, de quo hodierna Turcicorum Imperatorum Oſmanica familia prodiit. C) Turcorum illi Toparchæ nequaquam partis contenti, latrocinando ſæviebant in Græcos, perinde ut ipſi a Tartaris ſibi vicinis vapulabant; præſertim poſteaquam limites Imperii, quod militibus ſtipendia maligne præberentur, præſidiis nudati, liberam illis dabant quidlibet patrandi poteſtatem; Ad compeſcendas eorum

A) Fuſe pro more ſuo toto fere libro ſexto. Nam Gregoras de turbis his Eccleſiaſticis pauca, & ſicce. B) Gregoras p. 70. C) Laonicus Chalcocondylas de rebus Turcicis p. 6. qui Oſmanem, Ottomanum vocat, & patrem ejus Ertuculem Orthogulem, aitque: hunc ex Oguziorum familia apud Turcos progreſſum; Annales Turcici priorem appellationem Principibus hiſce tribuunt, & multos horum Majores enumerant p. 245. Mahometes tamen ſecundus ad Joannem Comnenum, de quo in Joanne Imperatore Comneno meminimus, Majores hos ſuos retulit. Vide Leunclavium in notis ad Annales Turcorum p. 300.

A.C. 1280 rum procurſiones Noſtongum cum exercitu expedierat Imperator; qui manu cum Turcis conſerta, facile quidem eos fugavit; at nimio inſequendi ſtudio elatus, & in loca pertractus iniquiora, univerſum ſecum una exercitum perdidit.

Ut ignaviam Ducum corrigeret ſuorum Palæologus, filium Andronicum cum Anna conjuge Nicæam transferre aulam, illincque e propinquo res curare Aſiaticas voluit. Et compreſſi cura Andronici, metuque fuere Barbari; quorum elidendis procurſibus Urbem ad Meandrum flumen Trallas, olim celeberrimam, tunc informem acervum, e fundamentis excitavit, accerſitis undique civibus, reque militari, & Magiſtratu conſtituto. Verum eludebat omnem hanc Andronici ſervandæ Aſiæ ſolicitudinem perpes Turcorum, nec repreſſa ullis unquam cladibus inquietudo. Illi enim evaſtatis longe, lateque Paphlagonia, & Phrygia, Urbem Trallas, quæ jam Andronicopolis dicta erat, aggreſſi in maximas conjecere anguſtias, cum aquæ præſertim inopia conflictantem. Defenſabant tamen ſtrenue Urbem Chriſtiani vicinorum ſpe auxiliorum; quæ, ut præverterent Barbari, per ruinas murorum irruperunt ferociſſime, atque viginti hominum millia peremerunt partim, partim vero mancipio abſtraxere. A)

Æger infelici rerum in Aſia ſucceſſu Imperator, revocato Andronico, cui Anna tunc conjux magno cum mœrore morbo interiit; ipſe in Orientem profectus, omnia ultra Sangarim, quod Bithyniam a Paphlagonia diſcriminat flumen, evaſtata mœrens aſpexit, ſeque a Ducibus fauſta pro infauſtis placendi ſtudio nunciantibus ludificatum ingemuit. Ne vero ultro Barbaricus proreperet furor, fluvium illum arcibus, & præſidiis ſolerter communire inſtitit; ita tunc reliquiis illis Aſiaticis utcunque proſpectum. B)

1281 Nicæam Imperator redux, morte Nicolai, & electione Martini IV. Pontificis cognita, Legatos Romam obſequia delaturos miſit. At enim Legatio iſthæc non perinde, ut priores, benevole accepta Romæ eſt; quin contempta etiam, & faceſſere juſſa; primum quia ſimulate, & fraudulenter agi omnia a Græcis Pontifex intellexerat; C) deinde quia Imperator cum Rege Aragonum Petro, adverſus Carolum Siciliæ Regem Pontificis iſtius clientem, fœdus inierat; D) tum vero a Pontifice Gallo, & Gallicarum aperte partium data poteſtas eſt Carolo, belli in Palæologum movendi; quin imo Palæologus ſolenni forma ab Eccleſiæ communione per eundem reſciſſus; E) quæ cum retuliſſent Legati Byzantium, atroci elatus ira Imperator prope aberat, ut concordiam initam ejuraret; tenuit tamen ſeſe, inconſtantiæ, & levitatis notam apud ſuos veritus; eosdemque dehinc quoque ad concordiam cum Eccleſia adigebat; excepto: quod Martini nomen appellari de more in Liturgia vetuerit.

Quod igitur dudum cupiebat bellum pro genero ſuo Henerico, Græcis Carolus intulit; ſed minore, quam neceſſe fuit, mole; tribus enim hominum millibus claſſi impoſitis quendam e Proceribus Roſoſulem F) navigare in Illyricum, ubi populi nonnulli arma in Imperatorem ſumpſerant, & bellum inferre juſſit. Facit imperata Roſoſules, ac expoſitis in terram ſuis, incolarum quoque adjutus perduellione, arcem in Pelagonia Bellegradum obſidione cingit; ad cujus reprimendos conatus, quidquid ſupererat Imperatori militum, in Græciam ductum eſt; quove animus militi adderetur, chartula quædam oleo ſacro tincta, velut certiſſimum Divinæ opis pignus cuivis militum a Patriarcha tributa eſt. Roſoſulem in Græcos bellantem temeraria quædam audacia perdidit; cum paucis enim præ-

A) Gregoras pag. 73. Ubi oraculi etiam cujusdam de Andronico in lapide reperti meminit; verum nugamenta hæc Græcorum afferre in medium quid attinet? B) Pachymeres pag. 281. C) Hanc unam cauſam affert Pachymeres pag. 282. D) Hanc alteram Poſſinus in notis ad Pachymerem; ſed & Gregoras pag. 75. meminit fœderis a Palæologo cum Petro Rege (quem Fridericum vocat) initi. E) Ita diſerte Pachymeres pag. 282. F) Sic eum appellat Gregoras; at Pachymeri Ros Solyman dicitur pag. 284.

præter Ducis officium in Græcos procurrens, effuſus equo, & captus eſt; a caſu Ducis non difficiliter reliquæ ejus copiæ disjectæ, magnaque parte vinculis adſtrictæ ſunt; cum quibus Roſoſules Byzantii ſpectante Imperatore, & populo ad ludibrium traductus eſt, geſtientibus lætitia Græcis, & ceu maximos debellaſſent exercitus, e paucorum illorum miſeria inſolenter triumphantibus; quæ ipſa geſtiens e modico illo devicto exercitu lætitia, quid aliud, fuit, quam imbecillitatis, ruentisque Imperii teſtimonium. A.C. 1281

A bellicis curis Hymenæus excepit aulam; ſub idem enim tempus data eſt Eudocia Imperatoris filia Joanni Trapezuntino Principi, illius Alexii Comneni, qui occupata a Latinis Urbe Trapezuntem pro ſe arripuerat, nepoti. Joannes hic primus ornamentis uti, & Imperator Trapezuntinus, tametſi titulo huic Provinciarum anguſtiæ minime reſponderent, dici cœpit. Et laboravit in eo nectendo conjugio Imperator Michael, ut invidioſo hoc ornatu, & titulo Principem illum exueret; ſed res intra conatum ſtetit; Græcis, ut leve fuit ingenium, titulorum, & ornatus exterioris prærogativam pene Imperio ipſi præferentibus. A) 1282

Inter ipſa hæc hilaria gravi Imperatorem ira complevit Joannes ille Angelus; qui ſuperiore ferox victoria, hæreditariam velut nactus inquietudinem, armis Palæologo ſubditos divexare inſtitit. Ad hominem penitus opprimendum non Imperiales modo copiæ, ſed Tartaricæ quoque a Rege eorum Noga ſubſidio accerſitæ ſunt; quin imo Imperator ipſe cum filio Andronico, ſive ad excipiendos, qui adventabant Scytharum Principes, ſive ad bellum adminiſtrandum, etſi morbo jam tentaretur, Radeſtum navi profectus eſt. Verum gravis exorta tempeſtas propemodum demerſit Principes; jactavit certe vehementer, vix ut in littus ſe ejecerint; ab ea jactatione increvit Imperatori morbus. Quæſivit tum ex ſuis: quinam vocaretur terra, quæ ipſos exceperat; cognovitque Allagen dici; agrum vero, in quo conſtiterant, Pachomii cujusdam eſſe; quæ res reduxit in memoriam Imperatorem vaticinii ejusmodi olim ſibi propoſiti: ſub vitæ mutationem Pachomius tibi ſucceſſurus eſt; B) tum vero incuſare ſe cœpit, quod ſuſpicione ex oraculo illo exorta, Pachomio cuidam oculos ademiſſet, ſeſeque ad ultimam luctam comparare cœpit; Principes dein allocutus Scythicos, ac ſacris per ſuos communitus, undecimo Decembris die animam efflavit, Imperii anno tertio, & viceſimo minus viginti diebus, ætatis vero octavo, & quinquageſimo. Cadaver illius non modo non honeſtatum funebri pompa eſt, ſi Gregoræ fides, ſed etiam juſſu Andronici procul a caſtris clam terra obrutum. Ob concordiam nempe cum Pontifice initam, id in defunctum deſignaverit acerrimus partium adverſarum, ſed clam patre Andronicus; C) quamquam Pachymeres in vicino aſceterio tumulatum prodiderit. Hunc nactus exitum eſt Princeps ille, tanta fortunæ varietate per vitam jactatus; qui tametſi male arripuerit Principatum, nec adminiſtrarit melius, non male tamen conſuluiſſet ſuis, ſi illi ab exitio, in quod volentes ruebant, vi aliqua retrahi valuiſſent. Præter Andronicum ſuperſtites ei fuere filii, Conſtantinus, & Theodorus; filiæque, quarum mentio fuit; & præterea Anna, Demetrio Angelo, Angeli Michaelis filio, nuptum data.

A) Gregoras p. 76. verum obiter; nam & alias de geſtis Trapezuntinorum horum Principum vix meminere Scriptores noſtri, ut ſilentio omnino prætereundi nobis veniant. B) Oraculum iſthoc, ſi tamen aliquid præter nugas meras fuit, aptius Græce, ita editum eſt: περὶ τὴν ἀλλάγην τῦ βιῦ τὰ Παχομίυ ςὲ διαδέξεται. Gregoras p. 77. C) Hanc innuit cauſam Gregoras p. 78. Ipſe quoque Michaeli ob concordiam initam infeſtiſſimus; at vero p. 81. ait: cadaver Michaelis, juſſu Andronici non diu poſt Selybriam translatum eſſe; ne videlicet a Latinis furto tolleretur.

ANDRONICUS PALÆOLOGUS.



A. C. 1282 Diuturnius, quam felicius Andronico huic Imperium obtigit; ſub quo res in Oriente Chriſtiana non jam ut antea turbari, & jactari, ſed Barbarico penitus furore abſorberi cœpit; idque eo violentius, quo obſtinatius Andronicus ab inita olim per patrem ſuum Eccleſiarum pace abhorrebat; tametſi jusjurandum & ipſe ei propugnandæ olim dediſſet; rebus enim ad Radeſtum ordinatis, miſſo in Joannem bello, & Scythicis copiis Duce Tarchaniota, in Tryballos, ſive Servios expeditis, ut illic rapta ex alieno ſolo præda domum quieti concederent; ipſe repetiit Urbem, ac continuo animum ad abolendam Romanam concordiam adjecit; habuit ejuſce rei auctores, Monachos præcipue virulentos Latinorum oſores, ac ſororem patris Eulogiam, quæ tanto in defunctum jam fratrem ardebat furore, ut ſacra quoque pro ſalute illius, velut certo in orcum ob ſancitam concordiam demerſi, fieri vetaret. A) Denique non pauci Præſules, qui olim in ſpeciem Michaeli aſſenſi erant, Andronicum ſponte inclinatum ſua in eam mentem impulere.

Poſt pauculos ab adventu dies Joanni Vecco Patriarchæ ſignificat, magno ſe in diſcrimine amittendi Imperii verſari, ob concitatiſſimas plerorumque adverſus Romanam Eccleſiam voluntates; nihil quieti, nihil ſereni in Urbe futurum, ni in priſtinum res ſtatum reponantur; ſperare ſe proinde, Veccum ſalutis, Imperiique ſui cauſa libenter deceſſurum Joſepho, ante octennium ob cauſam jam memoratam Patriarchatu dejecto; neque id alienationi animi ſui, quæ nulla ſit, ſed neceſſitati temporum ab eo tributum iri. His Veccus acceptis, etſi angeretur vehementer ob incurabilem ſuorum animi morbum, neque quidquam concordia ſemel inita optatius haberet, tamen turbarum metu, & ſolitudinis amore, relicto Patriarchatu, ad aſceterium Panacrantæ ſe ſubtraxit.

1283 Amoto Joanne, Joſephum antea abdicatum, & ſenio, morbisque confectum, velut in triumpho repoſuere in Patriarchatum fanatici; & furorem deinceps ſuum in eos, qui pacis Eccleſiarum ſtudioſiores fuerant, exeruerunt; neque in eos tantum, ſed in omnes omnino, qui vel per umbram in communionem aliquam ſacrorum cum Latinis adrepſerant; quibus ceu grandi piaculo contaminatis, jejunia, penſiones pecuniarias, aliaque id genus criminum purgamina haud ſegnes in quæſtum ſuum Græculi injungebant. Sed ante omnes in quosdam Latinarum partium Præſules ira eorum efferbuit; in Synodum vocati, nec Epiſcoporum, ſed prædonum more habiti, ac omni contumeliarum genere, quin verberibus quoque onerati, dignitatem quidam penitus amiſerunt, alii ægre admodum & poſt multa tolerata retinuerunt. B)

Sed neque, qui a Latinis abhorrebant, concordes inter ſe fuere: durabat adhuc Arſenii injuſte, ut illi rebantur, olim abdicati, jamque vita fun-

A) Pachymeres in Andronico p. 12. B) Gregoras p. 89. incuſat hanc ſuorum immanitatem, uti & Pachymeres; tametſi uterque Schismati faveat.

functi factio; iſtique non minori pene in cæteros, quam junctim omnes in Latinos odio flagrabant; proinde tumultu res eorum Eccleſiaſtica perpetuo agitabatur; quod cum cerneret Joſephus, morbo pene abſumptus, poſt brevem moram Patriarchatu primum, dein etiam vita ceſſit. Hoc ablato obice lætus Imperator, Arſenianos cum cæteris in concordiam adducere efflictim ſatagebat; at adeo proficiebat nihil, ut magis etiam animos modo his, illis modo favore oſtentato inter ſe disjungeret. Gregorio poſthæc quodam Cyprio, in Patriarchatum producto, totus in Eccleſiæ illius componendis negotiis, Republica quoque neglecta, fuit, A) religioſus ſcilicet Princeps, & concordiæ, cujus fundamentum tam facile, tamque ardenter ipſo ſtatim initio profligarat, egregius amator. A. C. 1283

Veccum Joannem cum Epiſcopis Meliteniota, & Metochite, qui Romam Legati concordiam olim procurarant, quive cum Vecco proceſſum Spiritus Divini, e Patre per Filium, & ex Filio acerrime propugnabant, exagitare aggreſſus eſt; qui tamen conſcientia veritatis freti, nihili perverſos ejus conatus faciebant, Pruſam propterea relegati; unde tamen anno vertente revocati, & in Synodo reſpondere coacti ſunt. In hac Veccus apertiſſimis Patrum uſus teſtimoniis, Joannis præſertim Damaſceni, præclare doctrinam ſanam tuitus eſt, atque palam fecit, a Patre per Filium Spiritum Divinum procedere, non tamen ita, ut Filius concauſa proceſſus iſtius dici debeat; quod tamen per inſcitiam, inepte Latinis oggerebant Græci. B) Sed quamquam egregie rem cum ſuis egerit Veccus, apud livore tamen, & præjudiciis occupatos profecit nihil; C) igitur in arcem Divi Gregorii compactus eſt, ubi plures per annos, nulla victus illius habita ratione, inter plurimas ærumnas ad vitæ uſque exitum cauſam ſemel ſuſceptam invictus pugil propugnavit; par fuit ſociis ejus in hoc certamine conſtantia, parque victoria.

Proſtratis hoc modo Latinorum partibus, ad Arſenianos cæteris adjungendos ſtudium rurſus Imperator vertit. Præſulum Cœtu Adramytium Urbem, in Aſia maritimam vocato, diu, ſed fruſtra inter Arſenianos, & Cyprium diſceptatum eſt. Demum inita inter eos conventio: ut utriuſque partis præcipua querelarum capita chartis conſignata igni traderentur; quæ pars vim ignis prodigio exierit, pro ea futuram æquitatem. At indignis prodigio, & cauſæ utrinque citra dubium peſſimæ non adfuit cœlum; ſcriptum utrumque in cineres abiit; ſicque profectum nihil, ſed contentionis æſtus magis etiam inflammatus, digno certe turbulentis ſupplicio; ut qui concordiam cum vera Eccleſia toties oblatam, tam præfracte rejeciſſent, ſuis ipſi diſcordiis in malorum omnium gurgitem volverentur; & certe, ab eo tempore vix quidpiam in ea Eccleſia quieti fuit; vix Patriarchicum quispiam ſolium ad obitum uſque tranquillus tenuit; perpetua in ſacris, profanisque rebus perturbatio divexavit miſeros; eaque, quo diuturnior, hoc ad exaggerandam Dei in turbulentos iram, & vindictam acerbior; ut ex iis, quæ porro dicentur, liquido pateſcet. D)

Haſce Orientis ruinas Cœlites quoque miſerati eſſe, ac præſignificaſſe videntur; nam & imago Dei Matris, in privatæ domus pariete picta, lachrymas ubertim fudiſſe, & effigies D. Georgii ſanguine copioſe manaſſe, & denique ſanguinei imbres cœlo depluiſſe circa ea tempora memorantur; quibus oſtentis tantum abeſt, ut ſe inviſos Deo Græci crederent, aut calamitatum ſignificari incurſum; ut etiam ob abolitam cum Latinis concordiam, & amotum Papæ, ut vocabant, ſcandalum, Deo quam acceptiſſimos ſe æſtimarent; neque quidpiam ab hoſte Barbaro ita expur- 1284

A) De his Eccleſiæ turbis plurima toto libro primo tomi hujus ſecundi Pachymeres; & admodum prolixe. B) Oggerebant enim Latinis Græci: ſi ex Patre, & Filio procedit Divinus Spiritus; duo igitur erunt in Divinis principia, & duæ cauſæ; quod dicere hæreticum; non animadvertentes: Patrem, & Filium comparate ad Spiritum Divinum unum ſolummodo fore principium, de quo tuſe Poſſinus noſter in notis ad Pachymerem p. 55. C) Refert totum hoc colloquium Pachymeres p. 51. iniquus in Veccum, uti & Gregoras p. 86. D) Hæc libri primi diverſis capitibus Pachymeres; tametſi & ipſe Schiſmatis fautor.

A.C. gatis metuendum: quin auctores fuere quidam Andronico, classis, quæ
1284 sub Duce Alexio Raulo numerosa erat, dissolvendæ ad sumptus contrahendos, qui otiose in eam fieri dicebantur, velut cœlo ipso pro religiosis, & piis adversus Barbaros, & Latinos, si opus foret, dehinc certaturo. A) Et dissoluta omnino est classis cum immedicabili Reipublicæ vulnere; Turci enim, qui terra tantum adhuc prædas, & latrocinia agebant, jam etiam navibus maris oram furtim carpere, spesque suas in Europam quoque exporrigere cœperunt. Tam pulchre videlicet Græci suamet peribant insania.

1285 Inter funesta hæc omnia blandimenti aliquid fortuna Imperatori detulit; nam & connubio illustri cum Irene, Marchionis Montisferrati filia, conjunctus tunc est, & victoriam de Scythis Duce Umbertopulo ad Mesembriam retulit. B) Decem horum millia Thraciam incursantia, minoribus licet cum copiis aggressus Umbertopulus, plerisque vitam cum præda excussit; atque una hæc pene fuit victoria digna memoratu, quæ Andronici Imperio evenit; cætera cladibus, & offensionibus bellicis longe funestissima. Qualicunque tamen hac victoria suum in Religionis studio fervorem præmiari a Deo arbitratus is est, & ad cunctos unam in sententiam adducendos, magis etiam deinceps incubuit; sed cum successu tam infelici, ut dum perturbationem unam sopire contendit, aliam progigneret atrociorem; ipsaque medendi cura valetudini eorum jam deploratæ in perniciem verteret.

1287 Cum enim liber, a Vecco pro Spiritus Divini a Patre, Filioque processu conscriptus, manibus tereretur plurimorum, mussabant quidam, perperam agitatam esse eam causam, nec adversariis satisfactum; igitur quo omnem animis suorum dubitationem Andronicus excluderet, Patriarchæ Gregorio libri conscribendi negotium detulit; quo tota Græcorum circa Divinum Spiritum doctrina singillatim, dilucideque exponeretur. Suscepit Provinciam Gregorius, sed tam infeliciter administravit, ut ingentibus semet turbis, & malis involverit; namque pugnacissima illa ingenia invenerunt, non modo, quæ carperent in libro illo, sed etiam, quæ ceu hæretico, & Latinarum partium Gregorio objectarent. C) Is ut explicaret Damascenum, cui Græci tribuebant plurimum, quive Spiritum Divinum a Patre per Filium procedere diserte scripsit, D) ajebat: per processum hic non aliud intelligi, quam exsplendescentiam, quasi per Filium radiet ex Patre Spiritus, non vero emanet, aut procedat; sed dictum explicare suum volenti adeo hærebat aqua, ut exitum non reperiret; confutavit hominis tricas continuo ex carcere Veccus; unde rursus variæ extiterunt in Patriarcham rixæ: hi enim sugillare insciti hominis, illi velut vocula tantum a Latinis discrepantem accusare, omnia sursum ab imo ferri; qui cum Imperatori quoque correctionem sententiæ illius imperanti morem gerere renuit, omnium in se inflammavit odia; quibus demum duos fere per annos exagitatus, ultro cessit Patriarchatu, ac non diu post, morbo correptus, etiam vita; hic fructus inquietudinis, odiique in doctrinam sanam fuit.

1289 Gregorio huic suffecit Andronicus Athanasium, e monte Gano ascetam, hominem severæ cujusdam, & horridæ, vel magis simulatæ virtutis, doctrinæ autem expertem; cujus negotiorum summa fuit: insectari Clericorum, ac Monastici ordinis vitia, circumscribere opes, & luxum Præsulum, ad summam quandam severitatem nequaquam Urbibus conveni-

A) Quis tam ineptam suspicaretur φιλαυτίαν, nisi Pachymeres, qui tum vixit, ac rebus interfuit, eam diserte proderet. p. 41. B) Pachymeres p. 46. Irene hæc neptis Bonifacii illius Marchionis fuit, qui Byzantium olim cum Balduino occuparat. Gregoras p. 85. C) Pachymeres p. 69. & sequentibus. D) Pater προβολεὺς sive productor Sancti Spiritus a Damasceno dictus est; idque διὰ τῦ λόγυ per verbum; cum igitur voci προβολεὺς notionem activæ productionis ademerit Gregorius, ne eam Filio tribueret, arguebatur, eandem negare etiam Patri; adeoque ut hæreticus sugillabatur.

venientem mores eorum exigere; A) ne equis veherentur, ne prodirent A.C.
in publicum, ne epulis, & vino se liberalius explerent, eaque per paris 1289
secum, & aggrestis ingenii Monachos non tam Præsulis, quam Tyranni in morem severe, quin potius crudeliter urgebat. Hæc ejus agendi ratio Principi, & nonnullis placuit sub initium, e fimbria scilicet de textu judicantibus; sed cum viderent, Dominatus impotentia elatum quælibet pro arbitrio designare, & neque Imperatorem, nec Proceres flocci pendere, ingens in Clero præsertim commotio extitit; cui demum Athanasius ille, ut dicetur, cedere coactus est; tam sancta videlicet summa illa, ut jactabant, & pro qua adversus Latinos digladiabantur, dignitas iis fuit.

Nactus interim, ut sibi videbatur, a turbis Ecclesiæ laxamenti aliquid 1290
Imperator, in Asiam trajecit duabus ex causis; prior erat: ut conscientiæ animum mordenti satisfaceret; quippe metuebat, ne patris in Principatu per nefas arrepto successor, duræ perinde aliquando calamitati, justa Nemesi patres etiam in natis persequente, subjaceret; itaque profectione Dacybizam instituta, ubi Joannes ille Vatazes, quondam a Michaele cæcatus custodiebatur, supplex misero illi accidit; sibi ut admissum a patre facinus condonaret, atque Imperii in se jura nihil jam illi valitura, transferret. Nihil facilius impetratu apud cæcum, ac si neget, deteriora metuentem fuit. B) Ea lætus cessione Andronicus, liberalius dein Joannem haberi voluit, velut omni jam religione per eum solutus; quam tamen petere a misero illo, illudere verius fuit, quam æquitatem tueri.

Altera profectionis causa erat: ut rem militarem componeret in Asia, Turcosque comprimeret; quem in finem annum integrum Nymphæi commoratus est; ad eum hic morantem perfugium habuit Melecus, Azatini apud Michaelem olim exulis Sultani filius, C) ab Amurio Turco Provincia exturbatus; Melecus hic non reperto Byzantii Imperatore, conjuge, natisque illic relictis, Nymphæum iter habuit; sed cum a deductoribus curiosius observari se, ac infra dignitatem haberi cerneret, non meliorem, ac patris apud Græcos erat, fortunam fore suam ratus, ex itinere se subduxit; rursusque ope Tartarica aspiravit ad Principatum, necato etiam post aliquot prælia Amurio; quæ intestina Turcorum perturbatio quietem per hos annos indulsit Imperio, magnis brevi vastitatibus pensandam; quam si viriliter arripuissent occasionem Græci, næ illi rebus suis pulchre consuluissent; sed quos scelera sua in præcipitium urgent, nulla hos consilia, nullæ rei gerendæ opportunitates retrahant; nihil agunt, cum omnia etiam agere, & moliri videntur.

Non melior, quin etiam in præsentiarum deterior fuit, aliorum in 1291
Oriente Christianorum hoc tempore a Barbaris fortuna, cruce signatorum videlicet in Palæstina; quibus Sultanus Ægyptiacus, Melechseraph a Tartarico expeditus bello tota jam mole incubuit, miserasque illas tot moliminum reliquias penitus oppressit. Primum Tripolis diuturna obsidione afflicta, ac cum opis nihil infelicibus affluerat, occupata etiam est, septem hominum millibus ferro enectis, cæteris vero navibus in Cyprum, aut quo fors dabat, profugientibus. Itum dein a Barbaris Ptolemaidem; quæ Urbs multorum, qui per partes religionis gratia affluebat, cruce signatorum numero aucta, eo jam excreverat, ut plura, quam tricena armatorum millia numeraret, suffectura non defendendæ modo Urbi perquam munitæ, sed etiam hosti acie profligando, si virium firmitati animorum consensio respondisset. Verum diversæ hominum factiones ita eam discriderant, ut plures ex una civitates effecisse viderentur, non difficillime ab hoste etiam inerti jugulandas.

Henricus, qui inerat, Hugonis Cypri Regis filius, velut Palæstinæ Rex, summum in ea arrogabat Imperium; obstabant Sicularum partium Proceres, ac milites, Veneti cum Genuensibus internecino dissidebant

A) Gregoras p. 92. laudat ob hanc asperitatem Athanasium; vituperat Pachymeres. B) Pachymeres p. 59. C) Pachymeres p. 198.

A.C. odio, equites Templarii, quorum ſumma erat potentia, neminis impe-
1291 rium agnoſcere volebant; & his tam fœde Religionem Chriſtianam conſpurcantibus magis, quam propugnantibus propitium adeſſet Numen? Barbari proinde, poſt quadrageſimum obſidionis diem occupata una, & altera turre, perruperunt in Urbem, ac deſperationem conſervandæ ejus injecerunt. Hinc fœda ad mare fuga, tumultus, trepidatio; pauci cum Rege Cypri in Cyprum effugerunt, multos mare tunc importuoſum, & prægravatæ ponderibus naves merſere, plurimos intus ferrum hauſit Barbaricum; ſolæ Virgines Deo dicatæ victoriam retulere omnium, quas ſol vidit, nobiliſſimam; cum enim ad libidinem impudentia Barbarica ſervare eas vellet, illæ genas, & faciem cultris lacerarunt, truncarunt nares, quo aſpectu irritati fuere ad cædem Barbari, ſicque virgines illæ ad cœleſtis Sponſi amplexus, nullo futuræ ornatu gratiores, provolarunt. A) Hic erat exitus tot conaminum a tota pene Europa tantis viribus initorum; qui ſi exitum denique optatum ſortiti non ſunt, multis tamen ad gloriam, plurimis ad pœnam, omnibus vero ætatibus ad documentum valuerunt.

Non ceſſarunt equidem Pontifices Romani per hos annos ad ſubveniendum reliquiis illis, inſtaurandamque in Barbaros expeditionem hortari Chriſtianos; Rudolphum ante alios Habſpurgicum, tunc Imperatorem; ſed illum Germaniæ, familiæque ſuæ firmandæ cura avocabat alio; cæteris quoque tantum non erat animi, ut jactam toties tam ſiniſtre aleam tentandam denuo ſumerent. Ita omnis belli illius memoria obliterata eſt, & ſacrata illa veſtigiis Chriſti loca, Barbarorum in manibus in hunc diem derelicta; altiſſimo Dei judicio præferentis, negligi iſta ab hoſtibus, quam a ſuis male, & inter ſcelera cum Religionis probro coli.

Andronicus interea, compoſito utcunque Imperii limite Orientali, rediit in Urbem, vinctum adducens ſecum fratrem Conſtantinum; qui, quia patre Imperium jam adepto natus erat, Porphyrogeniti cognomen habuit. Diverſæ produntur iræ, & alienationis cauſæ; vera fuit, quod olim Conſtantinus patri præ Andronico in amoribus fuerit; Imperio quoque ante hunc præficiendus, niſi familiæ ruinam ex diſcordia fratrum pater metuiſſet. Amplis donatus facultatibus a patre, popularitate, morum elegantia, liberalitate omnium ſibi adſtrinxit animos Conſtantinus; quæ res & invidiam in Andronico commovit, & metum amittendi aliquando Imperii; igitur calumniis quibusdam accedentibus, Conſtantinum, in Lydia tunc commorantem, ac nuptiis e Raulis domo non pridem deductis, lætum comprehendi ſubito juſſit, ac vinctum duxit in Urbem, diuturno carcere, & facultatibus ademptis affligendum; B) cujus ærumnarum, uti prius fortunæ comes erat, Michael Strategopulus, claro illo Duce Alexio oriundus; nec futurus patre inferior, ſi per livorem licuiſſet; ſic invidiæ conflagrabant æſtu, qui utilem aliquando Reipublicæ locare operam poterant; verum compendiariam hanc ad exitium viam ſectari, Græcis ſolenne ſemper fuit.

1292 In Urbem redux Imperator, maximo illam in tumultu ob Athanaſium Patriarcham, cruda in quosvis religione perbacchantem, reperit. Hic igitur adeunt Imperatorem Præſules, ac communi nomine ab importuno homine liberari flagitant; ne Imperator pacem, cujus ſtudioſum ſe ferebat, Eccleſiæ ſperet, Athanaſio gubernacula tenente; malle extrema perpeti ſe, quam ludibrio ab homine nullius eruditionis haberi. Permotus communi hoc odio Princeps, etſi ægre admodum, abdicavit anno conſequente Athanaſium; qui ſcripto quoque renunciare dignitati coactus eſt; tametſi ſuperos, inferosque Urbi comminaretur; locum ejus obtinuit Coſmas quidam aſceta, qui Andronico a confeſſionibus erat; ac tanta apud hunc valebat auctoritate, ut non dubitaret dicere Andronicus:

A) Hæc Sannutus l. 3. parte 12. Nangius, Burchardus & cæteri expeditionum harum Scriptores. B) Pachymeres p. 95. Gregoras p. 89.

nicus: Coſmam, ſi vita excederet, altero die abs ſe inter Divos hono- A.C.
ratum iri; A) dignam capite illius Eccleſiæ (nam re vera arbitratu Principis omnia illic fiebant) ſententiam; ſed levem apud leves, & mentiri ſanctitatem gnaros.

Firmandæ deinceps familiæ cura Andronicum tenuit in filio Michae- 1293
le, duodecimum fere ætatis annum tunc conſecuto; primum de ſponſa ei adjungenda circumſpectum eſt; dein de eo in Conſortium Imperii adſciſcendo, poſtremo etiam coronando; quæ annis ordine ſequentibus peracta ſunt. Animus initio fuerat Balduini, ex Caroli Apuliæ Regis filia, neptem Michaeli conjungere; ſed quod res ea citra auctoritatem Romani Pontificis peragi nequiret, cui tamen Sanctiſſimi Patris titulum ex more tribuere religioni ſibi ducebat Andronicus, B) idcirco in medio conatu tractatio hujusmodi relicta eſt. Illud vero ridiculum: quod cum ad Sultanum Ægytium literas per id tempus daret Andronicus, isque pro uſitato prius more fratris nomine appellandus eſſet, diu animi pependerit: an, qui Patrem appellare Pontificem religioni ſibi verterat, fratrem appellare auderet Sultanum. Exemere hunc Principi ſcrupulum quidam Præſules, Theobleptus præcipue Philadelphius; qui e loco ſacrarum literarum quopiam perperam detorto, etiam malum Dæmonem hominum fratrem appellari ajebat; acri propterea ſcripto a Niceta Dyrrachienſi reprehenſus; quæ rurſus contentio cum in flammam eruptura videretur, multum Andronico agendum fuit, ut conticeſceret. Tam facile in tricas quaslibet inquieta hæc ingenia ruebant.

Ne Cypri Regis filiam Legati eo miſſi acciperent, illius cum Pontifice Romano conjunctio obſtitit; C) itum proinde ad Regem Armeniæ Leonem II. eſt, & ipſum ſinceræ Religionis; ſed cujus filiæ non perinde erant religioſæ, ut eam nubendi conditionem repudiarent; de his ducta ad Imperatorem Maria eſt, Xene a Græcis nominata, atque Michaeli matrimonio juncta.

Eundem filium Michaelem, Auguſtum jam nominatum, coronavit 1295
demum ſolenniter Andronicus; quove eum firmiorem in throno redderet, Eccleſiaſtica ſanctione diris devoveri omnes volebat, quiqui juniori Auguſto obedientes ſe præbere nollent; quod cum impetrare a Præſulibus non poſſet, edicto vetuit, ne deinceps Epiſcopi, ſacris quempiam initiaturi, ſportulas ullas acciperent; tam ſolicitum tenuit purpuræ ad poſteros transmittendæ ambitio; quæ certe affectio tum etiam valentiſſima eſſe ſolet apud Principes, cum cæteræ omnes emoriuntur.

Mira hæc, ſi Superis placet, Præſulum illorum fuit circumſpectio, vinculis ſacris adſtringi ad obediendum populos nefas ducentium. Simili legum, at non ſatis cauta ſeveritate, præpedivere Michaeli eidem nuptias alias, multo futuras Reipublicæ utiliores; fato per id tempus ceſſerat Nicephorus Angelus, Epiri Princeps, uti & Joannes ille nothus, quorum filii, Joannes, & Thomas admodum adoleſcentes, ſub tutela conjugis Nicephori relicti ſunt; hæc Ithamare filia in matrimonium Michaeli oblata, Provinciarum quoque partem dotis nomine addicebat; at quod ſexto conſanguinitatis inter ſe gradu Principes hi necterentur, nuptiæ illæ a Præſulibus diſturbatæ ſunt. Denique quam tenera his fuerit religio, inde etiam noſcas; quod cum Athanaſius ſede ſua deturbatus, excommunicationem in Imperatorem, & Præſules chartæ inſcripſiſſet, ea circa hoc tempus forte reperta, ita commoverit bruto hoc fulmine fulguritos, ut Imperator, cæterique ſupplices Athanaſio, in cujusdam aſceterii angulo deliteſcenti, mutandæ ſententiæ cauſa fierent; D) quod & factum continuo ab eo eſt; ineptia neſcias, cujus majore, an talia poſcentium ab eo, quem

A) Pachymeres p. 106. B) Pachymeres p. 118. & rurſus p. 141. C) Has nuptias ab Italiæ Rege ambitas ſcribit Gregoras p. 98. D) De his ſuorum ineptiis, & levitate ſparſim l. 3. & 4. Pachymeres.

A.C. quem ceu indignum poteſtate exuerant; an retrahentis tam facile telum, quod tanto cum furore, tamque violente intorſerat.

1296 Hac rerum vice ſeditio quædam in Aſia exarſit; ſed ſubita fraude ut cœpta, ita oppreſſa. Alexius Philanthropenus, Aſiæ minoris Dux, præclare multa adverſus Turcicas irruptiones patraverat, eaque animi generoſitate multam ſibi militum gratiam collegerat, Cretenſium præſertim; qui palam ſæpe jactaverant, talem ſe, ut Philanthropenus, optare Principem, non, ut Andronicus otio, ignaviæque immerſus. Blande ſermones hos accipiebat Juvenis ferox; gaudebat eorum officiis, ac denique eo progreſſus eſt; ut pro levitate Græcanici ingenii Imperatorem ſalutari ſe pateretur. Defectione igitur inſtituta, Turcisque etiam nonnullis in conſortium adſcitis, Theodorum Imperatoris fratrem, in Lydia tunc commorantem, aggreſſus eſt. Verum Libadarius Philanthropeni in exercitu Legatus, & a conjuratione alienus, nonnullas adverſus inquietum concinnavit copias, militesque illius clam pecunia corrupit; qui in ipſo pugnæ principio comprehenſum Philanthropenum Libadario tradidere. Diſſipata igitur procella eſt; Turci præſertim crudeliter accepti, Philanthropeno oculi expuncti, magna quidem Imperatoris voluptate, ſed majori etiam damno; eo enim caſu, & privatus Duce ſtrenuo eſt, A) & Turci ad vim majorem irritati.

Nec certe toto deinceps Andronici Imperio a Turcorum inquiete reſpirare licuit; Ales Turcus, Amurii a Meleco, ut dictum, interfecti filius, ſingulari cum Meleco iſthoc congreſſus certamine, eundem peremit, atque cum ſuæ factionis Barbaris fortuna præſertim Ottomani arrectus, qui Nicæam uſque populationes proferebat, incurſare Provincias ferociter cœpit; cui rei bonam per id tempus occaſionem dedit fluvii Sangaris, in alium alveum ſubita eluvione facta mutatio; ita enim præſidia cis flumen poſita nudata ſunt, A) & Turcæ illum brevi amoliti obicem, liberrime jam per Bithyniam diſcurrebant; ſimulque nuperam Græcorum in ſuos crudelitatem ulti, ſimul prædis, & direptionibus intenti ferebant, agebantque Aſiam, Ottomanus præſertim; qui ex humili eo ſtirpem brevi ſuam etulit, unde nullæ hominum in hunc diem vires, nulli conatus eam dejiciant, ſolius Dei manu, & ira deturbandam.

Ottomanus B) hic multa latrocinantium Turcorum auctus manu, Nicomediam uſque procurrit; excepit populatores Dux Andronici Muzalo, cum aliquot ſuorum millibus; verum victus, pulſusque, ægre cum reliquiis Nicomediam tenuit; quæ clades eo fuit acerbior, quod homines frugibus legendis tunc intenti, repentino Barbarorum furori patuerint; exinde non ceſſavit ferocire Ottomanus, ſibique ad Regnum in ipſis Orientalis Imperii viſceribus fundandum ſolum veluti præſtruere.

Ruinam per Turcos illius Imperii portendere viſus eſt horrendus, qui Urbem, & Provincias tunc concuſſit terræ motus; ſupplicationes ob id indicente Andronico, & compoſito ſermone C) ſuos ad morum correctionem, quam utinam a ſe orſus eſſet, exhortante. Vicinius, ſed a quo minus Græcis periculi, malum fuit Venetorum, & Genuenſium, qui Galatam incolebant, odium inter ſe plus quam Vatinianum; quæ duæ Respublicæ non contentæ, acerrime in Italia digladiari, etiam in alienis terris, & toto mari inter ſe irruebant. Appulſa Venetorum claſſis oppugnavit Galatam ulciſcendis Genuenſibus; cumque hi in Urbem profugiſſent, eorum incenderunt ædes, nec eorum modo, ſed Græcorum quoque Galatæ incolarum; quæ res perpulit Andronicum, ut Venetorum facultates omnes, Byzantii repertas, mulctæ pendendæ cauſa pignori acciperet. D) Vicem repoſituri Genuenſes, claſſe & ipſi advecti irruerunt Galatæ in Venetos; ac, niſi quos latebræ ſubduxerant, peremerunt. Imperator

A) Pachymeres p. 197. B) Atmanem illum vocat Pachymeres, Turcici Annales Osmanem. C) Eloquentem hunc fuiſſe Principem, luculentæ ejus, quas Pachymeres ſæpe recitat, orationes teſtantur. D) Hæc quoque libro 3. Pachymeres.

rator purgandi ſui Venetias Legatos miſit. Sic turbulenta ea fuit ætas, A.C. & exitialibus odiis diſtractæ Urbes, & populi; & quando non futuri? dum hoc tam cultum ingeniis, & moribus ævum carere cædibus, & excidiis nequit.

Nutante hoc modo Andronici fortuna, de fœderibus vicinorum Prin- 1298 cipum per connubia proſpicere libuit. Regis Serviæ Uroſii, opibus, famaque tunc celebris amicitiam, cæteris Imperator antetulit; eique Eudociam, ſororem Imperatoris Trapezuntini Joannis fato functi viduam, conjungere decreverat; quæ, filio Alexio Trapezunti relicto, ad fratrem ſe contulit; verum Eudocia adduci nequiit, ut Regi nuberet, ob conjugia, quibus parum feliciter contra Eccleſiæ leges uſus erat; ſubſtituit huic filiam Imperator Simonidem vix octennem, Regi licet jam quinquagenario olim conjungendam; ejusque rei gratia Theſſalonicam profectus, cum Rege in colloquium venit; tam cordi fuit Andronico Servii illius Regis amicitia. Opponebat equidem toto ſemet conatu nuptiis iis, velut indignis, contraque leges, Patriarcha Coſmas, Theſſalonicam quoque ea gratia profectus; ſed variis eluſum ſermonibus rejecit Princeps, remiſitque in Urbem. Coſmas ejuſce rei indignitate correptus, ſubduxit ſemet in aſceterium, vix multis Andronici precibus ad repetendam ſedem inducendus. A)

Hæc dum in Europa aguntur, ſolitis interim Turcorum motibus agi- 1300 tabatur Aſia, Ottomani præcipue Principis, qui Paphlagoniæ, & Bithyniæ parte non modica qua evaſtata, qua occupata, vulgari non contentus appellatione, Regium ſibi nomen circumpoſuit. B) Familiæ iſtius exortum fatalem aliquando Byzantio futurum prænunciare viſus eſt cometes, facie horrida in Urbe per id tempus conſpectus; quem inſolita præceſſit æſtas, ſiccatis frugibus, & calore decoctis. C) Idem Ottomanus Genitzerorum primus inſtituiſſe fertur ordinem e novis militibus, futurum Ottomanicæ domus robur, & Chriſtianorum perniciem. D)

Solicito de ſtatu Orientis Andronico, & viri, & opes ad ſubvenien- 1301 dum defuere. Commode Alani, Gens trans Iſtrum Scythica, decem circiter bellatorum millium operam detulere ſuam, ſi ad ſtipendia admiſſis ſedes in Aſia donarentur; cupidiſſime accepti ab Andronico, & in Aſiam traducti maxima Byzantinos ſpe fortunæ melioris impleverant; ſed ficulneum illud fuiſſe auxilium, magno ſuo malo didicere; Alani enim rapto vivere aſſueti, inſtitutum hoc ſuum in Aſia quoque ſequebantur; evaſtando ſocios, opibusque perinde ut hoſtes emungendo. Cum his tamen qualibuscunque copiis, adjuncta ſuorum quoque manu, in Turcos duxit Michael Imperatoris filius, circa Magneſiam bello intentos. Turcæ, ut aſtus ſunt non inexpertes, in montium anfractus ſe ſubducunt, diſciplinam exinde militarem hoſtilis exercitus ſpeculantur; quos dum cernunt, diſſolutius omnia agere, ſubito & ferociter ſeſe effundunt; quorum primo aſpectu territi Alani, alia omnia, quam bellum malebant; igitur relicto Michaele de reditu in Europam cogitarunt; Michael periculum ut exiret, in arcem ſe condidit Magneſiam, ad quam plerique Turcorum congregati Duces; quorum præcipui fuere Ottomanus, & Ales (neque enim uni omnes Ottomano parebant Turcæ) obſidione Magneſiam cinxere; Michael ægre nocturna, & deſperata fuga illinc Pergamum, ac denique Pegas Urbem munitam ſe ſubduxit. E)

Exinde vero vaſtabant longe, lateque Aſiam Turcæ; neque tamen 1302 vel Magneſia, vel aliis munitis Urbibus potiri tunc poterant; quod tota eorum bellandi vis in ferocibus mage procurſibus, quam arte pugnandi

A) Hæc pluribus capitibus libri 4. Pachymeres, & Gregoras p. 103. B) Laonicus Chalcocondyles p. 6. C) Pachymeres p. 185. D) Sic de Genitzerorum inſtituta militia, quam Januas Regis vocat Laonicus p. 6. At Annales Turcorum ab Amurate primo inſtitutam hanc militiam e Chriſtianorum raptorum filiis narrant p. 248. Januæ vero Regis dicebantur; quia ad aulæ cuſtodiam deputati, ubicunque ea eſſet. Profecti ad Sultanos, dicebantur quaſi antonomaſtice ad Januas Regis progredi; unde hodieque aula Sultani vulgo Porta Ottomanica audit. E) Pachymeres p. 190.

A.C. 1302 ſita eſſet; everrebant itaque omnia ad mare uſque, futurum non dubii; ut deſolatis circum Regionibus Urbes, & loca munita alimentis ſenſim, ſanguineque defecta ad extremum emorerentur. Alani huic ſe bello impares videndo, miſſionem ab Andronico flagitarunt, armis etiam intentatis, & Alexio Raulo, qui retentare eos volebat, interfecto. Vix tandem magnis Andronici pollicitationibus retenti in obſequio ſunt; plus tamen turbarum Imperio, quam tutelæ dehinc quoque præbituri.

Non uno hoc malo vexatus tunc eſt Imperator; Veneti ob facultates ſuorum pignori acceptas cum tredecim navibus infeſti advenere Conſtantinopolim, ac ædibus nonnullorum exuſtis, coegerunt Imperatorem res occupatas, quod petentibus antea per Legatos denegarat, reſtituere; tam facile magno illi corpori, ſed virium defectu languenti inſultare fuit. A)

1303 Siniſtri alii ſuper alios ex Aſia nuncii in maximam perturbationem conjecere Urbem, pene de ſalute deſperantem. Turci quippe terreſtribus haud contenti rapinis, navibus piraticis Chium, Tenedum, Rhodum, & alias deprædati, Jonia quoque & Caria occupatis, maximis fervebant ſucceſſibus; cum nec claſſis olim improvide diſſoluta retundendis iis ad manum eſſet, nec opes in tantis turbinibus ei reſtituendæ colligi valerent; procumbebant igitur omnia in perniciem. B)

Ad hanc propulſandam novum ſe Imperatori odtulit auxilium: Rogerius Laurea cum Ferrando Ximenio, qui ex Catalonia milite collectitio fortem bello operam Aragonio Regi Petro contra Carolum Regem navaverant; bello in Sicilia finito, aſſueta rapinis colluvio gravis eſſe cœpit Siculis. Igitur Petri c) Regis admonitu, operam in Turcos ſuam cum Catalanis Rogerius Andronico detulit; acceptus cupide, atque etiam Byzantium invitatus. Octo eorum aſſumptis millibus, Conſtantinopolim abiit Rogerius; quem Imperator magno accepit honore, muneribus illum, militesque proſecutus; ac magni Ducis titulo exornatum, Cyzicum ad bellum Turcis faciendum expedivit. Cæterum tota hæc Rogerii D) expeditio flagitioſa, & Græcis damnoſior, quam utilior fuit; rapaces enim homines, nacti quidlibet impune audendi poteſtatem, accidebant miſeros incolas, tot jam antea vaſtitatibus exhauſtos; quæ dum exaggerant, veterano in tales homines inſtincti odio Græci, poſt aliqualem eorum in Turcos operam, in ſociale denique bellum, idque cumprimis exitioſum res illic proruperunt, Deo arrogantiam, ac pervicaciam Græcorum caſtigante, ipſaque, quæ arripiebant malorum remedia, in interitum infelicibus vertente.

In hoc armorum circumſtrepentium fremitu, tamen contendere inter ſe Eccleſiaſticis viris, atque Imperatori eorum ventilandis magis, quam componendis diſſidiis intendere libuit, cum Orientis etiam & armorum neglectu. In Coſmam E) illum Patriarcham, grave Præſulum quorundam exarſit odium; ob ſententiam, quam is in Epheſinum Præſulem, ob delictum quodpiam juſto ſeveriorem tuliſſe viſus erat; multorum itaque ſermonibus, & accuſationibus exagitatus Coſmas, ipſi quoque Imperatori, qua is circa Præſules erat animi levitate, faſtidio eſſe cœpit. Quidam ex eo Ordine, infandi cujusdam criminis ab alio jam demortuo, non vero a ſe conſpecti Patriarcham poſtulavit; quam delationem ægerrime ſe ferre finxit Andronicus, ſuccenſens delatori; quod nullo firmo nixus teſtimonio atrox crimen proferre in medium auſus eſſet; idque ſæpius, vocata etiam Synodo, velut ſtomachans regerebat; quo tamen non intendebat aliud, quam bilem concire Patriarchæ, eundemque ſuſpicioni, & odio aliorum exponere; in Athanaſium enim illum quondam abdicatum totus iterum propendebat. Motus indignatione Coſmas, ac quod res erat ſub-

A) Gregoras p. 106. B) Recenſet diviſionem harum Provinciarum per Turcicos ſatrapas factarum Gregoras p. 107. C) Petrum hunc Regem, qui Carolum Andegavenſem Sicilia excuſſit, Fridericum vocant Scriptores Græci. D) Ronzerium nominat paſſim Pachymeres, Ximenium vero Farendam Tzimem. E) Coſmas hic, mutato in Patriarchatu nomine, Joannes eſt dictus.

ſubodoratus, ſeceſſit Patriarchatu, eodemque ſcriptotenus, adverſariis tamen prius excommunicatione perſtrictis, ſemet abdicavit, commeritum ambiti olim Sacerdotii tam fluxi fructum conſecutus; & qui olim dignus Andronico viſus eſt, tantum non vivus inter Cœlites referri, jam ne inter homines quidem eminere permiſſus. A) A.C. 1303

Cum longa eſſet de ſufficiendo alio inter Imperatorem, & Præſules deliberatio; ſubito adeſt aſcetes quidam Menas, denunciatque Imperatori, audiviſſe ſe ex Athanaſio, graviſſimum Urbi impendere malum, non niſi communi omnium ad Deum prece ſubmovendum. Re conterritus Princeps publicas indicit ſupplicationes; quas conſecutus eſt quidem terræ motus, at citra ædium ſtragem; unde non dubitavit Andronicus, & Divinitus imminens malum Athanaſio cognitum fuiſſe, & illius præſertim probitate averruncatum; auctor proinde magnopere eſſe cœpit reducendi in Patriarchicum thronum Athanaſii, etſi abhorrerent ab eo Præſules, vexationum memores, nihilque quam illum magis execrarentur; Athanaſius quoque ipſe oblactabatur, quamvis ſimulate invitationi Principis; quam ob cauſam menſes aliquot deliberatum de negotio iſthoc eſt. Demum Andronicus Præſulum ingratiis cum adverſæ factionis hominibus ſubito in aſceterium, in quo is deliteſcebat, progreſſus, ſolenni velut in triumpho Athanaſium Patriarchatui reddidit. Recepta hunc in modum ſede Athanaſius, & adaucta potius, quam poſita mentis, morumque aſperitate, urgendis Eccleſiæ ſancitis, ac Præſulum moribus exagitandis, egregie illos ultus eſt, tali magiſtro, & correctore dignos.

Nihilo interim res Aſiaticæ habebant melius; quin deterius etiam: 1305
Rogerius Cyzici cum ſuis maximo incolarum detrimento diem trahebat ex die, ſtipendia forte non ſubmiſſa cauſatus; iidem Catalani diſſidebant cum Alanis ſociis, Turcæ autem evaſtabant ſedulo Provincias, Urbesque circumſeſſas in ſummum ſalutis diſcrimen adducebant. B) Rogerius in aula multis accuſatus, non tamen Principis gratia, ſummam rei bene gerendæ in hiſce auxiliis collocantis, exturbari potuit; quin in Urbem profectus, & purgavit ſuos, & large pecuniis donatus eſt. Cæterum ne his quidem promoveri poterant Catalani, ut in hoſtem irent, crudelitate, avaritia, libidine populis intolerandi; ob quæ ſummis clamoribus Andronicum ſui vellicabant, at fruſtra; Rogerius enim rurſus in aulam appulſus, ſtipendia multa pro exercitu retulit, Alanis juxta, & Catalanis dividenda; quæ diviſio maligne cum per Rogerium facta eſſet, armis etiam inter eos dimicatum eſt; Turcis interea Philadelphiam, cæterasque Urbes acriter prementibus, & ſtultitia Chriſtianorum ſolerter in rem ſuam utentibus. Sæviſſimæ eorum procurſiones non niſi Urbium muris aut mari definiebantur, Ottomani præſertim; a quo Siurus quidam, Andronici Stratopedarcha, ſubitaneo tunc impetu protritus, occupata arx Belocoma, c) Pruſa Urbs cæteroqui munitiſſima, acrius deinceps circumcluſa.

Philadelphiam eodem tempore alius Princeps Turcicus Alyſires ex- 1306
treme laborantem premebat; in Rogerio ſpem omnem liberandæ illius poſuerat Imperator; ſed cunctabantur adhuc Cyzico exire Catalani, mutuo ab Alanis odio disjuncti. Ut animos adderet Rogerio Imperator; ſororem ſuam Irenen, Rogerii ſocrum (hujus enim natam ex Aſane Bulgaro ſibi Rogerius conjunxerat) ad generum in Turcos extimulandum miſit; permotus demum multis precibus Rogerius, cum ſex ſuorum millibus, mille Alanis, cæteroque, quem Marules quidam ductabat, Imperatoris exercitu D) Philadelphiam iter ſuſcepit. Territi apparatu iſthoc Turcæ, ſegnius ivere in prælium; quin initio vix pugnæ facto, & Alyſire vulnerato deſeruere Philadelphiam, quos tamen nequaquam inſecuti

A) Pluribus iſta capitibus libro 4. Pachymeres; ut eſt in tricis his Eccleſiaſticis referendis ad faſtidium prolixus. B) Minutatim iſta Pachymeres l. 5. brevius Gregoras pag. 111. C) Pachymeres p. 247. D) Pachymeres p. 252. Quantæ hæ Græcorum fuerint copiæ, non exprimit Pachymeres; quod & alias plerumque reticent Scriptores Græcanici.

A.C. ſunt Imperatorii, Urbem liberaſſe contenti. Urbis illius liberatio ingenti
1306 omnes gaudio perfudit; ſpesque ſuborta eſt, oræ Aſiaticæ penitus a Turcis liberandæ; nec forte res improſpere ceſſerat, ſi inſtare porro ſucceſſui Imperator exercitum voluiſſet. A)

Verum is incerta belli verens, eaque qualicunque victoria Urbibus Aſiaticis conſultum ratus, profectionem ulteriorem inhibuit; quo factum: ut reſpirarent quidem nonnihil afflictæ in Aſia res, ſed morbo nequaquam a viſceribus depulſo, in idem brevi malum relaberentur. Acceſſit his ſubſecuta non multo poſt Rogerii cùm Catalanis defectio; ii enim depulſo hoſte elati, & præferoces, debita ſibi ſtipendia non minori pene, ac Turcorum antea fuerat, importunitate a liberatis Aſiæ tractibus depoſcebant; ære ſolvendo exhauſti tot rapinis populi cum non eſſent, ad prædandum præclari auxiliatores vertebantur; Magneſia præprimis, tam diuturna Barbarorum obſidione preſſa, oppoſuit ſe Rogerio Duce Attaliota quodam, quem paulum antea, defectionis neſcio quid ab Imperatore molientem, in gratiam Rogerius reduxerat, adituque Catalanos excluſit. Irritati eo facto Catalani, oppugnarunt ſed caſſo conatu Magneſiam; dein vero direpta Aſiæ ora, Calliopolim in Europam transgreſſi, ſtipendiis depoſcendis ferociter inſtabant; quæ eorum ferocia, & Andronici in pendendo auro vel cunctatio, vel etiam inopia in bellum denique ſociale prorupit.

1307 Catalani enim ſive reipſa ſtipendiis fraudati, ſive diripiendorum Græcorum injuriæ jam cuivis expoſitorum avidi, defectionem primo clam, mox etiam apertius moliri cœpere; quo de admonitus a Genuenſibus Imperator, fidem indicio aut non habuit, aut habere noluit, retinendæ ſocietatis illius Catalanicæ cupidiſſimus. Interim Catalanis e Sicilia Duce Berengario Entenſa B) novæ copiæ, navesque appulſæ ſunt; quibus inflati illi nihil jam mediocre ſpirabant; Rogerius etſi bellum clam pararet, ſimulabat tamen amicitiam, atque Byzantium profectus, & Berengarium in clientelam accipi, & trecenta ſuis aureorum nummum millia numerari flagitavit. Berengarius receptus in clientelam, & Dux magnus appellatus eſt; Rogerius vero ipſe Cæſaris titulo exornatus; quem præterea triginta nummum aureorum millibus donavit Imperator, inſuperque centum modiorum frumenti millia exercitui admenſus eſt.

Compoſita jam utcunque cum Catalanis res videbatur, cum repens caſus omnia rurſus in flammam conjecit. Michael Auguſtus in Bulgaros forte per id tempus bellabat; ad quem ſalutandum profectus Adrianopolim novus Cæſar Rogerius, in veſtibulo domus Auguſtalis ab Alanorum Duce Georgio interfectus eſt; delecti vero ejus comites centum & quinquaginta, capti primo, mox etiam dum fugam circumſpectant, oppugnati, ac necati. C) Cauſam cædis ferunt, exercitas olim inter Georgium, & Rogerium ſimultates, ob filium Georgii quodam in tumultu a Catalanis cæſum; Michaelis juſſu cædem Rogerii perpetratam, ſunt, qui prodant; D) at ſaltem non invito illo factam, diſſimulata de Alanis ultio prodit. Utcunque fuerit, Catalani audito Ducis, & ſociorum caſu, furore ſupra modum perciti in bellum ruunt; Calliopolim oppugnant, & expugnant; viciniam ferro late populantur; claſſem Berengarius Urbi propius admovet; omnia funeſto belli ſocialis incendio concrepant.

Præfocandis hiſce initiis expeditus ab Urbe exercitus, obſedit illico Calliopolim; verum Berengarius ſimulatis pacis tractandæ cauſa induciis, in quam totus propendebat Andronicus, & militem, & commeatum Urbi intulit, ſuosque non ad propulſandam modo vim, ſed etiam inferendam confirmavit; quibus tria quoque Turcorum millia, prædarum ſpe in ſocietatem adſcita, operam commodabant. Igitur eruptione facta, depulſisque

A) Gregoras p. 111. B) Mpyrigerium Tenzam nominat Pachymeres; literis quippe Mp. litera latina b, Græcis exprimi quandoque ſolita. Vide notas Poſſini ad hunc locum. C) Pachymeres p. 308. D) Phranzes Protoveſtiarius p. 11. qui res Byzantinas a Michaele Palæologo, ſed admodum ſuccincte complecti cœpit; diffuſe autem res ſuorum temporum, quas vidit.

ſisque Imperatoriis, vaſtarunt iterum viciniam; Perinthum arcem occu- A.C.
parunt; & ad portas pene Byzantinas armorum terrorem Duce Ferrando 1307
Ximenio protulerunt.

In tanta Urbis trepidatione armat Andronicus decem ſuorum millia; Genuenſes, quibus ſexdecim affluxerant armatæ naves, in ſocietatem advocat, hasque copias terra, marique in hoſtem promoveri jubet. Et Genuenſes quidem rem geſſere fortiter, navibus Catalanorum præter unam omnibus, ipſoque Duce Berengario interceptis; quem captivum duxere in Italiam; A) At vero terra infelicius etiam, ac prius, res geſta; nam primum Umbertopulus, & Ducas minoribus cum copiis Catalanos aggreſſi, fuſi, fugatique ſunt; dein vero Michael Imperator, univerſo in unum contracto exercitu, prælio aggreſſus Catalanos Alanorum, & Turcopulorum (Turcæ hi erant Chriſtiana jam olim ſacra amplexi) ſubitaneo diſceſſu victoriam perdidit; ac prope ſemet ipſum, difficillima elapſus fuga, & Didymotici mœnibus concluſus. Urbs hæc illuſtris, & frequens civium millibus aliquot armatis defenſabatur a Michaele, contra obſidentes ferociter Catalanos; qui eodem tempore Madythum quoque oppugnarunt; & Madytho quidem poſt longam moram potiti, in Didymotico luſerunt operam, quos ſocii quoque Turcæ, injuriis irritati deſeruere; excepti a Duce navalium copiarum Imperatoris Andrea Murſico, & ad nongentos deleti. Idem Murſicus Tenedum Inſulam Imperatori de Turcis ſub id tempus aſſeruit. B)

Verum enimvero omnis ea Imperatoris cum ſuis ſolicitudo cadebat 1308
irrita, totumque velut funditus erui, & verti Imperium jam cœpit. Nam in Aſia quidem arx Tyræorum, celeberrimaque Urbs Epheſus, C) aliaque loca in poteſtatem Salani Turcæ conceſſere; Ottomanus Pruſam ad redimendas tributo vexationes compulit; Nicæam adeo redegit in arctum, ut pene pro perdita eſſet; in Europa ad motam a Catalanis procellam acceſſit Alanorum quoque defectio, procurſionibus a parte Septentrionis omnia infeſtantium; itemque illatum a Rege Bulgaro bellum, occaſione tam commoda in rem ſuam gnaviter utente; denique nec ex Imperatoriis deerant, quos in tantis rerum tenebris fulgor imperandi perſtringeret; Attaliota enim quidam, & Caſſianus perduellionem etſi irrito conatu concitarant; iita vix quidpiam præter unam Urbem immune a bello, vexatione, interiitu fuit.

Ad depellendas haſce calamitates, plurimas in Urbe ſupplicationes inſtituebat Athanaſius, corrector ille morum non tam rigidus, quam barbarus; a quo ita alienati erant Eccleſiaſticorum animi, ut pene ab omnibus deſertus, cum ſolis Monachis rem ſacram haberet. Equidem ad obſequium illius, ut omnes perpelleret, nihil intentatum Andronicus liquit; longiores etiam orationes de laudibus Athanaſii, qua erat dicendi peritia, D) proferre ſolitus; verum in obſequium hominis fucatæ pietatis, ne prodigia quidem, quæ ab eo patrata dicebantur, pertrahere obſtinatos quiverunt. Illius preces quantopere averſaretur cœlum, liquido in ſupplicatione quadam publica patuit; in qua ſubitaneum exortum incendium, inde a porta Cynegiorum ad Prodromi aſceterium nobiliſſimum Urbis tractum miſerabiliter abſumpſit.

Hac tot malorum velut eluvione attoniti Græci, disquirere cauſas infelicitatum, & irati Numinis cœpere. Atque cum alii alia obtruderent, E) tantum abeſt, ut ruptam cum Eccleſia vera concordiam pro tali agnoſcerent; ut etiam e facto velut heroico inſolentiſſime triumpharent; certe Athanaſius non diu antea, adeo ſe durum, & injuſtum in Latinos præbuit, ut neque aſceterium, quod Latini in Urbe Monachi dudum indultu

A) Gregoras p. 114. B) Pluribus iſta capitibus exequitur Pachymeres lib. 6. C) Pachymeres p. 343. Item p. 358. Item p. 246. D) Multas, & prolixas Imperatoris hujus orationes recitat Pachymeres; ut videatur in hac arte præcelluiſſe; cujus in aliis quoque ſcientiis eruditionem ſæpe, & mire prædicat Gregoras. E) Pachymeres p. 339. qui tamen nec ipſe hanc cauſam infelicitatis agnoſcit.

A. C. 1308 Principum obtinebant, ferre potuerit, A) veritus: ne eo contaminata probro civitas iram Numinis provocaret; pulsis igitur illis asceterium sui furfuris hominibus ab eo tributum est. Cæterum Athanasio Patriarchatum retinere ad obitum usque neutiquam licuit; cum enim importuna sua severitate bacchari pergeret, ne Principis quidem, omnia pro illo molientis, auctoritate reponi in concordiam animi valuere. Quid igitur efferati illi incœptant? usitatum in Patriarchas vibrant telum, calumniam ei in invidiam adducendo struunt, tanquam si Imperatore ipso superiorem se ille non vanis indiciis efferat; ea vehementer percitus accusatione Athanasius, quod mitius, quam pro illius ingenio cum accusatoribus ab Imperatore actum esset, post biennium abjecta rursus dignitate, furibundus in asceterium concessit. B) Huic substitutus est Nipho Cyzicenus Præsul; sed neque huic, neque successoribus diuturnum obtigit Sacerdotium illud; quod ut arroganter cæteris omnibus prælatum illic est, ita pro Principum libidine susque deque jactatum.

Hæc pœna desertionis, & arrogantiæ in commune fuit; peculiaris illa Andronico, quod non modo foris, atque intus incensa omnia bellis, & discordiis cerneret, sed etiam cum intimis, & summe necessariis dirum in modum dissideret; nam & ab Andronico Juniore suo, ex Michaele nepote, acerbissima quæque postea pertulit; & nunc ab Irena conjuge vexatus est. Præter Michaelem, & Constantinum ex Anna Ungara: Theodorum, Joannem, & Demetrium ex Irena Andronicus susceperat; hæc novercalibus in duos priores elata odiis, cupiebat suos quoque in consortium summæ dignitatis adsciscí; aut saltem Provinciis aliquibus summa cum auctoritate præfici; quod cum non impetraret a conjuge, variis illum fastidiis ulta est; tum vero prætextu Theodori, in Monferatensem, de quo ipsa erat, Principatum ponendi, Thessalonicam profecta, diu illic invito quamvis conjuge moras traxit. C) Irenæ hujus frater citra sobolem elatus Theodorum Principatus hæredem scripserat; quem tunc in Italiam expedivit mater, acceptum ab incolis ut hæredem; a quo longa deinceps serie Monferatenses in Italia Palæologi diu post occupatam quoque per Turcos Constantinopolim rerum potiti sunt. Sic discordiis undique miserrime vexatus Andronicus, disturbatæ Ecclesiarum pacis pœnas luculentas, easque diuturnitate ipsa atroces expendit.

Fatiscente, ut memoratum est, Imperio, circumspectabat, unde aliquid opis arriperet Imperator; sed fere omnia infelicem frustrabantur. Mariam sororem Tartarorum præpotenti in Asia Regi Carmpantani, qui Turcos sedibus ejecerant, despondere libuit; quo illum ad coercendos rursus Turcos arrigeret. Maria Nicæam ea causa deducta, non valuit minis suis præpedire Ottomanum, ne munitissimam eo tempore, & vicinam arcem Nicolium expugnaret. Admonebat equidem Tartaricus Imperator Turcos Principes, impetum uti suum coercerent, iisque perdomandis triginta armatorum millia Iconium adveniſſe ferebantur. D) Verum firmiores jam erant Turcorum res, quam ut nobilem adeo tot Provinciarum prædam manibus elabi sinerent. Quid deinceps cum Tartarico hocce connubio perfectum sit, nusquam comperi; credibile tamen, metu aliquo repressos tunc fuisse Turcos; ne uno omnia, quod poterant, impetu obruerent; nam Prusa, Nicæa, cæterisque Asiæ Urbibus serius potiti, aliquid tamen respirii Græcis indulsisse hos per annos videntur; ad quam quietem redimendam tributi etiam quidpiam pensitare Barbaris visum Byzantii fuit; & remedium differendo magis exitio, quam averruncando opportunum arripere. E)

1309 Sed & Catalani illi tam invisi Byzantinis, totiesque nequidquam ad amicitiam ab Andronico invitati, cædibus, vastitatique modum in Thracia posue-

A) Pachymeres p. 313. perstringit hanc importunitatem Patriarchæ, & Monachos Latinos Frerios nuncupat. B) Gregoras p. 130, C) Hæc diffusius Gregoras p. 117. quorum non meminit Pachymeres. D) Pachymeres p. 369. E) Gregoras p. 158.

runt, repentina inter se discordia discissi. Berengarius ille a Genuensibus in captivitatem abstractus, nunc ope Regis Aragonum libertatem consecutus, adductis quibusdam copiis, ad prius Græcos divexandi institutum rediit; sed Romforto A) quem jam summa potestate Catalani Ducem reverebantur, parere omnino detrectavit; idem placuit & Ferrando Ximenio; in partes igitur distracti Duces, ac milites obstinatis inter se odiis confligebant; frustra Aragonio Rege illos ad concordiam modis omnibus invitante. Placuit turbulentis illis rem totam prælii unius aleæ permittere; in quo Romfortus, quem præter Catalanos tria sequebantur Turcorum millia, Berengarium quidem interemit, fugavit autem Ximenium; qui Byzantium fuga elatus, adeo male non acceptus ab Imperatore est, ut etiam magni Ducis titulo, insuper Theodoræ, Andronici ex sorore neptis, conjugio ornatus. B) Post hæc Catalanorum reliquiæ Romforto uni paruere; cumque undique in eos populi ob rapinas insurgerent, perniciem illi in Thracia veriti, in Thessaliam contenderunt, Turcis quoque ab sua societate depulsis; hic vero Provinciam Joannis Angeli, de notho illo Joanne progeniti, vastare aggressi, nonnisi auro, & muneribus abigi potuerunt; illinc quoque digressi pervenerunt in Achajam, ubi deleto, qui cum quatuordecim armatorum millibus obviam se tulerat, Achajæ Principe, Athenas, Thebas, locaque impune plura occuparunt, sedibus ibi quietis, errorumque fine demum invento. C) A. C. 1309

1310 At Turcæ ab Catalanica societate repulsi, pars in Bulgariam Regi militaturi commigrarunt; pars Duce Chalel duorum fere millium suos respectabant in Asia; ad quos tamen fretum trajicere navium defectu haud poterant; proinde supplices fuere Andronico, abeundi ut sibi veniam, & copiam faceret. Purgaturus labe illa Thraciam Princeps, libens assentitur postulato, & terna suorum expedit millia, qui fide data innoxie Turcos deducerent; verum deductores illi, prædæ, quam opulentam e tot direptionibus apud Turcos viderant, cupiditate pellecti, utilitatem, & vindictam fidei præhabuere; id Turcæ subodorati, in semirutum quoddam Castellum sese recondunt; vallo, operibus communiunt ex tempore; tum crebris nunciis socios ex Asia acciunt; rursusque fumantia adhuc e priore bello Thraciæ busta atrociter incursant. Ad illos munimento, & Thracia deturbandos, adfuit majoribus cum copiis, & machinis bellicis Michael Princeps; at e Ducis circumspecti officio egit nihil; perinde enim ut si concluſa jam præda ad ictum esset, secure in castris desidebant Græci, ludicris magis, quam bello intenti; quo Turcæ observato, ut Gens est nusquam, atque in extremis periculis audacior, subitanea in dispersos eruptione facta, tantam injecere trepidationem, ut de fuga plerique, pauci de armis cogitarent. Ægre iterum vitam extulit Michael; tabernaculum, signa Imperatoria summum per dedecus direpta, libertas denique incursandi rursus Thraciam Barbaris acquisita. Illi sociis quoque ab Asia sæpe accitis, biennium ipsum tam acriter infestarunt Urbis viciniam, vix ut operi faciundo prodire agrestes possent; hoc perfidia, & ignavia, geminæ rei militaris pestes, emolumenti infelicibus attulere. Demum Philes quidam & ipse cognomento Palæologus, armatis ab Imperatore impetratis, Turcos mille in insidias pertractos cum Duce interemit; tum vero classe ab Urbe emissa, & copiis a Rege Serviæ accersitis, obruti undique Barbari sunt, & cæsi omnes, aut capti; sicque Urbi & Thraciæ conquiescere ad tempus demum aliquando licuit; D) nam diuturnam illic tranquillitatem quis ignavis una & turbulentis ingeniis illis sperare ausus fuerit?

1313 Anno igitur consequente, & aliquot præterea, quies quædam præter solitum obtigisse Andronico videtur; neque enim bellorum aliquid se per eos

A) Rocaforta dicitur Gregoræ p. 117. B) Pachymeres p. 377. qui promiscue istos modo Catalanos, Amogabaros modo nuncupat; atque hoc narrato belli Catalanici exitu, demum Historiæ suæ finem imponit. C) Pluribus ista exequitur Gregoras p. 127. quæ non attigit Pachymeres. D) Hæc toto capite 8. libri 7. Gregoras.

A.C. eos offert. Ad opera igitur pacis, ad quæ natura factus videbatur, ver-
1313 ſus eſt ſapiens cæteroqui, ſatque probatis moribus, ac optandus etiam Princeps; ſi primævus ille circa Eccleſiam error mentem ei, & felicitatem non abſtuliſſet. Per hos itaque annos Urbes quædam in Europa, & Aſia inſtauratæ ſunt; ædes ſacræ in Urbe aut extructæ, aut innovatæ; ipſum Sophiæ magnis impendiis, ne in ruinam incumberet, impeditum; ad quod plurimum legavit auri Irene Imperatoris conjux, nuper prope Theſſalonicam repentino morbo e vivis proturbata. A)

1318 Alia deinceps fuere pacis opera: Niphoni Patriarchæ, homini ſacrilego, obque id dignitate ejecto, ſubſtitutus Glycis Joannes eſt, e profano quidem, ſed literis apprime excultus; cui tamen brevis hæc contigit dignitas; morbo enim correptus ultro ſemet in aſceterium abdidit; ſucceſſit illi Geraſimus, vir aſceta, & ſimplex; verum ad ingenium Principum pro libidine eam dignitatem verſantium accommodatus. Andronico ſuo, ex filio Michaele nepoti, conjugem ex Germania Ducis Brunſvicenſis Alberti IV. filiam, dictam Irenen, Imperator copulavit. B) Joanne Angelo, lineæ illius ultimo, ſine hærede vivis ablato, Provincia illius partim occupata a Catalanis eſt in Achaja, & parte Peloponneſi dominantibus, partim vero ab aliis Græciæ Proceribus, qui illic quidpiam poterant, diſcerpta; totam in ſolidum Provinciam repoſcebat Imperator; at partem duntaxat obtinuit; cumque bellare ferro animus non eſſet, ad ſacra recurſum eſt arma, dirisque ii a Patriarcha devoti, qui e memorata Provincia partem aliquam ſibi decerpſerant. Verum fulmen hoc, ceu e pelvi excuſſum eſſet, neminem omnino percelluit; C) vileſcente ſcilicet vel apud ipſos Græcos Patriarchica, pro qua tantum dimicabant, dignitate, magisque in dies, quæ pœna arrogantiæ ſolennis eſt, defluente.

1320 Hanc annorum aliquot quietem, quæ tamen a Turcorum prædationibus non omnino immunis erat, intercepit ſubitaneum, & atrox inter Andronicum Imperatorem, & Andronicum ejus ex Michaele nepotem diſſidium, tali ex cauſa exortum: D) Michaeli Andronici filio, & Auguſto duo fuere mares liberi, Andronicus, & Manuel; priorem ſpectabant ſucceſſionis in Imperio jura, non item Andronici avi, aut Michaelis patris favor; quod Junior ille Andronicus inſano venandi, & ludicrorum teneretur ardore; cui canum, & venatorum greges cordi unice fuerunt, tum cætera juventutis oblectamenta, ac meretricius etiam, quod plurimum avum, & patrem alienarat, amor. Itabat Junior hic Princeps præter decorum in mulierculæ cujusdam privatæ domum, E) atque noctes quandoque ipſas illic exigebat; factum poſtea, ut non nemo e nobilitate eandem illam ingreſſus ſit domum rivalis; cujus ab æde illa arcendi armatos Andronicus iſte per tenebras diſpoſuit, necarique confeſtim præcepit rivalem, ſi pedem ea inferret; forte accidit: ut Manuel Andronici frater fratrem in æde, ad quam itare illum non neſciebat, noctu requiſiturus equo veheretur; quem ſagittarii circa domum diſpoſiti, eundem ipſum rivalem rati, ſagittis ſubito confoderunt; concidit exanimis Manuel, inque Regiam delatus, animam brevi exhalavit. Dici nequit, quantum caſus hic infeliciſſimus, & avo Andronico, & patri Michaeli, Theſſalonicæ tunc commoranti, doloris attulerit; qui jam alias æger, accedente præterea Annæ filiæ, quæ Thomæ Angelo Nicephori filio, & Epiri Deſpotæ nupta erat, exceſſu, vim doloris non pertulit, & ipſe poſt liberos tertio, & quadrageſimo ætatis anno inter mortuos relatus.

Præter hunc Michaelem, fuit ex primo conjugio alius etiam Andronico ſeniori ſuperſtes filius Conſtantinus, in quem transferre Imperii inſignia,

A) Gregoras pag. 138. qui iſta oculis tunc uſurpavit. B) Videnda de hoc familia Palæologorum pag. 194. C) Gregoras pag. 141. D) Hic ſuam exorditur Hiſtoriam Joannes Cantacuzenus, qui ſub hæc tempora vixit, ſcripſit, & imperavit; Scriptor inſignis; verum ad faſtidium uſque prolixus. E) De flagitiis, hocque infelici caſu Andronici Junioris Gregoras pag. 142. Nam Cantacuzenus Juniori addictiſſimus, omnia, quæ probro ei cedere poſſent, altum reticet.

gnia, & poteſtatem pater decreverat, nepote Andronico, etſi jura ſucceſ- A.C.
ſionis eum reſpectarent, ob cauſas jam memoratas penitus ex animo pro- 1320
turbato. Habuit præterea ex eodem hoc Conſtantino nepotem, ſed nothum Catharum, nomine Senior; qui cum ei in amoribus eſſet, non dubium erat, tranſiturum aliquando ad hunc Imperium, ſi Andronicus nepos eo fraudaretur. Junior hic Princeps alienationem a ſe avi, & in ſpurium voluntatem compertam cum haberet, mœrore, metuque confuſus circumſpectabat omnia, quo ſe periculo non amittendi modo Imperii, ſed aliarum quoque calamitatum eriperet; promiſſis proinde, benevolentia, & qua plurimum valebat, ſermonis, ac morum gratia devinciebat ſibi Proceres; utque ſe in gratiam avi reponerent, nihil non movebat; ſed obſtinatiſſimus in odio nepotis avus, magis etiam animum in dies retraxit. Hinc clancularіæ cum Andronico Juniore Procerum coitiones, hinc adverſantia utrinque conſilia, ſuſpiciones, iræ, rixæ, bellum denique inter avum, & nepotem, cum extrema Andronici Senioris calamitate, & Imperii nutantis ruina concludendum.

Perficiendis, quæ animo deſignarat avus, vocato ſuorum cœtu, jurejurando adegit in verba ſua Proceres, cum poſt ſe agnituros Principem, quem ſibi cunque ſucceſſorem ipſe deſignaret; quæ rei novitas percelluit univerſos, neque parum turbarum inter Principes metu alienavit; ſerviverunt tamen omnes tempori, præter unum Cantacuzenum Joannem, magnum tunc Domeſticum, qui ut ſic juraret, perpelli nequiit; A) neque enim animus Principis nepoti infeſtus eum latebat. Erat hic Cantacuzenus intima nepoti familiaritate conjunctus, commodorumque ipſius cupientiſſimus; præter hunc favebant Juniori Theodorus Synadenus Protoſtrator, item Syrgianes e Communis quidem ortum ducens, ſed Imperatori cognatione junctus, tum plerique etiam civium. Quippe Senior etſi ingenio, moderationeque excelleret, tamen nimia in negotiis, ac bellis præſertim tarditate, moroſitate, ac infelicitate in odia plerorumque incurrebat; cujus tunc negotiorum arbiter Theodorus fuit Metochites, vir literatura, morumque gratia perquam inſignis, & aliis temporibus, Genteque alia dignior. B)

Andronicus Junior, magis in dies inviſum ſe avo cum cerneret, querelis per quemdam ſuorum eidem expoſitis, judicio ſecum agi flagitat; vel purgaturum ſe de objectis criminibus, vel ſi adoleſcentiæ vitio deliquiſſet, ultro pœnas daturum; interea vero clam cum tribus illis Conſultoribus de ſalute ſua, deque fuga Byzantio capeſſenda, ni ſerenior affulgeat fortuna, pertractat; quos nequicquam ab Urbe amoliri ſpecie Præfecturarum Imperator potuit; neque enim iis vel fraudes, vel conſilia ad Senem, quive illum circumſtabant, eludendos defuere; quin tanta erat Senioris ſive incogitantia, ſive rerum ſuarum confidentia, ut Cantacuzeno, & Synadeno Thraciam auro, militeque, attributo regendam committeret.

Accerſitus in judicium, ut petebat nepos, plurimas illic ab avo con- 1321
tumelias audire debuit; ad quas tamen reſponſabat non ſegniter, magisque etiam avi iram accendit; quem nihilominus omnibus humanitatis officiis placatum ſibi reddere cupiebat, abjectus ad pedes; quos quo minus exoſcularetur, ne quidem importunitate Senis prohiberi potuit; viciſſim faciem illius oſculo libavit Senex; ita enim moribus fiebat cum his, qui pedem Imperatorum exoſculabantur. C) Credebatur peracta jam reconciliatio, ſed omnia in ſpeciem fuere: Senioris enim animus inclinari in nepotem ne extremis quidem periculis unquam ex vero potuit; quin comprehenſum illum jam tunc carceri concluſurus erat, D) ni Metochites Urbis tumultum veritus rem differendam cenſuiſſet.

A) Multis hæc de ſeipſo Cantacuzenus, & pluribus capitibus libri primi. B) Gregoras Metochitæ iſtius liberorum inſtructor fuit; quem is ab eruditione ſumma, aliisque virtutibus mirum in modum dilaudat. C) Pluribus & iſta capitibus libri primi Cantacuzenus Tragœdiæ iſtius præcipuus actor. D) Gregoras p. 157.

A.C. Interea Senior Patriarchæ Geraſimo conſilium de nepote ſuum ape-
1321 rit; hic in nepotem propenſior eidem clam enunciat; A) Junior vero periculo erepturus ſemet, ipſo Chriſti reſurgentis pervigilio ex Urbe prorumpit. Jam militem in obſequia nepotis præpararant, Cantacuzenus, Synadenus, & Syrgianes; cum iis Adrianopolim profectus Andronicus, omnia ad inferendum avo bellum præparabat; certus non redire in gratiam, niſi ſucceſſionis in Imperio ſibi jura, quin partes quasdam jam nunc Imperii avus addiceret. Ferunt, inteſtinum hoc bellum hinnitu equi in palatii pariete picti, & clare exauditi præſignificatum eſſe. B)

Vulgata in Urbe Junioris fuga mirum eſt, ut in diverſa ſtudia animos diſciderit; ſenſim tamen major increbreſcebat a Seniore civitatis alienatio; quod cum non lateret Imperatorem, tarditatem in plectendo ſuam incuſans, etſi hoſtem jam declaraſſet nepotem, allegato tamen Adrianopolim Epiſcopo Philadelphiæ Theoblepto, de concordia agere inſtitit. Non erat ab hac alienus nepos; ſed militum colluvio, ſpe libertatis, & Urbis diripiendæ, magno ex Thracia numero adſcita, C) adverſam ſe compoſitioni ferebat; nec Proceres ſat capiti, vel oculis conſultum ſuis rebantur, ſi ad Senioris obſequia redire contingeret; multis demum in medium prolatis, placuit hæc concordiæ via: ut partem Thraciæ, quæ a Selybria Chriſtopolim excurrit, Junior cum Imperio haberet, inſigniaque Imperatorum cum jure ſuccedendi, cætera ad exitum penes avum eſſent; in quas conditiones conventum denique eſt, & jusjurandum parte ab utraque præſtitum.

1322 Sopitum in ortu ipſo incendium videri poterat; ſed gliſcebat tamen vix æſtate exacta atrocius inflammandum. Syrgianes Dux magnus, cum non, ut ſperarat, omnia apud Juniorem pro ingenio tractare ſineretur, Cantacuzeno primas per omnia obtinente, defectionem, ut inquietiſſimo fuit ingenio, ſcelerumque, ac turbarum ſator, ſartorque maximus, ad avum inſtituit; eundemque ad pacta nupera convellenda certam pollicitus victoriam incitavit. D) Nec difficilis ad perdendum nepotem avus erat, ob inveteratum, nec excuſſum unquam plene illius de pectore odium, etſi verborum tenus alia ſæpe ſimularet; tum lamentatio quoque, & miſeriæ multorum, per Thraciam fortunis a milite nepotis ejectorum, addebant ſtimulos, velut pro æquitate adverſus vim injuſtam pugnaturo. Omnia proinde in perniciem nepotis intendere decrevit avus; & Conſtantinum quidem filium, Theſſalonicam arma illic moturum miſit, in Urbe Syrgiani cogendi copias dedit poteſtatem, evocavit ex Bithynia reliquias militiæ Aſiaticæ; quin Turcorum quoque, opportuna videlicet auxilia quædam accerſit. E)

Verum his omnibus nepotis, & Cantacuzeni ſolertia brevi ſuperior fuit: contractis enim per Thraciam copiis, quod ſumma eſſet militum fundis, & ſtipendiis auctorum in nepotem propenſio, partem quidem Synadenus Urbi admovit, aliam nepos cum Cantacuzeno Urbibus per Thraciam occupandis ductavit, quæ facili opera in potentioris ſcilicet naſſam defluebant; tertia demum adverſus Conſtantinum in Macedoniam directa eſt; ſed cum hoc fraudibus, quam armis felicius bellatum: falſo de Andronici avi interitu vulgato rumore, Conſtantinus deſertus primum a milite eſt; deinde vero cum factioſos quosdam comprehendere Theſſalonicæ nititur, captus ipſe, & ad Andronicum Juniorem miſſus, teterrimoque carcere concluſus; in eum quippe ceu Imperii æmulum præcipue ardebat Junioris ira. Ad extremum admotis univerſis Urbem verſus copiis, cum civium quoque animos paſſim ad nepotem reflexos avus cerneret, acturos de pace Legatos ad eundem expedivit. Proniſſimum ad hanc

A) Et iſtud Gregoras, non item Cantacuzenus, ejusdem quippe cum Patriarcha factionis. B) Gregoras p. 152. C) Quinquaginta equitum millia ad Juniorem confluxiſſe, ait Cantacuzenus; niſi forte mendum irrepſerit, ut: πεντακισχιλίοι pro πεντακισμυρίοι legendum ſit; qui enim credibile, procumbente Imperio, tantum Andronico affuiſſe equitatum? D) Cantacuzenus. E) Gregoras p. 176.

hanc reperere nepotis animum Legati; ſive enim pietate in avum du- A.C.
ceretur, ut Cantacuzenus A) prodidit, ſive a negotiorum Imperialium 1322
mole venatui, ludicrisque deditus abhorreret, ut Gregoras, pacem cum avo compoſuit honeſtioribus, quam hic etiam victor optare poterat conditionibus. Pollicebatur enim nepos, cum omnibus ſuis in avi deinceps poteſtate futurum ſe; retentis duntaxat Imperii inſignibus, privatim ætatem acturum; ſex, & triginta aureorum nummum annuis millibus contentum; nihil ſummæ poteſtatis vivente avo uſurpaturum; illud viciſſim tribueret avus: ut agri per Thraciam militibus abs ſe elargiti penes eos dehinc quoque ſint, iisque ſtipendia per ſemetipſum numeranda mitterentur; vafro videlicet conſilio, non dubius: in poteſtate ſua omnia tamdiu futura, quoad animos militum beneficiis obligatos poſſideret. Equidem compoſitioni illi ægre aſſenſere Duces, ac milites, everſionem rerum ſuarum a Senioris inconſtantia veriti; ſed demum admiſſa eſt concordia, & nepos ad ſalutandum avum in Urbem introgreſſus. Rediit igitur rurſus tametſi inviſa turbulentis quibusdam capitibus tranquillitas, duratura eouſque, dum libido imperandi, ſolitique Græcorum morbi in animos invaderent. Quinquennium pene hæc avi cum nepote tenuit concordia; poſt recruduit acerbius alienatio; demumque obſtinatum in odio ſuo Senem in extremas calamitates demerſit.

Interea dum hoc ſe luſtrum evolveret, non prorſus infeliciter res in 1323
Europa procedebant; verum in Aſia tot Barbaricis vexationibus exhauſta procumbebant penitus, valentioribus nonnullis Urbibus ægre adhuc ſpiritum ducentibus; inter quas fuit & Philadelphia, iterum a Turcis impugnata. Ad hanc periculo eripiendam Philanthropenus ille Alexius, olim cæcatus; ſed rebus gerendis apprime idoneus, miſſus ab Imperatore eſt; atque non armis ille quidem, verum conſilio, ſuique apud Barbaros ingenti exiſtimatione Urbem conſervavit. B) Quippe Philanthropenum reveriti Barbari, non abduxerunt modo Philadelphia copias, verum ultro etiam obviam ei progreſſi, pacem amplexari prætulerunt. Mira profecto, ſi vera Turcorum adverſus inermem, & cæcum Ducem, ſed non iterum exſpectanda facilitas! Philadelphiæ commeatu, rebusque neceſſariis proviſum tunc eſt; cæteræ Urbes, ut Pruſa, Nicæa, Nicomedia, pactione auri aliqua vexationes redimebant. C)

In Europa res habebat melius: Senior Andronicus ſummæ rei, ordinandisque Magiſtratibus præfuit; Juniori bella, & expeditiones, tum venatus, ludique curæ erant; atque utinam ſolicitius res ordinaſſent militares! cum enim in Europa inde ab Urbe in Albaniam, & Theſſaliæ, Bulgariæque fines, tum parte quadam etiam in Peloponneſum adhuc Imperium protenderetur, pronum fuerat, refectis quiete viribus, in generoſas aſſurgere cogitationes; & vel ad vindicandas de Barbaris Aſiaticas Provincias, vel ad Europæas in tuto locandas animum, viresque referre; ſed ſuum illos in præcipitia urgebat fatum; ac cum diſcordiis inter ſe jactabantur, magni, numeroſique apparebant; cum obſiſtendum hoſtibus, tam numero, quam virtute pene nulli.

Cum Bulgaris dehinc belli quidpiam interceſſit. Mortuo Sphendislavo Bulgaro Rege, cui ſoror Junioris Andronici nupta erat, ſucceſſit filius Terteres, ac perturbatione illa inter avum, nepotemque fervente, fines incurſavit Thraciæ, Philippopoli quoque occupata. Rebus jam, uti dictum, compoſitis, ad vicem Bulgaro remetiendam accinxit ſe Junior Imperator, vaſtataque Bulgaria Philippopolim obſedit; qua, quod armatis completa eſſet, non valuit tum potiri; poſt tamen aliquanto exercitu illinc ſubmoto, cum temere præſidiarii in occurſum ſuorum ſemet ab Urbe profudiſſent, per Bryennium Georgium ex inſidiis potitus eſt. Tertere

A) Fuſiſſime de his agit c. 31. & ſequentibus libri primi. B) Gregoras pag. 180. qui multus eſt in Philanthropeno hoc dilaudando; at non meminit hujus Cantacuzenus. C) Gregoras pag. 158.

A.C. tere inter hæc ſine liberis decedente, Michaelem, cognomento Straſcimi-
1323 rum, Vidino Præfectum, Regem optarunt Bulgari; at Boeſilas defuncti patruus ad Regnum velut jure debitum aſpirabat; hinc confuſæ Bulgarorum res, nec parva ejus oræ pars per Andronicum Juniorem turbis illis acquiſita. Michael ſublato demum æmulo, viduam Reginam, ſororem Andronici, ſibi in conjugem legit; qua affinitatis occaſione non confecta modo inter eos pax eſt, verum etiam amicitia perennis, & armorum quædam conſociatio inita. A)

1324 Rebus ita pacatis, in mœrorem, Irenes conjugis exceſſu, Junior Adronicus incidit; quem ut deleret avus, anno conſequente Februario menſe, coronam ſolenni pompa nepoti per Eſaiam Patriarcham impoſuit. Eſaiam hunc adeo fuiſſe rudem prædicant, vix ut primos literarum noſſet apices; B) neque enim inſcitia Præſulum opportunius aliquid ad ſacerdotalem dignitatem profana poteſtate proterendam illis viſum.

1325 Quia autem Andronico huic nulli adhuc ſuſcepti erant liberi; isque ipſum ætatis ver, ſeptem ac viginti natus tunc annos, agebat; placuit Seniori, de altera conjuge ei jungenda circumſpicere; Andronicus Tornicius in Italiam ea cauſa ire juſſus, adduxit illinc Sabaudiæ Principis, Amadæi V. filiam Annam cum lecto Procerum Italicorum comitatu. C) Hæc conjuncta Andronico ab eodem, ut mos fuit conjugibus, coronam in æde Sophiæ accepit; inde novi conjuges Didymoticum habitandi cauſa commigrarunt; fere enim Junior avi contubernium vitavit, ſive, ut liberius pro genio, quæ collibuiſſent, ageret, ſive ut avi offenſam e ſententiarum diverſitate orituram vitaret, ſeu demum impendentia ſibi pericula, ſuſpectumque ſemper, nec ex vano, avi animum declinaret.

1326 Et certe ab Seniore Andronico omnia, quæ cum nepote agebat, ſimulate, metuque majorum malorum acta eſſe ex iis, quæ paulum poſtea evenere, liquido apparuit; in Conſtantinum enim filium ſemper propenſior, nepotem ob vitæ licentiam, actamque flagitioſe adoleſcentiam peſſime oderat, nec ita odium premere ſuum poterat, quin erumperet interdum coram familiaribus; hi vero concitare acerbis ſæpe querelis avum in nepotem, exaggerare injuriam ſenectuti illius illatam, oſtentare eorum miſerias, qui fortunis per nepotem ejecti erant; denique facillimam opprimendi illius occaſionem, omnibus e nutu Senioris tum pendentibus prædicare; quibus rebus impulere Senem, ut odio aperte ſuo obſequeretur, & ad nepotis perniciem cuncta rurſus intenderet. Ita quidem hæc nobis in memoriam redigit in concinnata ab ſe hiſtoria Cantacuzenus D) Junioris Andronici ſtudioſiſſimus, ſummusque negotiorum ejus arbiter. At Gregoras, E) qui intima familiaritate Seniori junctus fuit, culpam omnem in Juniorem, ejusque factionem impingit: Illum nempe diuturnæ avi ætatis, & Imperii pertæſum, cupiditate rei ſummæ flagraſſe; diris adhæc flagitiis, quæ ab eo recenſentur, cooperuiſſe ſemet, & juſtam avo indignandi cauſam obtuliſſe; poſtremo a factione ſua, quæ Rempublicam pro ingenio tractare cupiebat, incitatum, in avi abdicationem conſpiraſſe; ſic iſti partium ſtudioſi, ſcribendo quoque in diverſa adeo abierunt; & quis eſt, qui animum facile in mandanda hiſtoria teneat, nec eo ſenſim defluat, quo affectio, oblataque veri ſpecies tam violenter mentem, & calamum rapiunt? Illud e rerum narrandarum ſerie perſpicuum fit: neutrum Imperatorem, expertem culpæ omnino fuiſſe; ſed permiſſam in pœnam præteritorum a Numine diſcordiam; ut hac confecti Græci, ac ſibimetipſis graviſſimi, in eas ſenſim volverentur calamitates, in quas ad extremum cum Imperio Orientis infeliciter proruerunt.

1327 Andronico Juniore Didymotici commorante, fama tulit, prædones Turcos excenſionem in Thraciam feciſſe; qua commotus Andronicus cum pau-

A) Multis hæc quoque Cantacuzenus p. 85. & ſequentibus. B) Gregoras p. 179. C) Cantacuzenus p. 97. ubi etiam ritus in coronandis Principibus Byzantii adhiberi ſolitos minutatim, & fuſiſſime perſequitur. D) Libri primi, c. 43. & ſequentibus. E) Libri noni, c. 1. & ſequentibus.

paucis per invia ſylvarum in Barbaros incurrit, ac illos quidem cecidit A.C.
feliciter; verum pedem ſagitta forte ictus diu ægrotavit. Ad illum ſic 1327
ægrientem viſendum advenit affinis Rex Bulgariæ Michael; quo in congreſſu ferunt, tacitam inter Andronicum, & Michaelem de avo Imperio penitus exturbando initam fuiſſe pactionem; A) quæ illico ad aures Senioris vera, an ficta? promanarit. Illum igitur, aliis quoque nepotis facinoribus, quod publicos e Thracia redditus ad ſe avertiſſet: quod apud populos deſpicabilem reddere Senem molitus eſſet: quod viduæ Simonidi Senioris filiæ vim attuliſſet: inflammatum, primum quidem Urbis ingreſſu nepoti interdixiſſe; deinde autem adjuncto in amicitiam Serviæ Rege Stephano, Uroſii filio, Demetrium Deſpotam filium, Raulum Iſaacium, cæterosque in Macedonia rebus Præfectos ad arma convolare juſſiſſe. Secus iſta Cantacuzenus; nam his non memoratis, aliam bello cauſam adfert: Joannem Palæologum, Andronici Senioris ex fratre Conſtantino nepotem, quarundam circa Theſſalonicam Regionum Præfectum, locata in conjugem Stephano Serviæ Regi filia Maria, ejus auxiliis Imperium velut jure ſibi debitum appetiviſſe; qui tamen conceſſa Cæſaris appellatione, in gratiam Senioris redierit brevi, vitaque ceſſerit; Joanni huic nuptam fuiſſe Metochitæ natam, nec expertes defectionis fuiſſe duos Metochitæ filios; in quos dum acerbius Junior Princeps inſurgit, Metochitæ omnia apud Seniorem verſantis iram incendiſſe; cujus demum artibus perfectum ſit, ut ad bellum nepoti inferendum avus prorumperet;

Andronicus itaque Junior, copiis e Thracia lectis, acceſſit Urbem propius, atque de iniquitate in ſe avi multum queſtus eſt; in quem tanta fuit Urbanorum propenſio, ut tranſituri plerique ad eum fuerint, ſi modo Urbem ingredi ſineretur; diſcedebant certe exoſi Senem plerique Procerum; in his ipſe quoque Theodorus, Montisferrati Marchio, tum forte Byzantii commorans, Senioris, id quod ſummo huic dolori fuit, filius. Hæc cum cerneret avus, remittebat aliquid de animi duritia, & ad dijudicandam nepotis, quod ille flagitarat, cauſam, quatuor, & viginti ex omni ordine delectos ire juſſit. In hoc judicio adeo ſolerter cauſam egit ſuam Junior, ut & probaret eam cunctis, & invidiam Seniori non mediocrem conflaret; quippe paratum ajebat, ſe redire ad concordiam pactis prioribus, ſi ſuſpiciones de ſe ſiniſtras excuteret avus, atque a turbando quieſceret. At Senex, quod forte occulta factionis adverſæ conſilia eum non laterent, in odio ſuo rurſum pertinax, licet parum ſpei in armis haberet, in eadem tamen, at infeliciter incubuit. Igitur nepotem declarat hoſtem, ejus nomen in ſacris memorari vetat, Patriarcham Eſaiam, velut aperte nepoti patrocinantem, throno dejicit, Ducesque ſuos per Macedoniam, ac Regem Serviæ ad bellum nepoti cumprimum inferendum exſtimulat. B)

Veritus Junior, ne undique conſtringeretur hoſtibus, Synadeno cum parte copiarum prope Urbem relicto, ipſe cum Cantacuzeno, & reliquo exercitu ad Macedoniam ſibi ſubigendam provolavit. Nec diuturnus huic conatui labor impenſus; Duces Senioris, qua capti, qua diſpulſi, occupatæ Urbes Caſtoria, Achris, Prilapus, Rex Serviæ a bello inferendo deterritus, adſcitus in ſocietatem Bulgarus, Theſſalonica denique per defectionem civium occupata; quo progreſſus Andronicus Junior, pede, qui ex vulnere nuper accepto nondum valuerat oleo D. Demetrii peructo, confeſtim valetudinem recepiſſe fertur. C)

Sic dum animorum inter nepotem, & avum disjunctio Provincias Europæas infeliciter permiſcet, in Aſia munitiſſima Urbs Pruſa demum Ottomani jugum ſubiit, per Orchanem ejus filium, fame ad deditionem com-

A) Sic Gregoras; at Cantacuzenus rem alte ſubticet. B) Fuſiſſime iſta, ſed diverſis ſtudiis expediunt Cantacuzenus, & Gregoras libris jam memoratis per plura capita, & paginas. C) Notat hoc prodigium Cantacuzenus l. 1. c. 53. ſi vere modo.

A.C. compulsa; A) secuta Urbem principem plura ejus oræ loca sunt, jamque Regia Ottomani Prusam translata; ubi pauco post tempore diem egit supremum Ottomanus, filio Orchane, Regni & victoriarum adversus imbelles, & discordes Christianos relicto hærede; qui non jam latrocinando, aut mediocribus, ut parens cum copiis, sed vi summa, & pari fortuna ad Orientale illud Imperium grassari cœpit.

1328 Tristia hæc ab Oriente nuncia excutere dementiam Byzantinis nequaquam valuere: Junior Andronicus, Macedonia tam facile occupata, exercitum Urbem versus promovit, alio quoque malo tunc correptam; nam Venetorum naves cum Genuensibus discordes concluserant mare, ut annonæ intus inopia laboraretur. B) Ne tum quidem orare veniam, sive in speciem ad conflandam avo invidiam, sive ex animo Junior destitit; verum avus, nescio qua animi obfirmatione, speque inductus, preces has pro suspectis, & nullis habuit. Igitur cum desperata omnia nepos cerneret, ad vim & fraudes experiundas sese vertit. Empti promissis civium nonnulli, concubia nocte militem Junioris per scalas accipiunt; hi cæteris foris operientibus recludunt portas, ac Junior cum universo exercitu, insciente plane avo, nec aliquid ejusmodi magnopere metuente, incurrit. Cum civibus nihil prælii fuit, certatim sese ad victorem aggregantibus; vis igitur tota in Regiam versa; in qua Andronicus Senior extrema ab exacerbato nepote verens, ad iconem Hodegetriæ Dei Matris se supplex abjecit. C) Perrupto demum palatio, nullam avo injuriam fieri nepos sivit; quin insignia quoque Imperii gestare illum voluit, assignatis in annuum reditum quatuor & viginti aureorum nummum millibus; D) at vero administrationem Imperii omnem in se transtulit; quin non diu postea scripto quoque tenus abdicare Imperium Senior est coactus. Capta Urbs est tertio & vicesimo Maji die; Metochitæ domus, nonnullæque aliæ ab insolente victoria milite direptæ; E) Metochites ipse in exilium actus, Patriarcha inter tripudia ab asceterio in sedem reductus, Urbs denique citra magnum strepitum, aut damnum composita.

Hunc in modum exutus Imperio est Senior Andronicus, posteaquam quinque, & quadraginta annos eidem in summa rerum varietate præfuisset. Quadriennium adhuc non plane integrum abdicationi suæ supravixit, & in magnis quidem ærumnis; nam primum sic in palatio delitescenti plurima ingesta sunt ludibria, ab iis, quos olim exagitavit, & absente per bella nepote, penitus a Proceribus neglectus est; F) dein vero lumine utroque ob senectutem captus, reliquos annos in squalore egit; postremo biennio ante mortem, cum forte ex morbo de vita nepos Didymotici periclitaretur, veriti in Urbe Primores, exorituras morte nepotis rursus turbas, ad cucullum induendum miserum Senem compulere; in quo vitæ genere ad eam redactus est Imperator ille inopiam, vix ut nummus quandoque aureus suppeteret ad fomenta senectuti paranda. G) Morbo demum extinctus est mensis Februarii die tertio, & vicesimo, anni millesimi tercentesimi trigesimi secundi, duos supra septuaginta natus annos. Fuere Andronico filii, filiæque jam memorati, & Joannes præterea dudum ante patrem elatus. Hic exitus tulit Andronicum non indoctum cætera Principem, H) nec moribus malum, sed ingenio ad discordias jam inde a principio abusum, iisdemque ad extremum suo pro merito consumptum.

AN-

A) Gregoras p. 191. Laonicus Chalcocondyles p. 7. At non Cantacuzenus ea, quæ Imperio funesta acciderunt, transilire etiam alias solitus. B) Gregoras p. 206. C) Gregoras, tametsi nepoti infestus, multis tamen illius in avum humanitatem prædicat; uti & Cantacuzenus. D) Tantum ait Cantacuzenus; at Gregoras decem millia numerat. E) Solam Metochitæ domum direptam, ait Cantacuzenus. F) Hæc Gregoras; nam Cantacuzenus, ceu probrosa nepoti, talia solerter reticet. G) Deplorat multis fortem Andronici Senioris Gregoras c. 10. hujus libri; Cantacuzenus vero, non vi adactum Senem, sed ultro Monachi habitum sumpsisse, narrat pag. 196. H) Insignem illius eruditionem multis prædicat Gregoras; aitque: multas se cum eo horas de abditissimis rebus collocutum.

ANDRONICUS PALÆOLOGUS JUNIOR.

NOn diuturnus Andronico Juniori, at variis qua offensionibus, qua successibus bellicis exercitus fuit Principatus. Michael Bulgarus prima fuit expeditionis occasio; etsi enim ille pacem iciisset perennem, eam tamen, qua erant populi illi levitate, nondum anno vertente abrupit; causatus: loca quædam Thraciæ in dotem conjugi, quæ soror fuit Andronici, danda esse. Res utrinque procursibus, & populationibus gesta; neque ventum majore vi ad manus; Andronicus enim magno collecto exercitu perterruit Michaelem, ut legatione missa pacem poscceret. Sed & Xene mater Andronici, pro pace inter filium, & generum auctoritatem interposuit suam; confecta pax est, eaque perennis, si modo hujusmodi cum versatili earum ingenio nationum congruere potuisset. A) A.C. 1328

Adversum Turcos deinceps expeditio in Bithyniam suscepta. Orchanes Nicæam, Asiæ minoris caput, premebat undique, peneque opprimebat; quin in fines continentis ex adverso Byzantii cum expedita suorum manu provolabat. Imperator cum Cantacuzeno Urbana multitudine, & exercitu in Asiam transgressus, rem sat fortunate auspicatus est; diuturnis enim velitationibus repressi in montana fuere Barbari, nec pauci eorum interfecti; quarum in una, sagittæ ictu per inquina Andronicus ipse, at non lethaliter sauciatus est. Andronici hoc vulnus occasionem perturbationi, fugæ, cladi denique attulit. Fama enim vulnerati Principis per exercitum dicta, varios excivit animorum motus apud homines, rerum novarum cupiditate æstuantes. Alii enim animam agere Andronicum ex vulnere clamitabant: alii exaggerabant pericula, & dissensiones morte Principis orituras; nec defuere, qui Andronicum Seniorem solio reponendum, eaque causa ad Urbem festinato provolandum censerent; B) ita in castris turbatum primo, mox etiam trepidatum est; præsertim ubi Andronicus vulneri curando oppidum Phylocrenen est delatus. Tum enim nocte ingruente, Orchaneque, ut rumor tulit, in castra impressionem facturo, certatim ejecerunt semet milites, frustra Ducibus eos retentare molientibus; sicque relictis etiam magna parte impedimentis, pars Phylocrenen, pars alia in oppida fugam celerabant; plurimi raptis navibus Byzantium; Orchanes nec opinato victoria potitum se ut didicit, diripuit castra, & persequendis celerrimos equitum expedivit; qui consecuti non paucos fœdissime trucidarunt. Ita res bene & fortiter cœpta militaris disciplinæ neglectu flagitiose terminata est. Ad Nicæam deinceps magis etiam premendam rediit Orchanes; quæ conatus illius tunc quidem frustrata est, neutiquam tamen a periculo interitus ejusmodi subsidiis eripienda. 1329

Relicto sic Orchane, ad Insulas maris Ægæi sibi asserendas, communiendasque curas retulit Imperator; fortasse ut iis munimentis deplorata jam Asia, Europæ consultum iret. Chius nobilis Insula prior bellum excepit; Benedictus Genuensis hanc olim arripuerat, ac ita rem cum Seniore Andronico transegerat, ut in clientela illius posslideret Insulam, certo annorum evoluto curriculo Imperatori reddendam. C) Benedicto fatis ceden-

A) Gregoras p. 216. Cantacuzenus p. 216, B) Gregoras p. 217 multis hanc cladem: Cantacuzenus vero mala dissimulare solitus, breviter; at procursiones suorum felices diffuse persequitur; neuter seu suorum, sive hostium numerum exprimit; quod & alias Scriptores hi plerumque omittunt. C) Cantacuzenus p. 182. plausibiliter hæc feliciora exequitur; aitque: centum, & quinquaginta navium classem ab Imperatore tunc eductam.

A.C. cedente, Martinus filius Inſulæ adiit poſſeſſionem, multis late facinoribus
1329 mari editis celebratus; qui tantum abeſt, ut de reddenda Imperatori Inſula annis ſe evolventibus cogitaret, ut etiam arce, & præſidiis eam firmaret; in hunc igitur clam & ſubito claſſis bene magna educta eſt, & Martinus improviſo ab Imperatore obrutus, Inſulaque exutus. Claſſem illinc Phocæam direxit Imperator, quam Andreas tenebat Catanias item Genuenſis; in hac ſubigenda minus etiam operæ fuit; tradiderunt illico Urbem præſidiarii, quam in clientelam accepit ſuam Andronicus, eamque eidem Andreæ Præfecti titulo obtinendam liquit. Hic commorantem Andronicum Sarchanes Turcicus, Joniæ Princeps ipſe acceſſit; itemque Ætines Cariæ per Legatum, donisque exculti fœdera compoſuere; ſciſſa enim adhuc in plures Principatus res Turcica erat, nonniſi ſero, & per partes ab Ottomani familia unum ſub Imperium cogenda.

Reducem Didymoticum Imperatorem gravis excipit ægritudo, ac mentis etiam ob capitis angores alienatio; ut jam de ſalute illius conclamarent Medici. In hoc tam difficili rerum articulo nihil tam avebat redditus ſibi per intervalla Andronicus, quam veſte monaſtica e manu Sacerdotis, quo ad animi res utebatur accepta, delere pro vulgata Græcorum opinione adoleſcentiæ noxa", ſeque ſupremam ad luctam communire; id obſecrationibus, id lacrymis inſtanter ab amicis, Cantacuzeno præſertim flagitabat; at eluſit ſemper Principis vota Cantacuzenus; & tam Sacerdotem illum, quam veſtem monaſticam adeſſe vetuit; veritus videlicet: ne forte valetudini redditus ſuæ Andronicus ob vitæ mutationem careret Principatu, ac maximis deinde turbis omnia miſcerentur. A) Idem memorat Cantacuzenus, ad capeſſenda Imperii inſignia quam ſæpiſſime incitatum ſe ab ægriente Andronico; verum ejusmodi cohortationes ne aurium quidem tenus a ſe admiſſas. Extremum jam ducens ſpiritum Andronicus, hæredem Imperii ſcripſit poſthumum, ex conjuge tum gravida naſciturum, eandemque conjugem; adminiſtrationem vero Imperii Cantacuzeno attribuit. Eo rumore Byzantium perlato, commotionis in populo, & Proceribus non parum fuit; multis ad Senem Andronicum cæcum licet reſpectantibus; cui ne ad Imperium pateret aditus, vel invito Synadenus Urbis Præfectus cucullum injecit, & ad miſeram eam vitæ conditionem cum maximo illius luctu detruſit. B)

Vox jam & ſpiritus pene deficiebat Imperatorem, brevi opinione omnium moriturum; cum ille exili voce quærit: num de fonte Dei Matris, qui religioſe Byzantii habebatur, aqua adeſſet; adeſſe retulerunt aulici, ac bibendam porrexerunt; eo refocillatus hauſtu rediit ad ſe continuo, brevique ex integro valetudinem recepit; tum progreſſus in Urbem eſt ad grates ſoſpitatrici Virgini perſolvendas; hæc merces fiduciæ in gratiarum Matre poſitæ capiti vel non optimo fuit. C) Perfuncto tam gravi periculo Imperatori religio videtur injecta, ne forte ob injuſte dejectum avum ira Numinis ſibi incumberet; nam de Imperio eidem reſtituendo longas habuit cum Cantacuzeno deliberationes; a quo tamen facile in alteram traductus eſt Andronicus ſententiam. D) Quis enim ſceptrum obtinenti, tametſi non ea, qua Cantacuzenus valeat eloquentia, talia non facile perſuaſerit?

1330 Vix quæpiam a bellis vacatio poſt hæc obtigit; nam prædones Turcæ infeſtarunt oram Thraciæ extremam, cæſi rurſus & ejecti; a quorum inquiete nusquam deinceps conquieſcere licuit. Adhæc ſocietas armorum cum Michaele Bulgaro adverſus Serviæ Regem Stephanum eſt inita; ſoro-

A) Multis hæc ſua in Andronicum ſtudia Cantacuzenus ipſe a pag. 192. B) Sic Gregoras pag. 220. Seniori Andronico intimus ait: Antonium illum in hac vitæ mutatione nominatum. C) De hoc prodigio, & Cantacuzenus, & Gregoras. D) Longas per aliquot capita de reſignando Imperio deliberationes hoc loco enarrat Cantacuzenus a pag. 204. Miror tamen: quomodo iſta cohæreant, ſi vere Andronicus Senior Monachus jam tunc fuit; neque enim exemplum ſe adhuc obtulit ullum alicujus e monachatu in Principatum illic repoſiti.

ſororem hujuſce Regis duxerat principio Michael; verum ut nobiliori ſe A.C.
matrimonio innecteret, ea repudiata, Andronici accepit ſororem Theodo- 1330
ram; frequentia enim perverſiſſimi hujus moris apud eas Gentes ſe offerunt exempla. Vindicandam putavit injuriam Stephanus, armaque fœderatis licet Principibus intentavit. Duo exercitus, hinc Bulgari, inde Imperatorii, in Serviam irruerant, flammis, & rapinis metuendi. Stephanus utrique impar ſeorſim aggreditur Michaelem, prædis colligendis & vaſtando intentum; præcipueque mille equitum Gallicorum, quos in ſtipendiis habebat, virtute ſuperatum, ac vulneribus debilitatum in fugam egit; ex quibus brevi mortem oppetiit Michael; Andronicus, ſocii occaſu cognito, exercitum retraxit. Contigit dehinc & res Bulgaricas, & Servianas varie permiſceri; & Stephanus quidem proditoria filii ſui item Stephani, e primo conjugio ſuſcepti, neve filii ex ſecundo conjugio ſibi præferrentur, metuentis cum Proceribus conjuratione truſus in carcerem, ſuffocatusque eſt; in Bulgaria vero armis decertatum fuit; quoad Alexander, Michaelis conſobrinus, Principatu potiretur; Michaelis cæſi conjux Byzantium ad fratrem cum liberis profuga in cauſa fuit, quod ſuſcepto illius patrocinio, Meſembriam, aliaque Bulgariæ loca Andronicus occuparit. Verum Alexander, Scythicis poſtea adjutus auxiliis, recepit facile amiſſa, populationeque Thraciæ illata, Andronico ipſo tantum non intercepto, vicem remenſus eſt. En miram fortunæ apud eos & levitatem, & varietatem! A)

In hac tanta Chriſtianorum vecordia diducebat longe, lateque Re- 1331
gni fines Orchanes; quin imo Nicæam, alteram Imperii illius ſedem locupletem juxta & munitiſſimam, diuturna demum emaciatam fame, in poteſtatem redegit. B) Admovit Philadelphiam quoque vires, fruſtra tamen, defenſantibus eam ſtrenue civibus; poſt vallavit obſidione Nicomediam; cui defendendæ prodiit cum exercitu Imperator, & Orchanem muneribus placatum ad pacem invitavit; nec difficilem invitanti ſe præbuit Orchanes; icta pax ea conditione eſt: ut quæ occuparat, retineret porro Orchanes: Nicomediam, oramque maris Aſiaticam vexare omitteret. C) Pacem hanc quoad e re ſua fuit, coluere Turci; dein vero ſusque, deque habuerunt.

Vix etiam bellum iſtud conquievit, in Regem Serviæ itum ab Im- 1332
peratore eſt; Syrgianes enim ſæpe ob ſcelera carcere tentus, & emiſſus cum turbinis inſtar in omnem ſe partem verſat, prope rurſus fuit, ut Byzantii judicio damnaretur. Subterfugit ſententiam ad Regem Serviæ profugus, illique Urbes quasdam ejus tractus proditione acquiſivit. Jam ad arma res utrinque inclinarant, cum Syrgianes Sphrancis cujusdam Palæologi verſutiis in caſſes pertractus, & necatus finem attulit bello vix cœpto; exin amicitia cum Rege inita, quin auxilia quoque eidem Regi, in Ungariæ Regem Carolum bellanti, ab Imperatore data; quorum fama auxiliorum ab inferendo Serviæ bello deterritus Rex Carolus, neſcio quam vere memoratur. D)

In hoc armorum extra Urbem ſtrepitu in Urbe animorum quædam fuit contentio, quam excitarant Præſules duo, a Pontifice Romano diſceptandi cum Græcis cauſa Byzantium miſſi. Pruriebat ad hujusmodi contentiones vulgus, ſed Patriarcha, cæterique Græci Præſules inſcitiæ, ut notat Gregoras, ſuæ bene conſcii ſubducebant humeros, ipſique Gregoræ eam demandabant provinciam; qui tamen, non eſſe cum Latinis diſputatione artificioſa experiundum, longiſſima oratione probare contendit; facileque perſuaſit Græcis ſilentium, aptum fovendo errori involucrum; nec plura de rei hujus exitu Gregoras. E) Viden' ut nunquam Gentis illius curam, ſpemque ſalutis toties, & tam vafre eluſi abjecerint Pontifices.

A) Gregoras p. 227. quæ non uno anno geſta eſſe ex contextu narrationis liquet. B) Gregoras p. 228. Laonicus p. 9. Silet de capta Nicæa Cantacuzenus. C) Sic Cantacuzenus p. 219. D) Cantacuzeno p. 224. E) Pag. 251.

A. C. Legationi huic alium quoque credibile eſt propoſitum fuiſſe finem;
1335 ut videlicet junctis cum Orientalibus occidui Principes armis, in communem hoſtem, toti jam Europæ formidandum, erigerentur; nam conventionis hujusmodi non diu poſtea inter Principes initæ Gregoras meminit; hac incitatum Andronicum multas terra, marique inſtruxiſſe copias, præparaſſe ſolerter in futuram cum Occidentalibus expeditionem omnia; verum illos, mutuis diſtractos odiis, rem totam infectam liquiſſe. Cæterum Andronicus, tametſi continuis Turcorum latrociniis exhauſtus, plus tamen videtur de jungenda eorum amicitia, quam furore propulſando per hæc tempora cogitaſſe; cum enim Inſulæ quædam, ut Cyclades, Lesbus, Phocæa, multæque aliæ ab Italis, & Francis cultæ, rurſus ab obſequio Andronici ſubduxiſſent ſemet, in his ſubjugandis, vicinorum Turcorum Principum, Sarchani, Amurii, & hujus fratrum uti opera Imperatori libuit. A) Et habuit auxiliares ſibi illos, magna amoris ſignificatione, munerumque largitionibus excultos, imprudenti ſane conſilio; ut qui non viderit, Barbarorum ad magnam præſertim fortunam nitentium auxilia non aliud eſſe, quam ſervitutis olim ſociis bello adjutis imponendæ pretia.

1336 Horum igitur auxiliis, ſuisque copiis navalibus, oppugnavit Lesbum Inſulam longiore tempore Imperator; quem cum Phocæorum Dux Catanias, ne hyemis quidem rigore frangi cerneret, deſperatis rebus Rhodiorum interventu B) ad veniam impetrandam recurrit; permiſſa ei quibusdam conditionibus Urbs eſt, pluresque Inſulæ in clientelam Imperatoris receptæ. Rhodii hi, quorum intercurrit mentio, equites fuerunt D. Joannis, qui Imperio adhuc Andronici Senioris, cum Rhodus per Turcos occupata eſſet, Inſulam aggreſſi, totam ſibi de Barbaris ſtrenue vendicarunt; nec minori fortitudinis laude, ac Chriſtianorum bono plures per annos retinuerunt. Ab hoc bello regreſſus in Urbem Imperator, nonnullorum conjuratione nobilium turbatam reperit; quos inter Demetrium quoque, ejus patruum fuiſſe ajunt. Cæterum præter paucos carcere punitos, cæteris, ipſique Demetrio veniam inquietudinis largitus eſt Andronicus Princeps, animo miti, liberali, facili in omnem partem, idque ultra faſtum Græcanicis Principibus uſitatum; ob quod in reprehenſionem quoque nonnullorum incurrit; verum in hoc aberrare, Græco Principi erat, propius virtutem conſiſtere.

1337 Inſequens annus, & inopinata calamitate, & inſperata fortuna memorabilis fuit; Scythæ ſive rapiendi tacti libidine, ſive quod conſueta eorum Principibus munera non eſſent miſſa, trajecto Iſtro, Thraciam diebus quinquaginta percurſarunt, & exhauſerunt; ut fama tulerit, trecenta adeo mortalium millia eo procurſu in ſervitutem acta. C) Vix procella iſthæc deſederat, adfuere parte altera Turcæ magno navium & bellatorum numero; Imperator, & Cantacuzenus tenuibus quibusdam arreptis copiis, triremibusque aliquot, diviſos per partes ex inſidiis aggreſſi Turcos, amplius mille ceciderunt; nemine, quod prodigio viſum ſimile, ex Imperatoriis deſiderato. Ita victis etiam quandoque redibat virtus in præcordia. D)

Longinquius deinceps, ac felicius etiam bellum excepit Andronicum; Acarnania, & Epirus jam olim, dum Imperium ſub Alexio Angelo ſciſſum eſſet, ab Angelo Michaele arreptæ Provinciæ, penes eam familiam in hunc diem manſerant. Accidit, ut Nicephorus Angelus natam Mariam nobili Franco Zacynthi Domino, attributa in dotem Inſula Cephalenia, in conjugem daret; ſucceſſit Nicephoro in Principatu Thomas filius; Comiti vero ex Maria filius obtigit Joannes; qui ætatem adeptus virilem, Thomam avunculum interfecit, atque Acarnaniam, & Epirum violentus occupavit. Nec tamen diuturnus huic fuit ſcelerum fructus; a conjuge

A) Cantacuzenus de hac expeditione diffuſe a p. 232. ubi Amurium, & fratres Joniæ Principes ait: Ætinis filios. B) Gregoras p. 264. C) Gregoras p. 266. Nihil de hoc quoque Cantacuzenus. D) Meminit præter Cantacuzenum hujus expeditionis Gregoras quoque, cum multa Cantacuzeni laude.

juge enim ſua Anna veneno potatus, relicto filio impubere Nicephoro, A. C.
interiit. Opportuna hæc Andronico viſa eſt occaſio, divulſas olim ini- 1337
quitate temporum tam florentes Provincias, Imperio rurſus adjungendi. Igitur Cantacuzeno, Synadeno, exercituque collecto, ac etiam Turcis quibusdam ab Amurio accitis, in Epirum ire contendit; A) vaſtati ex itinere Albani, Urbibus Imperatoriis infeſti, præda locuples undique collecta, tum etiam in Acarnaniam facta irruptio. Nec difficile tota Provincia potiri fuit Imperatori; Anna Nicephori matre Græca muliere, B) ultro omnibus in ſuorum gratiam decedente, atque acceptis quibusdam circa Theſſalonicam oppidis, ad Imperatorem profecta. Occupata igitur tota eſt Epirus, tametſi reclamarent Epirotæ Primores, & Principatum conſervare Nicephoro contenderent; qui ne in Imperatoris veniret manus, clam navi ad Principem Tarentinum in Italiam ſubductus eſt. Ordinata Provincia, Præfectoque eidem Theodoro Synadeno, Theſſalonicam abiit Imperator; inde Byzantium, ac denique Adrianopolim; ubi nuptias Mariæ filiæ cum Michaele, Alexandri Bulgari Regis filio, ſolita pompa celebravit. Fuit & alia Andronico filia Irene, ſed notha, Baſilio Trapezuntino Imperatori dudum antea copulata; quæ tamen, marito in alios amores profuſo, infelix nacta eſt conjugium, ac multis diu jactata tempeſtatibus. C)

Duos deinceps annos a bellis utcunque vacuos Imperator habuiſſe 1338
videtur; at non a perpetuis Turcorum Thraciam incurſantium rapinis, atque ab alia calamitate per hæc tempora in Aſia accepta; Urbem enim Nicomediam, diuturna fame afflictam occupavit demum Orchanes, D) magnus virtute militari Princeps, at Chriſtianorum ignavia major; qui eo pacto maritima quoque Aſiæ ora potitus, in adverſam jam Europam cogitationes, & ſtudia defixit.

Occupata nuper raptim, & tumultuarie Epirus, amoto jam metu, de- 1340
ſcivit a fide; qui enim deditioni adverſarios ſeſe ferebant, evocato ab Italia Nicephoro, Urbibusque communitis, ac Præfecto Provinciæ in vincula conjecto, aperte bellum moliebantur. Ad defectionem ſub initia opprimendam Duces, Angelus Joannes, & Monomachus ab Imperatore cum exercitu miſſi, Urbes nonnullas tenuerunt in obſequio, cæteris vim fruſtra admovebant. Igitur primo cum vere Imperator, ut impiger, ſtrenuusque fuit Princeps, Cantacuzeno Comite in Epirum progreſſus, Urbes Artam, Rhegium, Thomocaſtrum, obſidione vallavit; quarum in poſtrema Nicephorus quoque adoleſcens concluſus eſt; hæ Urbes non tam vi, quam obſidendi pertinacia, & ſingulari Cantacuzeni ſolertia, providentiaque ad obſequium demum adjunctæ ſunt; cujus viri indolem loquuntur præclara ingenii illius monumenta, virtutem vero, dotesque alias attollit Gregoras, utut inique ab eodem hoc Cantacuzeno, ut dicetur, vexatus; at quæ ſincerior, quam ab offenſo laus, quam veritas, odio nequidquam prohibente, vel invito extorquet? Nicephorus ille adoleſcens, captivus Theſſalonicam abductus eſt, ac cum filia Cantacuzeni Maria conjunctus; Epirus vero, & Acarnania Imperio penitus adjuncta. E)

Ab hac expeditione ſplenis tumore, quo & alias laborabat, vexari 1341
acerbius Imperator cœpit. In Urbem ea cauſa properantem excepit nova inter Eccleſiaſticos, ut nunquam conquieſcere turbulentis illis licuit, contentio. Barlaamus Calaber, ſed ad Græcorum ritus, monaſticumque inſtitutum delapſus, ingenii præcellens acrimonia, vellicare inſolentes Græcorum aſcetarum mores, monſtroſasque opiniones cœpit; eorum præcipue, qui neſcio, quibus de cœlo viſis, & ſomniis illudebant vulgo ἡσυχάζαι ob id nuncupati. Cum multa utrinque eſſet inter Monachos cer-

 tatio,

A) Cantacuzenus p. 241. B) Erat hæc Andronici cujusdam Palæologi Protoveſtiarii filia. Cantacuzenus p. 243. C) Multis de illa Gregoras p. 273. D) Gregoras p. 271. Nam & hoc tranſilit Cantacuzenus. E) Pluribus de hac expeditione libri ſecundi capitibus Cantacuzenus.

A.C. 1341 tatio, ad Patriarcham Joannem Byzantium itum eſt; ut is de tota cauſa judicio cognoſceret. Cupide concurſum eſt ab inquietis illis, Imperatore licet jam ægro, cauſam illam ſuum ad tribunal, ut ſacra jam cum profanis exæquata illic erant, avocante. In Æde igitur Sophiæ Synodus celebrata eſt, atque Barlaamo illi Gregorius Palamas, & ipſe Monachus, diſputator objectus; qui ut ſuorum ſomnia, & viſiones tueretur, exemplum Thaborei luminis in medium attulit; interque alia lumen, quo Diſcipuli Salvatoris perfuſi illic ſunt, increatum fuiſſe aſſeverabat; quo ſic evinceret, nihil inſolens eſſe, ſi Sancti illi, ut dicebat, aſcetæ Divino perinde lumine perfundantur. Ac Barlaamus quidem, utpote homo Italus, etſi acute iſta refelleret, facile tamen in Synodo damnatus eſt, Urbeque expulſus; verum Palamæ illa aſſertio aculeum reliquit multorum in animis, lumen illud Thaboreum increatum fuiſſe inficiantium; quin altius ſenſim progredi cœpit quæſtio: an ſi lumen illud increatum fuit, diſtinctum a Deo fuerit; & denique, an operatio Divina diſtincta ab ejusdem natura? quæ quæſtio multis dehinc annis, & magna animorum contentione jactata eſt; Palama quidem cum ſuis partem ajentem, Gregora Nicephoro, qui hæc in hiſtoriam retulit, & Gregorio Acyndino, doctiſſimis ejus ævi viris, negantem, ut par erat, ſententiam propugnantibus. A) Nec certe mirum, navim illam rectore idoneo deſtitutam, in ſyrtes, & brevia ſæpe impactam, enatasque ſenſim monſtroſas opiniones, ubi veritatis, & fidei regula erat ſua cuique ſentiendi libido.

Ab hac contentione redux in palatium Princeps, gravius etiam habuit; tertioque poſt die, Junii menſis quarto decimo, ex hac luce migravit. Mitis, liberalisque animi hunc fuiſſe Imperatorem, loquuntur res illius geſtæ, alienum a cædibus, a delationibus, a faſtu Græcanico; idcirco eo regnante facilis patebat cuivis in aulam aditus, & Principis affatus; omiſſæ uſitatæ illæ, & vanæ a populo Principibus acclamationes; diſtinctiones illæ ampullatarum dignitatum, & ornatuum propemodum abolitæ, quæ perituri Imperii omen B) nonnullis viſæ; verum hæc meliorem in partem jure quis acceperit; at adoleſcentiæ flagitia, immenſumque illud venandi ſtudium merito reprehenditur; ferunt, canes mille quingentos, accipitres ſupra mille cum totidem fere curatoribus illum perpetim aluiſſe; C) quæ quidem res etiam in magno, & florente Imperio in reprehenſionem jure incurrat, ne dum in declinante & hoſtibus undequaque circumſepto. Relicti ſunt Andronico impuberes filii, Joannes, Manuel, & Theodorus; quorum prior tunc novennis hæres inſtitutus eſt; matri ejus Annæ Sabaudæ commiſſa Imperii adminiſtratio; Cantacuzenus Joannes Tutor conſtitutus; verum plenam Joannis in Imperio ſucceſſionem intercepit, ut jam memorabitur, Cantacuzeni a Tutorio nomine brevi ad Imperatorium progreſſi ambitio; ut funeſta ſemper, & fatalis fuit, pupillorum Imperatorum illic tutela, nunc vero eo infelicior, quod, Orchane Turco perturbationibus illis admixto, data ſit Barbaris occaſio Dominatus in Europam quoque transferendi, remque Chriſtianam maximis cladibus cum vicinarum Gentium extrema pernicie permiſcendi; quæ ut evenerint, compendio jam exequimur.

JO.

A) Has ſuas cum Palama contentiones fuſiſſime libris pluribus exequitur Gregoras ipſe; quem videat, cui eſt otium. Cantacuzenus pugnat totus pro Palama pag. 263. Videndus de his Gretzerus in Annotationibus ad Cantacuzenum pag. 7. B) Gregoras pag. 282. C) Phranzes pag. 15.

JOANNES CANTACUZENUS.

IOannem hunc magnis fuiſſe præditum decoribus, A.C. 1341 ingenio, ſolertia, prudentia, magnanimitate, ac reparando illi Imperio parem, vel inſenſorum illi teſtimonio liquet, A) ſi eos nactus Byzantii fuiſſet, qui magnam in aliquo mentem, ac virtutem pati potuiſſent, & non ad paratas tot ſceleribus pœnas Urbs illa ſponte velut ſua properaſſet. Non latebat, qua erat ſapientia, Cantacuzenum, magnæ dignitatem ſuam objectam invidiæ, nec in illa ingeniorum levitate diu fore periculi expertem; meminerat bene tot ante ſe jactationum, quæ Imperatoribus pupillis evenerant; adhæc opes ſuas, quæ regiæ omnino per Thraciam erant, in oculis omnium, ſuſpicioneque futuras non neſciebat. Igitur ab humato Andronico, agere illico cum Anna cœpit de invidioſo hocce Tutoris magiſtratu defugiendo; B) at vero Anna, mulier arrogans & imperandi cupidiſſima, tametſi neque alias æquo in Cantacuzenum fuerit animo, abnuebat tamen, hunc illi concedere ſeceſſum, & ad Reipublicæ adminiſtrationem, juramento quoque de ſecuritate illius præſtito, eſt exhortata; ſive quod a militari ordine, Cantacuzeno perquam addicto, ſibi metueret, ſive quod parem ingenio, & virtute in aula haberet neminem; cui demum poſt multa, ut in Bulgariæ Regem fines incurſantem, exercitum produceret, perſuaſit. Paruit igitur voluntati Imperatricis Joannes, Didymoticum bello apparando progreſſus; verum apparatibus hiſce compoſitio cum Alexandro Bulgaro brevi interceſſit. Cæſi deinde prædatores Turcæ ſemel, iterumque in Thracia a Joanne, excepti quarundam Urbium Peloponneſiacarum Legati, quæ excuſſo Latinorum illic adhuc quadam parte dominantium imperio, in ditionem Imperatoris eo tempore ſponte commigrarunt, Præfectumque Provinciæ mitti popoſcerunt; ita bene, ordinateque a Joanne Respublica geri cœpit.

Verum malacia iſthæc non longum obtigit; Patriarcha Joannes ultra pedum, & tiaram arrogans, adminiſtrationem Imperii non ſibi relictam indignatus, cum Alexio Apocaucho, homine omnium, quos ſol vidit, vaferrimo, & ad jura Divina, humanaque proterenda nato, in Cantacuzeni amotionem totus conſpiravit. Apocauchus ille ex infima ſorte per Andronicum Juniorem, quod bello adverſus avum geſto uſui fuiſſet, ad dignitates provectus, ipſius Cantacuzeni favore opes amplas, ſummaque omnia obtinuerat, tunc ſacro, ut dicebant, cubiculo Præfectus; tanta autem adminiſtrandi hic terræ filius Imperii cupiditate inſtinctus eſt, ut ſalutem ſuam, omniaque apertum in diſcrimen ea cauſa projicere nihil penſi habuerit; C) ad hoc illi nec ingenium, nec opes, nec fraudes defuerunt; igitur amicis in rem ſuam conquiſitis, corrupta in Urbe militia, & aula, arce quoque Epibatarum in maris littore, quæ perfugio ſibi eſſet, ædificata, eo totus nitebatur, ut Imperatricem Annam in Cantacuzenum inflammaret, velut Imperio inhiantem, & Joannem pupillum, quod olim Palæologus Michael, Joanni Vatazæ perinde pupillo fecerat, cæcare meditantem. Nec neceſſe fuit, ignem, quod ajunt, gladio fodere, dudum male comparata in Cantacuzenum Anna potentiam tantummodo, amoremque in illum militarem reverebatur, ne Tutoria illum dignitate, ac opibus exueret. Hoc igitur ab Andronici ſtatim exceſſu ſub cinere gliſcebat incendium.

Non latebat hæc diſcordiarum ſementis Cantacuzenum; in Urbem proinde redux Imperatricem in ſpeciem benevolam ſalutat, ſeque omni

A) Gregoræ præſertim, male a Cantacuzeno vexati. B) Teſtatur id Cantacuzenus ipſe p. 289. & aliis libri tertii capitibus. C) Scelera & impotentiam Apocauchi minutatim expingunt tam Gregoras, p. 303. quam Cantacuzenus.

A.C. 1341 ſuſpicione purgat, Patriarcham objurgatum terret, & jurejurando ad quietem ſectandam adigit, Apocauchum in arcem ſuam fugat, Urbem denique pro arbitrio ſuo, & potentia ordinat, ac etiam Apocaucho illo in gratiam recepto, novisque juramentis adſtricto, rurſus ad exercitum, ceu re jam optime compoſita egreditur. Verum egreſſo vix illo, omnia effuſam iterum in flammam proruperunt. Apocauchus enim, homo improbus, non Imperatricis modo, ſed & nobilium per Urbem nullum in Tutorem incendendorum omiſit finem; quæ res in illa ingeniorum mobilitate, dum aliæ aliis ſpes, & res oſtentantur, ſucceſſu carere non potuit; quin non alieni modo a Cantacuzeno, ſed familiares, & domeſtici in ſententiam ab eo tracti; quos inter fuit Andronicus Aſanes, e Regio Bulgarorum ſanguine oriundus, potentiaque in Urbe præcipuus, Cantacuzeni ipſius ſocer; at quod filii ejus ſub Andronico Juniore ob ſuſpicionem quandam carcere tenti eſſent, eidem infeſtus. Omnibus hunc in modum vaferrime præparatis, Patriarcha adminiſter Imperii conſtituitur, Præfectura Urbis mandatur Apocaucho, alii aliis dignitatibus ornantur; in Cantacuzenum vero edictum a Patriarcha atrox proponitur; quo & exercitus ei abrogatum eſt imperium, & Didymotici privati in morem deliteſcere jubebatur; quin cœleſtis omnibus ab eodem propoſita merces, A) qui Cantacuzenum ſecus facientem, quavis demum ratione, clam, palam, vi aut fraude oppreſſerint. Armata in Urbe multitudine, in eos deinde converſæ ſunt iræ, qui e nobilitate Cantacuzenum amicitia, vel cognatione contigerant; quorum ſexaginta viri fortes, ægre fuga exitium vitarunt; B) eorum ædes diripiendæ populo datæ ſunt; ut hoc quaſi præguſtu quodam irritati, ferociores in Cantacuzenum eſſent; ſic nihil pro ſano in Urbe, ceu vertigine jam correpta, actum.

Extra illam fœdior etiam perturbatio fuit: Didymotici auditis, quæ in Urbe geſta ſunt, graviſſima extitit militum commotio, a profugis præſertim illis concita; nam Cantacuzenus, ut moderati vir animi, ferebat contumeliam, miſſisque ad Imperatricem Legatis, ad judicium de ſe faciendum provocabat; qui adeo auditi non ſunt, ut etiam velut ſcelerum Cantacuzeni adjutores in carcerem conjecti. Mater quoque illius ergaſtulo concluſa, & vexata brevi dolore emarcuit. C) Hæ domeſticæ clades perpulere tandem Cantacuzenum, ut conſilium de ſalute cum exercitu haberet; vox una omnium fuit, non aliam ſalutis expediendæ viam eſſe, quam ſi purpuram ille ſumeret cum Joanne pupillo, atque pro illo, dum matureſceret, Imperium recturus; id ni faciat, conſulturos ipſos ſibi, atque alium præ illo Imperatorem ſalutaturos; quin non defuere e nobilioribus, qui morte quoque intentata ad purpuram ſumendam Cantacuzenum cogerent. D) Sive igitur domeſticis cladibus exulceratus, ſive militum incenſus alacritate, ſive privata ambitione impulſus, poſt longam animi fluctuationem admiſit demum Imperatorium nomen, atque viceſimo quarto Octobris die puniceos calceos, & Imperialia ornamenta inter ſuorum tripudia uſurpavit.

Fama rei Didymotici geſtæ, ut in Urbem perrupit, non mœrore, ut videri poterat, Cantacuzeni inimicos, verum ingenti lætitia perfudit; teneri jam in flagitio dudum meditato hominem, nihil eſſe, quo minus diris omnibus, & ſupplicio capitali dignus habeatur, ituram facti invidiam ad quemque nobiliſſimum, atque Urbes Thraciæ, & Græciæ ad opprimendum tantum nefas ocyus convolaturas. Nec certe eos ſpes fefellit ſua; cum enim Cantacuzenus literas quaquaverſus de ſua provectione dediſſet, præoccupatos invenit plerorumque animos, eumque non ſecus, ac hominem faſtu plenum, ſceleris nefarii compertum, & pupilli Joan-

A) Hoc alterum non meminit Cantacuzenus; meminit vero Gregoras p. 306. B) Ducas Michael, qui Hiſtoriam hic exorditur, confudit hanc fugam cum cæde nobilium inferius enarranda p. 8. C) Pluribus hæc capitibus libri 3. Cantacuzenus ipſe; meminit & Phranzes p. 15. D) Gregoras p. 308. Non tamen intentatæ mortis meminit Cantacuzenus. Nonnulla hic præſagia Imperii, an verius commenta uterque recenſet.

Joannis everſorem, plerique execrabantur; quo viſo Cantacuzenus in id incubuit maxime, ut cauſam probaret ſuam, atque Joannis pupilli ſtudioſiſſimum ſe oſtenderet; idcirco in ſolennibus acclamationibus principe ſemper loco Annam, deinde Joannem pupillum, deinde ſemetipſum ſalutari volebat; igitur prius literis, accuſationibus, diris inter ſe, dein armis certarunt, ac longo, difficilique bello res Thraciæ toties jam proculcatas mortalium miſerrimi rurſus proruerent. A.C. 1341

Namque Cantacuzeno faventes, ut ſe undique excluſos viderunt, armis rem aggreſſi, oppida diripiebant, & vicos; contra alii velut in perduelles inſurgebant undequaque, atque in fortunas eorum Cantacuzeni præſertim, quæ ampliſſimæ omnino fuerunt, certatim velut paratam ad prædam convolarunt. A) Æſtuabat interim dolore belli civilis Cantacuzenus, & ad illud depellendum vires ingenii omnes admovebat, retinendi tamen arrepti ſemel honoris percupidus. Crebris igitur ad Urbanos, & Annam literis exorabat pacem, tutiſſima pollicitus omnia, ſummamque illi, & filio auctoritatem, ſecundas modo ſibi tribuerent; quæ ipſius petitio, ne primo quidem auditu admiſſa, ac pro dejectione animi, deſperationeque accepta, ad diras, execrationes, & arma eidem, ceu malorum omnium capiti inferenda aulam exſtimulavit; augendo in Cantacuzenum odio, Joannes pupillus corona in æde Sophiæ cinctus eſt, novoque eidem jurejurando populi obſtricti.

Caſſam in placanda aula operam, ut vidit Cantacuzenus, bello rem agere aggreſſus eſt, & Præfectorum cumprimis, ac nobilium per literas tentavit fidem, ſed ſucceſſu, præterquam Adrianopoli nullo; quamquam nec illic nobilium defecto ob Urbis in pupillum ſtudia bonum nacta eſt exitum; ſubitaneo enim tumultu comprehenſi illi, & carceribus concluſi, inſuper facultatum direptione puniti ſunt. In Theſſalonica ſpes potior Cantacuzeno fuit, cui Theodorus præerat Synadenus, amicorum, ut ille quidem rebatur, caput, & a quo in eam Urbem invitatus eſt. Igitur relicta Didymotici, Duce Tarchaniota Manuele, exercitus parte, & conjuge Irena, ipſe cum bis mille quingentis militum, cum duobus filiis Matthæo, & Manuele, cum Joanne Angelo ſuo in exercitu Legato in viam ſe dedit; ſpe fretus Theſſalonicæ cumprimum occupandæ; verum & ea ſpes hiantem fruſtrata eſt; namque & illic populus defectione Præfecti, ac nobilium compœrta, arma ſumpſit, ac Synadenum cum mille equitibus profugere ab Urbe coegit. Hac auctus manu Cantacuzenus, & ſpe rerum meliorum in Acarnaniam, non pridem ab ſe Imperio adjunctam, cogitationes defixerat; verum neque in hoc æquiorem habuit fortunam; Theſſalonicenſes equites, non ut ſperabant, largitionibus a novo Imperatore in iis rerum anguſtiis exculti, detrectabant dubium iter, ac incerta belli; tum etiam Apocauchus, claſſe cum exercitu Theſſalonicam appulſus, dira quæque profugorum domeſticis intentavit, ni illi ad obſequia regrederentur; ita deſertus brevi ab iis Cantacuzenus, & a Synadeno ipſo, ut quibus ſolenne fuerit, publicas perturbationes privatis admetiri utilitatibus, ac pene proditus eſt. Namque iis vix digreſſis, erupit ab Urbe Apocauchus, acieque inſtructa in Cantacuzenum tetendit; ordinata hic dextre acie, cum multo minorem haberet bellatorum numerum, ferocientem eluſit quidem hoſtem, at rerum ſuarum fractus iniquitate, deſerta Macedonia, ad Serviæ Regem Stephanum, cognomento Duſcianum Scopiam, ejus Regni Regiam, auxilia corrogatum abiit. B) 1342

A Rege Serviæ, qui ad magnam eo tempore potentiam aſſurgebat, pro Imperatoria dignitate acceptus ſplendide eſt Cantacuzenus; neque enim ſpes defuit partis alicujus ab Imperio ſic convulſo decerpendæ, exulisque in æquas, iniquas conditiones pro arbitrio pertrahendi; at enim Cantacuzenus, ne tum quidem a ſolita animi magnitudine excidit; edixitque

A) Cantacuzenus C. 30. & aliis hujus libri. B) Fuſiſſime de his Cantacuzenus; ſtrictius Gregoras pag. 320.

A.C. 1342 que Regi propalam, ſi pro amicitia, muneribusque libere poſtea ab ſe admetiendis operam locare velit, habiturum ſe gratiæ loco; ſin minus, malle, ſalvo Imperio interire, quam laceratis illius reliquiis potiri; A) quæ tam libera in iis rerum anguſtiis prolata vox, adeo commovit Barbarum, cæteroqui hominem, ut tametſi ad necandum Cantacuzenum magnis Byzantio invitatus ſit præmiis, tamen hoſpitii jura ſancta eſſe voluerit, & ad adjutandum illum, opem, ac fidem tametſi fluxam, poſtea contulerit.

Decem ipſos menſes exul apud Servium Cantacuzenus egit, B) rejectus undique; de quo quaſi jam perdomito maxima fuit Byzantii gratulatio. Nam & Didymoticum, ubi conjugem, ac belli ſedem habebat, premebatur Bulgarorum auxilio tam arcte, ut conclamatum de rebus illius omnes cenſerent; & auxilia a Rege Servio data non ejusmodi fuere, ut ambiguum facerent bellum; quin Rex Serviæ ab Apocaucho Amphipolim in colloquium invitatus prope erat, ut avelleretur a pacta fide, atque ad Andronicum quendam Palæologum, qui gener Apocauchi fuit, Imperio ſubvehendum (nam & huc progreſſam ferunt Apocauchi impotentiam) adduceretur; cui quidem rei operam ille ſuam non addixit, at in fovendo, adjutandoque exule refrixit primum, dein etiam aperte ſe ſubduxit.

Interea Cantacuzeno in Servia moranti, ne fruſtra omnino addixiſſe fidem Rex videretur, nonnullas attribuit copias; quibuscum, & cum ſuorum manu Serras in Macedonia Urbem oppugnatum Cantacuzenus abiit. Verum & propugnatorum virtute, & morborum in exercitum incurſu factum, ut irrita ea eſſet, nec damni expers profectio; rediit igitur non citra animi dolorem Cantacuzenus; quem tamen abſterſit non nihil Legatorum ex Theſſalia, & Ætolia per eos dies adventus; qui Provincialium nomine ultro ei obſequia, ac fidem detulere, ſola viri virtute, quam præſentem olim admirati ſunt, ad id faciendum invitati; Joannes Angelus Præfecti nomine ad eos expeditus, Provincias in fidem accepit.

Obſidebatur inter hæc acriter Didymoticum; ubi in extremam deſperationem ruebant omnia, cum repente inſperata affulſit ſalus, ſi tamen ita nominari poteſt; quæ unam recrearet Urbem, plures vero, Thraciamque ipſam peſſumdaret. Amurio, qui Joniæ imperabat, Principi Turco dudum intima fuit cum Cantacuzeno familiaritas, & neceſſitudo olim, cum Lesbus communibus armis oppugnaretur, inita; is audita amici calamitate, ſive laturus opem, ſive etiam Thraciam exploraturus, C) cum undetriginta ſuorum millibus trajecit in Europam, & Didymoticum recta contendit. Fama tanti, & tam ſubitanei exercitus exſternavit timore obſidentes, iique nubium inſtar diſſipati locum Barbaris fecere vacuum; Amurium velut ſoſpitatorem læta excipit Irene, Cantacuzeni conjunx, muneribus illum, & Primores cumulat, cæteri pro laborum præmio Thraciam diripiunt. Cupiebat Amurius coram alloqui Cantacuzenum, perenneque fœdus pangere; at cum nequidquam diutius expectaſſet, multique frigore (nam media hyeme res geſta) de Turcis periiſſent, non alio operæ pretio in Aſiam retroceſſit. D)

1343 Hæc Turcorum opitulatio in variam accepta eſt partem; nam alios quidem, ut debebat, alienavit a Cantacuzeno, ambitionem ſuam patriæ ruinis præhabente; alios vero fortunæ melioris ſpe, ut mobilius aura fuit illis ingenium, arrexit; exinde melius res Cantacuzeni habuere: Berrœa Urbs Thraciæ inter præcipuas ultro illum excepit; defecere & alia non pauca loca; Theſſalonicenſes quoque nobiles miſſitabant ad eum literas, tenuioribus licet obfirmate repugnantibus; Theſſali, & Acarnanes Joan-

A) Hæc de ſe Cantacuzenus p. 597. & ſatis ut apparet vere; quia nulla pactionis ullius tunc initæ apud alios quoque occurrit mentio. B) De hoc ſuo exilio Cantacuzenus ipſe c. 53. & prioribus aliquot l. 3. ubi etiam prodigio non uno ſe ſervatum memorat. C) Hanc affert cauſam Ducas p. 10. D) Humorum vocat Ducas, Amurium cæteri.

Joannis Angeli ductu ordinati rite, & in fide confirmati ſunt. At Rex A.C.
Serviæ, ſive ob Turcorum arma in Europam excita, A) ſive a Byzantinis 1343
corruptus, alienavit penitus a Cantacuzeno animum, nec retraxit modo copias, verum etiam Apocaucho, clam primum, dein etiam palam auxiliatus eſt. Apocauchus enim ad Theſſalonicam defendendam, præcipuam poſt Byzantium Urbem, claſſe rurſus advenerat. Collectis per deditias Urbes majoribus aliquanto copiis, ac Germanorum quoque, qui Serviæ Regi militaverant, adjuncta donis cohorte, Theſſalonicam rurſus contendit Cantacuzenus, non diſſimili tamen, ut prius, exitu; namque Apocauchus valida ſuorum ſtipatus manu, Serviisque bis mille in inſidiis collocatis, propius fuit, ut Cantacuzenum opprimeret; hunc tamen fortuna ſua, aut magis Reipublicæ calamitas ſervavit. Cum enim reducem illum Thraciæ averſarentur Urbes, ac Byzantinorum convitia, triumphus Apocauchi, cæteraque mala in deſperationem jacerent; ira, doloreque eo progreſſus eſt, ut Amurium Turcum ſuppetias laturum ex Aſia evocaret. B) Huc virum, cætera non injuſtum, & magnæ mentis, animi impotentia abjecit. Paruit invitationi Amurius cum non mediocri exercitu, rurſusque junctis viribus, Theſſalonicæ admotus eſt exercitus; in qua ſeditio inter ſe civium ſpem occupandæ Urbis bonam fecerat; verum hanc evertit & obſtinata populi in Cantacuzenum ferocia, & hujus in obſeſſos lenitas; qui veritus, ne Urbs D. Demetrio ſacra a Barbaris diriperetur, fame potius adjungendam, quam vi occupandam cenſuit. Longo nequidquam contrito tempore, cum ſua Amurius negligi conſilia cerneret, parte exercitus in Aſiam remiſſa, cum ſex duntaxat ſuorum millibus aſſectari Cantacuzenum in Thraciam voluit.

Itum ergo illinc Didymoticum eſt; expugnata per iter Urbs Peri- 1344
theorum, Thracia rapinis iterum exhauſta; magno quidem Cantacuzeni dolore, ſed ejusdem probro, & ſcelere etiam majore. Avebat is equidem, pace tantis perturbationibus finem adferre, C) de qua & ipſe, & Amurius crebro appellabant Annam; ſed cum hac pace ſuæ quoque conſultum dignitati volebat; Anna vero, cæterique in Cantacuzenum jurati, id præ Imperii excidio averſabantur; nihil igitur inter homines ira, & invidia peſſimis conſultoribus abuſos convenire potuit. Exin circumlata a fœderatis arma ſunt; Adrianopolis præſidium Cantacuzeni accepit; Urbes quædam repugnantes, occupatæ; aliæ adjunctæ; quin propius Byzantium ipſum profectio inſtituta. Æſtuabat interim aula metu, & invidia agitata, illudque ſpectabat præcipue, ut Barbarum a Cantacuzeno avelleret; cui decem aureorum millia largiri voluerunt, ſi ſe in Aſiam referret; accepit conditionem e conſilio Cantacuzeni Amurius, & Aſiam quidem, ſed majoribus brevi affuturus cum copiis repetiit. D)

Hujus abſceſſu arrecti in Urbe Proceres, parabant ſolertius bellum; & tametſi variis legationibus, ac literis de pace cum Cantacuzeno agerent; manifeſtum tamen erat: nec Annam, nec cæteros præter Cantacuzeni exterminium ſpectare aliud; ita furore in illum toti ardebant, Apocauchi præſertim faſtu, & Annæ Imperatricis odio, (quod ex zelotypia quadam in Cantacuzeni conjugem natum ferunt) inflammati. Igitur in Urbe novos faciunt delectus, Alexandrum Bulgarum, novem donatum Urbibus, in ſocietatem belli pertrahunt; Momitilum quendam, hominem vilem, ſed non contemnenda e prædatoribus manu auctum, conceſſis etiam Deſpotarum honoribus, ſibi adjungunt; Orchanem Turcum ad opitulandum ex Aſia invitant; nihil enim linquere intentatum immenſa illa animorum exulceratio ſinebat; hiſce copiis incuſare ad Didymoticum cœpit Apocauchus, Magnus jam Dux, imo Byzantii omnia;

A) Gregoras p. 327. B) Fatetur Cantacuzenus ipſe, evocatum abs ſe Turcum p. 452. C) Nihil certe magis, ac pacis ſtudium ubique Cantacuzenus profitetur; ſed res geſtæ vix cum hac illius aſſeveratione cohærent. D) Gregoras p. 351. E) Zelotypiæ hujus aliquoties meminit Gregoras; non Cantacuzenus.

A.C. verum Cantacuzenus, usu bellico, & ingenio præstans, facile eludebat ho-
1344 stiles eorum conatus; quin imo non paucas per Thraciam Urbes, inter quas fuere Gratianopolis, Byzia, Commotenum, occupavit; attamen tantis petitum est Cantacuzeni insultibus caput, ut in angustias dejiceretur prope ineluctabiles; rursus igitur de pace concilianda actum; quam sibi tantopere cordi esse asseverabat Cantacuzenus, A) ut rejectis Imperatorum insignibus, ad privatam secedere vitam paratum se ostenderet, dum crimine absolveretur omni, & de suorum indemnitate sibi caveretur; sed & hæc tam æqua petitio rejecta est, vafritie potissimum illius Apocauchi; qui nisi oppresso æmulo meditata ad rem collaturum desperabat. Avebat autem, filiam suam Joanni pupillo conjungere, sicque arbiter Imperii fieri; vel certe: si id non procederet, Anna cum pupillo oppressa Imperium apprehendere. Longum foret memoratu, quibus strophis homo e dolis consutus, Urbis Proceres, Joannem præsertim Gabalam, ærario Præfectum everterit, quibus evertere Annam ipsam molitus sit; ferunt, literas ad Pontificem Clementem clam, inscia Anna, ejusdem tamen nomine exarasse, B) quibus Imperatrix veniam orabat, quod Byzantium translata ad ritus Græcanicos palam descivisset; clam interea Romanam semper fuisse, atque in id allaboraturam, ut sedato a tumultibus Imperio, ad Romanos ritus Byzantium transferat; ad hasce literas Pontificem reposuisse suas, Annamque collaudatam ad Ecclesiarum concordiam multis cohortatum esse; eas literas acceptas fuisse ab Apocaucho, in eumque finem asservatas, ut si gravius quid ab Anna sibi ingrueret, recitaret in Conventu populi, eaque subdita flamma populum, quo erat in Latinos odio, adversus Annam, & pupillum incenderet. Cantacuzenus in hoc tanto sui odio recurrit in Asiam, & ipse ad Orchanem, tum ad veterem amicum Amurium; primum Orchanis suppetiis quasdam ad Pontum Urbes occupavit; dein vero Amurius ipse cum viginti equitum millibus strenuus affuit auxiliator. C) Hisce adjutus copiis, Momitilo cum primis debellando, intendit Cantacuzenus; is enim magna jam suorum auctus mole, plurimum dabat negotii, Principatumque sibi quendam nemini obnoxium in Thracia moliebatur. Quatuor ei equitum millia extra peditatum fuere. Verum ut repente summus, ita subito nullus fuit Momitilus; uno enim ad Peritheorum fractus prælio, & se, & suos perdidit; e cujus exercitu neminem abiisse incolumem ferunt.

1345 Hæc dum in Thracia vi summa, & cædibus perpetrantur, Urbem subitaneus quidam casus mirum quantum perturbavit, atque potiundæ illius spem Cantacuzeno obtulit. Apocauchus ad summas opes, & Tyrannidem in Urbe progressus, cum suo unius arbitrio, Anna sic volente, rebus moderatur, multos, ceu Cantacuzeno faventiores, aut aliorum criminum postulatos, e prisca præsertim nobilitate carceri mancipavit, ducentis plures fuisse perhibent; hisce sive arctius custodiendis, sive etiam morte miserrima clam populo afficiendis turrim quandam in palatio Constantini ita communierat Apocauchus, ut plurimæ illic discretæ essent cellulæ, e quibus semel ingressis, obstructo aditu, nulla unquam egrediendi spes pateret; idque eo animo, ut viri illi nobiles velut in perpetuum quoddam oblivionis barathrum truderentur, D) ac vivi tumularentur. Dira hæc, & inaudita crudelitas cum infelicibus illis suboluisset, enimvero experiri omnia prius, quam tam funestum vitæ exitum præstolari decrevere. Forte accidit: ut operi perurgendo ipse Apocauchus ad palatium inviseret, atque ad inspiciendum, quid rerum illic fiat, penitius in ergastulum penetraret; quidam e Raulorum stirpe fuste arrepto tam validum in caput Apocauchi infregit ictum, ut statim animo linqueretur, capti-

A) Pag. 512. B) Cantacuzenus p. 523. C) Præter Cantacuzenum pluribus hoc capitibus minutatim exequitur Gregoras quoque p. 369. D) Τῆς λήθης φρέαρ sive oblivionis arcem appellat Gregoras p. 371. Meminit hujus Ducas quoque p. 7. Sed sexagenos duntaxat ait fuisse; & in his avum suum, qui tamen cædem fuga, & latebris vitaverit.

captivi reliqui in seminecem irruunt, resectumque caput Urbi ex alto A.C.
ostentant; rati: exulceratum odio improbi hominis populum, illudque si- 1345
bi factum ad præmia magis, quam supplicia valiturum. Et non sinistre res illis cesserat, si moderate facto exultassent suo, seque in Urbem, aut quo fors dabat, conjecissent; verum illi, vicino occupato asceterio, negabant illinc exituros se, ni Anna Imperatrix honeste cum iis transigat; arbitrati: metu perculsam Imperatricem, seditionemque veritam, quidlibet postulatis eorum delaturam; contra accidit: Imperatrix violenti mulier animi, conjuge, amicisque Apocauchi accersitis, facultatem tribuit invadendi asceterii, atque commerito illos supplicio mactandi; A) armatur luce sequenti magna classariorum, & ultimæ fæcis hominum manus; asceterium obsidione circumcluditur, brevique perruptis obicibus, atrox fit incursio. Vix cuiquam e tota illa nobilitate parsum est, quin multi in templo, arisque furiose trucidati, magno totius Urbis luctu, & animorum ab Anna alienatione; nam tot viris illustribus orbare patriam, quid aliud fuit, quam ad eam delendam, dextram, opemque hostibus commodare?

Patratæ cædis fama ad Cantacuzenum perlata incitamento plerisque fuit, ad movendum Urbem versus exercitum, occasioneque solerter utendum; verum obstabat huic sententiæ Cantacuzenus, quod a tergo relinqui hostem nollet, Servium videlicet Regem, qui amicitia omni abjecta palam Macedoniæ, & Thraciæ cum exercitu imminebat. Vicit Amurii Turcæ sententia; Urbem propius admotæ fuerunt copiæ, verum profectum nihil, quod tumultu illo consopito, & Asane Andronico, ac Cinamo Urbi Præfectis, qui nihilo tunc addictiores Cantacuzeno erant, quieta ibi omnia reperissent, & sibi infesta. Amurium deinceps res suæ ad Asiam revocarunt; cui cum Rhodiis equitibus ob Smyrnam, & qnasdam Insulas ab iis occupatas bellum fuit, solito tamen infelicius; nam in obsidione Smyrnæ prostratus sagittæ ictu Amurius, vivendi, & prædandi finem fecit. B)

Nihil igitur ex hac Cantacuzeni profectione emolumenti fuit, damni vero plurimum; nam Rex Serviæ Turcico illo liber metu, occupavit Urbem Pherras cum parte Macedoniæ præcipua; eoque progressus est ambitionis, ut se Imperatorem Romanorum nomine, & ornatu ferret, filium vero suum Serviæ Regem. C) Sic discordia Græcorum omnibus circum nationibus quæstui, solis illis imminutioni, & exitio fuit. Tanta tamen erat odiorum obstinatio, ut verti, & everti omnia, quam redire in gratiam, aut dignitate aliquantum decedere mallent. Anna Imperatrix per Vatazem quendam, qui tum a Cantacuzeno defecerat, tertii Turcorum Principis Sarchani in Lydia imperantis sollicitavit opem; sed acceptæ illius suppetiæ, cum & a rapinis prohiberentur, & stipendiis, non ut sperabant, explerentur, Vataza Duce interfecto, in Asiam remigrarunt. Exin vero per sicarios semel, atque iterum impetita est Cantacuzeni vita, D) qui insidiis devitatis, captaque Selybria, & Orestiade, ut inimicis bilem cieret, efferretque suis animos, Orestiade coronam per Hierosolymorum Patriarcham E) sibi imponi curavit; ac ipse pro more conjugem coronavit. Quid jam sani ab his tanta contentione mutua in odia ruentibus exspectares?

Circa idem tempus Thessalonicam similis, atque Byzantium fortuna, & cædes afflixit; præerat illi summa cum potestate Apocauchi filius Joannes; qui audita patris in Urbe nece, descivit ad Cantacuzenum, civiumque nobiliores centum in sententiam traxit; occupata ab iis perfugio arx est, verum populus defectione illa irritatus, expugnavit furiose arcem, omnesque cum Apocaucho crudeliter interemit; sic periit mali corvi malum ovum.

A) Cantacuzenus p. 525. B) Ducas p. 10. C) Gregoras p. 377. D) Hæc de seipso Cantacuzenus p. 532. E) Græci scilicet ritus; nam, qui titulum hunc ferret, Latini quoque habuere.

A.C. Hiſce perturbationibus exhauſtæ Urbes, & Provinciæ, ad eam rei pecu-
1346 niariæ, omniumque inopiam redactæ erant, ut nec defendendo jam bello, nec inferendo partium alterutra eſſet; itaque videtur anno iſthoc ceſſatio quædam ab armis fuiſſe, ſi Regis Serviæ, Turcorumque direptiones, ceu conſuetudine jam fieri ſolitas dempſeris; Anna Imperatrix ad ædium ſacrarum ornamenta nervum belli, plerumque infelicem recurrit; Cantacuzenus vero, data in conjugem Orchani Turco ſuamet filia Theodora, ac magnifice in Aſiam traducta, nova ſeſe armavit affinitate. A) En ex raptore Aſiæ Græcorum amicum, & generum, quin verius labem, ultimamque perniciem!

1347 Odiis hiſce, & vaſtitatibus finem aliquando ut faceret Cantacuzenus, omnes ingenii vires eo vertit, ut ad Urbem ſibi armato adrepere, ac cum Imperatrice vel invita demum paciſci liceret. Rei huic perficiendæ gemina affulſit opportunitas: complures appulſæ Genua naves, quæ tum Urbs late mari dominabatur, quæſtum e diſcordia Byzantinorum facturæ, invaſerunt Inſulas Ægæi maris, & Chium ſubitaneo impetu ceperunt. Ad depellendos hoſce hoſpites, provolavit aliquot ab Urbe triremibus Phaceolatus quidam, & ipſe de Imperii rectoribus B) unus; at quod ſerius adveniſſet, coactus dare retro vela, in navem Galatæorum Genuenſium incidit, eamque captam vindictæ ſtudio excidit; hac provocati injuria Galatæi, quærelam ad Imperatricem deferunt, nec audiuntur; minas itaque intentant Phaceolato, & vitæ inſidias tendunt; quarum vitandarum cauſa datum Phaceolato, ut quanta ipſe vellet, armatorum manu, ſeque, domumque ſuam ſtiparet. C) Hunc igitur Phaceolatum per amicos clam promiſſis aggreditur Cantacuzenus; habere illum in manu milites, quorum ope per noctem intromitti Cantacuzeni exercitus, Urbsque occupari valeat; hunc ſolum fore belli, excidiorumque finem; averſos ab Anna civium, plerorumque animos; nihil præter communem tranquillitatem, pupillique, & Imperatricis ipſius ſalutem a ſe ſpectari; ſic futurum, ut non de ſe tantum, ſed etiam de Imperatrice ab invidis perperam inſtincta, & de toto Imperio quam optime mereatur. Quid multis? perſuadet facile homini ambitioſo, atque diem occupandæ Urbi condicit.

Altera fuit opportunitas: exorta per eos dies acerrima inter Præſules contentio ob doctrinam Palamæ, illius ſuperius memorati, cui Patriarcha, & Gregoras D) acriter ſeſe opponebat; ſed Palamæ factio multo valentior, & in aula gratioſior tam Patriarcham, quam Gregoram opprimebat; ut adeo dies diceretur Patriarchæ, deque eo in ordinem cogendo Conſilium fieret. In hiſce diſceptationibus defixo aulæ ſtudio minor fuit rerum in Urbe agendarum ſolicitudo. Igitur ſub illam ipſam noctem, qua Synodus adhuc in aula perſtrepebat, Februarii die tertia lectis e toto exercitu viris, non amplius mille, acceſſit Cantacuzenus Urbem propius, & a Phaceolato per auream portam furtive immiſſus, Urbis citra violentiam potitus eſt. Cives adeo non obluctabantur Cantacuzeno, ut adjuvarent etiam, turbarum, & miſeriarum plus nimio jam ſaturi. Ingreſſi in Urbem Cantacuzeni fama conterruit vehementer aulam; neque tamen Annam de ſtatu mentis, ſolitoque faſtu dejecit; communito enim adverſus vim palatio, & Galatæis in ſubſidium accitis, non modo ſupplex non fuit Cantacuzeno, verum etiam Legatos ab eo ſemel, iterumque miſſos, omniaque tuta, & integram dignitatem pollicentes cum ſtomacho juſſit faceſſere. E) Altera dein luce, cum milites Cantacuzeni ad palatium undique vi ſumma irruerent, incertaque Imperatricis, & pupilli foret ſalus, fracta demum obſtinatio mulieris eſt; & agi de concordia

A) Defendit factum hoc ſuum Cantacuzenus ipſe c. 95. l. 3. ſed Æthiopem lavat. B) Plures enim pro pupillo Joanne in Urbe rerum adminiſtri ἄρχοντες nominati. C) Gregoras p. 388. D) De hac multa ipſe Gregoras p. 389. E) Plura de hoc ſuo ingreſſu Cantacuzenus c. 91. & c. 100. l. 4.

dia cœptum; cujus ejusmodi fuere capita: ut Joannes pupillus, & Anna A.C.
primi honores Imperatorios haberent, ab his Cantacuzenus; cujus filia 1347
Helena Joanni matrimonio jungeretur; Joannes in decennium adhuc adminiſtratione careret Imperii, poſt cum Cantacuzeno una imperaret; denique omnes ultro, citroque injuriæ perenni oblivione delerentur. Hiſce pactis conventis, jurejurando firmatis, ingreſſus palatium Cantacuzenus, ac ſumma amoris ſignificatione Annam, Joannemque complexus, finem quinquennali bello impoſuit, eo exitu, qui citra tantam rerum omnium jacturam dudum iniri poterat, ſi non invidia, & tantus ille odiorum æſtus mentem infelicibus cæcaſſet.

Cantacuzeno dehinc Arbitro res Imperii curatæ; qui ut adeptam firmaret dignitatem, in æde Deiparæ Blachernenſi (nam Sophiæ quadam parte ruinas egerat) coronam rurſus uſitatis cærimoniis accepit; in hac ſolennitate cum duo Imperatores, & tres Imperatrices amictu Imperatorio, & coronis ornandi eſſent, exinanito penitus per bella ærario, neceſſe fuit, adulterinos lapides, ac mendax aurum coronis, veſtibusque eorum inſeri, A) ne quid a priorum more, & pompa deſciſcerent; qui profecto ornatus cum eorum vanitate apte prorſus, & belle congruebat. Poſt hæc Thraciam Matthæo, Manueli Lacedæmonem, reliquasque in Peloponneſo Urbes regendas pater attribuit, alios aliis ornavit dignitatibus, Patriarcham jam ante Synodi ſententia damnatum, offenſionum memor Didymoticum exulatum miſit; Iſidorum vero quendam Patriarchicum in ſolium provexit, indignantibus Epiſcoporum cæteris, meritaque in Imperatorem ſua objectantibus; quæ fortaſſe cauſa turbulentos impulerit, B) ut reſuſcitata adverſus Palamam contentione, acerbius deinde circa doctrinam Eccleſiæ rixarentur.

Cæterum internecina illa Procerum inter ſe odia non ita ſubito obrui penitus poterant, ut non exitialis interdum ſe flamma proderet; eadem tamen Cantacuzeni ſolertia, & moderatione ſæpius oppreſſa. Nam alii quidem Joanni metuentes, adverſus ſocerum exſtimulabant juvenem; alii contra Joannem dedignati, Matthæum quoque coronari a patre efflictim poſcebant; ut inter filium, ac generum, interjecto Cantacuzeno, ſummæ undique crearentur anguſtiæ; certe Matthæus a factioſis quibusdam, Aſane præſertim Andronico avunculo, eo brevi impulſus eſt, ut Urbes Thraciæ in verba adigeret ſua, & ni Imperator ipſe quoque renunciaretur, bellum non Byzantio minus, quam patri intentaret. En luculentam paternæ in filio ambitionis pœnam! Matthæi mater Irene in Thraciam progreſſa, vix demum a turbando abduxit filium, & cupiditatem imperandi tum quidem, ſed majore olim cum pernicie erupturam compreſſit. C)

Depulſo belli metu, lues peſtifera hominibus exitio fuit; & in his tertio quoque Cantacuzeni filio Andronico; quamquam ne a bello quidem penitus ceſſatum eſt; nam id Regi Serviæ, cum repetitæ ab eo Urbes non redderentur, evocatis etiam Turcis, illatum fuit; at hi rapinis contenti Macedonicis, in Aſiam ſe ſubito retulere, ſicque in Serviæ Regis poteſtate magna Macedoniæ pars relinquenda fuit, cum Græcis vix jam arma, & animi, niſi ad mutua excidia, & odia ſuppeterent. Felicius aliquanto res acta non diu poſt, cum alia Turcorum prædatorum manu, qui in Thraciam ab Aſia transgreſſi, uſitato pro more agebant prædas; hos primum Matthæus viriliter, dein pater ipſe profligarunt; D) quamquam enim amicitiam cum Turcorum Principibus vel inviti colerent Græci, ſuo tamen Gens effrænis vivebat inſtituto, & Chriſtianorum opes eorum amicitiæ præhabebat.

A) Gregoras p. 401. Nam Cantacuzenus nihil de hoc. B) Hanc affert cauſam Cantacuzenus; at Gregoras, Palamæ impugnator acerrimus, multis Palamitarum improbitatem, erroresque accuſat p. 401. C) Obiter hanc quoque filii ſui inquietudinem attingit Cantacuzenus; Gregoras diffuſius p. 406. D) Cantacuzenus p. 93. Graviter labitur Ducas p. 15. dum ait; Solimanum ipſum, Orchanis filium, a Matthæo cæſum; quem & vixiſſe diu adhuc, & magnas Imperio illi ruinas dediſſe liquet.

A.C. 1348 Turcicam tamen hanc amicitiam non uſquequaque arriſiſſe Cantacuzeno, indicio illud eſſe poteſt: quod ipſe memoriæ conſignavit; nimirum Legatos ab ſe Romam ad Clementem VI. Pontificem miſſos, qui primum purgarent ſe, ob juncta per neceſſitatem cum Turcis arma, ob quod peſſime apud Latinos audierat; dein locum univerſali Conventui Præſulum celebrando deſignari poſcerent, in quo de integranda rurſus Eccleſiarum pace ageretur; denique conjunctionem cum Chriſtianis Principibus armorum adverſus communem hoſtem cumprimum inſtituendam flagitarent; Legatos hoſce bona primum cum ſpe, & ſucceſſu Romæ acceptos eſſe; verum Pontificis Clementis obitu, Principumque inter ſe diſſidiis, omnia in irritum recidiſſe. A)

At enim ſi rem altius repetas, non tam Turcorum armis appetendorum, quam alterius avertendi belli legationem hanc inſtitutam comperias; quid enim in generum ſuum Orchanem Latinos advocaret Cantacuzenus, a quibus angue pejus metuebat, vel optaret concordiam tantis ſtudiis, & odiis Byzantii, totiesque damnatam; ubi non tam veteribus exſcindendis erroribus, quam novis proſeminandis opera tunc dabatur. Illud erat legationi propoſitum caput; quod ex alia ejusdem Principis narratione intelligas: Theodorus Palæologus, Andronici Senioris filius, Montisferrati in Italia, uti memoratum, Marchio, turbatiſſimo Byzantinorum ſtatu, iisque, quæ Cantacuzenus deſignarat, intellectis, armavit ipſe quoque copias, ac in ſocietatem belli Principes Latini nominis exſtimulabat, occupaturus, quod potiori ad illum jure pertinebat Imperium, & communibus poſtea armis Turcorum ferociam repreſſurus; B) hujus igitur amoliendæ procellæ recurrerit ad Clementem Cantacuzenus: nec certe diffitetur ipſe, Clementis potiſſimum admonitu a meditatis Theodorum quieviſſe; ſicque nihil diu exterorum Cantacuzeno bellorum fuit.

1349 At domeſticum, & ſociale vix biennio ab occupata Urbe exarſit, non levi cum pernicie, & damno adminiſtratum: Genuenſes Galatæi ad magnam id temporis, mari præſertim potentiam evaſerant; quippe Græcis domeſtico illo turbine, mercatu etiam neglecto occupatis, rem ipſi faciebant latiſſime, ac utrique partium favore oſtentato ſuis ſolerter incrementis ſtudebant, præſertim ubi res nautica a Byzantinis neglecta propemodum intercidit. Affluebant illis novæ Genua copiæ, & vires; jamque eo audaciæ proceſſerant, ut oppido Galata haud contenti, arcem in propinquo, & editiore loco, velut futuram belli ſedem molirentur. Sedatis Conſtantinopoli turbis reſtituendæ rei maritimæ princeps fuit Cantacuzeno cura; in quam confectæ ſedulo pecuniæ, naves omnis generis ſolerter ædificatæ, brevique excludendi portubus, & proventibus Genuenſes videbantur; quibus arcis quoque molitione ſevere Cantacuzenus interdixit. Interim illo per morbum Didymotici abſente, approperatis operis arcem communiunt Genuenſes, armant naves, & cives, magnoque ſuorum Genua quoque accerſito numero, belli jam aperte ſpeciem moliuntur; quo nimirum attritam priore bello Urbem, ad iniquiores pacis conditiones propellerent, atque a mercatu, reque nautica excluderent. C)

Eorum cognita defectio maturavit Cantacuzeni in Urbem reditum; qui ſubito triremibus aliquot armatis, quin Urbe quoque ad arma convolare juſſa, defendendo ſimul inferendoque bello operam navavit. Nec mari ſolum, verum etiam terra bellatum inter eos eſt: ſaxa ex una in aliam Urbem trans ſinum Ceratinum baliſtis vibrata, quin extra Urbem quoque cædibus, & damnis certatum. Et terra quidem potior viſa eſt Galata; at mari, portusque opportunitate Præſtabant Byzantini; tantum urbecula illa adverſus Urbium principem, ſed ſceleribus civium fatiſcentem potuit. Has inter mutuo offenſiones exacta hyeme, primo cum

A) Teſtatur id ipſe Cantacuzenus l. 4. c. 9. & 10. B) Meminit ejuſce rei Cantacuzenus p. 568. C) Fuſe de hoc bello Cantacuzenus c. 11. libri 4. & ſequentibus. Item Gregoras p. 342.

cum vere navali decertare prælio conſtitutum utrisque fuit; verum & A.C. hoc in prælio fortuna Byzantinos averſata eſt; namque naves eo- 1349
rum, ut primum portu explicatæ ſunt, repentino quaſſari vento cœpere; quo conterriti milites deſilierunt certatim in mare, magno ſuo cum periculo, nec paucorum nece, navesque vacuas Genuenſibus incruenta potitis victoria liquerunt; ducentos e Byzantinis ea calamitate obrutos ferunt; A) alii mire cladem exaggerant. Hac potiti victoria Genuenſes etulerant quidem animos, attamen in alieno ſolo, & longe domo poſiti extrema ab exacerbatis verebantur; quamobrem, Legatis quoque Genua Byzantium appulſis, actum de pace eſt; & compoſita hæc quidem, ſed victoribus, quam victis iniquior; nam per eam Galatenſes ad diruendam arcem adacti ſunt; deinde ad audaciam centum millibus nummum aureorum redimendam; adhæc coacti, damna privatis illata rependere; poſtremo jurejurando ſpondere, nunquam ad ejusmodi conſilia delapſuros. B) Nec diu poſtea Inſula quoque Chius ab iisdem Imperatori eſt reddita.

Ad fœdus hoc cum Imperatore pangendum perpulerit Genuenſes internecinum, quod tunc toto mari cum Venetis gerebant, bellum; neque enim in Italia tantum, ſed in omnibus etiam Inſulis, in quibus alterutri, aut poſſederant quidpiam, aut mercatui dabant operam, infeſti concurrebant, atque non diu poſtea prope Urbem quoque Byzantinam; quo tempore mari illis bellis concluſo, annonæ in Urbe penuria laboratum eſt. Ad opprimendos Galatæos invitabant Imperatorem Veneti, ſed fœdus recens, an mage virium inopia ſocietatem præpedivere. Geri tamen ſic in propinquo bellum nequiit, ut non vicini quandoque, Orchanes, & Imperator ei admiſcerentur; certe Genuenſes a Cantacuzeno offenſi, duas in Ponto diripuerunt Urbes, Soſopolim, & Heracleam; C) jamque armis in eos vindictam effuſurus erat Imperator, ſi non Orchanis, qui Genuenſibus favebat, metu retraxiſſet ſe, atque a vi facienda abſtinuiſſet; ad extremum Genuenſes magno a Venetis bello victi, modeſtiores ſe tum adverſus alios, tum præcipue Byzantinos præbuere.

Hos graviora ultra Thraciam agitabant mala; Rex Serviæ Stephanus, magnam Albaniæ, & Macedoniæ partem occupaſſe haud contentus, 1350
ad Theſſalonicam quoque adjecerat animum, eamque exſtructis circum munimentis, qua vi, quæ fraudibus perurgebat; adjuvabat conatum illius turbatiſſimus Urbis ob civium odia inter ſe ſtatus; quippe averſabantur multi civium Cantacuzenium, & Joanni Palæologo injuriam fieri clamitabant; non tam ut illius adjuvarent partes, quam ut quidvis impune perpetrandi facultatem uſurparent. Ab Urbe gemino hoc malo preſſa advocabatur ſubſidio Imperator, & placebat ulciſci Servium Regem; ſed adverſus magnam id temporis ejus potentiam, nec virium, nec opum ſat aderat; rurſus igitur ad Orchanis generi auxilia recurſum eſt; qui cum filio Solimano viginti Turcorum millia ad Imperatorem expedivit; incuſſus ab his terror, omiſſa Theſſalonica ad tutanda propria Servios retraxit; neque plus ex Barbaricis hiſce ſuppetiis relatum commodi; quin imo evaſtata illi longe, lateque Mœſia, multisque mortalium millibus mancipio abductis, belli cujusdam in Aſia gerendi obtentu, brevi remigrarunt. Fuit igitur conſilium iſthoc conſultoribus peſſimum, & auxilium præ quovis exitio, ſi ſaperent, deteſtandum.

Deſertus ab his Imperator, tamen inſtabat bello, occupataque Berrœa, Servium Regem, quorundam nobilium ſuorum defectione, Urbiumque perterritum ad paciſcendum pertraxit; deſignatæ tum Urbes, quas illum reddere, quas retinere oporteret, ac mutuis etiam conviviis amicitia concelebrata; quæ tamen vix ultra comeſſationes proceſſit, redeunte ad ingenium Servio, & laciniis Imperii illius dehinc quoque inhiante. D)

Impe-

A) Sic Cantacuzenus; at Gregoras pag. 441. multis cladem exaggerat. B) Has recenſet pacis conditiones Gregoras. C) Cantacuzenus l. 4. c. 27. 29. & 31. D) Cantacuzenus l. 4. c. 21.

A.C. 1351 Imperatorem in Urbem reducem turbæ exceperunt Eccleſiaſticæ. Aſſertas in Synodo Palamæ opiniones ſat, ut Gregoras depingit, monſtroſas, ferventiores cum Epheſi, & Gani Epiſcopis, ipſoque Gregora impugnare, ac de hæreſi arceſſere non deſiſtebant; cui contentioni penitus opprimendæ Synodus rurſum indicta, ac in palatio Blacherniano, quo ſacra cum profanis jam trahebantur, celebrata eſt, a paucis Thraciæ Epiſcopis; quod reliqui hoſtium erant. Calliſtus, Patriarchæ Iſidoro vita functo ex Atho monte aſcetes ſublectus fuerat, fucatæ virtutis, & ad exagitandos modis diriſſimis contrarium ſentientes projectæ; Palamas ipſe Theſſalonicenſem pedum, novitatum ſcilicet præmium tulit. Cum his, aliisque conſedit Cantacuzenus, idoneus ſcilicet, & æquus judex; qui toto animi niſu in partes Palamæ, & erronum dudum propendebat; quamquam tueatur ſuam ipſe cauſam in conſcripta abs ſe hiſtoria, & non expreſſo controverſiæ ſtatu, acerbis Gregoram, cæterosque convitiis oneret. A)

Cæterum quod in Palamæ is partes inclinarit, plures fuere cauſæ; monaſticum Ordinem magni ſemper Cantacuzenus faciebat, ac miſſo rebus humanis nuntio, ſe quoque in Atho montem ſubducere cogitabat; quos proinde erroris coargui permoleſte tulit. Adhæc Palamas diſſidiis in Thracia flagrantibus, Cantacuzeni fovebat in Urbe partes, diu ob id carcere conflictatus; demum Patriarcha Joannes, contrariæ caput ſententiæ, in Cantacuzenum modis omnibus, uti memoravimus, perbacchatus eſt. Quare Cantacuzeno omnia jam obtinente, prona erat Palamæ victoria; poſt acres dierum plurium diſceptationes, damnati rurſus Gregoras, & Acyndinus, cum adhærentibus; quin Gregoras monaſterio abditus, B) & acerbe tractatus, tamen a conſtantia ne hilum ceſſit. Porro errorum Palamæ præcipuus fuit: quod naturam Divinam ab operationibus disjungeret, easque increatum quiddam affirmaret; nec a rebus creatis participari naturam Dei poſſe, ſed operationem tantum; qua participata, res illæ continuo Divinæ, & increatæ evaderent; de quo errore progerminare plurimos alios neceſſe fuit, præſertim circa naturæ humanæ a Deo aſſumptionem, Numenque Euchariſticum; quas tenebras toties jam profligatas, quid attinet in lucem rurſus efferre? nec certe mirum, e tabido illo corpore tot errorum monſtra paſſim progenita. Sed ad reliqua Cantacuzeno geſta narratio feſtinet.

1353 Ut ſecurius in Urbe pro arbitrio omnia ille ageret, caveretque diſſidiis, quæ ex contubernio duorum Imperatorum enaſci poterant, Joannem Palæologum Theſſalonicæ reliquerat; ut ornatu Imperatorio, Urbisque in ſe ſtudiis, ac honore contentus, in cæteris ne obturbaret. Verum in tanta ingeniorum mobilitate conſilium hoc ſucceſſum habere nequiit; non defuere rerum novarum cupidi, qui adoleſcenti metum amittendi Imperii injicerent, ac Cantacuzenum agere aliud nihil perſuaderent, quam ut filio Matthæo ſucceſſionem paret, quem tunc Æno, ac circumpoſitæ Regioni cum poteſtate pater præfecerat. Nihil æque pronum fuit, ac ut talia dicentibus mentem accomodaret Joannes, ſeſeque ad patrium Imperium vindicandum erigeret; quem in finem ſollicitati Rex Serviæ Stephanus, ac Bulgariæ Alexander, prolixam Joanni addixere operam, ſive dilatandorum ſtudio finium, ſive Cantacuzeni odio ob Turcos cum clade illarum Provinciarum non ſemel per illum evocatos.

Detecta per Aſanem Andronicum, Cantacuzeni ſocerum, hæc molimina magno Imperatorem metu ſimul, ac dolore tumultus inteſtini complevere; cui vires tot adverſis rebus labefactæ, nec erant jam reſiſtendo idoneæ, nec ſi eſſent, cum rerum excidio omnium uti illis animus erat. Orat itaque Annam Joannis matrem, proficiſceretur ad filium, eumque ab

A) Cap. 24. & ſequentibus. B) De hac Synodo Gregoras a pag. 448. ad finem uſque vaſti voluminis ſex tractat libris; quem videat, cui tantum eſt otii, & ad ſuperandum in legendo tædium animi.

ab hac conſiliorum pernicie abduceret; conſtitutum ſibi eſſe, ut primum firmaverit Rempublicam, exolvere ſe rebus caducis, & ad montem Atho ſecedere, atque Joannem in ſolidum paterni Dominatus hæredem relinquere. A) Anna Theſſalonicam profecta, precibus vix multis ad quietem filium compoſuit; hac tamen addita conventione: ut quæ prius Matthæo attributæ erant Urbes, ſummo interea cum Imperio Joanni traderentur, dum promiſſa per Cantacuzenum ipſum confierent. Traditæ ut petebantur Urbes, Palæologus Byzantium profectus, pacem aliquamdiu cum ſocero habuit. A.C. 1353

Etſi vero diligeret generum hunc ſuum Cantacuzenus, eumque, ut ex tota ejus hiſtoria liquet, ſincere complecteretur; tamen paternus eum ad Matthæum quoque non obſcure rapiebat amor; certe Matthæus imperandi cupiditate dudum exarſerat, cui etſi in hoc obluctaretur pater, nec ſalutari Imperatorem omnino vellet, tamen ita potentia, rebusque cæteris evehebat, ut non obſcure Imperio illum præparare videretur; nam & puniceis eum calceis, quod ſolenne Imperatorum, uti ſivit, & Adrianopolim, vicinamque Regionem cum poteſtate attribuit; quæ res ſolicitum cumprimis habuit Joannem, ſucceſſioni, quin oculis, ac vitæ metuentem; cui ex Helena duo jam erant mares filii, Andronicus, & Manuel. Hæc cum ita ſe haberent, magisque etiam patrius in Matthæum amor ſe proferret, impatiens hujus Joannes, Didymoticum Urbem ſibi a ſocero attributam abſceſſit, rurſusque bellum in eundem & Matthæum cœpit meditari; quod quidem utrum anno reditum conſequente, an vero proximo acciderit, affirmare ut nusquam expreſſum haud auſim. B)

Paratis Didymotici copiis, Servioque, & Bulgariæ Regibus armorum ſocietate adjunctis, bellum jam Matthæo aperte intulit Joannes, arctaque illum obſidione in arce Adrianopoleos circumſepſit. Urbs enim prout & reliquæ per Thraciam certatim Joannis ſubibant auſpicia, ut jam vel invito Cantacuzeno, neceſſe eſſet, pro ſalute filii bellum capeſſere, ac novis rurſus cladibus Rempublicam objectare; copiis igitur ab Urbe aſſumptis, celeravit Adrianopolim profectionem, cujus nequaquam adventum, ut ſtrenui, experientisque Ducis operiri Palæologo libuit. Oppugnavit, exin & expugnavit Adrianopolitanos Cantacuzenus; Joannes vero, Manuele fratre Serviæ Regi in obſidem dato, novas ſeptem millium impetravit copias, atque etiam ab Alexandro Bulgaro; quibus fretus auxiliis, ferociter de integro bellum molitus eſt.

Impar apparatibus hiſce Cantacuzenus, recurrit ad generum Orchanem, rurſusque infelicia Turcorum, & damnata toties auxilia popoſcit; C) huc Principem cæteroqui ſapientem, conſilii inopia, an magis animi impotentia abjecit, documento magnas mentes, cum in præcipitia inſilierint, deſipereque cœperint, extrema cum pernicie deſipere. Orchanes cum filio Solimano decem ſuorum ſubmiſit millia, qui freto clam transmiſſo mira, & uſitata ſibi celeritate, ſubito in fines Mœſiæ ad Hebrum flumen pertigere, ubi tunc Palæologi copiæ, Serviique, & Bulgari Regis Turcorum prorſus ignaræ tendebant; in has imparatas ſubito cum furore invecti Turcæ, cladem maximam, & prope internecinam attulere; poſt vero vaſtata longe, lateque Provincia, rediere in Aſiam, non tamen relicta penitus Europa; nam in arce quadam Tzypen dicta fixere pedem, nusquam deinceps ab Europa ad hæc uſque tempora proturbandi: hæc merces inſaniæ Græcorum, hic diſcordiarum fructus!

A) Hæc, cæteraque, quæ ſequuntur, prolixe multis capitibus ſub finem libri quarti Cantacuzenus. Ubi obſerva gravem Phranzis errorem, p. 15. qui Orchanem Turcum infeſtum facit Cantacuzeno; Amuratem vero poſt exceſſum patris ſui Orchanis faventem; cujus demum armis Cantacuzenus contra Palæologum triumpharit; quæ liquido falſitatis ex jam narratis, & narrandis convincuntur. B) Difficile hic de annorum ſerie aliquid certi ſtatuere; quia nec Cantacuzenus, nec cæteri notam annorum exprimunt; conjectura rem ſequi neceſſe eſt. C) Id de ſeipſo Cantacuzenus; etſi factum neceſſitate non ſemel excuſet p. 673, Item ea, quæ ſequuntur.

A.C. Protritas eo impetu ſuas ut vidit partes Palæologus, primum qui-
1353 dem promiſſis tentavit Orchanem, quo eum a Cantacuzeno avelleret; dein vero, ut omnia in deſperatis erant, in Inſulam Tenedum capeſſivit fugam; unde rurſus navi Byzantium vectus, perrumpere in Urbem fruſtra tentavit, Irena Imperatrice pro abſente Cantacuzeno rem gnaviter gerente. Tenedum igitur regreſſus, unum, alterumve illic annum hæſit; quamquam in Italiam auxiliorum gratia eo tempore profectum, ſunt qui memorent. A) Bello hoc penitus extincto, ultro Urbes Thraciæ ad victorem Cantacuzenum rediere; exinde vero Proceres, qui Matthæo favebant, appellare crebro patrem de filio in conſortium adſciſcendo; omnia jam prona, expeditaque oſtentare; idque pertinere ad ſalutem Imperii, quod generoſa Matthæo eſſet indoles, abjecta vero Joanni; quorum ſermones, metu jam expeditus, ac generi injuria incenſus, admittebat ſenſim pater; demumque proclamari Imperatorem Matthæum, & exornari ſivit. B) Calliſtus tamen Patriarcha adduci nunquam potuit, ut corona Matthæum inſigniret, quin diris quoque devovebat incœpti illius auctores; quem ut nulla in ſententiam arte poſſe pertrahi Imperator vidit, de ſuorum conſilio, Sacerdotio evertit, hoc plauſibili uſus obtentu: in creandis nimirum Patriarchis, poteſtate abuſus ſua hactenus Imperatores, quod res hæc, utpote ſacra, ad ſuffragia Præſulum libera pertineat; in eo ſe quoque deliquiſſe, jam vero ductum pœnitentia Præſulibus de integro poteſtatem Patriarchas ſuffragiis legendi permittere; eum in modum electione inſtituta, lectus ab iis eſt Philotheus, Heraclienſium prius Antiſtes, Calliſtus vero fuga in Tenedum lapſus. Viden', ut nihil impervium, ſacrumque ſutelis Græcanicis, & ambitioni fuerit.

1354 Pace jam potitum Cantacuzenum, Imperio, ad familiam ut rebatur ſuam traducto, illa angebat cura: quanam ratione Turcos ab ea, quam in Thracia obtinebant, arce deduceret; nam vim apertam amicitia, vel magis metus ab Orchane præpediebat; ad preces igitur recurrendum fuit: orat, obteſtaturque Orchanem, ne fœderum, & affinitatis immemor ea ſe afficiat injuria, & apud Europæos, ſuosque in invidiam adducat; ſi retrahat illinc præſidium, decem aureorum millia e veſtigio numeratum abs ſe iri; accepit conditionem Orchanes, accepit & aurum; nec tamen deduxit præſidium, etſi id per filium Solimanum facturum pollicitus. Solimanus hic adeo non executus eſt pacta, ut etiam atrociore injuria priorem cumularit. Repens terræ motus Calliopolim, maritimasque aliquot Thraciæ Urbes ita afflixit, ut muris, aut exuerit incolas, aut oppreſſerit; hac uſus opportunitate Solimanus, bona ſuorum manu freti anguſtias conſtructis aliquot lembis ſuperat, (nondum quippe mari valebat Orchanes) Calliopolim, aliaque maritima inſtaurat, & rem ceu non armis injuſtis, ſed ſuis operis, & ſolertia acquiſitam uſurpare pergit. Iterum de injuria apud Orchanem expoſtulat Cantacuzenus, deducique ex Thracia Turcos orat; iterum, præter ſplendida promiſſa, refert nihil; quæ demum deductio ut in rem perduceretur, quadraginta nummum aureorum millia Imperator eſt pollicitus; & perfecturus forte rem fuerat, ſi non ſuperveniens a Joanne Palæologo calamitas, Imperiique mutatio illam diſturbaſſet; ac Turcos denique in Europa confirmaſſet. C)

1355 Joannes enim in illo Tenedi exilio de ulciſcendo ſocero rationes ſecum ſolerter inibat, ad quem ſocer, ſeu Inſula deturbandum, ſeu ad quietem, & Imperii conſortium aſſumendum, ut quidem ipſe Cantacuzenus prodidit, claſſem Tenedum verſus expedierat; verum inimicorum conatu factum eſſe, nihil ut de pace Joannes in aurem admitteret. Hoc ſtatu

A) Ducas Michael pag. 17. qui tamen de Cantacuzeni, & Joannis rebus, & pauca, & ſat inordinate. B) Cantacuzenus l. 46. c. 36. Excuſat tamen, non ſua voluntate, ſed Procerum id eveniſſe. C) Hæc Turcici Imperii in Europa initia nemo, quod ſciam, explicatius Cantacuzeno pag. 689. Annales Turcorum ajunt, Solimanum vi armata cum octo millibus cepiſſe Calliopolim, & pedem illic fixiſſe; nec quidquam de auxiliis per Cantacuzenum accerſitis memorant pag. 247.

ſtatu rerum Franciſcum Cateluſium, nobilem Genuenſem, ac triremibus, A.C.
armatisque tunc potentem, promiſſis adortus eſt Joannes, Lesbum Inſu- 1355
lam, ſororemque ſuam Mariam laboris proponens præmia, ſi Byzantium ejus ope inducatur, minime dubius, futurum ut cives pro ſe, ceu hærede legitimo arma continuo arripiant. Operam non pollicetur modo, ſed & exequitur Cateluſius; Joannem cum firma armatorum manu triremi muris Byzantinis per noctem admovet, ipſe vero magnis clamoribus, ac incondito ſtrepitu naufragium ſimulat; procurrunt velut opis cauſa nonnulli cuſtodum; quos, qui in inſidiis prope portam latebant, adorti, facile aditum in Urbem obtinuerunt. Cateluſius in una turrium Joannem armis bene ſtipatum collocat, ipſe vero magno ſuorum agmine, & clamore per Urbem eundem Joannem proclamat Imperatorem. A) Ea proclamatio civium excivit ſtudia, Cantacuzenum vero in palatio metu perterruit.

Sunt, qui ajant, Cantacuzenum, tumultu cognito, ſalute deſperata, in Peribleptæ monaſterium continuo procurriſſe, monaſticumque illic habitum induiſſe; B) verum longe ab his diverſa de ſe ipſo Cantacuzenus: dudum inſtituti illius complectendi ſtudio tentum, ſe eam ultro opportunitatem cum conjuge Irena arripuiſſe; ac tametſi levi negotio propulſare Joannem quiverit, tamen vi, & cædibus abſtinuiſſe, communito militari manu palatio, per Legatos cum Joanne de concordia egiſſe, ſicque inter eos conventum, ut una utrique Imperio moderarentur; Matthæo, quæ circa Adrianopolim attributa fuit Regio, cum poteſtate maneret, non tamen ad liberos illius, ſed Joannis olim transmittenda; hiſce pactis conventis, receptum fuiſſe in palatium Joannem, & auxilia, quæ ad vim propulſandam ex Thracia acciverat Cantacuzenus, redire juſſa; aliquot exin dies amice inter ſe converſatos eſſe, egiſſe de bello Turcis inferendo; quod tamen niſi validis undique accerſitis auxiliis, non aggrediendum ipſe auctor fuerit; poſtremo ultro, ac libere rerum humanarum pertæſum ſe, conſilium de monachatu ſuum Joanni aperuiſſe; eoque licet renitente & mœſto (quod quidem creditu perquam difficile) veſtem monaſticam, cum Joaſaphi nomine aſſumpſiſſe; C) Novo huic Joaſapho Manganorum aſceterium, Irene vero, quæ jam Eugenia nominata eſt, Marthæ delectum fuit. Huc ergo tanta illa contentio, accita toties Barbarorum auxilia, Imperii diminutio, excidia, & cædes regnandi gratia conſcitæ reciderunt! quod ſi hoc fuit ſapere, quid demum obſecro erit deſipere?

Everſo hunc in modum ſocero, ad Matthæum quoque ejus filium in ordinem cogendum Joannes ab Urbe prodiit; nec perfectu arduum opus fuerat, ſi modo Orchanes adjungi ad amicitiam poſſet, arma pro Matthæo moturus; forte Solimanum ejus filium Calothetus quidam Phocææ Præfectus navi piratica comprehenderat, quem ſi Joannes vendicaret in libertatem, amica omnia pollicebatur Barbarus; huc igitur curas vertit Imperator. At Calothetus elabi ſibi e manibus tantam citra lytrum prædam non ferebat; in quem, ut fruſtra minas jecit Joannes, centum aureorum nummum millibus Solimanum e captivitate redemptum Orchani dono miſit; ea res neutrarum dehinc partium Orchanem reddidit.

Cæterum Matthæum non arma Joannis, ſed Serviorum oppreſſere. Defuncto ſub id tempus Stephano Duſciano, Rege Serviæ, ſucceſſit filius Uroſius Junior; verum turbatiſſimo rerum ſuarum ſtatu diu potiri non valuit; namque patruus illius Simon, Acarnaniæ Princeps arma in nepotem tulit; quo flagrante diſſidio, plerique Provinciis Præfecti, quæ ex ſpoliis Græcorum ampliſſimæ jam erant, Dominatum ſibi earum aſſeruerunt;

A) Sic rem exequitur Ducas p. 16. At Cantacuzenus non meminit Cateluſii; verum Joannem una tantum armata navi appulſum, tumultu in Urbe concitato, licet facile id factu fuerit, non tamen a ſe expulſum. B) Ducas ibidem. C) Cantacuzenus hæc aliquot ſub finem Hiſtoriæ capitibus; niſi forte ad elevandam ignominiam talia commentus.

A.C. 1355 runt; e quorum numero fuiſſe ferunt Boichinam Phæris Præfectum, A) Nicolaum Altomannum Comitem Uſcienſem, Angelum Nicephorum, qui Theſſaliam velut hæreditate ſibi debitam arripuit, Lazarum Bulcovicium, & Vuccum Brancovitzium hujus generum, qui duo vicinas Ungariæ ejus Regni partes Deſpotarum titulo poſtea uſurparunt; ſic magna illa Stephani Regis potentia brevi labefacta, ac etiam diſſipata eſt, maximo rei Chriſtianæ detrimento; ſiquidem uſurpatas a tot Dominis Regiones pronum deinde Turcis obruere, atque proterere fuit.

Iſthoc flagrante inter Servios bello, Matthæum ſpe occupandæ Macedoniæ impleverant ſeditioſi nonnulli Servii, Boichinas præ cæteris, eumque ad ſeſe evocabant. Rapta ſuorum, milliumque aliquot Turcorum manu, tanquam ad certam jam prædam continuo provolavit Matthæus; at cum Barbari in Servios, ceu hoſtes ferocirent, offenſi illi cum Boichina, armis in graſſatores verſis, acri dimicatione profligarunt Matthæum, ac etiam fugientem occuparunt. Joannes Palæologus, ut Matthæum in poteſtate Boichinæ eſſe cognovit, maxima pollicendo impetravit demum, ut ſibi dederetur; ſic Matthæus cum omni ſua familia in Tenedum Inſulam relegatus, carcerique mancipatus eſt. B)

In eum tamen mitiorem opinione Joannes ſe præbuit: neque enim vel oculos, ut multi ſuadebant, eidem eripuit, nec vitam ærumnis impetiit; quin rogatu ſoceri haud multo poſtea libertati eundem ſuæ reddidit, iis pactis: ut Deſpotarum contentus honore cætera abdicaret. Illud vero admirere, Matthæum in hac fortuna, & in tot Imperii illius præcipitiis tam animo fuiſſe obfirmato, ut demotionem hanc ab Imperio ſuam pro infelicitate omnium maxima duceret, & carcere attineri, quam hiſce conditionibus ſubſcribere, paratior eſſet. Cantacuzenus tamen, ſuſcepto ad filium itinere, fregit multis eum ſermonibus, ac ut tempori, fatoque cederet, demum perſuaſit. Libertati redditus Matthæus, cum Manuele fratre, qui Urbibus aliquot in Peloponneſo Præfectus erat, tranquillus deinceps vitam duxit; huic filii quoque ex Irena, Palæologi Demetrii filia, ſuſcepti ſunt Joannes, & Demetrius; ille Deſpotæ, hic Sebaſtocratoris dignitate ab Imperatore ornati. C) Porro Joannes Cantacuzenus, qui octennium circiter Imperio præfuit, D) multos adhuc in monachatu annos in Atho monte exegiſſe memoratur, E) tumque prolixam eam ſcripſiſſe hiſtoriam, de qua pleraque horum compendio relata ſunt;

Hiſtoricus utique, quam Imperator, melior, & qui videri dignus Imperio poterat, ſi nunquam imperaſſet.

JOAN.

A) Cantacuzenus c. 43. l. 3. Laonicus p. 11. enumerat quosdam de his Præfectis, & Boichinam hunc Bogdanum nuncupat; ſed omnia e more ſuo perturbatiſſime. Videndus etiam de hoc in familiis Dalmaticis Uroſius Junior Caroli Ducagini. B) Cantacuzenus l. 4. c. 45. C) Hiſce narratis deſinit Cantacuzeni Hiſtoria. D) Phranzes ſex annis, & ſeptem menſibus eum præfuiſſe ait. Neſcio, quo errore in apparatu ad Hiſtoriam Byzantinam Cantacuzenus Anno C. 1347. Imperio excidiſſe ponatur; cum certe conſtet ex Gregora coævo, illum Anno C. 1351. adhuc imperaſſe; rectius igitur cum Ducagino in familiis Byzantinis hæc in Ann. C. 1355. referuntur. Vide etiam notas ad Michaelem Ducam p. 174. E) A Michaele Duca p. 17.

JOANNES PALÆOLOGUS.



RE tentum tanto conatu, & ambitu Imperium diu quidem, ſed flagitioſe, unaque infeliciter adminiſtravit Joannes, ſi tamen imperium nominari jam poterat, concluſa ad exiguum Thraciæ angulum poteſtas, Turcorumque Sultanis obnoxia. Joannes enim exturbatis æmulis, velut omnia in vado jam eſſent, otio ſe, comeſſationibus, fœdæque libidini totum dedit; A) poſt vero augeſcente in immenſum Turcorum potentia, deſperata velut Republica, fortunæ vela, ventisque permiſit, ac tantum abeſt, ut generoſos aliquando ſumeret animos, ut abjiceret etiam magis, ac ad extremum uſque ſenium flagitioſum illud vitæ inſtitutum complecteretur; at Turcorum Principes, qui tunc primo pedem in Europa defixerant, agendo, bellando, occaſionibus ſolerter inhiando, ac celeritate, qua valent plurimum, omnia permiſcendo, prolatabant Dominatum in Europa; ut qui hoc tempore vix uno, alteroque iſthic loco munito potirentur, paucos intra annos tota Græcia, quin ad Ungariæ ipſius fines, & feliciſſime quidem bellarent. Joannis iſtius res geſtæ nec multæ, ut in Imperio jam admodum attenuato, nec ſat ordinate ad poſteros incuria ſcribentium transmiſſæ ſunt; B) quamobrem veniam merebitur brevior, quam pro annorum numero iſthic futura narratio. A.C. 1355

Ab inito ſtatim Imperio cum videret Joannes, res Turcorum valentiores jam eſſe, quam ut tam facile Europa pellerentur; adhæc Servios, ac Bulgaros, memoratis aulæ Byzantinæ diſcordiis præclare uſos, plurima Imperio ſurripuiſſe, majoraque etiam minitari, ad fœdus cum Solimano jungendum adjecit animum, auxiliares pro hoſtibus, ut rebatur, Turcos habiturus. Verum lupum, quod ajunt, auribus tenuit; eo enim fœdere confirmatus in Europa Solimanus, brevi ad maximam potentiam, & Byzantio formidandam aſſurrexit. Relicta Regione Joanni ſubjecta, adjunctisque etiam Græcorum copiis, in eas Provincias vertit arma Solimanus, C) quas Servii in Macedonia, & circa Adrianopolim occuparant. Et erant res Serviorum id temporis in factiones quam plurimas diſciſſæ; Uroſius enim Junior, de quo paulum antea, ut de patruo ſe vindicaret, Procerum potentiores, qui per eas turbas e Præfectis Regionum Dominos ſe effecerant, largitionibus, & donis cœpit aggredi, Dominatumque iis confirmare; quos inter fuit etiam Vucaſcinus Regioni a Phæris ad Iſtrum Præfectus cum fratribus Ugliesco, D) & Goico. Hunc Vucaſcinum in tantum honoribus excoluit Uroſius, ut eum Regem quoque Serviæ diceret, Imperatoris ipſe titulo, ut pater, ſibi arrogato; cæterum hæc Vucaſcini cum Uroſio armorum, animorumque conjunctio, diuturna 1356

A) Sugillant ſæpe Joannis hæc vitia Ducas, & Laonicus. B) Egere de Imperio Joannis, ſed admodum ſuccincte jam memorati. Ducas, Laonicus, & Phranzes, oppido id quidem perturbate, & ſine certa annorum nota, ut aliunde odorari illam, neceſſe ſit. C) Laonicus pag. 10. D) Ungleſem vocat Laonicus pag. 12. nec nominat Vucaſcinum, ſed Chratem, fortaſſe Kralem, ſive Regem; videndus de his in Serviæ Regum familiis Carolus Ducaginus pag. 229.

A.C. haud fuit; aliorum enim Procerum invidentia factum, ut Urosius ob nimiam Vucascini potentiam alienaret ab eodem sensim animum, inque inimicitias, & bellum prorumperet; inito deinde prælio, victus Urosius a Vucascino, captusque est, dumque fugam e carcere tentat, interfectus.

1357 Urosio sic perempto, Regis Serviæ tametsi in plures alias partes discerptæ titulum obtinuit Vucascinus, cumque Solimanum ferre omnia, & agere per Thraciæ partes sibi subditas intellexisset, ut intrepidus, strenuusque erat, cum fratribus Barbaro obviam processit; ac principio res præclare gesta: nam Solimanus prælio ab iis victus, ac tantum non Europa dejectus est. A) Non tamen cecidit hac sinistra Martis alea, ut fere adversis magis, quam prosperis Gens illa viget, Solimanus; sed plurimis ab Asia suorum accersitis, bellum instauravit; tum promotis Adrianopolim versus castris, oppidum quoddam ad Tænarum flumen obsedit. Ne tum quidem defuit partibus suis Vucascinus, magno suorum collecto exercitu; verum quos fortitudo superiores fecerat, hos disciplinæ militaris neglectus proclivi a victoria ad hunc prolapsu perdidit. Solimanus cognito Serviorum apparatu, fortissimos suorum octingentos deligit, eosque per invios calles, itinere quam maxime festinato, Serviis procul adhuc submotis, jubet occurrere. Servii nihil hostile in Regione tam ab hostibus remota veriti, soluto curis animo quiescebant; in hos ita imparatos repentino invehitur impetu Barbarus, ingentemque victoriam obtinet; quæ calamitas non modo maximam Serviorum partem, sed Vucascinum quoque cum fratribus oppressit. B)

Longe, lateque post hæc arma ad terrorem circumtulit Solimanus; expugnavit Adrianopolim, Philippopolim deditione cepit; & Servios illos Principes, aut ad clientelam adjunxit suam, aut perdomuit; neque ullam a procursionibus requiem Christianis sivit, Ducibus ad hoc usus strenuissimis Elibego, & Eurenosobego. C) Hisce tamen successibus haud diu frui licuit Solimano: cum circa Calliopolim venatu se oblectaret, equus forte fortuna prolapsus, cervicem Domino, & vitam elisit. D) Mortem Solimani secutus est post menses duos Orchanis patris, qui in Europam ipse non transierat, Prusæ excessus; quibus in Europa juxta, & Asia filius Orchanis Amurates successit; hic continuo in Europam cum copiis transgressus, non modo occupata per Solimanum asseruit fortiter, verum etiam longe, lateque Imperii sui terminos diduxit; præter enim severitatem illam crudelitati, quam æquitati propiorem, nihil in moribus barbarum habuit; in supplices misericors, in dedititios perhumanus, in fœderatos æquus, & datæ fidei tenax; in bellis vero gerendis assiduus, ac intrepidus; E) quæ viri dotes in illo Europæarum Gentium inter se odio, ignavia, levitate, non poterant non optatissimos habere successus; ut non tam mirum sit, tanta Amuratem in Græcia, & Mœsia patrasse, quam animo imperasse suo, ne Byzantium, omniaque circum pleno sibi Dominatu adjungeret. Nam Joannes quidem otio immersus, & vanitati, pro lucro ducebat, Urbem sibi cum vicina Thraciæ parte intactam linqui; Græcia, & Servia, cæteræque Provinciæ in mille partes divulsæ, ac inter se ut plurimum infestæ, non tam de perdendo Barbaro, quam suis quæque partibus adjungendo laborarunt; ut pronum fuerit, nuperis illis Asiæ prædonibus vastum subito, & invictum in Europa moliri Principatum.

Amurates igitur Adrianopolim profectus, hic armorum, & Imperii Europæi, ut in Asia Prusa erat, sedem constituit; occupavit Didymoticum, tum vicinas incursavit Regiones, plurimosque præsertim adolescentes rapuit pubertati proximos, quos in Asiam transmissos erudiri sermone Turcico, & armis, laboreque exerceri jussit; dein reduci in Europam, ac Prætorianorum numero peditum admisceri; unde validissimus extitit mili-

A) Laonicus p. 12. B) Laonicus p. 12. C) Annales Turcorum p. 247. Meminere quidem incursatæ a Solimano Thraciæ, sed victoriarum, & occupatæ Adrianopoleos non meminere; ista enim Amurati tribuunt. D) Annales ibidem. E) Phranzes p. 29.

militiæ ordo, quos Genitzeros, seu novos milites appellant, robur Turcicæ potentiæ propemodum insuperabile. A) Nec certe exquisitius aliquid A.C. 1357 in rem suam comminisci Amurates potuit, quam suismet manibus bellare in Christianos; & iis ipsis uti ad victoriam, a quibus exitium formidare, si sani essent, debuerat. Eodem tempore cum ingentes hominum juxta, & rerum prædas Turcæ in Asiam deferrent, ut ea res non privatis duntaxat, sed publico quoque commodaret, sanxit Amurates, uti deinceps tam hominum, quam rerum bello captarum pars quinta fisco accederet; quod Barbari etsi ad rem attentissimi, tamen communis boni causa lubentes præstitere.

Firmatis hunc in modum Turcorum in Europa viribus, vicino Bul- 1363 gariæ Regi arma Amurates intulit. B) Fuit is Susmanus, Alexandri vita functi filius, quem debellare viribus attenuatum, operosum haud erat. Namque Bulgaria morte Alexandri in partes, quæ erat Gentium illarum imperandi prurigo, distracta est; C) Strascimirus Susmani frater ea, quæ circa Vidinum sunt, Regio nomine usurpavit; qui a Ludovico Ungariæ Rege sub ea tempora debellatus, captusque, Vidinum Ungarico occupandum præsidio liquit; D) post vero annorum aliquot captivitatem, redditus Bulgariæ, Vidinum, & reliqua iis rehabuit pactis, ut in clientela Ungaricorum Principum Regionem obtineret. Hoc igitur modo attritos, & divisos; quidni Amurati proterere in proclivi fuerit? cæsus prælio Susmanus ad Amuratis clientelam perfugium habuit; filia quoque sua Barbaro in conjugem locata. E) Tum reliquos Serviæ, & Græciæ Regulos aggressus Amurates in clientelam pariter suam cogebat; ante alios Boichinam circa Phæras dominantem, necnon Constantinum Dragasen F) cujusdam in Macedonia Regionis Principem.

Eandem Amuratis clientelam, augescente supra modum Turco, subire Joannes quoque Imperator necesse habuit; eumque cum copiis suis, ac uno filiorum assectari; G) huc fastus ille Græcanicus, ac effrænis imperandi appetitio tam subito prolabi cœpit. Interim Amuratis laudatur in dedititios, & clientes fides, quos injuria non violaverit, sed auxerit potius beneficiis; quo sic ablata Barbaricæ societatis formidine, sensim volentes, ac nolentes in mancipatum denique suum detruderet.

Singulare magnanimitatis, & humanitatis documentum edidit Amurates, in Manuele Joannis Imperatoris, qui secundus ab Andronico erat, nato: Thessalonica occupata quidem a Turcis fuerat, sed intacta relicta, arci duntaxat Turcicum inerat præsidium; sive solita animi levitate acti Græci, sive injuriis ejusce præsidii provocati, Amurate longe tunc in Asia absente, Manuelem clam advocant, raptisque armis Turcicum illud præsidium exscindunt. Patrato facinore, cum non nesciret Manuel affuturos brevi vindices Turcos, jamque Charatinem cum exercitu in via esse, atque in se præsertim eorum furorem effusum iri, de tuto sibi perfugio circumspexit; primum Byzantium ad patrem recurrit, inde vero metu Amuratis rejectus, ad Lesbi Dominum Catelusium, verum & illic negatus illi aditus; idem cæteri fecere Principes, tantam irritare Barbariem haud tutum rati. Manuel igitur undequaque excluſus, audax ex desperatione capit consilium; ultro ipse adit Amuratem, culpam, ut erat, omnem ingenue pandit, veniam, gratiamque exorat. Ea juvenis confidentia, & candor adeo mollivit Amuratem, ut condonato protinus facinore, amice eundem complecteretur; placide duntaxat admonitum: amicitiam

A) Annales Turcorum pag. 249. etsi Laonicus jam ab Ottomano institutos ferat; sed forte aliquid simile molitus fuerit Osinan, Amurates vero perfecerit. B) Annus in margine appositus colligitur ex Annalibus Turcorum; quid vero intermediis annis actum sit, Scriptorum incuria reticet. C) Videndus & hic Ducaginus in familiis Regum Bulgariæ pag, 252. D) Bonfinius Dec. 2. l. 10. E) Laonicus pag. 17. F) Zarci Ducem vocat Laonicus. G) Laonicus pag. 15. Historicus oppido perturbatus; & qui in omnium Gentium Historias ita involat, ut nullam explicate tradat.

A.C. citiam firmius ut deinceps tueretur. A) Raram certe in Barbaro Principe animi moderationem, & vel in Chriſtiano jure prædicandam; Theſſalonicam, miſſo Charatine Duce multarum palmarum, & conſilio præſtante, occupavit Amurates.

1368 Hæc pluribus acta annis non eſt, ut dubitem, niſi forte ita armorum Amuratis terror eas pervaſerit Regiones, ut paſſim ad quietem retraherent ſe Græci juxta, ac Mœſi, ſuumque illud miſcendi omnia, ac perturbandi perenne ſtudium eo terrore compreſſerint, ut pronum eſſet Amurati, quieta Regionum illarum poſſeſſione perfrui; certe Scriptores pauca admodum & perturbate de his prodidere; eaque citra annorum notam, niſi quod ex Annalibus Turcicis ſermone eorum jam olim conſcriptis, & in Latium traductis, nonnullam annorum ſeriem adjungere liceat.

Hoſce Amuratis in Europa ſucceſſus interturbavit Turcorum in Aſia defectio; nondum minor Aſia, quanta eſt, in Ottomanicam hanc familiam conceſſerat; Cappadocia, Caria, Lydia, Jonium, ſuos ex Caramani, Amurii, Sarcanis, aliorumque familiis ſequebantur Principes; quorum exemplo alii quoque Provinciis ab Amurate Præfecti earum arripuerunt Dominatum. Bona hæc Chriſtianis dejiciendi ab Europa Barbari obtigerat occaſio, ſi non metu jam quodammodo obrutis, omnes animi vires defluxiſſent; hanc adeo non vertit in rem ſuam Imperator Joannes, ut ultro ad perduelles perdomandos ſocia Amurati arma junxerit, ipſeque utut Veneri accommodatior, quam Marti in Aſiam eundem ſecutus ſit. Barbaros illic tumultuantes facile qua vi, qua adhortationibus compoſuit Amurates; ſed dum negotio illi totus deſudat, majorem in Europa accepit calamitatem, & quidem ſperare unde minime poterat, profectam. B)

Diſceſſuri in Aſiam Amurates, & Joannes, regendis interea in Europa rebus præfecerant filios; hic Andronicum, ille Moſen; C) adoleſcentes hi fluxa & ætate, & animo crebrius inter ſe conveniunt; familiaritatem primum contrahunt, ac etiam mutuum in amorem exardeſcunt; eo denique temeritatis prolabuntur, ut fide juramentis firmata, perpetuum armorum, & animorum fœdus ad parentes adeo ipſos Principatu, quin vita quoque deturbandos jungerent. Nec diu meditatum latuit ſcelus: juvenes præſertim Turci, Græcique convolabant in caſtra agminatim, omnesque in verba adoleſcentum Principum cogebantur. Vehementer infremuit audita defectione Amurates; & quia Joannis aſtu conſcitam exiſtimabat, extrema illi comminatus eſt, nec ſuſpicionem unquam deleturum, niſi eodem, quo ipſe perduellem filium, Joannes quoque Andronicum ſupplicio plectat; pollicetur omnia Joannes; tum exercitus in Europam traducti. Adventu Amuratis ſubitaneo, & ipſa flagitii conſcientia, nutabant defectorum animi; nec pauci ab exercitu juvenum Principum deſciſcebant; quoad demum impunitatis veniam pollicitus ſuis Amurates, plerosque a filio abſtraheret. Didymoticum fuga cum reſiduis petiit Moſes, ſed acri cinctus obſidione, fame quoque intus debacchante, arbitrio ſe patris dedere neceſſe habuit. Hic iræ, & furori ſolito acerbius indulſit Barbarus; nam filio quidem ſuo oculos erui, cæteros vero nobiles Græcos juxta, Turcosque adoleſcentes a ſuismet parentibus jugulari juſſit, quod in officio eos tenere neſciſſent; id, qui facere renuerant, in profluentem cum filiis abjecti periere. D) Joannes Imperator idem ſeveritatis exemplum in filium Andronicum edere metu Barbari, & ipſe compulſus

A) Phranzes pag. 17. Aliter rem non nihil Laonicus; Phæris enim Urbi inſidiatum ait Manuelem; quo autem id anno evenerit, prorſus incertum. B) Laonicus pag. 16. Phranzes pag. 18. C) Moſen appellat Laonicus; Phranzes, & Ducas Kuntuzen. Nihil vero de hoc Annales Turcorum. D) Laonicus pag. 17. & Phranzes 19. Sic rem exequuntur, ajuntque: filium Kuntuzen ab Amurate non excæcatum, ſed necatum; Andronicum quoque, & Joannem ſimpliciter a patre cæcatos memorant; ſed Ducas pag. 18. non penitus cæcatos refert; nec certe Andronicus, & Joannes ea poſtea gerere potuiſſent, quæ geſſere, ſi penitus cæcati eſſent.

pulſus eſt; igitur in carcerem conjecto ferveus acetum oculis infundi juſſit; nec ei tantum, ſed Joanni quoque, illius ex Tuſmani Regis filia nato; non ita tamen, ut penitus adimeret viſum; ſed altero quidem oculo intueretur Andronicus, Joannes vero oblique ſpectaret; adeo inter Barbarorum, & Græcorum crudelitatem parum jam intererat, animis ſive barbarica conſuetudine, ſive religionis, quam præferebant, incultu efferatis. A.C. 1368

Domeſticis hoſtibus late perdomitis, ad cæteros, qui clientelam illius nondum ſubierant, Chriſtianos aſſidue divexandos arma vertit Amurates; igitur rurſus Conſtantinum Dragaſen, fortaſſe defectionem molientem, & Boichinam perdomuit, intulit arma Albaniæ, & Græciæ, ejusque oræ Dominos, plurimi enim illic Urbes, & Principatus arripuerant, ſervire ſibi, & militare coegit; id denique omni armorum apparatu ſpectabat, ut totius Orientis, Græciæque, ac ſi poſſet, Europæ univerſæ Imperium conſequeretur. A)

Hæc tanta Amuratis molimina in perniciem denique Conſtantinopoleos eruptura, nequaquam latebat Joannem; qui enim inexplebilis Turcorum regnandi ambitio, aliis circum perdomitis, Urbe omnium, quas tellus fert, ad habitandum opportuniſſima diu abſtineret? Hæc cum aſſiduus animo agitaret, excuſſo demum aliquantiſper veterno, in Italiam ad Principes Chriſtianos in Barbarum incendendos, jungendaque arma navigavit. B) Delatus primum Venetias, inde Romam, egit ſuper ea re cum Urbano V. Pontifice, C) apud quem annum integrum diverſatus eſſe, atque etiam fidem ritu per omnia Catholico profeſſus eſſe fertur. Illinc ad alios quoque Chriſtianos Principes progreſſus eſt, ſed ſucceſſu plane irrito; D) negotium quippe iſthoc difficilius viſum, quam ut in gratiam præſertim populorum illorum, qui ſuimet exitii toties, tamque aperte fuere cauſa, a Principibus per alia bella occupatis ſuſciperetur. Nihil igitur profectio iſta emolumenti præter illam Religionis profeſſionem attulit, detrimenti vero plurimum; per eam quippe & maximo ære alieno ſeſe obruit Imperator, & novi tumultus occaſionem improvidus attulit. Venetiis vetabant diſcedere Joannem creditores, ni prius nomina expungeret; ille moræ, ignominiæque pertæſus, ſcribit Andronico filio, quem ſui vice Urbi præfecerat, ipſius Amuratis voluntate carcere exemptum; uti aurum, ubi ubi demum corraſum, quamprimum ad ſe mitteret. Excuſat inopiam Andronicus, tergiverſatur, denique opem aperte negat; credibile, ſeveritatem in ſe patris ulciſci voluiſſe, aut imperandi, qua inſaniebat, cupiditate eo progreſſum. Manuel natu Junior cognita patris apud Venetos calamitate, longe aliud init conſilium; auro ſolerter parato, Venetias proficiſcitur, patreque ſalutato, creditoribus ſatisfacit; eo facto ingentem in patris animo gratiam Manuel, contra vero atrocem Andronicus indignationem excitarunt. E) 1369

Byzantium ut venit Joannes, apertum in Andronicum præſetulit odium, favorem vero in Manuelem ſingularem; qui cæteroqui moribus quoque multum fratri præſtabat, ingenio uſus exquiſito, literisque apprime exculto. In hac animi ab Andronico alienatione Joannes conſilium cepit, florentiſſimis etiam vertendis Imperiis natum, nedum affli-cto jam, & fatiſcenti, Juniorem nempe Manuelem præferendi Andronico, & ſucceſſorem in Imperio deſignandi; nec in longum ivere hæc conſilia: aſſenſu Procerum quoque accedente, deſignatus ſucceſſor in Imperio eſt Manuel, atque ornamentis Imperatoriis decoratus. F) 1371

Exarſit enimvero facto iſthoc Andronicus, animo juvenis impotenti, nec vel Barbaricis armis abſtinendum ſibi cenſuit, dum ſucceſſionis tam 1372

A) Paucis hæc expreſſa a Laonico p. 20. Annales quoque Turcorum obiter res Amuratis expediunt. B) Hujus in Italiam diſceſſus meminere Phranzes p. 19. Laonicus p 20. C) Spondanus ad annum 1369. D) Phranzes ait, Joannem etiam in Gallias ad Carolum Regem tunc profectum; quod in tanto aliorum ſilentio dubium merito fuerit. E) Phranzes p. 18. F) Phranzes p. 19.

A.C. licet fluxæ jura aſſereret; itaque ad Sultanum profectus, arma, opemque
1372 flagitat, annuum pollicetur tributum, inſuper liberam Judici Turco in Urbe manſionem, qui Barbaris illic negotiantibus jus dicat; hanc Chriſtianorum diſcordiam tam rebus Turcicis accommodam complexus Amurates, A) facile exorari paſſus eſt; attributisque ſuorum aliquot millibus Andronicum in patrem expedivit. Forte in palatio, Peges nominato, extra Urbem tum Joannes morabatur, ac Manuel filius, nihil rerum ejusmodi ſuſpicati, quod fœdera cum Turcis ſancte obſervarent; comprehenſi igitur ab Andronico pater, fraterque, Urbs occupata, in qua deinceps Andronicus, patre, & fratre in turrium quadam concluſis, annos duos, ac menſes ſex imperavit.

1374 Hoc evoluto temporis ſpatio, ope cujusdam, cognomento Angeli, clam Joannes, & Manuel carcere elapſi, ad Sultanum & ipſi confugiunt, armis illius adverſus Andronicum protegendi; quæ ab eo impetrare, ſi modo ampliora, quam Andronicus pollicerentur, tam facile erat, quam facile vulpes pyrum comeſt. Exaggerant igitur promiſſa, triginta quot annis tributi nomine aureorum millia, duodena cum uſus popoſcerit bellatorum; B) adhæc Urbem Philadelphiam in Lydia, celeberrimam juxta, & munitiſſimam, quæ ſola in totius Aſiæ naufragio ad hunc diem Principibus Byzantinis adhæſerat; talia hæc promiſſa, gaudentem diſcordiis iis Turcum, ineſcare facile poterant; addicit igitur ſuam in reponendis iis operam, non tamen prius in rem conferendam, quam Philadelphia in manus ſibi detur. Expedit confeſtim Imperator, qui Philadelphienſibus Turcicum immitti præſidium imperet; verum averſati cives Barbaros imperata detrectarunt, ut neceſſe fuerit, exercitu vallare Urbem, in qua oppugnanda, & expugnanda ipſi Joannes, & Manuel fortem Barbaro navaſſe operam dicuntur. C) Quid his hominibus facias, quibus perdere corpus, ne umbram amitterent, tam jucundum fuit? Ut Philadelphia in poteſtatem Barbari delapſa eſt, quo juſtitiæ is fucum aliquem Urbi obtruderet, neve levitatis in auxilio addicendo poſſet argui, Legatum in Urbem ire juſſit, qui Primorum ſciſcitaretur voluntatem: utri nempe Andronico, an Manueli parere malint; cum plerorumque vota in Manuelem inclinata Legatus retuliſſet, faceſſere ab Urbe juſſus eſt Andronicus; isque metu Barbari continuo emigravit. D) Joannes in Urbem reductus coronavit Manuelem, Andronico Theſſalonica ad habitandum aſſignata; Theodoro vero tertio genito, Lacedæmon Deſpotæ titulo, emortuis Cantacuzeni liberis, attributa. Sic cum vix jam eſſet, ubi imperarent, erat tamen, ubi litigarent de Imperio, miſerasque illius lacinias inter ſe diſcerperent.

1380 Redditus Urbi Joannes, abjectis penitus belli curis, ad ſolitam corporis, animique intemperiem rediit; nec deinceps de illius Imperio quidpiam Scriptores; niſi quod Manuel cum centum equitibus aſſiduo Amuratem in caſtra ſequi neceſſe habuerit. E) Amuratis in Græcia, & Mœſia progreſſiones maximæ per hos annos fuere, non tam præliis, quorum tamen tricenis plura conſeruiſſe victor fertur, quam Urbium, & Provinciarum occupationibus; quippe illis inter ſe diſtractis, aperto cum Turcis prælio contendere haud tutum erat. Ab eo igitur per hos annos occupata plurima Albaniæ, Græciæque loca, opera præſertim Schachini, Euroneſi, & Cairedini Ducum; quæ inter fuere Urbes Megalgara, Polina, Merolia, Civale, Dire, Serræ, plurimæque aliæ. F) Hæc

A) Non neſcio, & Phranzen p. 20. & Laonicum p. 25. Bajazeti hæc, non Amurati attribuere; ſed profecto anni non cohærent; nam juxta Annales Turcorum Amurates exceſſit primum anno Hegiræ 791. id eſt: Ch. 1390., uno autem, vel ſummum altero poſt ſecuta eſt Joannis mors; non igitur iſta ſub Bajazete, tum primum Imperium auſpicante, geri poterant. B) Phranzes p. 20. C) Laonicus p. 26. ſolus, quod ſciam, operæ Imperatorum in Philadelphia oppugnanda meminit; & Urbis Turco traditæ. Diverſus a Phranze, & Laonico hic Ducas; ultro enim Andronicum profugo patri Imperium reddidiſſe ait: nec meminit in eo negotio Turcorum; Andronico autem Selybriam cum quibusdam Urbibus in Thracia aſſignatam. D) Phranzes p. 20. E) Laonicus p. 21. F) Hæc breviter de Amurate Annales Turcorum p. 248. Nomina tamen Urbium Græciæ, & Thraciæ plerumque depravant dicti Annales.

Hæc compendio a Scriptoribus relata, cum plures per annos pro li- A.C.
bidine ſua deſignaſſet Amurates, demum Lazarus Bulkovicius, qui circa 1390
Belgradum, & Senderoviam Deſpotes titulo regnabat, cum Vucco Brancovicio genero ſuo, qui circa Caſtoriam, & fines Boſniæ Regionem obtinebat, magnum coegit Serviorum, & Raſciorum numerum; quibus importunum Barbari Dominatum, imminensque cervicibus exitium retunderet. Prodiit adverſus hos Amurates ſub annum Chriſti tercenteſimum nonageſimum ſupra milleſimum. A) In campo Merularum, aliter Coſſovo, appellato, ad decretorium certamen ventum eſt magnis utrinque & animis, & copiis, multo tamen Barbarorum exercitu majore; ad fraudes itaque veniendum Lazaro fuit. Dum pugnam expectarent acies, quidam de Serviis caput generoſe pro ſalute ſuorum devovit: iturum ſe ſpecie transfugæ, ac Amuratem velut ſecreto rem magnam afferat, aditurum; tum vero inter colloquendum ſicam in Barbari ventrem adacturum, ſicque victoriam morte etiam, ſi caſus ferat, ſua Chriſtianis donaturum; nec aliter, ac pollicitus, egit; admiſſus ad Amuratem, peremit eum continuo, ipſe quoque a circumſtantibus diſcerptus; victoriam tamen, ut putabat, ſuis nequaquam peperit; Turcæ enim occultata, ut poterant, Amuratis nece, duos illius liberos, Jacupen, & Bajazeten in tentorium advocant; Jacupen rebus gerendis minus idoneum, priorem immittunt, ac ne turbis daretur occaſio, protinus interimunt; Bajazeten vero introductum, Sultanum omnes conſalutant; exinde furore, & alacritate nova incenſi, ruunt in Servios, eosdemque cruenta, & difficili pugna ſternunt, fugant, Deſpotam ipſum comprehenſum in conſpectu Bajazetis minutatim diſſecant. Ab hoc prælio cepit Bajazetes Scopiam, eodemque & in loca vicina Turcorum deduxit colonias, ut hi Albanis, & Illyriis objectis cæteras Turcorum Regiones tutarentur; incurſavit deinde Boſniam, Valachiam, Vidinum in poteſtatem egit; qua victoria mirum ut ubivis inclaruerit Bajazetis nomen, & armorum terror, utque reliqui per Græciam, Serviam, & Illyricum Reguli ejus certatim gratiam expetierint. Lazari cæſi filius Stephanus, ſorore ſua Millieva in conjugem Sultano data, & ſtipendiorum penſitatione, Provinciam, pacemque mercatus eſt; B) ad hujus quoque fœdus, & opem adjunxit ſe Brancovicius; tum vero amicitia Barbari, an magis ſervitute procurata, infeſtis ſe armis duo hi Deſpotæ atterebant; quoad Stephano, ſero demum ſine liberis demortuo, Georgius Brancovicius, Vucci filius, eam quoque circa Senderoviam, & Belgradum, Serviam, ſed mille inter turbas, & nuſquam ob Barbarorum viciniam tuto obtineret.

Amuratis interitum uno, alterove poſt anno ſubſecuta eſt mors Jo- 1391
annis Imperatoris; C) qui non longe ante exceſſum, licet ita podagra, aliisque per intemperantiam adſcitis morbis exerceretur, ut ſtare erectus haud poſſet, tamen novis ſe nuptiis, iisque pene pudendis illigavit; Manueli ejus filio allata in conjugem fuit Alexii Comneni, Trapezuntini Principis filia Eudocia; cujus Joannes aſpectu in transverſum raptus ſibimet eandem in locum filii copulavit; D) nec diu poſt morbis confectus interiit; poſteaquam quinquagenos, & amplius annos ab obitu patris, a Cantacuzeni vero exterminio ſex & triginta, imperaſſet; novem autem, & quinquaginta vixiſſet, magna ruinæ Orientalis Imperii occaſio primum, dein etiam labes. Ferunt eundem paulum ante exceſſum e templorum parietinis munimentum quodpiam firmiſſimum prope auream portam molitum

A) Hunc annum Annales adſcribunt Turcici; & prælium Amuratis cum Lazaro hunc in modum deſcribunt; quamvis non defuit & alia hujus prælii narratio, quam habet Laonicus p. 24. qui inſuper Jacupen a Bajazete fratre necatum prodidit. B) Ducaginus in familiis Dalmaticis p. 260. C) Incertum prorſus, quonam anno vivere hic Joannes deſierit; ob varie aſſignatos Imperii illius a Scriptoribus annos; cæterum ſi verum eſt, quod prodidit Phranzes, Manuelis poſt Joannem Principatum annorum duorum, & triginta fuiſſe, eundemque circa A.C. 1422. in Joannem filium Imperium transmiſiſſe; conficitur: Seniorem hunc Joannem principio anni in margine annotati vitam amiſiſſe. D) Laonicus p. 34.

A.C. 1391 litum esse, extremum, si periculi quid ingrueret, sibi, suisque perfugium. Verum cognita operis molitione jussisse Bajazeten dejici continuo propugnaculum, ni bellum præ pace Joannes malit; Joannem eo nuncio exsternatum, quod Manueli quoque filio, tunc in Sultani comitatu existenti metueret, dejecisse propugnaculum tot impendiis erectum, eaque re vix perfecta fato functum; A) Manuelem vero, audito patris interitu, clam Bajazete in Urbem recurrisse, eaque exacerbatum fuga Bajazeten ad bellum Manueli inferendum, Urbiumque Principem extorquendam consilia retulisse; hæ vero molitiones ut se Bajazeti, & Manueli dederint, nunc porro exequendum.

MANUEL PALÆOLOGUS.



Bajazetes Gilderun a suis, sive fulgur ob summam in agendo vehementiam cognominatus, mirum est, ut acri, versuto, & inexplebili fuerit animo, utque continuo ad Europæ universæ, Asiæque Dominatum aspirare, quin etiam grassari cœperit; ut nisi mature tantos elidere conatus, ac successus & tragico quidem exitu, Deo visum esset, actum non de Byzantio modo, sed Regnis Europæ plerisque, tot discordiis per ea tempora agitatis, fuisset. Post victoriam superius memoratam in Asiam profectus, ingentes illic terrarum tractus occupavit, a Turcorum Principibus; qui Lydiam, Jonium, Cappadociam, cæterasque Asiæ Regiones tenebant, ex Amurii, Sarchani, & aliorum posteris, qui cum Osmane quondam minorem Asiam partiti erant; hos aut exturbavit penitus Bajazetes, aut quod Caramano Principi factum, magna Regionis parte mulctavit. B)

Hoc confecto e sententia negotio, priusquam Imperator Joannes oppeteret, redux in Europam Bajazetes Theodoro, Joannis filio, qui tunc cum Manuele, & Constantino Dragase in comitatu Bajazetis erat, acerbe ob Monembasiam Urbem, cuidam Mammonæ clienti suo in Peloponneso ereptam, comminatus est; C) nec illi modo, sed universim Christianis omnibus, si facere porro imperata detrectent. Commoti atrocibus hisce minis Principes illi, cum & alias cernerent, nihil agere aliud Bajazetem, impotentissimi, & arrogantis animi hominem, quam ut eos rebus suis evertat, ac perdat, clam inter se fœdus, & defectionem a Tyranno paciscuntur, illudque affinitate firmant, Constantini Dragasis filia, Helena Manueli juncta.

Manuel parente e vivis ablato, in Urbem, ut dictum, insciente Bajazete recurrit; Theodorus in Peloponnesum profectus, Lacedæmonem, cæterasque Urbes adversus vim injustam communiit; contra vero Bajazetes Pharsalium, Zethumium, Patras, pluraque per Thessaliam eripuit, D) tum ea etiam loca, quæ Daulo Principi, e Catalanis profecto, ac tunc illius viduæ

A) Ducas pag. 20. B) Laonicus pag. 27. C) Phranzes pag. 21. D) Laonicus pag. 28. Ducas pag. 20.

duæ parebant; quæ oblata Bajazeti filia libertatem sibi mercata est; adhæc depopulatus per Duces Peloponnesum, omniaque per Thraciam ad Pontum usque Euxinum infesta habuit; denique Constantinopolim ipsam a commeatu terra exclusam obsidere cœpit; ut jam non bellum gerere, sed uno omnia impetu proruere, & universim Christianos exterminare velle videretur. A.C. 1391

Hæc tam importuna Bajazetis barbaries coegit Manuelem ad auxilia Pontificis Romani, Regum, ac Principum Europæorum recurrere, omnemque ceu in ultimo jam naufragio tabulam prensare; missi proinde ab eo Legati Romam, ad Sigismundum in Ungariam, ad Carolum VI. in Franciam, cæterosque, qui immenso huic & ni obruatur, in omnes prorupturo incendio opem, & operam orarent. A)

Sigismundus ante alios, quem tam vicini parietis terrebat ruina, armavit Ungariam in Barbaros, B) quem præter commune periculum Serviæ quoque, & Bulgariæ, quæ in clientelam illius se dederant, cura in id bellum exstimulabat. Cum igitur audisset Turcos, occupata Nicopoli, in Valachiam quoque irrupisse, & socia defluentibus a fide Valachis arma adjunxisse, producto in illos exercitu, rem fertur gessisse auspicato, cæsis luculento in Valachia prælio Barbaris, ac Nicopoli minore, quæ in ripa Istri Valachiam respectante sita est, manu armata potitum esse. c) 1392

Cæterum Turcorum vis, & ferocia non ejusmodi jam fuit, uno ut felici prælio contundi posset; insurgebant illi acrius, vicemque reddebant victoribus; majore igitur & numero, & apparatu opus erat, ad reprimendam belluam tot Provinciarum, Regnorumque spoliis in immensum augescentem. Plurium id consociatio Gentium effectura sperabatur: Rex Galliarum Carolus VI., ad societatem belli a Sigismundo invitatus, millia aliquot Francorum Duce Nivernensi patruele suo, Philippo Artesiæ, aliisque clari nominis Principibus in Ungariam expedivit; adfuere valida Germanorum quoque, Belgarum, Bohemorum auxilia, tum Ungaria pene omnis in armis fuit; ut centum facile bellatorum millia censerentur; jactaretque Sigismundus, vel si cœlum ruat, hastarum in Barbaros latarum multitudine sustentatum iri. D)

Ante vero, quam armis experiretur Sigismundus, legatione missa tentandum censuit Barbarum, si quo modo pacatus, Bulgaria, & Valachia decederet. Legati cum jura Regum Ungariæ in eas obtenderent Provincias, a Bajazete in ædem inducti fuere, armis undequaque probe instructam; quibus ostensis ajebat Bajazetes Legatis: irent ad Regem suum, juraque Turcorum in his, quæ viderant, constituta dicerent. E) Eo responso sat indicatum, quid Barbaro esset animi; proinde Sigismundus Nicopolim versus exercitum promovet, arces Turcicas, & monumenta passim proruit, minoribus præliis ferocientem hostem sæpe compescit; demum ad Nicopolim cum universo exercitu mira omnium alacritate consistit; adversus quem Bajazetes ipse cum majore multo suorum robore properabat. Non dubiam Christiani victoriam manibus tenuerant, ni animorum, & consiliorum, ut fere in diversarum commixtione Gentium usuvenit, disjunctio eam evertisset; primam in conflictu aciem deposcebant Ungari, ceu rerum Barbaricarum magis gnari, idque prudentioribus visum; negabant generoso succensi calore Galli, cæterique; quin non exspectato Ungarorum e castris egressu, solito cum impetu Barbaros adorti sunt; cumque multitudine obrui se cernerent, equis suo pro more desiliendo pugnam ferociter miscuerunt. Vacui sessoribus equi in castra cum tumultu refugerunt, quo conspecto Ungari, ignari moris Gallorum, ac cæsos universim illos rati, animis cadunt, nec tam de ope sociis ferenda, quam fuga capessenda circumspectant; Turci interim, ut celerrime occasionibus 1396

A) Ducas p. 20. B) Laonicus mire prædicat virtutem Ungarorum militarem: γένος δε τοῦτο ἄλκιμον, genus est hominum eximiæ fortitudinis &c. C) Bonfinius Decadis 3. l. 2. D) Bonfinius loco citato. E) Phranzes p. 21.

A.C. uti norunt, Francis multitudine ipſa obrutis, in turbatos jam effuſi Un-
1396 garos, magnam illis quoque cladem apportant. A) De Francis octo ſolum ſuperfuere Proceres cum Nivernenſi Duce; qui permagno poſtea libertatem emit, comprehenſi, Prusnamque abducti; Sigiſmundus ſcapha forte reperta trajecit Iſtrum; illinc vero Ungaros ob adminiſtratum male negotium permetuens, cum & alias inviſus illis eſſet, primum per Valachiam Conſtantinopolim, B) inde Rhodum, ac in Dalmatiam profectus, longò, & diuturno errore Ungariam repetiit.

Vicena Chriſtianorum, ſexagena vero Turcorum millia in hoc prælio cæſa perhibentur; C) mirum profecto, ſi victi, & turbati eam victoribus cladem intulerint! at ſolenne victis exaggeranda hoſtium cæde vulnera, dedecusque, ſuum delinire. In pugnæ iſtius enarrando modo, & anno aſſignando, magna Scriptorum eſt diſſenſio; plures, ut memoratum eſt, rem efferunt; Ducas vero Michael poſt acrem dimicationem perruptos ab Ungaris, & Gallis Turcorum ordines, magnaque cæde ſtratos narrat, ac etiam in fugam inclinatos; D) verum millia decem Genitzerorum, ex inſidiis a lateribus in Ungaros invecta, perturbationem primum, mox fugam univerſis injeciſſe, multos autem Danubio ex iis hauſtos; Annales denique Turcorum ajunt: E) Bajazeten nocturno in Chriſtiana caſtra impetu invectum, cladem late, & præcipitia in Iſtrum intuliſſe; iidem Annales ad annum Hegiræ ſuæ ſeptingenteſimum quadrageſimum quartum, hoc eſt: Chriſti milleſimum tercenteſimum nonageſimum ſecundum eam adſcribunt victoriam; quibus adſtipulatur F) & Phranzes, cæteri omnes ad milleſimum tercenteſimum nonageſimum ſextum; niſi forte Annales priorem illam ad Nicopolim pugnam ſolummodo meminerint, in qua tamen victores, non victi feruntur Ungari; aut quod non vane ſuſpicantur quidam, G) ter ad Nicopolim pugnaverit Sigiſmundus, victor ſemel, & bis victus; ſicque & narrationum, & annorum diverſitas conciliari facilius valuerint.

Bajazetes tam illuſtri potitus victoria, non tamen ſive metu, ſive morbo præpeditus, Ungariæ pedem inferre attentavit, intulit tamen Valachiæ; cui Myrxes Sigiſmundo fœderatus tunc præerat. Cæterum in Valachia adeo nihil profecit Bajazetes, ſequente per aſperrima loca cum exercitu Myrxe, & Turcos undique carpente; ut propemodum interclusus, & obrutus fuerit. H) Demum nullo alio operæ pretio cujusdam de ſuis conſilio eduxit ab ea locorum iniquitate exercitum, atque ad Conſtantinopolim toto niſu oppugnandam ſeſe retulit.

Hic rurſus non diverſa modo, ſed prope pugnantia narrantur. Laonicus, I) & Phranzes auctores ſunt: decennio tunc integro Byzantium a Bajazete ea oppugnatum ratione, ut æſtate quidem omnia circum Urbem infeſta haberet, hyeme vero retraheret illinc copias; ea obſidii diuturnitate factum eſſe, ut extrema malorum Urbs perferret, civibusque partim fame enectis, partim vero profugientibus ad paucos redigeretur. Durante præterea obſidione illa eveniſſe, ut Joannes, Andronici filius, Imperatoris Manuelis ex fratre nepos, qui Selybriam ſub tutela Bajazetis obtinuerat, in gravem apud hunc ſuſpicionem incurreret, velut ſi per Joannem ſteterit, quo minus Barbari Byzantio potirentur; illum vero iras Bajazetis veritum profugiſſe in Urbem ad patruum, Selybriam a Barbaro occupatam; Joannem a Manuele benevole ſuſceptum eſſe, Urbique interea Præfectum; quoad Manuel in Europam Urbi extreme laboranti ſubſidia paratum iret. Iſſe igitur durante adhuc obſidione Manuelem in Italiam ad Franciſcum Mediolani Ducem, in Galliam ad Carolum Regem, exceptum ubivis honore Imperatorem condecente; at quod Rex Caro-

A) In eum modum non Bonfinius modo; ſed Spondanus etiam ad hunc annum, & reliqui prælium iſthoc deſcripſere. Laonicus quoque p. 31. B) Phranzes p. 21. C) Bonfinius ibidem. D) Ducas Michael p. 21. E) Pag. 249. F) Pag. 22. G) Videndus & Spondanus ad annum Chriſti 1593. H) Laonicus p. 33. I) Laonicus p. 33. ſed admodum pro more ſuo perturbate. Phranzes p. 22.

Carolus furore quodam correptus ægrotaret, præter amplas pollicitationes nihil ex ea profectione ſubſidii retuliſſe. A) Sub tempus ejusdem illius obſidionis Duces Turcicos, Jagupen, & Brenezen cum quinquaginta armatorum millibus in Peloponneſum miſſos, Urbem quidem Argos locupletem diripuiſſe, cætera vaſtaſſe; Andronicum B) Palæologum hiſce exterritum, Theſſalonicam quinquaginta aureorum millibus Venetis venundediſſe; Lacedæmonium vero Principatum a Theodoro Palæologo equitibus Rhodiis pretio datum. At cum Lacedæmonii extrema quævis perpeti, quam Rhodiis ſubjici mallent, eosdemque vi armata Urbe excluderent, reddito Rhodiis auro, Lacedæmonem tametſi ægre admiſſum Theodorum, & juramentis, ne quid tale dehinc attentaret, adactum, rehabuiſſe. Denique ne Byzantio, & Lacedæmone potiretur Bajazetes, bello a Tamerlane illato factum. A.C. 1396

Hæc quidem de diuturna illa obſidione jam memorati. At Ducas Michael C) multo ſecius iſta exequitur; neque enim decennii in obſidenda Urbe meminit, nec Joannis in eam profugi; verum Manuelem, cum cerneret Urbem ad extrema adactam, civesque deſperata ſalute quovis modo ad paciſcendum cum Barbaro obfirmatos, ultro Joanni apud Bajazetem exiſtenti Imperio ceſſiſſe; Bajazetem cum Joanne amicitiam, & fœdera pactum, eo præcipuo capite: ut Turcis vicus in Urbe unus cum Turcico Judice concederetur. Pacis ita confectæ, vicique unius attributi, meminere Annales quoque Turcorum, D) & obſidioni illi biennium tantummodo tribuere videntur.

In contrariis hiſce narrationibus potiores videtur ferre Phranzes, ætati illi propior; ut qui obſidione hac perdurante in lucem venerit, & apud Manuelem, filiosque illius gratia, auctoritateque poſtea valuerit; ut videantur ævi illius res geſtæ, minus illum fallere potuiſſe. Porro decennium obſidii ita accipiendum fuerit, ut totum illud intermedium ſignificetur tempus, quod inde ab occœpto Manuelis Imperio ad bellum Tamerlanicum fluxit; infeſtus enim Manueli ab ejus in Urbem profugio ſtatim fuit Bajazetes; & quamquam in alios quoque bellaret interea, recurrebat tamen identidem Byzantium, Urbique tam nobili tota cogitatione, viriumque niſu inhiabat. Nec mirum videri debet: durare decennio Urbem in afflicta hac fortuna potuiſſe; nondum claſſibus Turcorum valebat potentia, concludere ut mare poſſent; nondum igniariæ illæ peſtes, & machinarum grandiorum uſus invaluerat; & retracti per hyemis intemperiem exercitus, parandæ annonæ, cæterorumque copiam Urbi dare poterant; eo denique ſitu Byzantium eſt: ut defendendi opportunitate cum nulla Urbium conferri poſſit; quin hac tantum præſtet, quantum amplitudine, moleque cæteris præpollet.

Utcunque autem hæc ſint; illud non dubium: Bajazeten ne Urbem illam, cæteraque per Græciam protereret, vi Tamerlanis E) ſubitanea, & valida præpeditum; Scythicus enim hic Princeps, velut ex machina repente interceſſit, ceu illa tantum cauſa immiſſus, ut ferocientem Bajazetis faſtum exitu plane tragico, & ad totam poſteritatem memorando concluderet. Qui vir, aut unde domo Tamerlanes fuerit, dictu inter contrarias narrationes difficile; quidam enim paſtoritio ortum genere, in Sogdiana Scytharum Regione ferunt; F) ibi paſtorum adlecta manu, furto, rapinisque rem auxiſſe; tum plurium ſocietate facinoroſorum ita excreviſſe, ut Sogdianam Provinciam latrociniis exhauriret; inde Perſarum Regis fratri adverſus Regem, fortem cum ſuis navaſſe operam, necatoque Rege, fratrem in ſolio poſuiſſe; ab hoc ſummi Ducis auctum poteſtate Tamer- 1401

A) Sic quidem Phranzes, & alii; at Ducaginus in familiis Byzantinis pag. 19. Ait: Bucicaldum Marcschalcum, cum idoneis Francicis copiis Byzantium expeditum, præclare Urbem tuitum eſſe. B) Hoc quidem de Adronico iſto Phranzes; ſed profecto, qui hæc cohæreant, non aſſequor; nam Theſſalonicam ab alio Andronico, Manuelis Imperatoris filio, venditam infra viſuri ſumus. C) Ducas pag. 22. D) Pag. 249. E) Temirem paſſim Græci appellant. F) Laonicus pag. 46.

A. C. 1401 Tamerlanem cum exercitu ad extremum deſciviſſe, arreptoque Principatu, Regem cum omni familia interfeciſſe; jam vero Perſidis potentem, immanibus cum copiis Aſſyriam, Mediam, Ægyptum, Babylonem, & reliquam Aſiam pervaſiſſe. Non deſunt tamen, A) qui quoad has bello progreſſiones prioribus adſtipulentur; at vero origine non paſtoritia, ſed Principem Semarcandæ fuiſſe ſcribant, virum bello ſtrenuiſſimum, at crudelitate, feritate, luxuria immani; & portentum quoddam, Bajazete Regnorum amplitudine, numero copiarum, ac denique truculentia nihilo inferius.

Is ut Syriam, Aſiæque minoris fines attigit, ſupplices ſibi Turcorum Principes, a Bajazete minore Aſia proturbatos, habuit; hi Bajazetis infinitam accuſant cupiditatem, de injuria illata expoſtulant; ut qui Aſiam minorem inter Ottomanum, ſuosque progenitores ex æquo diſtributam, univerſam jam ſibi vendicet; fidem denique, & obſequia Tamerlani, ſi per eum reponantur, adpromittunt. Egit primum per Legatos Tamerlanes pro exulibus; ſed hi, ipſeque Tamerlanes contumelia a Bajazete appeti nihil pervicere; ulturus igitur faſtum hominis Tamerlanes, primum Sebaſtiam in Cappadocia obſedit, eandemque civibus, & Orthobule, Bajazetis filio, necatis occupavit; inde armis in Phrygiam prolatatis, propius Ancyram Urbem metatus eſt. B)

1402 Bajazetes, interea tametſi hoſtem hunc non magni penderet, validiſſimos undique contrahit exercitus; Stephanum Serviæ Deſpotam militare ſibi cum valida Serviorum manu jubet; Tartaros ex trans-Iſtriana Regione maximo numero accerſit; educit copias omnes Turcicas ab Europa; tum Aſiam quoque minorem in arma commovet; Ancyramque verſus adverſario in occurſum graditur. De numero utrinque copiarum non una eſt Scriptorum narratio; ſed & in modo rei geſtæ ingens varietas: octingenta, & viginti bellatorum millia Tamerlani quidam aſſignant; centum vero, & quinquaginta millia Bajazeti; C) alii utrinque vires immenſum efferunt: decies centena millia fuiſſe Tamerlani; D) quinquies centum millia Bajazeti; immanes profecto, ſi verum, exercitus, & ab orbe condito haud facile conſpectos. Ubi ventum utrinque ad manus, perfidia quorundam factum ferunt, ut res Bajazetis prolaberentur; Tartaros primum, mox etiam eos Turcos, quorum Principes ejecerat Bajazetes, ad Tamerlanem deſciviſſe; ea viſa defectione turbatos cæteros rem geſſiſſe languidius; Bajazetem tamen a Serviæ Deſpota ferociter decertante, atque a millibus decem Genitzerorum ſuſtentatum eſſe; denique hos quoque loco motos profugiſſe; Bajazeten, dum temerarie pugnat, indagine clauſum, amiſſo filio Muſtapha, in poteſtatem Tamerlanis decidiſſe; E) non deſunt tamen, qui cladem non profugio militum, ſed imprudentiæ Bajazetis attribuant. Triduo enim ante pugnam, quo oſtenderet hoſtem abs ſe contemni, venatum cervorum toti indixiſſe exercitui; F) eo factum eſſe: ut opportuno, quem ad flumen ceperat, loco, excideret Bajazetes, Tamerlanes vero in eum ſe poneret; ſiti deinde conflictantem exercitum Bajazetis, dimicando cum integris, & vegetis non fuiſſe; adhæc conſerto jam prælio, cum Dux Europæus dextram in hoſtem alam longius intuliſſet, in fervore certaminis revocatum a Bajazete; G) qui receptus, citra ſpeciem fugæ inſtitui nequierit; hoc animatas Tamerlanis copias cædem late edidiſſe; ac reipſa univerſos in fugam propuliſſe; Bajazeten denique non in prælio, ſed in fuga, cum filio Moſe interceptum.

Victus, captusque Bajazetes, inter ludibria, amaros jocos, ſuperba faſtidia extreme a Scytha illo, proque ſuæ crudelitatis merito caſtigatus eſt; ferunt & ſcamnelli vice, dum equum conſcenderet, Bajazete uſum eſſe Tamerlanem; tum ferreæ incluſum caveæ, ceu ferocientem quandam

A) Videndi apud Spondanum ad A. C. 1390. B) Multa & diffuſe, ſed una perturbate de his Laonicus a p. 46. C) Phranzes p. 30. D) Videndi apud Spondanum ad annum præſentem. E) Annales Turcorum p. 251. F) Ducas p. 27. G) Laonicus p. 65.

dam belluam populis oſtentaſſe; namque confabulantem aliquando Scytham, quæſiviſſe ex Bajazete: quid ab eo victore, ſuique compote expectandum ſibi fuiſſet? Bajazeten vero, ut ſtolida erat ferocia, reſpondiſſe: feræ beſtiæ in morem, caveæ concludendum fuiſſe Tamerlanem; eo reſponſo irritatum Scytham, idem plane ſupplicii genus Bajazeti irrogaſſe; A) denique Bajazeten ex deſperatione, & ignominia necem ſibi conſciviſſe. A. C. 1402

Victoria iſthac non ſegniter uſus eſt Tamerlanes; primum enim octiduum ad diripiendam minorem Aſiam indulſit exercitui, quæ multitudo locuſtarum inſtar omnes exhauſit Provincias; deinde Pruſam Turcorum Principum Regiam delatus, conjuges, filiosque aliquot Bajazetis cum immenſo auro, gemmisque occupavit; B) Smyrnam illinc profectus, quæ equitibus tunc Rhodiis parebat Urbs, oppugnavit, & expugnavit; poſtremo in Europam quoque transgredi molitus eſt, poſtulatis a Manuele Imperatore ad trajiciendum triremibus; C) a quo certe non minor, ac a Bajazete procella Chriſtianis expectanda erat, ſi voto is ſuo potiri quiviſſet; utut magnam adverſus Turcos ſpem in Tamerlane illi poſuerint, ac literis etiam, quod ſpeciatim de Manuele proditum, D) ad evertendos Turcos invitaverint. At enim Tamerlanes audito Indiæ Regem in fines irrupiſſe Perſidis, poſt unius in ea expeditione anni moram, retraxit nubem illam a minori Aſia, quam non evaſtatam minus, quam multis factionibus dire ſciſſam, & turbatam liquit.

Bajazete enim in reditu per Phrygiam extincto, filii illius libertatem variis profugiis nacti, pro paterna inter ſe hæreditate, etſi vehementer protrita, armis diu decertarunt; exules illi Turcorum Principes in Cappadociam, Lydiam, Joniam, a Tamerlane reſtituti, non recipiebant modo Provincias, ſed etiam diducebant; in Europa quoque Manuel, cæterique Chriſtiani Principes ad damna ſarcienda erigebantur; ita annis aliquot vaſtitate, cædibus, & ſanguine omnia maduerunt. Atque utinam ea Chriſtiani occaſione tam ſibi proficua uti noſſent! verum ſive torpore jam quodam obruti, ſive Barbarorum armis extreme attriti, modicum nec in tempus diuturnum e diſcordia hac profecerunt, ægrorum inſtar: quibus ſi amiſſum jam propemodum ſpiritum recipere contigit, dolorumque aculeis exſolvi, in hac ſua in melius commutatione minus curationum dehinc ſoliciti, placide at non citra periculum conquieſcunt. 1403

Præter Muſtapham in prælio cæſum, fuere Bajazeti quinque filii ſuperſtites, Solimanus, Iſa, Nuſa, ſive Moſes, Mahometes, & Caſan. E) Hi duodecim fere per annos variis ſe mutuo cladibus attriverunt, quoad tandem in Mahometen unum, ejusque poſteros gubernacula rei Turcicæ reciderent. Is enim Amaſiam ſe ad quietem retraxit, quin occultavit etiam, opera arcuario cuidam locata, quo tutum ſe a fratrum inſidiis præſtaret, ac opportune demum in Principatum eniteretur; neque enim apud Turcos lex illa, de filio cæteris ſeniore patri ſufficiendo, per omnia obtinuerat, nec religioni ducebant Turcæ, Principem ſibi quemcunque præficere, dum is de ſtirpe Ottomani genus duceret; & quid Gens illa religioni ſibi verteret, quæ jus omne commodo tantum ſuo, & armorum, animique ferocia metiebatur? F)

A Bajazetis interitu Iſa, & Moſes, cæteris fratribus potiores viſi ſunt; Iſa enim in Europam transgreſſus, ac pro Sultano agnitus, exercitum ſibi adlegerat, quo Ungariæ quoque fines, & Serviam, ſed incaſſum armis tentaſſe memoratur. G) Moſes in Aſia res curabat ſuas; quem ut opprimeret Iſa, exercitum eo duxit. In Caraſina deinceps Regione varie inter eos certatum eſt, quoad Moſes comprehenſum Iſam laqueo H)

A) Annales Turcorum p. 251. diſerte hæc de ferrea cavea, uti & Phranzes p. 31. B) Ducas p. 32. C) Laonicus p. 67. D) Spanduginus apud Spondanum ad A. C. 1401. E) Confuſa admodum & nomina, & res geſtæ horum ſunt; aliter enim Annales Turcorum, aliter Græci ea efferunt; tum etiam in rebus geſtis memorandis ſuccincti Annales; Laonicus vero, velut ſi confundendæ ſolum hiſtoriæ ſtuduiſſet, prorſus perturbatus. F) Laonicus p. 71. G) A Phranze p. 32. H) Annales Turcorum p. 252.

A.C. præfocaret. Ad Moſen igitur Regnum pervenit Turcicum, ſed breve, &
1403 infelix; is enim Pruſam profectus, otio ſe involvit, parum de Solimano omnium ſeniore ſolicitus; ſive quod hunc pauci Turcorum ſequerentur, ſive quod ignarus, & helluator Solimanus magnis gerendis rebus haud eſſet; opinione tamen ſua deceptus eſt Moſes; Solimanus enim parato ſuorum exercitu, & fœderibus cum Manuele Imperatore compoſitis, traductisque in Europam copiis, ad fratrem throno deturbandum ſedulo incubuit. Porro fœdera cum Manuele (qui audito Bajazetis interitu, confeſtim in Urbem revolarat,) ejusmodi fuere: ut Thraciæ partem Varnam uſque, & a Panido ad Sacrum Oſtium Urbes Manuel obtineret: A) haberet ſibi præterea Theſſalonicam, & Peloponneſum: adhæc amicitia inter ſe armis mutuo tutarentur; in quorum firmitatem obſides dedit Solimanus fratrem minorem Caſanem, itemque de ſororibus unam; ſicque navibus Manuelis transgreſſus in Europam, ſalutato Byzantii Manuele, illius ex fratre Theodoro neptem, accepit conjugem; illinc profectus Adrianopolim, fugato non longe Byzantio Moſe, pro Sultano a Turcis agnoſci cœpit.

1404 Manuel Imperator pactis cum Turco initis Demetrium Leontarium, qui Theſſalonicam in fidem acciperet, expedivit; alios vero aliis præfecit Urbibus; a quibus deducta fuere Turcorum præſidia; & Joannes, Manuelis ex fratre Andronico nepos, Rex Theſſalonicæ, B) partisque Theſſaliæ conſtitutus; nec contemnendus hic rerum ſtatus videbatur Manueli: tum velut ex vaſta quadam procella, & naufragio animum recipienti, ſi modo vel affirmari Solimano Imperium potuiſſet, vel in Gente tam mobili, tamque imperandi avida undequaque circumſeptus fidere tuto potuiſſet. Datus a Solimano obſes Caſan adhuc impubes, literisque Byzantii inſtitutus, graſſante illic hominum lue, malo & ipſe correptus, aqua ſalutari e Chriſtiano more tingi petiit, brevique ad fortunatius Imperium abſceſſit.

Europæ potitus Imperio Solimanus, C) in Aſiam quoque trajecit copias, ac fugato Moſe, Principibusque Turcorum Aſianorum, qui Moſen receptabant, perterritis, ab eoque abductis, in Cineiten, quendam turbatorem, Epheſum verſus iter intendit; Cineites Turcus, Præfecti olim ſub Bajazete Smyrnæi filius, ad magnas ea ætate opes, & potentiam fraudibus, ſceleribusque ſuis pervaſerat; latronum enim collecta manu, Homurum, Amurii illius Joniæ Principis filium, an nepotem? nuper per Tamerlanem Principatui redditum aggreſſus, primum armis expulit, dein vero Caramani Principis repoſitum armis, adjunxit ad amicitiam filia ejus ſibi juncta, eoque vita functo, Principatum Joniæ adeptus eſt, quin Aſiæ ſe Ducem, Dominumque appellavit. D) Oppreſſurus faſtum hominis Solimanus, exercitum quinque, & viginti millium Joniæ intulit. Cineites, velut ſi commune Principibus Turcicis ingrueret a Solimano periculum, Cappadociæ, & Licaoniæ Principes ad ſocietatem belli adjunxit, ut brevi millium quadraginta, & amplius copias in medium conferrent. Cum in vicino jam eſſent infeſti exercitus, verſutus ille Cineites, ut gratiam Solimani, tutumque Provinciæ Dominatum eblandiretur, deſertis ſociis eidem ſeſe jungit; illi proditionem veriti, trepide in Provinciam quique ſuam diſperguntur; ſic bellum citra ſanguinem Solimano confectum.

1411 Ab hac expeditione, ceu perdomita armis omnia, tutaque jam eſſent, in comeſſationes, perpotationes, fœdasque libidines, neglecta Republica, ſe profudit Solimanus; nec certe per aliquot dehinc annos memoratu quidpiam dignum in Oriente geſtum profertur. E) Contaminata hæc vivendi,

A) Ducas pag. 34. B) Ducas pag. 34. C) Muſulmanum nominat Phranzes pag. 31. Item Laonicus pag. 71. D) Multa, & ad faſtidium uſque de hoc Cineite Ducas; & ipſe ut videtur Smyrnæus; qui tamen ex vetuſtiſſima Ducarum proſapia oriundum ſe memorat. E) Valde conciſa, & implexa eſt hoc loco auctorum narratio; & nec circa annos explorata omnia; niſi quod ex Annalibus Turcorum Solimani interitus in hunc annum videatur reponendus.

vendi, & helluandi ratio, rerumque neglectus, & abduxit Procerum Tur- A.C.
cicorum a Solimano animos, & Moſen apud Principem Synopis delite- 1411
ſcentem, ad ſpem Imperii fratri ſuo extorquendi excitavit. Sexto itaque Imperii Solimani anno, navibus a Synopis Domino in Valachiam translatus Moſes, mobiles Turcorum animos novarum ſpe rerum complevit; præſertim poſteaquam Solimanus tunc in Aſia degens, a Præfectis oræ Iſtrianæ de Moſe admonitus negligeret omnia, neque e veterno excitari ſuo pateretur. Adjutus a Myrxa Valachiæ Duce Moſes, turbare citra Iſtrum omnia, multaque Turcorum augeri manu cœpit; quo demum excitus fragore Solimanus, trajecit ex Aſia Adrianopolim, Ducesque ſuos Euroneſum, & Caſanum infeſtis fratri ſignis juſſit occurrere. A) Hi prope Sophiam prælio ſuperati, & fugati, cum res Solimani profligatas cernerent, ad Moſen deficiunt; Solimanus defectione cognita Byzantium verſus fugam arripit, ſed quodam in vico ab incolis occupatus necatur; eo modo ad tertium Bajazetis filium res Turcica devolvitur. Vicum cum incolis igni abſumpſit Moſes, quod in Sultanum manum injeciſſet; cadaver vero fratris Pruſæ in monumento Ottomani recondidit.

Secundum Imperio potitus Moſes, in Chriſtianos, qui ſibi impedi- 1412
mento fuere, arma vertit, in Stephanum nempe Serviæ Deſpoten, Imperatoremque Manuelem; occupavit Vidinum Urbem, Semendriam obſidione diuturna afflixit; B) illinc digrediens Theſſalonicæ, & Byzantio imminebat; & quamquam victa ejus a Græcis feratur claſſis, C) tamen quod terreſtres deeſſent Manueli copiæ, diſcordia inter Turcos concitanda, opitulari afflictis rebus neceſſe habuit. Proinde Orchanem Solimani, quem penes ſe habebat filium, Turcorum Proceribus velut legitimum Imperii Ottomanici hæredem commendavit; ſic enim laxamenti aliquid ab Urbis obſidione futurum; ac ſi res procedat, utilibus cum Orchane fœderibus negotium componendum. D) Nec deerant e Turcorum Principibus, curam pupilli, qui reciperent; præſertim cum Moſes ob crudelitatem in magno ſuorum odio verſaretur. Acceptum igitur Orchanem duxere in Theſſaliam, nec levi adjuncta manu populis oſtentabant. Cæterum omnes hæ Manuelis ſpes Salapini cujusdam, cui cura pupilli mandata erat, proditione corruerunt; is enim clancularia cum Moſe colluſione enunciabat res ſuorum; quos ſubitaneo Moſes cum impetu oppreſſit, & Orchanem necavit.

Felicius cum Mahomete quarto Bajazetis filio profecit Manuel: Ma- 1413
hometes, ut ætatem bello idoneam adeptus eſt, ad Caramanum Principem opis cauſa abiit, ejusque, & aliorum Turcorum armis adjunctis, Aſiæ ut minimum poſſeſſione Moſen fratrem detrudere, nec citra ſucceſſum molitus eſt. Ut vero in Europam quoque traduceret exercitum, præter regnandi cupiditatem, Manuelis invitatio, oblatæque ad trajiciendum exercitum naves fecere; neque enim niſi Byzantii fretum trajiceret, facilis erat in Europam tranſitus ob Calliopolim in Moſis poteſtate ſitam. Fœdus ita pactum inter eos: ut quæ Manueli Solimanus olim ſpoponderat, ea rata haberet Mahometes, perennique inter ſe amicitia vincirentur. E) Ita Mahometes cum copiis ad Byzantium transgreſſus, magnificeque a Manuele acceptus, bello in Europa initium fecit; cujus partes arrexit multum Schaci Melici, qui Veſires Moſis erat, ab hoc defectio; qua turbatus Moſes retraxit a Selybria, quam oppugnabat, copias, easque Byzantium verſus duxit.

Triplici deinde prælio inter fratres dimicatum eſt: F) uno, & alte- 1414
ro propius Urbem inito, Græcis Mahometen adjutantibus, res tamen Moſis ſuperior fuit; dein vero acceſſione Serviæ Deſpotæ, & Alibegi, itemque Michaelis Begi auctus Mahometes, fratrem non longe Adrianopoli

 vicit,

A) Annales Turcorum p. 252. qui ſeptem annos Solimani Imperio attribuunt; alii vix tres. B) Laonicus p. 75. C) Phranzes p. 31. D) Laonicus p. 47. E) Ducas p. 55. F) Ter Ducas, bis Laonicus, & Annales certatum eſſe memorant; ſed & in modo, & ordine narrandi multum variant.

A.C. vicit, ac in palude quadam latitantem, occupatumque ſtrangulari juſſit.
1414 Unus deinceps Mahometes poſt tot perturbationes, vaſtataque late bellis Regna filiorum Bajazetis Ottomanici compos Regni, pacate, & tranquille rebus moderatus eſt; erat enim ingenio placido, ac leni, mira in fide tuenda conſtantia, liberalitate erga ſuos non magis, ac Chriſtianos ſingulari; quo factum: ut cupide tot malis agitatæ nationes legationibus, ac donis excultum Mahometem complecterentur; Deſpotæ ob navatam bello operam Regionem Mahometes auxit, A) cum Manuele firmam quoad vixit, coluit amicitiam; ut non tueri modo illi res ſuas, ſed augere etiam, & firmare per Turcos integrum eſſet. B) Nec deploratæ omnino videbantur res Græcorum, ſi plures hujusmodi in ea Barbarie Mahometes ſperare licuiſſet, quorum potentia ſaluti fœderatis eſſet, non formidini. Verum ſi hæc in ſana imbutis Religione, tam raro ſincera, ac firma ſunt, quid de illis ſtatuas, quibus una Religio potentiæ ſtudere ſuæ, & Chriſtianos aut amoliri ab orbe, aut in mancipatum cogere.

Sub ipſum illud tempus, quo fraterno in Europa diſſidio res Turcica fluctuabat, Caramaniæ, ſive Cappadociæ Princeps, licet Mahometis antea fautor, tamen e diſcordia hac Sultanica proficere ſtuduit, illato Turcis bello, & Pruſa obſeſſa; verum civibus Urbem ſtrenue defenſantibus, cognitoque Moſis interitu, copias a bello retraxit. Adfuit brevi vindex Mahometes, & Iconium verſus incurrit. Certatum poſthæc decretorio inter ipſos Marte; Caramanus non victus modo, verum etiam captus benignitati Mahometis debuit, quod parte duntaxat Regionis imminutus Principatum, libertatemque receperit. C) Inde ad Valachos, qui Moſi operam locarant, perdomandos tranſiit Mahometes; tum evaſtata longe, lateque Regione illa, eo adegit Ducem, ut non clientem ſe modo, verum etiam illius dehinc tributarium profiteretur. In eum modum Turcicis longa licet inter ſe diſcordia jactatis, nunquam tamen defuere vel animi, vel arma, quibus aſſidue in bella ruerent, cogerentque vicinos in obſequia; & e Chriſtiana ſobole, a qua dudum interire debuerant, in dies augerentur.

1415 Hæc inter Manueli Imperatori, & quieto, & rerum ſuarum ſolicito eſſe licuit; ad res igitur Peloponneſi componendas, quæ firmiores cæteris videbantur, cognito Theodori fratris e vita exceſſu, Lacedæmonem abiit: hic res illum egiſſe, & molitum eſſe ferunt, D) vel ſecundis rebus, & florente Imperio dignas; nam primo Hexamilum, loco opportuniſſimo arcem, olim Artaxerxi, cum Græciam peteret, objectam, ac in ruderibus tunc jacentem excitavit; deinde Iſthmum Corinthiacum quadraginta duo complexum ſtadia, E) qua ſolum adiri terra Peloponneſus poteſt, arcendis hoſtibus muro ſepſit; poſtremo Achajæ Principem Antonium F) in obſequia redegit ſua, ac minores quosdam in Peloponneſo Dominos e Catalanis, Francisve ortos, Regionisque parte per bella jam memorata potitos, aut exturbavit Provincia, aut captivos ſecum deduxit. Reducem triremibus Manuelem ſalutavit apud Calliopolim Mahometes, quin ad capiendum quoque cibum, ultro in navim Manuelis, tanta in Barbaro rerum ſuarum erat confidentia, conceſſit.

1417 Ut vero lacerati reliquias Imperii certius, & melius tueretur Manuel; eas in filios, quos ſex univerſim ſuſceperat, diſtribuit; Joanni poſtea imperaturo Urbem cum vicina Thracia, Conſtantino Ponticam Regionem, Andronico Theſſalonicam, Peloponneſum Theodoro commendavit; Thomas, & Demetrius adhuc impuberes in umbra deliteſcebant; exiſtimavit enim Manuel, non ſecuritati Regionum proſpecturum ſe magis, quam ſi eas per filios, id eſt, velut per ſeipſum toties geminatum gubernaret: G) verum id agere, non aliud fuit, quam cupiditatem imperan-

A) Laonicus p. 37. B) Phranzes p. 31. C) Annales Turcorum p. 253. D) Phranzes p. 35. E) Laonicus p. 77. F) Ducas p. 44. Habebat enim peculiares Achaja Dominos, jam inde a Byzantio per Francos occupato; quorum tamen raro in hac Hiſtoria comparent nomina. G) Ducas p. 59.

perandi in iis accendere, qui ad imperandum ſe, non ſerviendum natos exiſtimabant. Vide hic etiam tantam declinante Imperio in filiorum numero felicitatem, ſi tamen felicitas fuit, tot filios ad extremam olim fortunam prolapſuros, & orbi terrarum oſtentui futuros, in lucem tuliſſe. Joanni data conjux eſt primum Anna, Baſilii Ruſſiæ Magnæ Principis filia; qua ante conjugium peſtilenti ex morbo ſubtracta, Sophiam, Joannis Marchionis Montisferrati natam, deſpondit ei pater; verum hanc, quod formæ gratia deeſſet, licet coronatam, legitimeque ſibi junctam non admiſit in thori conſortium Joannes; & remiſſurus ad patrem jam tum fuerat, ni Manuelis ſenium reveritus eſſet; A) hæc demum ut inviſam ſe marito intellexit, a Manuelis exceſſu navigio Genuenſi profugit ad patrem. Tranquilla ab hoc tempore Byzantii fuere omnia, Manuele mite Mahometis ingenium, ac in fide ſervanda conſtantiam maximo in lucro deputante. A.C. 1417

At Mahometi non diuturna obtigit quies; Cineites ille Turcus, animi impotentis, ac faſtus pleni, diducebat rurſus magna vicinorum injuria Smyrnæum illum Principatum; quin ipſum quoque Mahometem, negata, quam is in conjugem popoſcerat, nata, contumelia inſuper affecit. Non prius igitur a bello hoc ceſſavit Mahometes, quam Smyrna, cæterisque Urbibus, & tota Provincia verſipellem illum exueret; ei tamen matris interventu data venia; quin & Nicopolis ad Iſtrum Præfectura conceſſa; quo ſic ad novas turbas, novaque ſcelera improbum caput Vertumnus ille ſervaret. Cum Urbem Smyrnam oppugnaret Mahometes, arcem quoque, quam non longe Rhodi equites adverſus Cineiten moliti erant, occupavit, ac dirui juſſit. Equitum Rhodiorum Magiſter (tanta in Mahometis humanitate erat confidentia) acceſſit Sultanum, deque diruta per injuriam arce expoſtulare auſus eſt. Excuſavit periculoſam Urbi viciniam Mahometes; neve tamen vel perturbaret equitum Magiſtrum, vel injuria agere videretur, in locum arcis dirutæ alterius ædificandæ in Lydia, aut Caria, ubicunque collibuiſſet, poteſtatem impertiit. Hæc erat Barbaro licet Principi animi moderatio; uſus occaſione equitum Magiſter arcem S. Petri firmam, & loco ad opitulandum Chriſtianis opportuno in Caria extruxit. B) 1418

Exinde bellum cum Venetis ob Cycladas Inſulas, ſed breve Mahometes habuit. Arma Naxi Domino Venetorum fœderato Mahometes intulerat, quod is, ut cæteri Inſularum Domini, Sultano in Smyrnam bellanti præſto non adfuiſſet; qua etiam occaſione Venetorum quasdam Inſulas Turcica claſſis incurſarat. C) Veneti Petro Lauredano Duce, decem expedivere triremium claſſem, quæ intra Calliopolim, & Proconneſum cum Turcica navium circiter triginta Duce Gialibego conflixit. Victoriam Venetis peperit, occupata navis Turcorum Prætoria, & cum Duce cæſa; hoc enim conſpecto conterriti alii, deſilierunt paſſim in mare, & tredecim triremes a Venetis occupatæ. Oppugnatum poſthæc a Venetis Lampſacum, incertum quo ſucceſſu; D) illud non dubium: bellum hoc miſſis a Republica Legatis pace brevi commutatum. 1419

Hac expeditum cura Mahometem, vilis quidam homulus, & impoſtor bello difficili, & maxime cruento implicuit; Muſtaphæ Bergligiæ huic nomen fuit; qui monaſticen inter Turcos profeſſus, plebem Barbaram ad ultroneam egeſtatem, vitamque in commune agendam invitavit, verſutus Chriſtianorum ſimius; & habuit quamplurimos ſectæ ſuæ aſſeclas, non virtutis illos quidem, ſed quidlibet audendi amore, & licentia pellectos; is ut Chriſtianorum affluxu res proveheret ſuas, eorum probare inſtituta, & complecti ſe magnopere prætulit, collectaque magna facinoroſorum multitudine Joniam cœpit diripere. Ad colluviem hanc diſturbandam Alexandrum, Suſmani Bulgariæ quondam Regis filium, ſed

A) Phranzes p. 40. B) Diffuſe hæc memorat Ducas p. 45. C) Meminere hujus cum Venetis belli Ducas p. 48. Laonicus p. 84. D) Non enim hoc memorat Ducas; at Laonicus occupatam a Venetis Urbem ait.

A.C. Mahometis deliria amplexum, ac tunc Smyrnæ Præfectum ire juſſit Ma-
1419 hometes. A) Verum Alexander intra fauces montium prope ſinum maris Jonii a fanaticis illis occupatus, cumque ſuis deletus interiit. Similis fuit fortuna Alibego Lydiæ Præfecto; in iisdem enim montium faucibus majorem amiſit exercitum, vix Magneſiam ipſe profugus. Ira ob rem male geſtam percitus Mahometes, filium Muratem, ſive Amuratem, licet admodum tunc adoleſcentem cum Viſire Bajazete ſibi omnium fidiſſimo, accitis undique copiis, in graſſatores expedit; certatur iisdem illis in anguſtiis, demumque Bajazetes, ſed cruenta exercitus ſtrage, colluviem illam Duce quoque comprehenſo obterit. Atrox de impoſtore, deque ſequacibus ſumptum ſupplicium; in quo tamen libenter, & cum gaudio viſi projicere ſunt animas, prorſus ad verorum imitationem Martyrum; neque enim malo Genio ſuum deeſt Regnum, ſuique Martyres, quibuscum ludos ſibi & lucrum, ſed ludionibus his funeſtum quærat.

1420 Sub idem tempus Mahometi Adrianopoli commoranti allata eſt defectio Muſtaphæ; quem alii Bajazetis Imperatoris nothum filium, B) ſuppoſititium alii, & impoſtorem ferunt; C) hic a Cineite illo ſuperius memorato accitus in Valachiam, ejusdem opera, & perfidia manum ſibi non contemnendam militum paravit, ac circa Theſſalonicam bello fecit initium. Cæterum cum his moleſtiarum Mahometi minus fuit, uno victi prælio Theſſalonicam fuga evaſerunt; inſtat Mahometes, & a loci Præfecto Leontario profugos ſibi dedi flagitat; negat id facturum Leontarius, inſciente, & non jubente Manuele; recurſum igitur ad Manuelem Byzantium per nuntios eſt; qui tamen & ipſe multum perſuadere conatus Mahometi, alienum eſſe ab æquitate, profugos & ſupplices hoſtibus dedere, reddendos negavit. Concoxit quieto hanc repulſam animo Mahometes, cui tamen pronum erat, iræ obſequi ſuæ, ni ratione, quo nihil in humanis, vel apud Barbaros præclarius eam moderatus eſſet; quin in Muſtaphæ alimenta bonam auri ſummam quotannis de ſuo pendendam attribuit; ex quo intelligi poteſt, Muſtapham non omnino ſuppoſititium, etſi id Turcorum velint Annales, ſed nothum ad minus Bajazetis extitiſſe. Muſtapham hunc in Lemnum Inſulam cuſtodiendum tranſtulit Manuel, brevi cum res, & occaſio tulerit, in ſcenam reducendum. D)

1421 Hiſce bello exantlatis, in Orientem abiit Mahometes, ac Imperatoris Manuelis petito indultu, Byzantino ex portu trajicere voluit. Miſſi in occurſum a Manuele præcipui, Demetrius Leontaris, Iſaacius Aſanes, & Manuel Cantacuzenus, deduxere Sultanum ad portum; ubi in navi Manuel cum filio Joanne adventum ejus opperiebantur; E) non defuere quidam ex Græcis auctores Manueli, Mahometem ut comprehenderet, quem conſtabat, ob negatum Muſtapham alienato eſſe animo; ac forte reducem ex Aſia bellum moturum; verum Manueli moderato, juſtoque ſeni pluris data fides, quam ſuorum vanitas, & ingenium ad ſimilia verſutum fuit; quam certe nec cum univerſi Imperii rehabendi ſpe digne, ordinateque commutaſſet. Exceptus magnifice, & amice Mahometes, trajecit in Aſiam; nec moratus illic diu, primo cum vere repetiit Adrianopolim; ubi intervenandum hemiplexia correptus, poſt dies aliquot magno Chriſtianorum, ſed Byzantinorum imprimis malo interiit, F) cum vix annos octo G) rebus ſat placide, præterque Barbaricum morem præfuiſſet. Interitus Mahometis dies quadraginta celatus ſedulo a purpuratis eſt, quoad nimirum Amurates ex Amaſæa, cui præerat, Provincia Pruſam ad exercitum accurreret; ut adeo ne Leontarius quidem Manuelis tunc in aula Legatus reſciſcere de ea quidpiam diu valuerit.

De-

A) Multa de hoc quoque bello Ducas p. 49. B) Ducas p. 52. C) Annales p. 254. D) Laonicus p. 85 E) Phranzes p. 40. F) Ducas p. 56. G) Laonicus p. 92. duodecim Mahometis Imperio aſſignat annos; Phranzes ſeptemdecim; octo vero annos Annales Turcorum p. 254. quos hic ſequi libet; cum priores erroris liquido convincantur.

Demum Amurate, qui patris cadaver Pruſæ ſepeliit, Turcorum A.C.
Principe conſtituto, deliberatum diu Byzantii eſt: ut ſe adverſus Amu- 1422
ratem geſturi eſſent, an agnituri univerſæ Turcicæ potentiæ Principem, an vero diſcordiis inter Turcos ſerendis, quando virium tenuitas apertum in eos negabat bellum, perniciem propulſaturi? non enim neſciebant, ad Byzantium opprimendum conſilia, utut ea celarent, Barbarorum vergere, nec diu ſi res ſecundæ fluant, offam ejusmodi intactam, in tanta præſertim virium firmitate dimiſſuros; pugnantes igitur in aula fuere ſententiæ: ac Manuel quidem tuendam Amuratis amicitiam, paceque, qua licebat, fruendum ſuaſit; Joannes autem filius, cum præcipuis Procerum diſſidebat omnino, & lucro apponebat ſuo, ſi quid Barbaris per eorum diſcordias incommodaret; A) quæ cum contentio magis inter eos efferbuiſſet, Manuel jam ſenex, & morbis adſtrictus, curam Reipublicæ ut liberet, tractandæ Joanni permiſit; B) ab eo igitur tempore Joannis arbitratu res geri cœptæ.

Porro diſcordiæ inter Turcos, etſi magno deinde cum ſuo malo concitandæ, hanc inivere rationem: Mahometi in extremis poſito, duo præter Amuratem fuere filii, admodum adoleſcentes; quibus pater ab Amurate metuens, ne more Sultanis uſitato necarentur, fidei, & tutelæ Manuelis commendavit; apud quem ſumptibus de Turcorum ærario largiendis educarentur. C) Ut primum igitur Amurates in Sultanum inauguratus eſt, Legati ad eundem Byzantio expediti fuere, qui ſupremam Mahometis voluntatem impleri, & adoleſcentes Byzantium mitti repoſcerent; velut præclaros deinceps fidei, & pacis Turcicæ obſides, Byzantii in iis habituri; quod cum ceu abhorrens a Religione Muſulmanica abnueret omnino Amurates, comminati fuere, Muſtapham illum in Lemno cuſtoditum inducturos ſe in Thraciam, utque Imperator pro Amurate fiat, adniſuros; monet, hortaturque Amurates: ne ad pernicioſa hæc Byzantini conſilia delabantur; ſibi certum amicitiam, pacemque patris exemplo colere, nec laceſſere Græcos injuria; quod ſi priores fœdera infregerint, magno id ſuo malo, & interitu facturos. Metuebat quippe Amurates infirma adhuc ætate, ne initia Principatus haberet perturbata, & forte etiam pro Turcorum in his rebus inquiete, eodem penitus excideret. Legati Byzantium regreſſi, nihil hiſce minis commoverunt aulam; mire enim Joanni conſilium illud ſuum de Muſtapha inducendo, turbandisque Turcorum rebus placuerat, etſi nec honeſtum ſatis, nec attritis jam Græcorum viribus accommodatum; ac ut eventus dedit, etiam pernicioſum.

Muſtapham itaque cum turbatore illo Cineite ipſemet Imperator Joannes D) Lemno Inſula eductum, Calliopolim claſſe devexit, ejusmodi cum illo ictis fœderibus: ut Calliopolim Joanni redderet, tum etiam omnia circa Pontum ad Valachiæ terminos, denique Theſſaliæ, quam poſſidebant Turcæ, partem largiretur; quæ licet adeo ampla, ut geſtiens novorum Principum regnandi cupido aſſolet, prompte addicebat Muſtaphas. Hujus ut primum auditum eſt nomen, maximo celebrari Turcorum affluxu cœpit; Gens enim bello, raptoque vivere aſſueta, pacisque exoſa artes, pronius ad novas ſpes, quam ad veterem Dominatum aſſerendum convolabat. Magna brevi Turcorum auctus manu Muſtaphas cum Græca, cui Leontarius præerat, claſſe oppugnavit Calliopolim, demumque deditione civium cepit. E) Nec tamen reddidit eam ex pacto Græcis, redditurum pollicitus: ſi Amuraten penitus debellaſſet; re vero ipſa privari loco tam opportuno, & Turcorum eo facto alienare animos nolebat; Calliopoli enim amiſſa facile præcludi Turcis nondum claſſe potentibus mare poterat, Aſiaque ab Europa, a quo ſemper, & provide illi abhorrebant, disjungi.

Majo-

A) Phranzes pag. 41. B) Hunc poſtremum fuiſſe Imperii Manuelis annum, plerique ajunt; tametſi tres adhuc ſupervixerit; ſed gubernaculis in filium jam translatis. C) Ducas pag. 56. D) Phranzes pag. 41. E) Ducas pag. 62.

A.C. 1422 Majore auctus ſuorum mole Muſtaphas, Cineite præſertim ſtrenuo illo, & vafro omnia pro eodem moliente, Adrianopolim promovit copias adverſus Bajazetem Veſirium; qui pro Amurate in Aſia commorante res Europæ curabat. Ut propius venere exercitus, plerisque ad Muſtapham deſciſcentibus, ipſe quoque Bajazetes coactus eſt ad victorem accedere; verum comprehenſus, & capite truncatus nec fidem, nec vitam retinuit. A) Collocatus Adrianopoli in throno Sultanico Muſtaphas, nec Europæ, quod Græci futurum putabant, contentus Imperio, in Aſiam valido cum exercitu tranſiit, ubi Amurates conficiendis undique copiis, æmuloque propulſando nervos omnes contenderat. Rurſus per Legatos ſollicitat de fœdere Manuelem Amurates, rurſus a Joanne rejicitur; nec mirum, tam de hoc fœdere ſolicitum illum fuiſſe; perierat enim Muſtaphæ in Aſia exercitus, ſi Helleſpontus illi, quod factu pronum, a Græca claſſe occluſus eſſet. B) Quod autem vere non poterat Amurates, id commento aſſequi ſtuduit: finxit enim, & rumore per caſtra ſparſit, confectum jam cum Græcis negotium, atque occluſum Muſtaphæ exercitui mare; aggreſſus præterea verſatilem illum Cineiten promiſſis eſt; itaque cum ad Lopadium lacum caſtra utrique haberent, miles Muſtaphæ rumore illo perturbatus deſciſcebat ſenſim ad Amuratem; Cineites quoque deſerto Muſtapha in Smyrnæum illum, de quo antea exciderat, Principatum clam abiit; poſtremo Muſtaphas ejusmodi rebus oppido perculſus Calliopolim in Europam refugit.

Defuere Amurati, quibus in Europam transmitteret, naves; & commodum diſcindi hoc modo res Turcica poterat, ſi non cæca Chriſtianorum lucri aviditas Barbaro, in omnem ſeſe partem verſanti, eas ſuffeciſſet. Joannes Adornus, Phocææ pro Republica Genuenſi adminiſter, non modo naves aliquot pretio quinquagies mille aureorum ab Amurate numeratorum pro trajiciendo exercitu comparavit, verum etiam bis mille armatos Italos eidem deducendo commodavit; C) quo uſus ſubſidio Amurates trajecit mare, occupataque Calliopoli, & fugato Muſtapha, Adrianopolim contendit. Hic Amurates II. pro Sultano ab omnibus agnoſcitur; Adorno, cæterisque Italici generis gratia pro navata opera refertur. Velociſſimos deinde ad conſectandum Muſtapham expedit Amurates, captumque, ceu impoſtorem ad malam crucem damnat; denique ad vindictam in ejuſce perturbationis auctores profundendam ſeſe accingit. Intelligebat continuo Joannes Imperator, & Byzantini, quanta capiti ſuo impenderet procella; mittuntur proinde Legati, Demetrius Cantacuzenus, Matthæus Laſcaris, Angelus Notaras, qui furentem Amuratis animum mitigent; D) verum nihil impetrant; inſuper tetro ab eodem carceri concluduntur; Amurates ad obſidendum Byzantium, machinas, cæteraque bello idonea apparat.

1423 Cum Junio anni ſequentis menſe obſidioni a Michaele Bego datum eſt initium; adfuit non diu poſtea ipſe quoque Amurates, atque Urbem machinis ignivomis (quarum nunc primum in Oriente uſum comperio) E) quatere occœpit. Ferunt, Turcorum Byzantio imminentium ducenta fuiſſe millia; Urbem enim Barbaricæ objectam direptioni, ſicque prædæ ſpe, quidquid pene Turcici roboris fuit, confluxiſſe; F) acceſſiſſe illo ex Aſia ſummum Mahometanorum Myſtam de Pſeudoprophetæ illius genere, qui inſolenti faſtu caſtra ingreſſus Turcorum, ſpe Urbis certo die, & hora in manus venturæ feroces eorum animos compleverit. Erecti poſthæc ab iis aggeres ſpatio longiſſimo circa Urbem a porta aurea ad Xiloportam; turres ligneæ ſubjectis rotis, quæ pinnas murorum altitudine

A) Prælio victorem Muſtapham facit Phranzes p. 41. B) Ducas pag. 70. Laonicus pag. 94. C) Ducas pag. 78. D) Phranzes pag. 41. E) Laonicus pag. 96. Ducas pag. 81. F) Peculiari, ſed brevi commentario de hac obſidione egit, qui tunc in Urbe aderat Cananus Joannes. Sed in tempore obſidionis multum a Phranze diſſidet. Is enim tres tantum menſes attribuit obſidioni; at Phranzes unum ultra annum eam protractam narrat; ut mendum ſubeſſe appareat.

tudine æquarent, extructæ; machinæ bellicæ propius muros admotæ; A.C. quorum in tanta licet ævi diuturnitate ea fuit firmitas, ut pluribus ictibus nihil magnopere ad ruinam Barbari proficerent; crediderim, nondum igniaria arte, vel machinarum mole, vel navium numero ad Urbem concludendam illos valuiſſe. Poſt duos, & amplius menſes hiſce laboribus impenſos, demum quarta, & viceſima Auguſti die univerſalis aggreſſio a Barbaris in murum Urbis exteriorem facta eſt; neque Græcis ut in extremo diſcrimine ardor depugnandi deerat; igitur omnis generis, conditionis, ætatisque concurſu obviam itum eſt Barbaris, incondito cum fremitu, & furore in mœnia ruentibus. Poſt longam, & acerrimam dimicationem demum tamen referre pedem Barbari fuere coacti, mille propemodum ſuorum cadaveribus illic relictis; e Græcis cæſi triginta fere, centum vulneribus debilitati. Narrat, qui in Urbe adfuit, Cananus Joannes: victoriam hanc non viribus Byzantinorum, ſed cælitus partam; quippe Græcos, timore primum tanti mali attonitos, deſeruiſſe exteriorem murum; at vigore quodam, animis eorum repente ſubdito, reſumpſiſſe prælium, ac mulieribus quoque ipſis opem commodantibus, victores poſtremo fuiſſe; cum vero pugnaretur, mulierem forma auguſtam, cæruleo, nec vulgari amictu a Barbaris, ipſoque eorum Myſta in muris conſpectam; quæ perturbationem, metumque animis Barbarorum ingeſſerit, Urbanis contra decertandi alacritatem. Ne tunc igitur dicatam olim honori ſuo Urbem, utut patrocinio jam indignam, deſeruit Dei Mater; non deſertura etiam deinceps, niſi infinitis Byzantinorum flagitiis, ac incredibili in Schiſmate obfirmatione coacta, quodammodo ad extremum receſſiſſet. 1423

Preſſa hunc in modum Urbe, Manuel Imperator, etſi ſenio confectus, vias omnes juvandæ Urbis, Turcorumque amoliendorum diſpiciebat; ea demum turbandis illorum rebus opportuna ſuccurrit ratio: ſi Muſtapham, Amuratis fratrem, Mahometis filium, licet valde adoleſcentem, in medium produceret. A) Muſtapham hunc a priori diverſum, Amuratis cupiditati, cum alterum, jam fratrem necaſſet, ſubtraxit Elieſes quidam Turcus; & in Cappadociæ partibus occultavit. Datis ad Elieſen literis urget Manuel, prodiret in propatulum, Muſtaphamque Turcis Sultanum proponeret; non neſcius: exorituras eo facto turbas, ſicque Amuratem ab obſidio fors abductum iri. Nec ſecus res cecidit: vulgato Muſtaphæ illius nomine, occupataque per Elieſen Pruſa, cum aliunde cerneret Amurates, conatum capiendæ Urbis non e voto cedere, poſt trimeſtrem oppugnandi laborem copias ſummo Græcorum gaudio Byzantio retraxit. Auctus magno Turcorum concurſu Muſtaphas, ad moliendum in Europa quoque bellum, ad Manuelem in Urbem venit; quo ipſo tempore hemiplexia ictus Manuel, nullam dehinc Reipublicæ partem attigit. B) Muſtaphas procurſione Selybriam verſus facta, cum validiſſimas illic cerneret fratris vires, Pruſam ſeſe recepit.

Vere ineunte cum audiſſet Amurates, fratrem ſuum Muſtapham Ni- 1424
cææ commorari, celeritare obruendum cenſuit; diurno itaque, nocturnoque accelerato itinere cum aliquot Genitzerorum millibus præter opinionem Nicææ affuit, ac exorto in Urbe diſſidio, peditibus Amuratem ultro admittentibus, captus Muſtaphas, & juſſu fratris laqueo præfocatus eſt. C) Bifariam inde vires diſtractæ: cum parte copiarum Alibegus Cineiten illum, Muſtaphæ prioris in turbando adjutorem, ſuſcepit profligandum; pars alia Duce Turchane in Peloponneſum incurrit. Cineites ille pro merito impotentis, & lubrici animi victus primum, mox in Hypſela arce poſt diuturnam obſidionem cum omni familia comprehenſus, ſupplicium tam ſæpe commeritum capitis demum diſpendio invenit; ejus ditio in poteſtatem delapſa eſt Amuratis. Non minus feliciter res Sultani in Peloponneſo habuerunt: magna enim Albanorum multitudo,

A) Ducas p. 83. B) Phranzes p. 42. C) Ducas p. 84.

A. C. quæ Hexamilo defendendo accurrerat, a Turchane cæſa eſt; Hexamilum
1424 dirutum, Iſthmia denique clauſtra patefacta viam in Peloponneſum excupata tunc ab Amurate eſt; fortaſſe pax inter Byzantinos, & Amuratem compoſita Peloponneſo ſaluti fuerit. Ita vero ea poſt longas Joannis preces coaluit: uti diruta manerent Iſthmi clauſtra, Regio ad Pontum, dempta Meſembria, & quibusdam arcibus, pene omnis Sultano cederet, Imperator Byzantinus trecenta aſprorum millia tributi nomine quotannis numeraret Amurati; B) quo confecto fœdere, demum Legati vinculis exſoluti ſunt. Sub idem tempus Valachiam, C) ob fluxam Ducis in protegendo Muſtapha fidem, evaſtarunt Sultanicæ copiæ, quin eadem opera fines quoque Ungariæ infeſtaſſe memorantur. D) Uſque adeo mira undique felicitate arma volitabant Amuratis per Europam non minus, quam Aſiam. Eat nunc quispiam, & vel cauſæ bonitati, vel morum probitati bellicos ſucceſſus in acceptis ferat.

1425 Joannes poſt hæc Imperator Byzantio in Ungariam abiit; E) quæ profectio ad quem, quave de cauſa ſuſcepta ſit, non profertur; crediderim, ad Sigiſmundum Regem, & Imperatorem fuiſſe fœderum, vel opis poſcendæ gratia. Itineri huic annus propemodum impenſus eſt; nam menſe Novembri profectum, ſequentis anni October Urbi reddidit, magno Manuelis jam prope in extremis poſiti ſolatio; qui tamen recepto filio renuit creatus, aliquot adhuc menſes ſupervixit; ac demum viceſimo Julii anni inſequentis, Imperii anno quarto, & triceſimo, ætatis ſeptimo, & ſeptuageſimo, ſumpto prius pro more habitu monachico vitam clauſit. F) Princeps fuit animo miti, liberali, ſapientiaque exculto; cujus quædam ingenii monumenta etiamnum ſuperant, G) & cum præſtantiſſimis, qui Byzantii imperarunt, conferendus; qui nutantem Urbis fortunam in tanta rerum, & temporum iniquitate prudentia magis ſua, quam viribus ſuſtentarit; repoſiturus haud dubie in integrum, ſi non, ut cæteris pleriſque ante illum Imperatoribus omnia præter bonam mentem aderant, ſic illi præter hanc omnia defuiſſent.

JOANNES JUNIOR PALÆOLOGUS.

1426 ARcto & prope unius jam Urbis concluſus Imperio Joannes, id ſpectabat præcipue, ut fœdera cum Barbaris pacta ſancte obſervaret; neve occaſionem bello ſuſpicaci, & ad omnia rerum momenta inhianti eorum ingenio præberet. Sperabat interea, confluxuras in unum Chriſtianorum vires, & lucem afflictis rebus ſereniorem demum aliquando exoriturum. Idcirco toto Imperii ſui tempore parum, aut nihil bellorum Joanni fuit; cumque Amurates aſſiduo cum vicinis Chriſtianis conflictaretur, tacitis potius ſuſpiriis horum optabat ſucceſſus Joannes, quam aliqua ratione adjutum ibat.

1428 Uno, & altero dehinc anno memoratu nihil ſe dignum offert, niſi quod hoc poſteriore nuptiarum fœdera cum Anna Comnena, Trapezuntino Principe nata, inierit Joannes, eandemque pro more ſolenni Auguſtam

A) Phranzes p. 42. B) Ducas p. 87. C) Annales p. 254. D) Bonfinius D. 3. l. 3. E) Phranzes p. 42. qui interfuit, & reditum Joannis a ſe Manueli nuntiatum narrat. F) Hæc ex Phranze; qui tamen hoc loco perturbatus oppido eſt; nec ſatis intelligitur: an Manuel recepto jam filio, an nuntio tantum de illius adventu accepto obierit; uti neque ſatis liquet: utrum anno 1425. an autem 1426. deceſſerit; quod vero ait: regnaſſe illum annis triginta duobus, id ita crediderim accipiendum; ut non ad obitum, ſed ad Imperii adminiſtrationem Joanni filio traditam Imperii illius annos ſupputarit. Cæterum univerſim moneo: rem hic circa annos valde eſſe implexam ob Scriptorum iſtorum ſupinam quandam in iis adnotandis negligentiam. G) Ducas pag. 83. Videndus de his etiam Ducaginus in familiis Byzantinis pag. 198.

ſtam appellarit, & coronarit. A) Inſequente autem anno Novembri menſe A. C.
in Peloponneſum profectionem tali ex cauſa ſuſcepit Joannes: præerat 1428
Spartano Principatui, magnæque peninſulæ illius parti Theodorus, Joannis ſenior præ reliquis frater; qui ad aſceticæ vitæ tranquillitatem convolandi animum aliquando prætulerat; huic ut fratrem Conſtantinum ſufficeret Imperator, utque negotia Provinciæ ordinaret, triremi Lacedæmonem abiit. Cæterum Theodori illa voluntas refrixit brevi; neque Principatu Conſtantinus, quem præ reliquis ob virtutem diligebat Imperator, potiri tunc valuit; eidem tamen Urbes nonnullæ in Peloponneſo conceſſæ a Theodoro ſunt; pluraque minoris nominis loca prius a Nicephoro Meliſſeno poſſeſſa, nunc autem ex ejusdem teſtamento in Theodorum provoluta. Inſuper idem Conſtantinus, ducta in conjugem Theodora, Comitis Leonardi de Tocco filia, Caroli II. Comitis Cephaleniæ, & Zacynthi nepte, oppida non pauca, arcesque a Carolo antea poſſeſſas dotis nomine obtinuit; quin etiam Patræ Urbs a Malateſtarum familia quondam arrepta, excuſſis Italis Conſtantino acceſſit. B)

Hæc rerum malacia arridere Amurati & juveni, & feroci diu non 1431
potuit: cum ad eum conſultandum, deque domitis late hoſtibus congratulandum Legati diverſorum Adrianopoli adeſſent, eorum præſertim, qui perire Amuratem, quam triumphare optabant; Joannis ſcilicet, Venetorum, Rhodiorum, Valachiæ, Serviæque Principum, Chii Inſulæ Domini e Cateluſiis; omnes hos benigne audivit, & ad fœdera admiſit Amurates, Venetis duntaxat exceptis ejusmodi ob cauſam: Amurate cum Muſtaphis illis belligerante, & potiores ferente, magnus Theſſalonicenſes inceſſerat metus, ne victor poſtea Amurates in Græcos ob concitatos hoſce motus irruat, Urbemque illam poſt Byzantium florentiſſimam direptioni objiciat. Cives id veriti, nolente, volente, qui Urbi præerat, Andronico, Joannis fratre, ad Venetos recurrunt, eorumque Dominio, ac tutelæ Urbem tradunt. C) Veneti, perſolutis pro juris ceſſione Andronico quinquaginta aureorum millibus, lubentes Urbem, arcemque occupant, eidemque per aliquod tempus arbitratu ſuo moderantur; quo tempore ferunt, a Venetis, ne frequens, & factioſa Urbs ad rebellionem aliquando ſpectare poſſet, vario obtento plurimos civium illinc eductos, ac per diverſas Inſulas ſparſos eſſe; ſicque Urbem inciſis veluti nervis reſiſtendo Barbaris imparem effectam. D) Andronicus alienatæ Urbi non diu ſupravixit; at vero Amurates Urbem ſibi deberi, perperamque in manus Venetorum delapſam affirmabat; ut quæ olim jam ab Amurate I. occupata in jura Turcorum ſupremo Dominatu conceſſerit. Fruſtra Sultano jura comminiſcenti verba reddidere Veneti; obſiſtendum armis fuit, ſed contra exaggeratas illas Barbarorum vires perinde nihil arma valuere. Obſeſſa igitur cum maximis copiis menſe Martio a Turcis Theſſalonica eſt, & menſe Aprili ſive fraude quorundam civium cuniculos ad exercitum uſque clam perfodientium, E) ſive alacritate Turcorum, ſpe opimæ prædæ mœnia ſuperantium, occupata ab hoſte Urbs eſt; Venetum, quod inerat, præſidium triremibus ſalutem quæſivit, reliqui cives fortunis exuti, & capti ſub haſta venierunt; Urbs coloniis Turcorum impleta; Græcis tamen, ſeu venditis, ubi libertatem recepiſſent, ſeu aliunde adventantibus, conceſſa etiam D. Demetrii æde, incolendi Urbem facultas data; ſic periit pervetuſta, & nobiliſſima Urbs, quidve Byzantio expectandum foret, clade ſua infelix prænunciavit. Conterriti his rebus Veneti, ac ob Eubœam, reliquasque Inſulas ſoliciti, pacem brevi cum Amurate incertitudini bellorum præhabuerunt.

A) Phranzes pag. 47. B) Prolixe de Conſtantino hoc Phranzes, eidem intimus, & comes aſſiduus. Item Laonicus pag. 101. C) Ducas pag. 87. Unde refellas: Phranzen, qui Urbem hanc ab Andronico alio, Joannis ſenioris, non Manuelis filio, Venetis venundatam prodidit. D) Multis criminatur Venetos Ducas ob crudelitatem in Theſſalonicenſes exercitam, neſcio, quam vere. E) Phranzes pag. 57.

A.C. Ne his quidem exſatiata Barbarorum cupiditas, in Ætoliam, & Epi-
1432 rum morte Caroli Cephaleniæ Comitis turbatam, arma vertit. Carolo tres, ſed nothi ſuperfuere filii; ejusdem ex fratre nepos, item Carolus, contra ſpurios illos complura Acarnaniæ, & Epiri loca, quæ turbatiſſimo Græciæ ſtatu Comites Cephaleniæ obtinuerant, ſua reddere molieba-tur; ita ad arma inter eos ventum; poſtremo nothi illi ad Turcorum vires perfugium, ſed pro more uſitato infelix habuere. Amurates enim, Sinano in Ætoliam expedito, obſedit Joanninam arcem; itaque cum Carolo pactus eſt: ut Joannina Turcis cedat, Acarnaniam in clientela Sultanorum cum tributo annuo poſſideat Carolus; nothis vero illis Regiones nonnullæ aſſignentur. A) Sic e diſcordiis Chriſtianorum ad ſolos Barbaros redibat utilitas, digno quidem diſcordibus, ſed nihil ad ſanitatem apud cupiditate occæcatos valituro ſupplicio.

1433 Non perinde feliciter in Albania res Turcica tunc habuit: ſæpe Albaniam, ſed incaſſum tentarunt illi; quod ingenium Regionis montibus aſperæ, & populi illius militaris ferocia conatus eorum ſufflamminarent. Alibegus, obtenta rurſus ab Amurate poteſtate, magno cum exercitu aggreſſus Albanitas, fruſtra erat; inſuper in receptu ad Hertzegovinam victus, B) fugatusque fertur; quamquam non diu poſtea reſumptis viribus infeſtarunt rurſus Albaniam Turci, Comneno Arianite, qui Regioni illic cuipiam dominabatur, & Ibano Caſtoriæ Domino, celeberrimi illius Georgii, vulgo Scanderbegi, patre, ad tributa Sultano pendenda adactis. C) Georgius hic Ibani filius obſidis inſtar ad Amuratem ductus, ac illius aliquamdiu in aula educatus eſt; poſt vero in Albaniam profugus, heroicis in Turcos facinoribus nomen ſuum immortalitati conſecravit.

1435 Vix aliqua ſuis indulta quiete in Aſiam abiit Amurates, adverſus Caramanum, Turcicum perinde Principem, ac Sultanorum æmulum; ſed enim Caramanum, non perinde copiis inſtructum, ac forte præter opinionem bello provocatum, ad petendam adigere pacem in proclivi erat; poſt multas preces data Caramano pax, aut magis vendita, pretio duarum Urbium, inſuperque ſecturarum, quæ ſolæ in Aſia fuerunt, æris; D) adhæc filium Caramanus ſuum ad januas Amuratis (iſte tunc loquendi modus obtinuerat) E) mittere coactus eſt. F) Hoc bello ingens tota ſibi Aſia nomen velut perdomito æmulo peperiſſe Amurates fertur.

Quia vero bellum ex bello ſerere opportuniſſimum Barbaricis rebus, Chriſtianis vero otio, diſcordiaque torpentibus, maxime infeſtum norat; quiete vix capta, ad Serviam, & Ungariam oculos advertit. In Servia vita ſolutus ſub id tempus eſt Stephanus Deſpota, Lazari illius filius, nulla relicta ſobole, cujus Provinciam Georgius Brancovicius, Stephani Sororius, quocum gravia is bella geſſerat, occupavit. Quæſivit continuo in ſcirpo nodum, & reperit etiam Amurates; Lazari nempe filiam, Milievam Bajazeti olim nuptam fuiſſe, eoque connubio Provinciam in jus Sultanicum conceſſiſſe; G) tametſi conſtaret, nullam ex Milieva ſobolem Bajazeti ſuſceptam. Ea Sultani denunciatio, quid ſibi vellet, bene tenebat Georgius; igitur parte, quam toto excidere maluit; nataque ſua Maria, quam ex conjuge Comnena ſuſceperat, Amurati oblata, ac Serviæ parte in dotem conceſſa, amoliri perniciem adniſus eſt. Nec diſplicuit in præſentiarum Amurati conditio, Mariæ pulchritudine capto; quin arcis Senderoviæ exſtruendæ Georgio poteſtatem fecit; quo eodem tempore inſignia Deſpoticæ dignitatis a Joanne Imperatore accepiſſe Georgius fertur; nam cui præter titulos, & ornamenta Imperatoria vix aliud jam erat; quid præter titulos ad vanitatem aliquid, nihil ad utilitatem profuturos largiretur? H)

A me-

A) Laonicus pag. 99. ſed mirum, quam perturbate. B) Annales Turcorum. C) Laonicus pag. 104. D) Ducas pag. 91. E) Laonicus pag. 101. F) Id eſt: per modum obſidis ad obſequia Sultanica. G) Ducas pag. 91. Laonicus pag. 102. H) Ducas pag. 92.

A meditato in Serviam bello ad Ungariam tranſiit Amurates; atque A.C.
perductore Draculio, Valachiæ Duce, ipſe magnis cum copiis eo pro- 1437
ceſſit. Draculius hic cæſo Dano, Valachiæ Duce, ab Amurate prius conſtituto, grave hujus incurrerat in odium; nec vitaſſet omnino perniciem, ni operam omnem ad perdendos Ungaros Barbaro addixiſſet. A) Amuratem per loca difficilia in Tranſylvaniam deduxit Draculius, ubi incolæ deſertis omnino vicis, ſeque, & ſua in Urbes retraxere; idcirco laborare ſolitudine illa exercitus Amuratis cœpit. Ut ventum Cibinium, Urbem Pannodaciæ B) facile principem, eruperunt conferti illinc bellatores, nec levem Turcis cædem intulerunt, ut Amurates proditum ſe a Draculio ratus, reducere trans Iſtrum copias neceſſe habuerit. Atque hæc illa fortaſſe fuerit Turcorum clades, cujus ſub Sigiſmundo acceptæ, non quidem Ungarici, Græcanicive Scriptores, ſed exteri quidam meminere; C) conſertas nempe ab Ungaris cum Turcico exercitu manus; cumque labaſceret Ungarica acies, inſigni cujusdam peditis virtute erectam, cæſis demum octodecim Turcorum millibus, illuſtrem plane victoriam reportaſſe. Faciunt hujuſce in Ungariam expeditionis memoriam Turcorum quoque Annales; verum cladem hanc ceu probroſam pro more ſubticent; ſex autem in Ungaria potitum Amuratem caſtellis jactant. D)

Joannes interea Imperator toto hoc, quo Amurates late bellabat tempore, quietem egit Byzantii; id unum ſolicitus: ne illum, ceu pervigilem ad quævis lucra draconem in ſe accenderet; at fratres illius non perinde amicitiam inter ſe in Peloponneſo colebant. Conſtantinum enim præ ſeniore Theodoro ſucceſſorem ſibi deſignabat absque liberis Joannes, ac in Urbe penes ſe cum Thoma eſſe cupiebat. Indignatus ea prælatione Theodorus, accurrit Byzantium; nec ſe juribus velle cedere, palam profeſſus eſt; quamobrem Conſtantinus, & Thomas clam abiere in Peloponneſum, ut Theodoro, & Demetrio in Urbe relictis, illi Inſulæ potirentur; non tulit & hoc factum Theodorus, verum claſſe armata fratres aggreſſus, deturbare omnino Provincia inſtitit; paratæ deinceps copiæ utrinque, fraternoque bello datum initium; quod demum vix multis conſopire legationibus Joannes potuit. E)

Et ob diſcordias ejuſcemodi, & ob invaleſcentem ſupra modum Tur- 1438
corum potentiam, cum non longe ultimam rerum ſuarum perniciem abeſſe Joannes cerneret, ſalubre cepit conſilium reponendi ſe, ſuosque in Romanæ Eccleſiæ concordiam, atque inde ſalutis viam toties nequidquam tentatam auſpicandi; egerat jam aliquot ante annos de integranda hac concordia Manuel Imperator, Legatumque ea cauſa Romam expedierat; verum ob Pontificum, quæ tunc forte intercurrerant, turbas nihil promoverat. Joannes miſſis ultro, citroque legationibus, ita cum Eugenio IV. Pontifice convenerat: ut in aliqua Urbium Italiæ Concilium ei fini haberetur, ipſeque Pontifex, ac Imperator præſto eſſent. Ad ejus rei celebritatem menſe Novembri cum triremibus aliquot in viam ſe dedit Joannes; quem præter Demetrium fratrem, & Deſpotam, multi e Sacerdotum præcipue ordine affectati fuere; Joſephus ſcilicet Patriarcha, Beſſarion Nicænus, Marcus Epheſinus, cæterique numero circa viginti Præſules; itemque ex Procerum ordine non pauci, ut ducentorum facile capitum Imperatorius eſſet comitatus; F) cum his prius in Peloponneſum, inde Venetias, maximis ubique excultus honoribus abiit Joannes. In Urbe Ferraria datum fuerat Concilio initium; ſed quod turbæ quædam illic cum loci Principe enatæ eſſent, G) Florentiam Synodus translata. Iſthuc igitur ſuo cum comitatu Joannes abiit. Prius vero, quam Byzantio

A) Ducas pag. 91. B) Sic Tranſylvaniam appellat Laonicus; atque in eum modum expeditionem Amuratis exequitur; Ducas quoque pag. 92. C) Dubravius l. 27. & Krantzius; meminit Spondanus quoque ad An. Ch. 1435. D) Turcorum Annales ad annum Hegiræ 841. id eſt, Chriſti 1437. E) De hiſce fratrum tricis plura, qui interfuit, Phranzes p. 59. F) Phranzes hanc profectionem per aliquot capita deſcripſit a pag. 63. G) Videndus de his Spondanus quoque ad Ann. Chriſti 1439.

A.C. 1438 egreſſus eſſet Joannes, Conſtantinum interea tuendæ illi præfecit, quod Theodorus Peloponneſum adminiſtraret; quæ quidem Joannis abſentia, & migratio, utut admonito prius Amurate, facta propius fuit, ut in diſcrimen Urbem conjiceret; non ferebat enim Amurates, illas Græcorum reliquias concordiæ Latinorum adjungi; proinde Conſtantinopolim obſidere animum induxerat, ni per Hali Baſſam retractus eſſet; nam ſi concordia confieret, ut ille ajebat, facile amicitiam cum Joanne ad tempus confirmatum iri, & poſtea de improviſo obruendum; ſin autem non procederet, tum vero nihil futurum moræ, quo minus Conſtantinopolis Turcorum in poteſtatem veniat. A) Abſtinuit igitur tunc Amurates Byzantio, & in Serviam rurſus arma, Tyrannidemque vertit.

Etſi enim amicitiam, fœderaque cum Georgio Deſpota pactus eſſet Amurates, exſtrui tamen Senderoviam, eaque objici molitionibus ſuis clauſtra, immutata ſubito voluntate, non pertulit; igitur inſtinctu præſertim Phadulachi Veſiris, arma in ſocerum quamvis movit; in tanta enim uxorum, & libidinum licentia nullus erat ad contractam affinitatem, ſi qua tamen dici potuit, reſpectus; B) obſeſſa igitur primo cum vere eſt Senderovia, quam Georgii filius Stephanus cum Thoma Cantacuzeno fortiſſime propugnabant; nam Georgius cum tertio filiorum Lazaro in Ungariam ſe ſubduxit, ubi oppida, arcesque complures jam olim pro Belgrado permutatione a Sigiſmundo Rege acceptas, obtinebat. C) Trium ſpatio menſium preſſa Senderovia, demum fame in obſeſſos debacchante Barbaro ſe dedit. Stephano, itemque ejus fratri Gregorio, qui jam prius apud Amuratem erat, oculorum uſus eſt ademptus, Servia vaſtata, & occupata, Draculius quoque ob ſuſpiciones ante memoratas, dum gratabundus ad Amuratem accurrit, in carcerem compactus, vix filiis obſidum loco datis libertatem recepit. D) En præclaros amicitiæ, & ſocietatis Turcicæ fructus! & erunt, qui in hanc velut in paratos ſibi caſſes videntes, volentesque ruant?

Albertus Ungariæ, qui Sigiſmundo ſucceſſerat Rex, cognito Senderoviæ periculo, magnum Tibiſcum inter, & Danubium exercitum venturus auxilio locarat; verum ut intellexit, actum jam de illa eſſe, Amuratemque retro ceſſiſſe, morbis præſertim in caſtra ingruentibus, miſſionem ſuis dedit, ac ipſe quoque ex ventris profluvio in ſuſcepto Viennam itinere diem aſpexit ſupremum. E) Turbatiſſimis ab hac morte Ungariæ rebus, quod alii Eliſabethæ viduæ, pupilloque Ladislao adhæreſcerent, alii & potiores quidem Uladislaum Poloniæ Regem ad ſceptra advocarent, ad Ungariam totis viribus impetendam Amurates ſe accinxit; qua tamen adeo potitus non eſt, ut cladibus etiam exaggeratiſſimis Ungarorum virtute attritus.

1439 Ad perniciem ejusmodi propulſandam, parandamque meliorem, ac Barbarica erat, amicitiam, Joannes interim Imperator Florentiam decimo quarto Februarii die ingreſſus, maxima & honoris, & amoris ſignificatione a Pontifice, & Patribus acceptus eſt; ubi plurima erat per multos dehinc dies de notis jam diſcordiarum capitibus diſceptatio. Tametſi enim Imperator, Patriarcha Joſephus, Beſſarion, Iſidorus Ruſſiæ Præſul, Gregorius Protoſyncellus, multique alii in concordiam toti propenderent, obſtabat tamen aliorum tumor, reprehendi dogmata, ritusque ſuos non ferentium, ac probra ſuorum Byzantii, & iras verentium. Præ cæteris vero Marcum Epheſinum, etſi a viris doctiſſimis ſæpe confutatum, obſtinatio in ſententia tenuit, hæreſeos adeo poſtulare Synodum, & Latinos auſum; quem tamen poſt acerrimas contentiones, magnaque Imperatoris, & Patriarchæ pro concordia, ſtudia, præter unum Scholarium ejus diſcipulum, deſeruerunt ad unum omnes, & fidei formæ ab Eugenio conceptæ

A) Id quoque Phranzes p. 65. B) Ducas p. 92. C) Bonfinius Dec. 3. l. 4. Thuroczius in Sigiſmundo. Meminit hujus permutationis Laonicus quoque p. 102. D) Ducas p. 93. E) Bonfinius eodem libro; & Thuroczius in Alberto.

ceptæ volentes, lubentesque ſubſcripſerunt. A) Ingens de negotio feliciter acto, & Synodum, & orbem Catholicum implevit lætitia; & bene profecto res Græcis ad ſalutem non minus animi, quam fortunarum ceſſerat, ſi vel ſincere totum hoc negotium ab iis eſſet actum, vel animi firmitudo major bene cœptis adfuiſſet; ſed virus hoc tot per ſæcula alte inditum, & velut cum lacte hauſtum, elatione præſertim mentis ſtimulos addente, curationem apud eos, quantumlibet exquiſitam reſpuebat. A.C. 1439

Joannes rebus ex animi ſenſu confectis, triremibus Pontificiis in trecentorum, quos Pontifex addiderat, militum præſidio Byzantium regreſſus eſt. Patriarcha Joſephus, uti & Sardenſium Præſul Florentiæ vitam poſuerunt. Iſidorus in Ruſſiam concordiæ delaturus negotium abiit; at enim ab obſtinatiſſimis in errore comprehenſus, diroque Moſchuæ carcere vexatus, ægre in Italiam refugit. Hunc Cardinalium Cœtui adlegit Pontifex; eodem & Beſſarion honore donatus in Italia manſit. Subſtitere illic præterea ex comitatu Imperatorio Georgius Trapezuntius, Gemmiſtius Pleton, nonnullique alii eruditiſſimi; quorum opera uti & Manuelis Chryſoloræ, jam olim imperante Manuele, in Italiam transgreſſi Græcæ literæ placere Italis cœperant; quibus exculti viri quidam doctiſſimi ad Latini quoque ſermonis elegantiam aſpirarunt. Ita abſterſa ſenſim, quæ tot annos Italiæ, Europæque incubuerat barbaries, ac politiores literæ ſenſim effloruerunt; ut jam non natas modo olim Muſas, ſed etiam feliciter renatas Græciæ Latium debeat.

Joanne Byzantium regreſſo, totum hoc concordiæ cum Latinis negotium intra paucorum ſalutem ſtetit; Epheſinus ille Marcus ſuo cum Scholario B) depugnabant acriter in Latinos; quin alii quoque nonnulli, a quibus concordiæ ſubſcriptum fuit; quorum princeps Heraclienſium Præſul Antonius, prævaricati fuere. Ajebant quippe populo: minis partim, partim vero donis corruptos ſubſcripſiſſe ſe, jamque pœnitere ſceleris, & concordiam deteſtari. Sic illos ſua obſtinarat pervicacia; ut turpitudinem confiteri ſuam, quam redire ad ſanitatem mallent; populus his perſuaſus, ab eorum abhorruit communione, qui cum Latinis ſentiebant; igitur fruſtra & ab Imperatore Joanne, & a Pontifice per Legatos actum; quin fœdius etiam jactari diſſenſionibus Eccleſia illa cœpit; quam ob cauſam oblatum ſibi Patriarchatum refugit Beſſarion; cui ſublectus eſt Metrophanes Cyzicenus; C) poſt vero Gregorius Imperatori a ſacra exhomologeſi, qui tamen aliquot poſt annos ſuorum exoſus intemperiem profugit Romam; ſic nihil Byzantii pro ſano actum, urgente illos fato quodam ſuo, & in infelicitatem omnium maximam provolvente,

Non ceſſabat hæc inter fatalia Byzantio arma proferre longe, late- 1440
que Amurates, diſcordia præſertim inſtinctus Ungarica; obſedit enim Belgradum, arcem Ungariæ limitaneam, ac natura loci munitiſſimam. Joannes Zovanus Auranæ (ut vocabant) Prior, vir manu, & conſilio promptus, loco illi, ac Ungariæ ſaluti fuit; D) hic nulli pepercit labori, & operæ, quo Barbarum terra, Danubioque Urbi per ſex adeo menſes E) furioſe imminentem retunderet; & fortiter omnino, feliciterque retudit. Machinis cum nihil ignivomis proficeret Amurates, latiſſimum cœpit ſuis in Urbem immitendis cuniculum egerere; & proceſſerat ſane in Chriſtianorum perniciem machinatio, ni illi ſolerter occurriſſet Joannes; contrario enim egeſto cuniculo, atque ſulphure, pice, cæteraque materia igni opportuna completo, cum ingens ſe Turcorum vis in meatum intruſiſſet, ſubito repente igne, maximam in eos perniciem reflexit;

A) Videnda de his acta Concilii Florentini, & Spondanus ad annum præſentem. Item Ducas p. 95. qui licet Græcus, videtur tamen cum Latinis ſenſiſſe; ſæpe enim, & acerbe ſuorum obſtinationem, & in odio adverſus Latinos proterviam inſectatur. Scripſit vero paulum poſt Conſtantinopolim a Turcis expugnatam. B) Ducas p. 96. C) Phranzes p. 70. D) Thuroczius in Uladislao I. Bonfinius D. 3. l. 4. E) Ducas p. 93. Meminere hujus obſidionis Annales quoque Turcici ad annum Mahometanum 839. C. 1439.

A.C xit; ferunt, a fumo, & flamma in iis anguſtiis plura Turcorum millia periiſſe, totoque obſidionis illius tempore millia fere ſeptemdecim; ſicque pudoris completum Amuratem copias alio vertiſſe.

1441 Animati hoc ſucceſſu Ungari, Duce inclyti nominis Joanne Hunniade, jam non defendere ſolum, verum etiam inferre Barbaro bellum auſi fuere. Iſaacus quidam Begus, inſolentius in Servia dum ſe gerit, productis in apertum copiis, luculento a Joanne prælio victus, & fuſus fertur. A) Sed illuſtrior longe fuit, quam eodem anno Dux ille fortiſſimus in Tranſylvania reportavit, victoria. B) Cupidiſſimus vindictæ Amurates, Meſiten Europæ Ducem, cum robore Turcici exercitus per Valachiam irruere in Ungariam, ac omnia evaſtare juſſerat. Facit imperata Meſites, inque Tranſylvaniam, Albam verſus infuſus ſolita barbarie in obvia quæque graſſatur. Non defuit in hac rerum iniquitate, tametſi Ungaria inter Uladislaum, & Eliſabetham Alberti viduam diro flagraret bello, partibus ſuis Joannes; validam Ungarorum contrahit manum, inque hoſtem prædarum multitudine gravatum tendit. Ad S. Emerici vicum ſubitaneo Turcorum incurſu turbatus, aliquantum retraxit ſe Joannes amiſſis nonnullis; in his etiam Albenſium Præſule Georgio; confirmatis poſtea viribus acerrimo, & diuturno concurrit certamine; in quo Dux ipſe Meſites cæſus, Barbari impedimentis amiſſis, plures per dies a milite, & agreſtibus necati; ferunt, viginti Turcorum millia eo prælio deſiderata. Certe exaggeratam hanc fuiſſe cladem inde intelligas, quod Turcorum quoque Annales ſuorum dedecora ſilentio obtegere ſoliti plane ajant: Meſiten univerſo cum exercitu in Tranſylvania deletum. Hæc victoria Duces quoque Valachiæ, & Moldaviæ Ungarorum partibus rurſus adjunxit.

1442 Nihilo felicius conſequente anno Schacho Abedino, itidem Europæ Duci, res cum Hunniade fuit. Hic ab Amurate cladi, ignominiæque delendæ in Ungariam expeditus, in ipſo Regni aditu, cui porta ferrea nomen, cum octoginta Barbarorum millibus conſtitit, ubi illum lecta quidem, ſed modica ad tantam multitudinem cum manu opperiebatur Hunniades; C) quindena non amplius huic fuere millia; qui tamen non quot, ſed ubi hoſtes eſſent, maximorum exemplo Ducum quærere ſolitus, ſumma & arte, & virtute cum Barbaris certavit. Anceps diu Mars, demum in meliorum, & fortiorum flexit partem; fugati in loca aſpera Barbari, & ad ſatietatem cæſi, vix ut dimidia eorum pars per Iſtrum refugerit. Ne hanc quidem Ungaris victoriam Turcorum Annales detractum eunt; quin præ patriis Scriptoribus amplius quiddam afferunt; nullum enim illi de occiſo Abedino verbum; hi vero interfectum cum robore Turcici exercitus aperte confitentur. D) Mirum eſt, ut ab ea victoria inclaruerit per orbem Joannis nomen, ut vigor, & virtus redierit Ungaris, ut Turcis pavor, trepidatioque injecta. Iſtro ſæpe transmiſſo incurſabant late Barbarorum fines Ungari, & vicem ferocibus illis reddebant; E) nec felicius opprimendo penitus Barbaro exortum fuerat tempus, ſi Byzantini, reliquique Orientales Chriſtiani jugo vel jam aſſueti Barbarico, vel nimium obruti, ad libertatem & ipſi aſpirare auſi eſſent.

Verum ceu in corpore humoribus noxiis perturbato, alii ex aliis morbi illic propullulabant, rerumque meliorum afferebant deſperationem; Joannes Imperator liberis cum careret maribus, Conſtantinum fratrem, Theodoro licet juniorem, deſignabat ſucceſſorem. Ferebat indigne rem Theodorus, & ne frater arripere Principatum poſſet, nec Conſtantinopoli penes Imperatorem illum degere, neque Principatui Peloponneſiaco eidem

A) Bonfinius eodem libro, & Decade. B) Meminere hujus victoriæ præter Thuroczium, & Bonfinium, Annales Turcorum p. 255. Laonicus p. 105. Hunniadem Græci Scriptores non aliter, quam τὸν Ἰάγγον, appellitant; quæ vox Ungarice Joannem, ſed diminute notat. C) Hunniadem Ducas mire laudat, alterum Achillem, & Hectorem vocitans; καὶ πρὸς τὰ πολεμικὰ ἕτερον ἀχίλλεα ἢ ἕκτορα. D) Annales p. 255. E) Magna hæc cum Hunniadis, & Ungarorum laude exequitur Laonicus p. 107.

eidem decedere volebat; hinc ſimultates, odiaque inter fratres, & crebræ A.C.
Byzantium, illinc vero in Peloponneſum migrationes. Ad extremum 1442
agente quoque Irena, quæ adhuc vitam producebat, eorum matre, ſic conventum inter fratres eſt: ut Selybriam, cæteraque circa Propontidem loca cum ſpe ſuccedendi obtineret Theodorus, Conſtantinus vero Peloponneſum haberet; A) & tunc igitur vetera Imperii fragmina dividere, inchoatamque ſemel ad interitum viam inſiſtere libuit.

Sed vix etiam hæc peracta conventio, gravius a Demetrio Principum horum fratre exarſit malum: hunc neque conjugio illigari, nec Regionis parte aliqua potiri volebant fratres; quid enim exiguas illas Imperii reliquias penitus diſcinderent? neutrum placebat Demetrio; qui Pauli Aſanis, unius de Procerum numero, & tunc Meſembriæ, quæ Joanni adhuc parebat, Præfecti natam ſibi junxit, Meſembriaque occupata bellare in fratres, ſeque in hæreditatis partem armis reponere decrevit. Copias igitur apud Meſembriam e Græcis, Turcisque conflatas Byzantio admovit; ſed cum viribus profecturum aliquid deſperaret, exercitu ultro dimiſſo, egit de concordia cum fratribus; a quibus comprehenſus primum, dein autem maris Euxini Principatu donatus perhibetur. B) En veterem etiam in extrema calamitate diſcordiam, & hæreditate quaſi ad fratres hoſce a majoribus devolutam!

Melius, & felicius alia ex parte res Chriſtiana habebat: illuſtria Hun- 1443
niadis in Barbaros facinora ſtimulos ſubdidere Uladislao Ungariæ, Poloniæque ſimul Regi, C) cæterisque Chriſtianis; ut toto virium niſu non jam expectarent hoſtem præ foribus, ſed ad ipſam Barbarici Dominatus ſedem Adrianopolim progrederentur. Urgebat in expeditionem Ungaros per Cardinalem Julianum Pontifex Eugenius, inſignem e ſuis, Venetis, Burgundionibus, miſſurum claſſem pollicitus, quæ præcluſo mari vires Ottomanicas dividat; tum enim ab Europa facile peſtem illam depulſum iri; addebat Ungaris, & commiſeratio Imperatoris Joannis, crebræque illius legationes D) animos; qui tamen nullas cum Amurate apertas gerebat inimicitias, quin exquiſitis illius demereri benevolentiam officiis ſtuduit. Denique Deſpotis Brancovicii, liberorumque ejus miſeriæ ad opitulandum Chriſtianos incendebant.

Uladislaus itaque cum Hunniade, Regnique Primoribus, & valida ſuorum manu, trajecto prope Senderoviam Iſtro, recta Sophiam duxit; capta, direptaque Urbe illa, motæ trans Moravam amnem fuere copiæ; ubi Hunniades in caſtra Turcorum cum decem equitum millibus ſub crepuſculum illatus, inſignem fertur conſecutus victoriam, multis Turcorum millibus aut captis, aut necatis. E) Illinc ad Hemi montis aditus perquam difficiles rumpendos ivere Chriſtiani; quos cum totius Europæ, Aſiæque exercitu defenſabat Amurates, actum de ſuo ratus Imperio, ſi illac perrumperent Ungari; acceſſere ad rei gerendæ difficultatem rigida nivibus Hemi juga, annusque in hyemem pronus, commeatus adhæc in Regione direpta, & rerum omnium ſolitudo; ut communi conſilio reducendum cenſeret exercitum Uladislaus, militemque opportunitati meliori ſervandum.

Ad receptum hunc infeſtandum validas emittit Amurates copias, Ductoribus Chaſane Europæ Duce, Turchane Præfecto Theſſaliæ, & Carambæo Chalilis, qui ſororem Amuratis habebat, fratre; F) verum feroces horum impetus non repulit modo Hunniades, ſed etiam illuſtri victoria male mulctavit; prælio enim inito cæſus cum univerſis pene copiis (ut hæc ingenue Turcorum fatentur Annales) G) Chaſanes eſt, Turchanes fugatus, Carambæus captus, ac poſtea quadraginta nummum aureorum

A) Phranzes p. 70. qui res ſpectavit, & earum pars fuit, in Conſtantini degens aula, ac multis ab eo legationibus defunctus. B) Laonicus p. 121. C) Perperam Ducas Regem Saxonum nominat. D) Meminit aliquarum Phranzes. E) Bonfinius D. 3. l. v. Turoczius ſexies in hac expeditione pugnatum eſſe ait. F) Sic rem Laonicus pag. 130. G) Pag. 255.

A.C. millibus redemptus. In Turchanem profugum ex dolore cladis ſtoma-
1443 chum erupit Amurates, velut is cum Deſpota veteri amico clancularie colluſerit, eundemque in carcerem compegit. A) Uladislao in Ungariam cum copiis reduce egit de pace Amurates; male enim ab experta Ungarorum virtute metuere cœperat; acceſſit motum a Caramano in Aſia bellum; Chriſtiani quoque in Peloponneſo, & Albania Ungarorum fortuna ad novas ſpes erigebantur; qua occaſione uſi Peloponneſii, inſtaurando Iſthmo Corinthiaco operam rurſus contulere. His rebus, ac metu quoque Occidentalium, & Italiæ perturbatus Amurates B) Georgium Deſpotam, ut omnia pro pace apud Ungaros moliretur, tota Servia, filiisque, quos penes ſe habebat, amicitiaque perenni promiſſis, hortatus eſt. Deſpotes his permotus, prenſare ſummis precibus Regem, & Proceres, oſtentare pacis exoptatæ commoda, laborumque, & periculorum finem. Nec illibenter privatorum commodorum reſpectu, qui apud mortales plerumque ſuperat, pacis ſermones accipiebant Ungari; Uladislaum Poloni ſui evaſtata per Tartaros Polonia efflictim in Regnum revocabant; Ungaria ſuperior, nondum penitus a Bohemico expurgata bello, pacem cum Barbaris ſuſpirabat. Excepti igitur benigne Amuratis Legati, de pace apud Szegedinum egerunt; nec diu hiſce illa capitibus coaluit: ut Servia, quanta eſt, Georgio cederet; redderentur filii; Valachia, & Moldavia juris, ut antea, Ungarici fierent; Iſtrum neve Ungari, neve Turci prædis agendis tranſirent. C)

1444 Hæc ut jurejurando utrinque firmata ſunt, reductæque copiæ, liber Pannonico bello Amurates, in Aſiam cum univerſis copiis adverſus Caramanum abiit; hic enim belli Europæi commodo ad amiſſas olim Urbes recuperandas præclare uſus fuit. Prælii cum illo non multum interceſſit; Iconio, Laredana, principibus ejus Provinciæ Urbibus occupatis, Caramano ad tributi penſionem adacto, pacem tribuit Amurates; iisque rebus feliciter confectis, cognita Aladini filii morte, alterum filium Mahometem inſtituit ſucceſſorem, additoque ei Chelile Vezire, ac Principatu abdicato, privatam ſe in vitam ſubduxit. D) Sic homini etiam Barbaro, & in tanta fortuna poſito quies, & animi Regnum alio quovis nobilius viſum.

Nondum ſe penitus ejus anni æſtas evolverat, cum ecce adſunt in Ungaria Franciſci Cardinalis Florentini claſſis Chriſtianæ Ducis literæ, E) quibus appulſus ex pacto triremium in Helleſpontum ſignificatur: præcluſum Barbarico exercitui mare; Chriſtianos in Peloponneſo, alibique in armis eſſe; exortam opprimendæ in Europa Turcorum potentiæ occaſionem non facile redituram. Adfuit ſub idem tempus, quæ ab Joanne Imperatore his ſimilia afferebat legatio; F) tum vero Cardinalis Julianus, qui jam antea paci adverſum ſe ferebat, acrius Regem, & Proceres commovere cœpit: irritum, nulliusque roboris eſſe fœdus, quod excluſis, imo pene proditis ſociis confectum ſit; nusquam adhuc Barbaros pactis, conventis ſtetiſſe; niſi opportunitatem a Deo oblatam arripiant, in maximam Chriſtianis perniciem tractatum hunc erupturum. His, aliisque impulſi Rex, & Proceres, pœnitentia primum, & pudore admiſſæ pacis duci, præcipitantiam in tam gravi negotio incuſare ſuam, & ad ſumendum de integro ſociorum cauſa bellum inflammari; denique poſt longa conſilia expeditio in Barbaros rurſus decernitur; cæterum diſſipatæ per pacem initam copiæ, nec tanto jam numero, nec tanta celeritate, uti par erat, cogi potuerunt; quindena non plus millia confluxere, quibus quaterna adjecit Draculius; ac tametſi jam autumnus iniſſet, tanti tamen ſociorum ſalus Ungaris fuit, ut obſtaculis quibusve ſuperatis, raptim in Orientem cum Rege, & Hunniade eorum nobiliſſimi procurrerent. Non pla-

A) Laonicus. B) Ducas p. 97. C) Laonicus p. 131. D) Annales p. 255. E) Bonfinius loco jam citato. F) Phranzes ad Amuratem, & ad Regem Ungariæ Legatum ſe ab Joanne miſſum meminit p. 71. ut videatur Joannes ita optaſſe ſucceſſum belli Ungaris, ut tamen Turcorum furorem perhorreſceret.

placebat ejusmodi expeditio Georgio Deſpotæ, nuper primum in Princi- A.C.
patum repoſito; a quo ferunt clam omnia Chriſtianorum molimina 1444
Amurati ſignificata. A)

Amurates etſi Imperio jam abdicaſſet ſemet, viſo tamen in ſummum diſcrimen adductas Turcorum res, repetiit gubernacula, & collecto ſuorum in Aſia exercitu, trajicere in Europam feſtinabat; verum Chriſtiana quinque, & viginti triremium claſſis, Helleſponto e Regione Calliopolis occupato, Barbaros trajectu præpedivit omnino, maximaque deſperatione res eorum; præſertim Europæas afflixit. B) Ungari interim, nullo ſibi obſtante exercitu, late per Bulgariam diſcurrunt, evaſtant Nicopolim, Shulium, Pezechium, Materam, Buruvadam, deletis aliquot Turcorum millibus expugnant; C) demum recta Varnam verſus ad mare Ponticum Urbem contendunt. Mirum ſane: relictis ad dextram tot Turcorum Urbibus, Varnam uſque progreſſos; at enim expeditiorem hanc Conſtantinopolim, quæ itineri propoſita fuit, prope Iſtrum viam habuere; quam ſi attigiſſent, ope adjuti fœderatorum, propulſaſſent facile ab Europa Amuratis exercitum, ſicque per otium cæterarum Urbium potiti eſſent.

Amurates, cum ſolito Turcis in Europam trajectu tranſire nequiſſet, ad loca Propontidis abduxit ſuos, quave mare anguſtiſſimum fuit, (oſtium ſacrum dicebant) quod Chriſtianæ naves eo appelli vento prohiberentur, mercatorum navigiis libere in Europam cum univerſis copiis tranſcendit. Ad Varnam jam tendebant Ungari, Urbe in poteſtatem acta, cum repente adeſt Barbaricus ſexaginta millium exercitus, & decimo Novembris die prælio poteſtatem facit. Pugna fuit, ſi quæ unquam memorabilis: Chriſtianos ſalus ſociorum, ampliſſima victoriæ præmia, tot laborum, & itinerum ſuperatæ difficultates acuebant; Turcum Dominatus Europæ tantus, ac ultima, ſi vinceretur, deſperatio in rabiem egerat. Certatum igitur utrinque obſtinatiſſime; & quamquam inferior rebus omnibus Chriſtianorum erat exercitus, D) virtute tamen, animoque diu ſuperior fuit. Ab Hunniade, & Michaele, cognomento Nigro, cornu utrumque Turcicum pot longam, & acrem dimicationem actum in fugam eſt, & ad plura paſſuum millia, cæſo etiam Aſiæ Duce, propulſum. Amurates denſo Genitzerorum ordine, ceu vallo cinctus, ſtabat tamen immotus; quem ajunt: ipſum quoque in fugam ruiturum fuiſſe, ni per Genitzeros, objectis etiam equo compedibus, retentus eſſet. E) Poſtremum hoc, & prævalidum hoſtium agmen aggreſſi Ungari, facile loco propulerant, ni temeraria magis, quam fortis Uladislai Regis ferocia victoriam cum tanto Europæ damno, & ad totam poſteritatem dolendo corrupiſſet; is enim hujus quoque agminis quamprimum proterendi cupidus, & juvenili actus fervore, in mediam involavit Genitzerorum aciem; hic equo Regis forte prolapſo, caput Uladislao a quodam Genitzero Cheſer nuncupato F) reſectum, & haſta ſublatum eſt; Cheſer in præmium facinoris primum Genitzerorum Aga, dein Vezires fuit. G) Cæſo Rege inverſa continuo eſt belli fortuna; nam & victis redibant animi, & victoribus deſperatio injecta; illati igitur in noſtrorum ordines Genitzeri, aliique a fuga revocati, cruentum cum nocte prælium finierunt; Hunniades tranſito cum reliquiis Iſtro, per Valachiam in Ungariam contendit; Julianus Cardinalis, Simon Varadinenſis, Joannes Agrienſis Præſules, Stephanus Bathorius, multique alii e Procerum ordine in acie cæſi, caſtra, & impedimenta victoribus ceſſere. Ferunt Turcorum Annales, Amuratem, cum inclinatas

A) Ducaginus in Brancovicio ex Ænæa Sylvio p. 261. B) Ducas p. 98. Laonicus p. 135. C) Bonfinius l. cit. Meminere etiam Annales Turcorum; addunt tamen: quosdam de cataphractis Ungarorum captos a Turcis, & ad Amuratem ductos; quibus ille conſpectis dixerit: a Turcis fore victoriam, ſi cum ejusmodi cataphractis dimicandum ſit. D) Annales Turcorum, ut hanc victoriam attollant, mirum in modum apparatum belli Ungarici exaggerant; fuiſſe illorum octoginta bellatorum millia, machinas currules quadringentas; quæ ſeipſa abunde refellunt. E) Phranzes p. 71. F) Annales Turcorum p. 256. G) Id quoque Phranzes, p. 71. ſed Genitzerum illum Camutzam vocat.

A.C. 1444 ſuorum videret acies, Divinum adverſus fœdifragos Numen invocaſſe, ſubitoque mutationem modo memoratam incurriſſe. A) Exaggeratius hoc ipſum quidam noſtratium: B) Amuratem in ſummo diſcrimine fœderum e ſinu tabulas protuliſſe, elatisque in cœlum oculis Chriſtum, ſi vere Deus ſit, ad ulciſcenda ſuorum perjuria vocaſſe. Utcunque hæc fuerint, illud non dubium: Turcos etiam fœdifragos propitio ſæpe Marte uſos, at Chriſtianos vel dubia belli juſtitia, plerumque extitiſſe infelices; nam qui juſtitiæ præſertim ſtudio Barbaris lucere Chriſtianos voluit Deus, quomodo vel umbram perjurii in illis perferat?

1445 Amurates hac potitus victoria, non recepit modo ſua, verum etiam immane quantum etulit; claſſis Pontificia, cognito infelici caſu, retraxit ſe in Italiam, Ungari Hunniade Regni adminiſtro, pro Ladislao Alberti ex Eliſabetha poſthumo, conſtituto, finibus arcere ſuis Barbarum ſat habebant; Orientales denique Chriſtiani ea conterriti clade, Barbarica ſuæ ſaluti amicitia conſultum ibant; & Joannes quidem Imperator, neutrarum, ut videri poterat, eo tempore partium, ut qui nec armis præpedire tranſitum molitus ſit, nec Amuratem in caſtra invitantem ſecutus, C) facile ſe in amicitiam Barbari repoſuit, ſicque perniciem Byzantio avertit. At Conſtantino, & Thomæ fratribus non æque pronus fuit ad gratiam reditus; nam hi belli illius tempore Iſthmios muros inſtaurarant, ceperunt Thebas, Theſſaliam incurſarunt; demum collectis, quidquid in Peloponneſo bello aptum erat, ſexaginta adeo hominum millibus, illuſtre aliquid in Barbaros moliri Conſtantinus cœperat. D) Profectus in Peloponneſum cum victore exercitu Amurates, murum Iſthmium machinis bellicis diu quatit, pluribusque locis ſuffodit; Peloponneſios turbam potius, quam militem ſubmovet; Urbes a Chriſtianis occupatas cum Hexamilo recuperat; poſtremo clauſtris illis ſubrutis, ac fugatis Peloponneſiis, torrentis inſtar late effunditur; tum vero expugnata Sicyon, Patræ igni deletæ, Peninſula plurimis hominum millibus in ſervitutem raptis vaſtata; E) qua demum ſumpta de Peloponneſiis vindicta, reliquit Principibus illis Peninſulam, ſed tributo dehinc annuo redimendam.

1446 Inde in Albaniam, quæ fortiter adhuc eluſerat Turcos, Martem tranſtulit Amurates; præerat Albanis Georgius Caſtriotus, vulgo Scanderbegus, cui olim Mahometano e ritu circumciſo Alexandri Begi nomen erat inditum. Hic Arianitæ Comneni viri in Albania præpotentis ducta filia, F) cum & animi, & corporis fortitudine vigeret admirabili, omnium in ſe Albanitarum ſpes vertit, copiarumque, & ſumptuum inopiam induſtria, illuſtribusque facinoribus penſabat. Ut a procurſione Barbarica ſuos tutarentur Albani, in tutiora removerunt imbellem multitudinem loca; ſic vero expediti Georgio Duce invigilabant munitis Urbibus, occaſionique rei in Barbaros gerendæ. Sphetisgrado per vim potitus Amurates, Crojam præcipui nominis illic Urbem, fruſtra multis, diuque tentavit; demum & propugnantium virtute fractus, & hyemis intemperie exagitatus abduxit exercitum Adrianopolim; ipſeque in Bithyniam ad arreptum jam olim ſeceſſum, & quietem filio Mahometi Regno in manus dato, abſceſſit. G) At enim quietem illam, cœlumque, quod inter ſuæ ſectæ Monachos ſibi ſomniaverat Amurates, faſtidire brevi cœpit; quid enim inſanæ illi ſuperſtitioni cum veris animi deliciis conveniret? igitur relicta Aſia, & Mahomete filio Chalilis Veziris aſtu inter venandum occupato, recurrit Adrianopolim Amurates, ac Imperium indignante nequidquam filio recepit.

1448 Unus fere annus quieti a Turcis datus eſt; tum vero ne otium militare perturbationis aliquid gigneret, rurſus ingredi Albaniam, eamque penitus debellare libuit. Scanderbegus more ſuo iterum bellavit; namque

A) Annales p. 256. Laonicus vero p. 145. ait: Amuratem voviſſe Monachatum inter ſuos amplecti, ſi vinceret. B) Bonfinius libro citato. C) Laonicus p. 136. D) Phranzes p. 74. E) Ducas p. 99. F) Laonicus p. 144. G) Laonicus p. 145.

que imbelli ſuorum multitudine in Venetorum Urbibus repoſita, viros fortes Crojæ, aliisque locis munitis injecit; tum vero ipſe expedita cum manu obſeſſis ſtrenuus affuit auxiliator, nec reprimebat modo Barbaros, ſed viriliter perſæpe mulctabat. A) Diu jam obſidebatur Croja, & irruptio ſemel, iterumque, nec citra multorum cædem tentata ab Amurate erat; cum ecce repens effunditur rumor, Joannem Hunniadem cum valido Ungarorum exercitu in Servia eſſe, ac in Albaniam properatis itineribus contendere. A.C. 1448

Hunniadi, Varnenſi e clade elapſo nihil cordi magis fuit, quam vindicare primo quoque tempore Regis, & Ungarorum interitum, exultantemque e victoria hoſtis ferociam compeſcere, ſimul afflictis Chriſtianorum in Albania, & alibi rebus auxiliatum ire; quem in finem conventum inter Hunniadem, & Scanderbegum, ut hic a fronte, ille a tergo eodem tempore Barbarum aggrederentur; B) & magnum, ac ſalutare edituri erant facinus, ſi non conjunctionem hanc fortiſſimorum Ducum, virtutemque fortuna invidiſſet. Amurates cognito Ungarorum adventu oppido conterritus, relicta continuo Crojæ obſidione, quidquid virium in Europa ſupererat, in unum contrahit, grandique collecto exercitu ſumma feſtinatione, ne quid a tergo damni inferret Scanderbegus, in fines Serviæ retrocedit. In patentibus Coſſovæ campis, qua Servia in Illyricum procurrit, convenere infeſti exercitus; inde Hunniadis quatuor, & viginti millium, illinc Amuratis millium octoginta. C) Fixum erat Hunniadi, non prius conferre pedem, quam Scanderbegus cum copiis adforet; contra vero præcipere adventum ejus laborabat Amurates; quem in finem commeatu excludere Ungaros, ſicque percrebras ſuorum procurſiones ad prælium cogere inſtitit. In remota, hoſtilique Regione egere brevi Ungaricus cœpit miles; quippe hoſtilem in modum diripuerat Serviam Joannes, quod Deſpota Georgius dare in Turcos militem detrectaſſet; igitur Ungaris aut a fame, aut ab hoſte pereundum fuit; qua neceſſitate victus Hunniades, non expectato Scanderbego, Octobris decimo octavo prælii ſuis poteſtatem fecit.

Triduanum illud fuiſſe & noſtrates, & cæteri ſcripſere; etſi in prodendo rei geſtæ modo non perinde conveniant. Proditum a noſtris: D) primo die ardentiſſime utrinque concurſum eſſe, propulſoque Turcorum utroque cornu, ipſum etiam Amuratem loco motum; tum collectos in unum Turcos, capto tumulo quodam peropportuno, ad noctem ipſam prælium extraxiſſe; ſic tamen, ut res Ungarica ſuperior eo die videretur, campum utrinque cadaveribus oppletum. Altero die pugnari cœptum cum diluculo: ſed heſterni prælii labore laſſos, & imminutos numero Ungaros, pares Turcis haudquaquam fuiſſe; attamen prælium in ſeram uſque noctem fortiter ſuſtinuiſſe; rem vero eo deductam, ut Turcæ victoriam ſperare jam poſſent; tertia demum luce, cæſis in prima acie fortiſſimis quibusque Ungarorum, victoriam ad Barbaros denique defeciſſe; arreptam ab Hunniade, ut omnia jam turbata vidit, fugam; octo Ungarorum, quatuor & triginta Turcorum millia iis prælis deſiderata.

Diverſus ab his Laonicus, quadraginta hic Ungaris, centum quinquaginta Turcis millia fuiſſe ſcripſit: E) primo die æquo utrinque Marte pugnatum, interfectis utrinque quamplurimis; dubia deinde luce machinis bellicis, Genitzerorum, quod ſolum immotum ſteterat agmen, ab Hunniade impetitum eſſe; die autem conſequente cum Aſiano exercitu Ungaros fortiſſime dimicaſſe; Turchanem Begum a tergo illos adortum, ſed repulſum tamen eſſe; tum reſediſſe nonnihil prælium; Valachos, quorum octo millia Ungaris militabant, viſo res Ungaricas labaſcere, per

A) Eadem hæc Laonicus; at Annales Turcorum glorioſe nimium de hac expeditione; nam & fugatos ajunt in Albania Chriſtianos, & loca plurima in poteſtatem acta; in quæ Turcorum inductæ ſint coloniæ. B) Laonicus p. 146. C) Id exerte de numero ſuorum Turcici Annales. D) Turoczio in Ladislao; Bonfinio l. 7. Decade 3. E) Laonicus pag. 143.

A. C. 1448 Legatum in fidem ab Amurate recipi flagitaſſe, ac denique illos ab Ungaris deſciviſſe; cum vero ad exercitum veniſſent Turcicum, undique circumſeptos, & pro perfidiæ ſuæ præmio ad unum trucidatos eſſe. Ungaros etſi ſociorum defectione attonitos, ſtetiſſe tamen ad veſperam; poſtremo Hunniadem de rei ſumma deſperantem, noctu optimo quoque aſſumpto, cæteros, qui fugæ minus erant expediti cum impedimentis reliquiſſe, eo deluſos commento: velut ſi ipſe a tergo hoſtem adoriri velit, re vero ipſa fugam Belgradum verſus arripuiſſe; tertio mane paucos illos in caſtris relictos, & undique a Barbaris impetitos, fortiſſime tamen ad veſperum uſque dimicaſſe, nec niſi cruentam quam maxime victoriam hoſtibus liquiſſe; decem, & ſeptem millia ab Ungarorum parte adnumeratis etiam Valachis, cecidiſſe, A) quaterna non plus e Turcis.

Turcorum Annales ita rem expediunt: B) Amuratem cum octoginta ſuorum millibus progreſſum, filio quoque Mahomete ſecum ſumpto, in conſpectu Ungarici exercitus conſtitiſſe; tum die uno, & nocte machinis exoneratis rem utrinque ferociter actam; altero die cominus pugnatum eſſe, eaque in pugna utrumque Turcicum cornu in fugam ab Ungaris conjectum; Genitzeros cum Amurate conſtitiſſe immotos, cumque cernerent nudatum undique latus, curruum ſepimentis, & camelis tergus, & latera protexiſſe; neque vi ulla moveri loco ab Ungaris potuiſſe; hoc viſo Turcicum quoque equitatum redditum fuiſſe pugnæ, ac equites Ungaricos, qui effuſe fugientibus inſtiterant, ut ad ſuos ſe equites cataphractos reciperent, adactos; qui tamen receptus citra magnam eorum perturbationem fieri nequierit; prælium denique tota die, & inſequenti nocte, in diluculum uſque tertiæ diei protractum; quo tempore Hunniades re deſperata, ſuisque deluſis, clam ſe in fugam ſubduxerit, tum cædem remanentium, occupationemque caſtrorum ſubſecutam.

Hæc de memorando cumprimis prælio afferre in medium libuit, ne minuendæ cauſa ignominiæ Scriptores Ungarici prælium hoc triduanum commenti videantur; in quo tamen non dubium eſt, multimodis ab Ungaris peccatum eſſe; primum, quod tam longe domo in eas ſe ingeſſerint ſolitudines; deinde quod e Serviis, inter quos pugnandum fuit, hoſtes prius fecerint, quam debellatum cum Turcis eſſet; quod non ſolicitius rem cum Scanderbego omnem communicarint; quod inferiores numero prælium in diem tertium continuarint; quod denique non honeſto prius receptu, & ordinato paucitati ſuæ conſuluerint; verum Ungaris robur animi, & corporis raro, conſilium perſæpe defuit; nec in tanta præcipitia ſeque, remque Chriſtianam adegiſſent, ſi perinde rerum providentia, ut fortitudine animi viguiſſent. Magna in hoc prælio cæſa nobilitas; Hunniades, poſt plurima pericula vix demum in Ungariam eluctatus, ſingulari patriæ bono ſuperfuit; Amurati etſi victori, ſuperiorum tamen memori infortuniorum, Ungariam tentare haud libuit; atque ita anno in hyemem præcipiti ab armis utrinque diſceſſum.

Pauci ab hoc prælio fluxere dies, cum Byzantii Joannes Imperator ultimo menſis ejusdem die humanis elatus eſt, poſteaquam tres, & viginti a Manuelis patris exceſſu regnaſſet annos, vixiſſet vero ſeptem, & quinquaginta; C) præceſſerat illum anno uno Theodorus frater. Joanni huic nulli ſuperfuere liberi; quem ajunt, dolore magis animi, quam corporis oppreſſum, quod conjugem Mariam ſine liberis amiſiſſet; quodve atrox in Eccleſia Byzantina eſſet diſſidium, nullo ipſius ſtudio, & conatu compeſcendum, ob initam cum Latinis concordiam; C) quo equidem dolore, ſi ſincerus fuit, nihil videri poteſt Joannes in vita habuiſſe beatius.

Sub

A) Laonicus ait; cadavera Ungarorum facile diſcerni a Turcicis potuiſſe; eo, quod capillum nutriant Ungari, radant vero Turcæ. Idem Laonicus cataphractos Ungaricos Βιτέζιδας appellat; eſt vero Vitez Ungaris ſtrenuus bellator. B) Pag. 148. C) Phranzes p. 74. D) Ducas pag. 100.

Sub Joannis exceſſum Demetrius, qui unus e fratribus in Urbe tunc aderat, prenſare magnopere fluxam illam Imperii umbram, & inſignia magis, quam rem, cœpit; verum obſtitere illius cupiditati & fratrum mater, quæ adhuc ſupererat Irene, & Primores Urbis; quod in ſeniorem Conſtantinum jura ſuccedendi revoluta contenderent. Declararunt igitur ſucceſſorem Conſtantinum; attamen ne Amurati, a Conſtantino, ut dictum eſt, offenſo hæc cum Urbis periculo diſplicerent, per Legatum exquirenda fuit voluntas Barbari; cujus obtenta venia, Alexius Philanthropenus, & Manuel Palæologus ad deducendum in Urbem Conſtantinum Spartam abiere. A) Illic ſexto die Januarii corona inſignitus eſt Conſtantinus; deinde triremibus Conſtantinopolim advectus, & communi omnium lætitia duodecimo Martii acceptus. Peloponneſum fratribus Demetrio, & Thomæ inter ſe dividendam tradidit Conſtantinus; qui matre coram, ac Proceribus jurejurando adſtrinxerunt ſemet, ut fratres decet, concorditer Provinciæ præfuturos; verum illis, ceu ad turbas tantum, calamitatesque projectis nihil minus, atque concordiæ ſtudium curæ fuit; in Provincia enim partiunda dum litigant, ad arma ſemel, ac iterum progreſſi ſunt, turbis poſtremo, quibus tantopere oblectari videbantur, penitus & ex merito obruendi. A. C. 1448

CONSTANTINUS PALÆOLOGUS.

Chriſtianorum in Oriente Imperatorum Ultimus.



A Conſtantino primo ad noviſſimum, B) a Principe maximo omnium, & feliciſſimo ad triſtes Chriſtiani in Oriente Imperii reliquias narratio defluxit; ſic nihil tam altum, tamque firmum eſt, cui occaſus aliquando non immineat; ſi præſertim non iisdem, quibus nata, aucta- 1449
que eſt fundamentis moles, poſtea ſuſtentetur; Conſtantinopolis Religione, concordia, fortitudine fundata, & aucta, horrendis dein, continuisque diſſidiis, improbitate, otio, diroque a reliqua Eccleſia ſeceſſu peſſumiit; ut non tam mirum ſit, aliquando cecidiſſe, quam nutantem, & caſui vicinam, tot, tamque exaggeratis cladibus longa adeo annorum ſerie ſuperfuiſſe.

Conſtantini hujus Imperatorum ultimi utcunque breve, miſerum, & infelix fuerit Imperium, a tragico tamen exitu, ab animi illius præſtantia, admirabilique fortitudine cumprimis memorandum venit; neque enim imbel-

A) Hæc, qui rebus interfuit Phranzes p. 80. Unde refellas Ducam, qui Joannem hunc ultimum fuiſſe Imperatorem ſcripſit; Conſtantinum autem nec fuiſſe coronatum, nec Imperatorem ſalutatum; ſed tantum Deſpotam. Certe Phranzes, qui ad extremum uſque Conſtantino affuit, Imperatorem ſemper nominat. B) Conſtantinus hic ultimus, Dragazes quoque a matre ſua, Dragazis Ducis filia cognominatus fuit; ut habet Laonicus p. 132. non autem Dracon ob fortitudinem dictus, ut quidam imperite.

A.C. imbellium more anteceſſorum aut vixit, aut occubuit Conſtantinus; ſed
1449 ut Heroem decebat, & Principem, cum maximis ærumnis compoſitum; & non victorem quidem, ſed vincere, ni ſuorum obſtitiſſent ſcelera, plane dignum; ut videatur Urbs illa, nec a feliciori, & majori Principe primitus inſtitui, neque a fortiori una, & infeliciori amitti ad extremum potuiſſe.

Ac primum quidem, alterumve Imperii annum ſat tranquillum Conſtantinus habuit; namque fœderibus cum Amurate compoſitis, nihil a Barbaris ingruebat metus; Amurates tranquilli, & ſat moderati animi, non facile, niſi provocatus ruebat in bella, neque fidem datam cupiditate tantum ſua definiebat; idcirco integrum tunc fuit Conſtantino, ordinare negotia publica æque, ac privata. Phranzes Georgius, Logothetæ tunc munere decoratus, ad quærendam hero ſuo conjugem ad Trapezuntis, & Iberiæ Principes ire juſſus eſt; quippe ſecunda etiam conjux Catharina, Cateluſii Lesbi Inſulæ Principis nata, in Lemno Inſula, abjecto ob Turcicos inſultus partu, non longe antea Conſtantino obierat; & bene rem egit Phranzes, deſponſa hero ſuo cum dote ampliſſima Iberiæ Principis filia, quæ tamen nuptialis tractatio ingruente mox calamitate intercidit. A) Actum præterea ab eodem Conſtantino ſolerter de adducendis in concordiam Romanæ Eccleſiæ ſuis, adjuvante multum Patriarcha Georgio, acerrimo Latinæ Eccleſiæ, & dogmatis propugnatore; ſed profecit apud obſtinatos parum; B) ut adeo Georgius ipſe turbas peroſus Byzantinas, voluntarius Romam exul abierit; cujus concordiæ ſtudium ne deinceps quidem deſeruit Conſtantinus, in omnem tamen, qua ſe dabat, partem, Princeps melior, quam fortunatior.

1450 Gemina ſubinde ſecuta mors turbavit Byzantium; altera Irenes Auguſtæ, Conſtantini, & fratrum matris; C) altera Amuratis Sultani; cujus occaſu in Mahometis II. ferocis juxta, & magnanimi juvenis manus delapſam rem Ottomanicam indoluerunt Chriſtiani; non ignari, quid ſibi ab indole ejus & magna, & inquieta expectandum foret. Mahometem legatione continuo demereri Conſtantinus ſtuduit; quam & complecti is ſe oſtendit quam proniſſime, inſuperque in Orchanis cujusdam de ſtirpe Ottomanica Byzantii commorantis ſumptus, trecenta quotannis aſprorum millia de ſuo largienda attribuit. D) Cæterum omnis hæc Mahometis in Conſtantinum benevolentia ſimulata fuit, in majus, quam cogitari poſſet, brevi malum eruptura; nec ſpectabat aliud, quam ut omnibus circum compoſitis, & pacatis hoſtibus, viribusque in unum contractis, in ſopitos ea quiete Byzantinos inexſpectatus ingrueret. Huc eum gloriæ aviditas, huc Majorum ſuorum geſta fortia alliciebant; qui ſi Byzantium occupato jam reliquo Imperio adjiceret, non ambigebat, fama nominis cunctos ante ſe ſuperaturum, remque Turcicam eo loci collaturum, unde eam vix reliquæ Europæ, Aſiæque vires detrahant. Ferunt, Principem hunc, licet Barbarum, & moribus nefandum, non Barbarico tamen fuiſſe ingenio, Græce, Latineque doctum, in hiſtoriis verſatum apprime, tum animi magnitudine, ac fortitudine ingentibus illis, qui orbem aliquando concupierant, heroibus parem. E)

1451 Ad illos igitur, qui periculum a tergo Conſtantinopolim obſidenti creare poterant, verſus Mahometes, cum Joanne Hunniade triennales componit inducias; F) Serviæ Deſpotam, Georgium Brancovicium, remiſſa eidem, quæ Amurati olim nupſerat, nata, in amicitiam adjungit; fratrem ſuum ex Sinopes Principis filia progenitum; (nam maternum genus vile ipſi fuit,) interficit; G) poſtremo ad Caramanum in Aſia Principem, qui nunquam æquo in familiam Oſmanicam animo fuerat, conterendum vires transfert. Cum Caramano bellicoſo magis, quam forti con-

A) Hæc pluribus ipſe Phranzes p. 84. B) Ducas p. 113. Nam has circa Eccleſiarum concordiam Conſtantini curas fere diſſimulat Phranzes. C) Phranzes p. 81. D) Ducas p. 100. cujus tamen hic Orchanes filius fuerit, non prodit; fortaſſe Muſtaphæ, olim Byzantium profugi. E) Phranzes p. 34. F) Ducas p. 104. G) Laonicus p. 157.

confectum anni unius æſtate eſt negotium; illo quippe in montana retruſo, A.C.
facile Provincia potitus fuerat Mahometes, ni gravior illum de occupan- 1451
do Byzantio cogitatio aſſiduo pulſaſſet; cui ut obſequeretur, denique ejusmodi occaſione factum eſt: ſumptus in Orchanem Byzantii cuſtoditum a Mahomete promiſſi, & pendebantur maligne, & tenuiores erant, quam ut in expenſas ſatis eſſent; de hoc queſtum in Aſiam venere Legati Byzantio, & ni pactæ pecuniæ pendantur, Orchanem libere ab Urbe dimiſſum iri minitati ſunt. A) Legationem hanc ita accepit Mahometes, ceu Græci Orchane dimiſſo turbas, ut olim inter Turcos ciere, & advocatis etiam Chriſtianis Gentibus, in eorum adlaborare exitium velint; tametſi alia prorſus mente legatio iſthæc obita fuerit; hac igitur arrepta occaſione, & ira diſſimulata, id tantum repoſitum Legatis: venturum brevi in Europam Mahometem, & cum Conſtantino de re tota collaturum. Sic dimiſſi Legati, & pax Caramanum inter, & Mahometem compoſita.

Redux in Europam Mahometes, in mandatis dat Provinciarum Præ- 1452
fectis; quidquid operarum, calcis, materiæ, cæterarumque ædificio aptarum rerum eſſet, in promptu habeant, ut indicatum ipſis fuerit, continuo ad locum abs ſe deſignandum concurſuri; fiunt quam promptiſſime imperata, undique per hyemem ab hominibus immani illo imperio conſtrictis; utpote quibus alterutrum certo incumbat, aut parere, aut perire. Vix vernum ſe tempus explicuerat; cogit Adrianopoli Mahometes copias, easque ad Boſphorum Thracium ipſe cum Hali Vezire, ſuorumque Primoribus adducit; tum vero operis ex toto Imperio undique convolantibus, arci ad fauces Boſphori, non longe Byzantio ex parte Galatæ extruendæ initium facit; ad maris videlicet Dominatum obtinendum, Urbemque impugnandam. B) Perpulit enim vero univerſos incœpti tam ſubitanei inſolentia: orat, obteſtaturque Mahometem, ne prior fœdera corrumpat, Conſtantinus; ne in alieno ſolo, arcem vicinis tam periculoſam figat; nec datam abs ſe bello cauſam, nec pacta quælibet modo æqua recuſaturum. Sed fruſtra apud ferocem, faſtuque prætumidum animum fuere omnia: neque enim in alieno ſe ædificare repoſuit Mahometes; verum in ſolo non ſemel jam a Majoribus ſuis occupato. Arci itaque moliendæ tam velox a Barbaris impenſa eſt opera, ut intra trimeſtre muro latiſſimo, tribusque validiſſimis turribus educta ad maris Dominatum arx ſubito conſpiceretur. Inter ædificandum a confuſanea illa Barbarorum turba, tametſi nondum aperte bellum eſſet inchoatum, fieri tamen non potuit, ut non plurima Byzantinorum agris, oppidisque illo pertinentibus damna inferrentur, ſegete præſertim jam in meſſem inclinata; quæ cum tueri cives pergunt, exorto, ut fit, non ſemel tumultu, e Græcis juxta, Barbarisque nonnulli occubuerunt. Ea re cognita, velut violata a Byzantinis pax foret, acriter infremit Mahometes, ferro omnia circumvaſtari oppida, vicosque everti imperat, arcem prævalido munit præſidio, ſicque minarum, & iræ plenus copias quiete per hyemem reficiendas Adrianopolim abducit.

Conſtantinus perniciem Urbis jugulo imminentem cum bene proſpiceret, nihil omiſit eorum, quæ Principem patriæ vel cum vitæ jactura amantem addecent; de commeatu, deque auxiliis Urbi providit, firmavit fatiſcentes muros, machinas bello idoneas paravit, tum Joannem Hunniadem de ferendis primo quoque tempore ſuppetiis inſtanter appellavit. Hunniades Meſembriam, vel Selybriam, quæ munitæ Urbes & Græcis adhucdum ſubditæ erant, dari ſibi ab Imperatore poposcit; venturum ſe valido illuc cum præſidio pollicitus, & Urbi obſeſſæ præſto futurum. Annuit poſtulatis Imperator, & per auream, ut voca-

 bant,

A) Hæc Ducas pag. 105. De quo mirum, nihil plane Phranzes meminiſſe. B) De hoc conſentiunt Ducas, Laonicus, Phranzes; Gillius in Topographia Byzantii ait: in Promontorio Hermæo arcem illam ædificatam.

A.C. 1452 bant, Bullam Hunniadi Meſembriam, A) addixit. Cæterum Hunniades ſub id plane tempus adminiſtratione Regni depoſita, cum ſibi ab Ladislao Rege, Regni fines tuendi eſſent attributi, Conſtantino præter opinionem citius a Barbaris oppreſſo opitulari in tempore non valuit. B)

Ad Nicolaum V. Pontificem pari ex cauſa Legati venere Byzantio; tum oblata rurſus concordiæ cum Latinis ſpes, oratusque Pontifex, ne extremo in diſcrimine, & ad concordiam redire certos deſereret. C) Iſidorus Cardinalis, e Græcis & ipſe oriundus, Legatus a Pontifice Byzantium venit, perlaturus in Urbe illa Concilii Florentini decreta, & in concordiam omnes recepturus. Imperator cum ſuorum quibusdam prompte, libenterque ſuſcepit Iſidorum, & cum Romana Eccleſia concordiam; tum vero duodecimo Decembris die perlata fuere in æde Sophiæ Concilii decreta, & Imperator cum Iſidoro ſacris una operati ſunt. At populus, monachi præſertim, monachæque ab eodemque illo Scholario, ſive aliter Gennadio monacho inſtincti, interitum, quam concordiam malebant. Veſanus enim ille Scholarius, conſultus a ſuis propalam edixit: Urbem ob communionem cum aſimitis (ita Latinos indigitabat) celebratam, in manus Barbarorum venturam; eoque dato reſponſo, in ergaſtulo ſe quopiam concluſit. Magnis igitur perturbationum fluctibus jactari Urbs cœpit; dum Imperator quidem, nonnullique de populo in Sophiæ æde concordiæ adhæreſcunt, cæteri vero hos velut magno contaminatos piaculo averſantur; nec erratorum inter confitendum largiri veniam Sacerdotes volunt, ni ab omni in re ſacra cum henoticis (ita concordiæ ſtudioſos appellabant,) communione abſtineant; quin audita eſt Lucæ Notaræ, qui Magnus in Urbe Dux fuit, infauſta vox; qua ajebat: mitræ Turcicæ, quam Latini galeri in Urbe Dominatum intueri malle. Ne igitur Urbs bifariam ſcinderetur, coactus eſt Imperator, ædem aliam Pantocratoris turbatoribus dare, eo uſque ab illis frequentandam, dum finito bello, concordiæ negotium terminaretur; ipſe vero Sophiæ ædem cum henoticis adibat, verum adeo raris, ut propemodum pro deſerta eſſet. D) Huc igitur obſtinatio, & infelicitas Byzantinorum erupit; quæ profecto pœna fuit ſcelerum, & diſſenſionis tot per annos toleratæ vel ſecundis rebus, nedum afflictiſſimis, & caſui vicinis longe miſerrima.

1453 Interea dum ſic Byzantium ruit in deterius, Mahometes omnia in futuram oppugnationem ſolerter Adrianopoli apparat, aurum, annonam, arma, machinas bellicas, claſſem; idque tanta animi contentione, ut noctes quandoque inſomnes in eo cogitatu duceret; nec aliud mente, quam Byzantium verſare videretur. In machinis fundendis ſolerti quodam Ungaro artifice uſum ferunt; E) hic operam Byzantinis ſuam addixerat, ſed quod & modicum, & maligne ſtipendium acciperet, ad Mahometem profectus, liberaliſſimeque acceptus eſt. Machinam inter cæteras artifex ille fudit ſtupendæ prorſus molis; cujus os duodecim patebat ſpitamas, F) ſaxum ejiciebat librarum trecentarum, idque milliaris unius deferebat ſpatio, tanto cum impetu, ut ad orgiæ unius altitudinem terræ illideretur; G) fragor vero ad centum ſtadia procurreret, quo tellus, ædesque cohorreſcebant. Sic ad bellum aliis quoque paratis machinis, ac milite per omnes Provincias ſub ſigna excito, cum exitu menſis Martii admoveri Urbem verſus cœpere copiæ, occupatis, quæ extra erant, omnibus præter unam Selybriam, quæ Urbe primum expugnata ſe Turcis dedit. H)

Ne vero auxilii aut annonæ quidpiam e Peloponneſo affluere Byzantium poſſet, id quoque ſolicite providit Mahometes, Turchane Bego jam

A) Sic Phranzes, pag. 114. qui Bullam illam a ſe ad Hunniadem expeditam memorat; illiusque incuſare videtur cupiditatem; qui niſi donata Urbe addicere opem Imperatori noluerit; id nuſquam apud Scriptores Ungaricos occurrit. B) Bonfinius D. 3. lib. 7. C) Ducas pag. 113. D) Ducas hæc diffuſe toto capite 36. multisque ſuorum vanitatem, & dementiam incuſat. Tacent vero de his Phranzes, & Laonicus. E) Et iſtud Ducas pag. 110. at Laonicus, Dacum fuiſſe ait, Orbanum nomine. F) Phranzes pag. 90. G) Laonicus pag. 159. H) Ducas p. 116.

jam ſub finem anni prioris in Peloponneſum expedito; qui illic Corin- A.C.
thum cepit, vaſtataque late Provincia, Demetrium, & Thomam, cæte- 1453
rosque Provinciales de ſua, quam Urbis ſalute ſolicitiores reddidit. A)
Primo igitur Charates Begus cum parte exercitus, & machinis bellicis, quarum aliquæ quinquaginta boum jugis tractæ, in conſpectu Conſtantinopoleos conſtitit; tum ſecundo Aprilis die Mahometes ipſe cum Hali Vezire, & univerſis copiis, quæ in continente a mari ad ſinum Ceratinum, qui inter Urbem, & Galatam intercurrit, ſex fere milliarium ſpatium caſtris explevere. B) Claſſis quoque formidabilis non diu poſt in mari apparuit; ac denique die ſexta ejusdem menſis obſidioni factum initium. Barbaricus ducentorum, & duo de ſexaginta millium fuit exercitus; ſunt, qui quadringentorum omnino millium prodiderint, C) claſſis magnarum, minorumve navium viginti ſupra trecentas; D) objecerat enim direptioni ſuorum Conſtantinopolim Mahometes, cujus ſpe prædæ fæx omnis non Turcica modo, ſed Chriſtiana quoque Barbaris ſubdita confluxerat; ſolenne enim ſemper Turcis vaframentum: dextris Chriſtianorum ad rem delendam Chriſtianam uti, & cum magni quid incœptant, extremas operi vires, nervosque omnes intendere.

In Urbe præter ingentes Conſtantini, & propugnatorum animos nihil externo huic apparatui par fuit: numerus horum ſeptena vix millia explebat, E) qui ad tantum Urbis ambitum decem prope milliarium vix excubiis obeundis, nedum propugnando fuit; & nec fuiſſet omnino, niſi inſignis Urbis illius ad defenſionem ſitus eorum conatus adjuviſſet; de his Græcorum quina fuere millia, bina Venetorum, ac Genuenſium; multos enim ingruens calamitas, & deſperatio ab Urbe diſpulerat, ignavorum ſcilicet, & ſervitutem honeſtæ morti præferentium. Claſſis Urbana e navibus, qua Imperatoriis, qua Genuenſium, & Venetorum numerum vix ſedecimum æquabat; ea ne ab hoſtili obrueretur, in portum, qui intra Urbem, & Galatam in ſinu Ceratino eſt, recepta, & grandi catena ſinui prætenſa delituit. Hoc tam exiguo ad defenſionem apparatu incredibile tamen dictu eſt: ut fortes ſe, & magnos præbuerint propugnatores, acto pene in deſperationem Mahomete; edituri facinus toto orbe prædicandum, niſi fatum Urbis ſceleribus tam diuturnis accerſitum præclariſſimos eorum denique conatus evertiſſet. Fuere ſtrenui in hoc opere Imperatoris adjutores: e Græcis Theophilus, & Nicephorus Palæologi, Demetrius Cantacuzenus, Lucas Notaras Dux Magnus, Georgius, qui de his multa poſtea ſcriptis mandavit Phranzes, F) pluresque alii e priſca Græcorum nobilitate viri; ex Italis Joannes Juſtinianus Genuenſis, immortalis memoriæ, ni extrema corrupiſſet, heros, Theodorus Cariſto, Franciſcus Toledo, Paulus, & Antonius Troili fratres; Jacobus Contarenus, Joannes Germanus machinarum ſtructor præſignis, aliique e Veneta præſertim nobilitate; quorum nomina æternitati conſignari digna; horum cuivis pars quædam Urbis defendenda cum militari manu eſt attributa. Galata Genuenſium olim colonia, ſinu maris ab Urbe ſejuncta, ac repugnando impar, neutrarum ut eſſet partium a Mahomete impetravit; ſic tamen: ut neceſſaria Turcis pretio præberet. Galatenſes nihilominus tranſibant clam nocte in Urbem, ſociisque in extremo diſcrimine poſitis opem ſua pro virili commodabant. G)

Mahometis ſuggeſtibus a parte continentis exſtructis, oppugnationem inter immenſos fragores, ſaxorumque, ac telorum jactus circa viceſimum Aprilis diem auſpicatus eſt; ingens machina ab Ungaro illo fuſa prope portam S. Romani, qua Sultanus ipſe tendebat, in ſuggeſtum educta, ac duobus aliis machinis utrinque munita, continenter in exteriorem Urbis

A) Phranzes pag. 89. B) Phranzes pag. 90. C) Laonicus pag. 158. D) Phranzes. E) Phranzes ſcribit: datum hoc ſibi a Conſtantino negotium; ut numerum propugnatorum iniret; nec ex integro ſeptena ſe millia reperiſſe. Ducas octo millia fuiſſe ait. F) Recenſet horum, & aliorum nomina diverſis locis ipſe Phranzes. G) Ducas p. 120.

A.C. murum, turresque detonabat; namque minoribus illis machinis veluti
1453 præmuniebat ictui viam baliſtarius, evibratis in muri latera globis; deinceps vero in medium murum immane e majore machina torquebat ſaxum vi tanta, ut vaſtiſſimi licet muri, & turres hiatum ducerent, Urbemque totam ſuccuteret fragor. A) Diruta ſic muri exterioris parte, virgultis & reliqua materia certatim explebant foſſam Genitzeri, viamque aſſultui præmuniebant. At propugnatores nihil caſu hoc fracti, ſuggeſtum contra alium, qua murus conciderat, educere, nocturno, diurnoque labore ingeſtam foſſis materiam egerere, aſſilientes Turcos audenter ſæpe concidere, baliſtis perinde, & machinis acerrime rem gerere, neque noctu, neque interdiu labori parcere, ac denique paucitatem ſuam ingenti animorum ardore, & virtute vincere. B) Ea plurium dierum utrinque contentione nutare adhuc in utramque partem fortuna Urbis viſa eſt.

Hac rerum vice triremes Genuenſium tres mercede conductæ, & una Imperatoria e Chio Inſula commeatum allaturæ uberem veniebant; quas ut Turcica conſpexit claſſis, immani undique fremitu oppugnare, & ab ingreſſu portus prohibere aggreſſa eſt. Aderat e vicino littore, qui flammam pugnantibus ſubderet Mahometes; Chriſtianæ naves tam licet paucæ, magnæ tamen, & tormentis probe communitæ adverſus multitudinem Barbaricam acerrime dimicarunt; duas enim ſuccenderunt eorum triremes; merſerunt vero e minoribus plurimas; quæ cum cerneret Mahometes, ira, furoreque percitus, ipſe e littore equum, cui inſidebat, animos ſuis additurus in mare impulit. Tam præceps vincendi libido in Barbaro ardebat; verum fruſtranea hæc fuit rabies: Phlantanelas enim Chriſtianarum navium gubernator, & ingenti damno Turcicam affecit claſſem, merſis, ac necatis duodecim Barbarorum millibus, & denique portum Byzantinum, nemine e ſuis deſiderato, paucis vulneratis, feliciter ingreſſus eſt. C)

Tam fauſta navium Chriſtianarum dimicatio maximos propugnatoribus præſentiſſimam Dei opem intuentibus animos attulit; verum gaudium iſthoc magnanimo, nec ſane Barbarico Mahometis incœpto brevi turbatum eſt; is enim cum cerneret futuram mari liberam Urbem, portuque ſuo protectam, niſi Ceratinum maris ſinum Urbi eripiat; adhæc navibus ob portum ſinui prætenſum occupari illum non poſſe, conſilium de improviſo cepit, naves a Boſphoro Thracio in ſinum modo dictum terra transportandi; eaque etiam parte oppugnationem Urbis inſtituendi; opus perfectu arduum, & ni patratum eſſet, incredibile. Collibus igitur, vallibusque exæquatis, ac terra tignis conſtrata, ſupra Galatenſe oppidum e Boſphoro in Ceratinum ſinum ſpatio ſane longo, ſeptuaginta adeo naves bellicæ immenſa operarum multitudine pertractæ, vel patratores operis tam ardui ſtupore compleverunt, Urbanos certe in deſperationem pene egerunt. Hæ naves & conſtrinxere in portu Chriſtianas, & oppugnandi ea parte muri ſat infirmi copiam dabant; quin ponte quoque ingenti ſinus Ceratinus earum ope eſt conſtratus. Imperator, cæterique periculo attoniti, triremibus illis igni abſumendis conſilium contra ineunt; quadraginta delectos e juventute tribus imponunt navigiis, qui per noctis tenebras ignem dextre hunc in finem paratum injicerent. Verum ſubodorati rem Barbari, prius comprehenderunt delectos illos, quam operi manum admoviſſent, eosque ad unum jugularunt; quibus ut vicem remetiretur Imperator, ducentos, & quadraginta captivos Turcas e pinnis murorum appendi juſſit; ſic non viribus magis inter eos, quam furore certari cœptum. D)

Menſis jam inierat Majus, nec tamen, ut ſperarant Barbari, prona fuit Urbis occupatio; quamobrem æſtuare, & curis jactari Mahometes, præ-

A) Laonicus p. 159. B) Phranzes p. 93. C) Spectavit hanc pugnam navalem Phranzes, & tot Barbarorum cæſa fuiſſe millia, ex ipſis poſtea Turcis ſe cognoviſſe aſſeverat p. 94. D) Hæc quoque ſpectator Phranzes.

præſertim ut rumore perlatum eſt, grandem ab Italia claſſem Byzantinis venire ſubſidio; alia vero ex parte Hunniadem exercitus ab Ungaria prævalidos producere; A) qui rumor etſi falſus, ad Barbaros tamen metu percellendos valuit. Proinde Legato quodam Ismaele in Urbem miſſo, tentat Mahometes Conſtantinum, ſi forte pactis quibusdam Urbe decedat; offert Peloponneſi Principatum, liberamque cum rebus omnibus ab Urbe migrationem, amicitiamque, & fœdus perenne; B) verum iſta, ne aurium quidem tenus ab Imperatore, & Urbanis admiſſa. Rurſusque igitur verberati undique muri, & eminus magis, quam cominus plures per dies inter eos dimicatum; quo toto tempore ſolicitudo, & virtus Conſtantini, Imperatore plane digna, ceu leonis in arcto deprehenſi, & ſui non immemoris enituit: diſcurſabat aſſidue equo per Urbem; de commeatu, de auro conflatis etiam templorum theſauris providebat; diſſidentes Duces juxta, & milites, ut in ea nationum varietate, conciliabat; ardentibus denique, & Martem extremum ſpirantibus ſermonibus incendebat ſuos, eo major, & illuſtrior, quo periculo, & occaſui proximior; ut priſca illa Romanorum Imperatorum virtus ſero tunc demum Byzantium regreſſa videretur. C) Et vero bonus rerum in Urbe ordo, & bellatorum magnanimitas effecit; ut Barbari a quinquaginta & amplius millium armatorum numero eam propugnari exiſtimarent. Inſignis quoque erat Juſtiniani Genuenſis virtus, qui agendo, laborando, verbis ſocios acuendo, immortaliaque in Barbaros edendo facinora, omnium in ſe oculos, ſpesque verterat. D)

Hac conſpecta animorum præſentia Mahometes, ut præſertim Legati ab Ungaria advenerant, nutare animo cœpit, ſecumque anxie de abducendis illinc copiis deliberare. Hali Vezires clam Conſtantino muneribus olim delinitus, favebat; proinde exaggerabat ipſe quoque rei difficultatem, & pericula; tum modis omnibus ab incœpto Mahometem abducere molitus eſt. At Sogan Baſſa in contrariam totus inclinabat partem; Urbem quaſſatam undique, & victam in manu pene jam eſſe; Ungarorum, & Italorum minas longinquas, & ſuccurrendo impares, patere expeditam in Urbem irruptioni viam, nec redituram hanc aliquando occaſionem, ſi nunc labi e manibus contingat. Vicit ad extremum Sogan Baſſæ ſententia: Ungarorum Legatis, qui ultima obſidionis hebdomade bellum Turcis, niſi obſidione abſiſterent, denunciaturi advenerant, dilatum reſponſum, detentique eouſque ſunt; dum ultimæ impreſſionis exitus rem denique definiret. E)

Igitur jejunia, precationesque ritu Barbarico indicta a Mahomete totis ſunt caſtris; & viceſima nona dies Maji menſis ad ſupremum inſultum deſignata; in qua ut audentiores haberet ſuos, multis pridie cohortatus eſt Mahometes, uberrimis laborum propoſitis præmiis; quippe univerſam Urbem in prædam iis dedit, inſuper Genitzeris duplicatum ad dies vitæ ſtipendium; ac tantis exceptus eſt clamoribus, ut propugnatores ad rei inſolentiam ſtupeſcerent. Edoctus rem totam ab Hali Vezire ſub veſperam Conſtantinus, vocato & ipſe ſuorum Cœtu, orationem ad præſens negotium quam maxime appoſitam habuit; tum vero cum multis ad D. Sophiæ progreſſus Sacroſanctis myſteriis, ceu ad ultimam

A) Phranzes p. 99. B) Legationis iſtius meminit Ducas p. 126. uti & Laonicus, & quidem iteratæ; ſed Phranzes teſtis utique potior de hoc ne verbum. C) Hæc quoque multis prædicat Phranzes. D) Huic Lemnum Inſulam dono addixit Conſtantinus, ſi Urbs obſidione liberetur; inſuper Protoſtratoris dignitate illum ornavit Ducas p. 320. E) Sic iſta diſerte Phranzes p. 113. Non meminere Legatorum ad Mahometem miſſorum Scriptores Ungarici. Meminit Ducas quoque p. 123. ſed in multis ineptit; nam hunc non a Rege, quem tunc Imperatorem ſimul fuiſſe fingit, ſed ab Hunniade miſſum ſcribit; idque non belli indicendi, ſed fœderum tabulas repoſcendi cauſa; quod videlicet adminiſtratione Regni depoſita ſtare fœderibus jam nequeat. Ineptum & illud, quod ait: ab Ungarico Legato maximæ illius machinæ curatorem in ſternendis muris directum fuiſſe; cum tamen conſtet ex Phranze, Legatos illos ultima obſidionis hebdomade veniſſe, dum ſcilicet ſtrati jam erant muri, & machina illa, ut Ducas ipſe alibi fatetur, principio obſidionis dirupta.

A.C. luctam communiri voluit; inde ad palatium regreſſus, & erratorum ve-
1453 niam a ſuis ſubmiſſe flagitans, luctu & dolore omnia complevit; illinc equo per Urbem vectus ſtationes militi deſignat. In muri hiatu prope Romani portam, qua maximum apparebat periculum, Juſtinianum cum tribus qua Genuenſium, qua Græcorum millibus collocat; Magno Duci Notaræ murum prope palatium Blachernenſe cum quingentis cuſtodiendum attribuit; Cretenſibus militibus turres Baſilii, & Alexii, alias aliis ſtationes attribuit; ipſe vero equo vectus huc, atque illuc curas, laboremque partitur, & exemplo non minus, quam verbis ad fortiter audendum ſuos incendit. A)

Vix nox dimidiata abierat, jam late clamor exaudiri Barbarorum, equorum fremitus, machinarum fragor, ut inſtare aggreſſionem Urbani proſpicerent; nec feriati diu ſunt Turcæ; & ad Romani portam in aggerem illum, qua Mahometes ipſe curabat, & in ſinu Ceratino e triremibus, ſcalis undique admotis, acerrima cœpta fieri impreſſio; nec animo defuere Chriſtiani in re licet deſperatiſſima; nam a parte maris quidem ſaxis e muro in naves detortis plurimi obterebantur Turcorum; in aggere vero, muroque exteriore deturbati ſcalis Turcæ eminusque, & cominus vulneribus appetiti, non magnopere proficiebant; qua parte ut magis infirma Juſtiniani, Cantacuzeni Demetrii, & Theophili Palæologi admirabilis emicuit ardor, eoque poſt duarum horarum certamen res proceſſit, ut ab incœpto velut deſperato paſſim Barbari reſilirent. B)

Inſtat pleno jam die cum recentibus Genitzeris Sogan Baſſa, eosque ad ſcandendam muri ruinam, vocibus, minis, verberibus impellit; ruunt illi truces, ac veſani apertam licet in mortem, horrendoque rurſus certamine complent omnia. Dum pugnatur utrinque obſtinatiſſime, Juſtiniani crus dextrum ſagitta forte ictum eſt, C) quo vulnere utut minime lethali adeo martiales illi concidere ſpiritus, ut gloriæ jam partæ, & ſociorum immemor Juſtinianus ad portum curreret, Galatam obligando vulneri tranſiturus. Eum ut ſic recurrentem equo vectus Imperator aſpexit, accurrit continuo, orat, obteſtaturque, ne rem Chriſtianam perditum eat, facile vulnus non periculoſum obligatum iri: in eo præcipue nixam Urbis ſalutem: ſi redeat, animosque reddat pugnantibus, non dubiam ejus diei fore victoriam; at ſurdo, mutoque ſimul hæc talia ingeſſit Imperator; ille enim verbo non reddito cœptum iter adproperavit.

Attoniti caſu Ducis, qui in aggere remanſerant, certare dehinc remiſſius, deſperatione, metuque percelli; contra Genitzeri ardorem, & pugnam attollere; de quorum numero quidam Chaſanes primus demum conſcendit aggerem, ſuisque animos ad audendum arrexit; & quamquam deturbatus, obrutusque cum multis Chaſanes eſſet, D) demum tamen multitudo, visque prævaluere. Relicto propugnatores exteriore muro, per portam Romani in interiorem ſe fuga recipiunt; ſed adeo turbata, ut plerique mutuo ſe in ingreſſu protererent, peneque cadaverum ſtrue portam præcluderent. Turcæ ſpatium illud nacti, interiori quoque muro ſcalas undique applicant, pinnasque murorum conſcendunt; Imperator ut in deſperatis omnia jamque in Urbem hoſtes infundi vidit, in acerrimam rurſus pugnam cum quibusdam ſuorum ruit; circa quem Franciſcus Toledus, Palæologus Theophilus, & Cantacuzenus Demetrius fortiſſime dimicantes cadunt; ipſeque Imperator vulneribus aliquot in humero, & facie appetitus, ut Heroem, & Imperatorem decebat, fortiter E) occumbit.

Felix

A) Hæc, qui a latere vix diſcedebat Conſtantini, Phranzes p. 105. ubi etiam ardentem Imperatoris ad ſuos allocutionem vix citra lachrymas legendam affert. B) Diſſidet in multis Ducas a Phranze; duabus enim continuis diebus aſſultum in Urbem a Turcis factum ſcribit, & ultimam impreſſionem 28. Maji ſub veſperum fieri cœptam, Urbemque mane, antequam plane luceſceret, occupatam; ſed teſti oculato Phranzi fidere malumus. C) Sic Phranzes; at Ducas glande plumbea læſum ſcripſit p. 102. D) Et hic diverſus a Phranze Ducas; nam in aſcenſu tres tantum occiſos Turcas memorat. E) Vulneribus acceptis occubuiſſe Conſtantinum præter Ducam p. 119. Laonicus quoque p. 163. teſtatur; Phranzes in extremo diſcrimine leonis inſtar dimicaſſe Conſtantinum ait: ſed necem illius ſilentio tranſit; cadaver tamen ſolicite a Mahomete inquiſitum narrat.

Felix prope dixerim morte tam generoſa; at concordia cum vera Eccle- A.C.
ſia, obitisque pridie decenter myſteriis multo beatior. 1453

Eadem hora a parte quoque ſinus Ceratini conſcenſa fuere propugnacula; ac victor ille, trunculentusque miles undequaque in Urbem infuſus. Soli Cretenſes milites tres adhuc horas, quem obtinuerant, locum propugnabant, deditione ad extremum accepti; Genuenſium nonnulli, Venetorumque, tametſi plerique præſertim nobilium occubuiſſent, refugiebant in portum, quo eos Juſtinianus, ſigno tuba dato, in naves evocabat; horum reliquiæ, conſcenſis in portu quinque navibus, quod claſſis Turcica, & ipſa in Urbem prædatum effuſa eſſet, incolumes A) profugere. Juſtinianum ferunt, ex dolore animi in Lemno Inſula periiſſe.

At imbellis civium multitudo calamitatem eo die vidit, & experta eſt, quam vix cogitatu, nedum verbis aſſequare; horum alii accurrebant turmatim in portum fugæ cauſa; ſed in tanta rerum perturbatione, Italis fugam celerantibus, deſtituti, fruſtra palmas de littore cum lacrymis tendebant, B) a claſſiariis dein Turcicis occupati; alii vero, quorum pars fuit maxima, ad D. Sophiæ ſeſe receptabant, quodam deluſi oraculo, quo ferebatur: irrupturos quidem in Urbem Turcos, ſed cum propius ædem illam venerint, a cœleſti quodam Genio trucidandos, & fugandos. C) Ingens iſthuc ſe hominum vis intruſerat, luculenta Dei vindicta; ut qui ædem hanc, velut piaculo ob receptos Latinos contaminatam, prius refugiebant, jam ſalutem in ea, ſed incaſſum infelices quærerent. D) Barbari illuc quoque inſolentiſſima rabie delati, quibusdam trucidatis, turbam pleramque inter infinita ludibria, & injurias vinctam mancipio abduxere. In ſacris ædibus cæteris, in palatiis Principum, in domibus civium, in aſceteriis, quæ, & quam nefanda a Barbaro, & victore milite patrata ſint, nemo facile verbis æquaverit; cui hoc demum erat, victoria bene uti, in omne genus crudelitatis, & rapinæ ſeſe dementer effundere. In hac tamen tam atroci clade captorum, quam cæſorum major fuit numerus; quadraginta enim millia occiſa, ſexaginta vero comprehenſa feruntur, E) qui in caſtra partim, partim vero in claſſem pecudum ritu abducti ſunt, ut vacuum brevi Chriſtianis Byzantium eſſet. Cardinalis Iſidorus in captivis & ipſe fuit; verum non agnitus a Turcis, & levi poſtea lytro libertatem conſecutus. F)

Diripiendæ Urbi triduum a Mahomete conceſſum eſt; poſt quod triumphum ipſe ſummo per Urbem faſtu duxit. Præda e tam florenti Urbe immenſa exſtitit; ferunt ad quater millies mille aureorum nummum æſtimatam, G) e qua multi Turcorum ad poſteritatem quoque ditati, locum apud eos proverbio fecere: ut ſi quem nimium opibus abundare videant, hunc direptioni Conſtantinopoleos affuiſſe H) dicant. Quanto melius infelices Byzantini in ſuam, Urbisque defenſionem opes has locaſſent! ſed occæcantur plerumque homines avaritia, ut tum demum ſibi ad bonum commune opes adfuiſſe videant, cum eas amiſerunt.

Urbis Galatæ cives, etſi damni non expertes, non tamen perinde infelices fuere: tum quod inter Turcos, & Urbem velut medii, tum vero quod Urbe capta, claves illico venerabundi ad Mahometem detulerint; accepti igitur in fidem ſunt, ſed tamen Judice Turco iis inſtituto ſub tributum acti; I) quin cum in prima illa perturbatione attoniti cives Galatenſes, in naves, & portum ruerent, prohibiti a Turcis vi etiam illata fuere; nolebat enim incolis, & redditibus fraudari Mahometes; quem in finem cæteris quoque in Urbe Græcis, qui vel occultaverant ſe, vel per cognatos Galatenſes redempti erant, liberam dehinc civitatem

in-

A) Ducas p. 133. B) Laonicus p. 164. C) Ducas p. 130. Non meminit hujus Phranzes. D) Laonicus ob exciſam quondam a Græcis Trojam, hanc a Deo ultionem immiſſam eſſe, a quibusdam jactatum, ſane perquam inepte memorat. E) De hoc numero nihil Græci Scriptores; ſed Spondanus, & Latini quidam. F) Laonicus p. 165. Fuiſſe ſe inter captivos etiam Phranzes dolenter meminit. G) Apud Laonicum in margine p. 165. H) Philippus Brietius ad hunc annum. I) Ducas p. 133.

A.C. 1453 incolendi facultatem dedit; nec iis tantum, ſed aliunde quoque in incolatum illum, aut verius Barbaricum mancipatum convenientibus; verum lenitas iſthæc in tenues tantum, & infimi nominis homines fuit; qui aliqua inter eos nobilitate præſtiterant, ubivis per caſtra juſſu Mahometis conquiſiti, & immaniter jugulati fuere; A) ne videlicet ea ſanguinis prærogativa veteris apud eos libertatis, & Imperii memoriam refricaret, ſpemque vel tenuiſſimam accenderet; fuit hos inter Notaras Dux Magnus; qui cum reconditos ſuos theſauros Mahometi obtuliſſet, ceu illius gratia aſſervatos, arrepta iſthinc occaſione, velut patriæ ſuæ infidelis, ut qui theſauros hos ei labanti non impenderit, cum omni familia, digno adulationis, & avaritiæ præmio, ejusdem Mahometis juſſu trucidatus eſt.

Sic immani huic viſum Tarquinio; qui ut Turcis repleret Urbem, quinque Turcicarum familiarum millia in eam contraxit, futuram dehinc Barbaricæ immanitatis, & fæcis ſentinam; profanata in horum uſus eſt inclyta illa, ac hodieque cum ſtupore viſenda Sophiæ ædes, Chriſtianis vero relicta Blachernanæ Deiparæ; quin imo conſervandis in Urbe horum reliquiis, Patriarcham more Imperatoribus ſolenni (nam nullus Urbe expugnata fuerat,) conſtituit Mahometes Georgium Gennadium, ex homine quidem profano, ſed literarum, & vitæ laude inſignem, a Græcis ipſis deſignatum. B) Hunc tradito in manus pedo, multis excultum honoribus, a ſuismet Proceribus deduci per Urbem, & in Patriarchatu collocari voluit Mahometes. Gennadius boni Præſulis perfunctus munere, colligebat miſeras ſuorum reliquias, iisque cauſam interitus, ſeceſſionem a Romana Eccleſia (nam ipſe ad concordiam jam olim Florentiæ redierat) multis objectabat; ſed cum ne ea quidem calamitate ſapere illos cerneret, poſt quinquennium ultro Præſulatu ſeſe abdicavit. In hunc modum infelices illi a veteri illa nobilitate, opibus, & literarum gloria, in ignominiam, mancipatum, inſcitiam, omneque genus miſeriarum provoluti luculentum, hodieque iræ, & vindictæ divinæ tot ſceleribus provocatæ exemplum eſſe pergunt.

Sic igitur Orientis illud lumen Conſtantinopolis concidit; poſteaquam a prima ſui dedicatione per Conſtantinum Magnum facta, annos centum tres, & viginti ſupra mille, minus diebus octodecim in tanta fortunæ varietate Chriſtiana fuiſſet; C) Conſtantinus Imperatorum ultimus annos quatuor cum quinque fere menſibus in miſero illo, & a toto pene orbe ad unam Urbem contracto Principatu explevit; cujus cadaver ſedulo a Turcis conquiſitum, & ex calceis, quibus pro more Imperatorum aureæ intexebantur aquilæ, agnitum decenter tumulo mandari Mahometes juſſit.

Supererant adhuc in Peloponneſo Demetrius, & Thomas Conſtantini fratres; verum ne tam atroci quidem rerum ſuarum calamitate a ſolita inter ſe diſcordia retracti; igitur poſt duos, tresve ab expugnata Urbe annos, cum fratres hi infeſtis in ſe armis incurriſſent, adfuit cum ingentibus copiis Mahometes, & utrumque Peloponneſo dejecit; ac Demetrius quidem ad gratiam Sultani recurrit, filia quoque eidem in conjugem oblata; qui demum obtenta quadam Adrianopoli a Turco penſione annua, luctu, miſeriisque obſitus, nulla alia relicta ſobole, in monachatu vitam finiit. Thomas contra Romam profugus, quingentos, in menſes

A) Id quoque Ducas p. 137. & Laonicus p. 166. a quibus in cæde Ducis Notaræ multum diſſidet Phranzes; Illi enim aſſervatum per aliquot dies cum honore Ducem ajunt, & cum filios ſuos ad libidinem Mahometi ſubmittere nollet, cum tota familia trucidatum. B) Phranzes p. 111. Gennadius hic diverſus ab illo eſt Gennadio, qui & Scholarius, acerrimo Schiſmatis propugnatore; nam hic pro concordia Eccleſiarum egerat multa in Florentina Synodo, & ſcripſerat poſtea, quæ etiamnum ſuperant. C) Dedicata enim Urbs eſt Anno Chriſti 330. 11. die Maji. Falluntur, qui in Feſtis Pentecoſtalibus expugnatam Urbem autumant; Ducas enim ait; obſeſſam Urbem feria ſexta poſt Paſcha, expugnatam vero 29. Maji; in quo conſentit & Phranzes; anno autem illo Paſcha incidit in primam Aprilis ſtylo veteri, Feſta Pentecoſtes in 20. Maji. 29. autem Maji erat dies Martis poſt Feſtum Sanctiſſimæ Triados.

ſes ſingulos accipiebat aureos, ibique humanis deceſſit, relictis duobus filiis, Andrea, & Manuele; quorum prior penſione Romana contentus, vili ſe illigavit conjugio, ac ſine liberis deceſſit; Manuel vero profectus Byzantium, a Bajazete tum regnante liberaliter habitus, annuam tulit penſionem; cui demortuo unus relictus eſt puerulus, Mahometano deinceps ritu A) inſtitutus. Sic nobiliſſima, lateque rerum potita familia miſere denique intercidit. A.C. 1453

Regnabat adhuc poſt captam Conſtantinopolim Trapezunti Comnenica familia, inde ab Alexio Comneno, Imperatore Byzantino, ſerie non interrupta, progreſſa; at de Principibus hiſce vix quæpiam Scriptores noſtri attulere, ut nobis quoque ſilentio prætereundi fuerint. Ab expugnato porro Byzantio, ad has quoque delendas Græcorum reliquias, infinitam illam regnandi cupiditatem Mahometes adjecit. Regnavit id temporis Trapezunti David Comnenus cum conjuge Irene, Cantacuzeni Imperatoris ex Matthæo filio nepte; qui fratris ſui filio per nefas Principatum extorſerat; in hunc nono ab expugnata Urbe anno abiit Mahometes, & occupato Colchidis Regno, in eas compulit Davidem anguſtias, ut iniquiſſimis paciſci conditionibus cogeretur. Abductus igitur ab Urbe ſua cum conjuge, liberis, ac theſauris eſt, eique redditus in Europa a Mahomete aſſignati; verum fictis brevi literis in crimen vocatus, cum ſeptem, quos habebat, filiis, ad inſaniam Mahometis tranſire detrectantibus, jugulatus B) cum omni ſtirpe interiit.

Cum hoc igitur univerſali Chriſtianorum in Oriente Imperii excidio huic quoque epitome finis eſto; quæ utcunque brevi, & incompta narratione res Byzantinas ex iis plerumque, qui eas oculis uſurparunt, exceptas unum ſub aſpectum dederit, documento tamen in tanta rerum varietate eſſe poteſt, quantum bonos inter, & malos, vitia, & virtutem interſit; & quatenus increſcere in Republica morbi, ac ni tempeſtive curentur, florentiſſimis etiam Regnis interitum afferre queant. Videant hæc, & metuant, quos impotens animi effert ambitio, & dum nata ad immortalitatem, ut videri poterat, Imperia, inſanis ambitioſorum præſertim factionibus emori vident, cupiditatem arctis adeo vitæ lineis circumſcripti contrahant, nec præſenti rerum felicitati nimiopere fidant; & denique dum omnia orta occidere, bene olim fundata retro ſenſim relabi, & ruere conſpiciuut, mente ſublimius ab humanis elata æternitatem cogitent.

A) Vide Ducaginum in familiis Byzantinis p. 201. B) In iisdem familiis p. 161.

FINIS.

O. A. M. D. G.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM, ET NOMINUM,
PRÆCIPUE PROPRIORUM ACCURATUS.

A.

Aron Saracenus, Myra capta violat Sepulchrum S. Nicolai, 229.
Ablacius Conſularis pila fortunæ dictus, 22.
Abrahamitæ Monachi pelluntur in exilium, 249.
Acacius in erroribus ſaxo durior, 85. Vita emigrat, 86.
Acarnania Imperio adjungitur, 507.
Accſius Novatianus hæreticus, 12. Arrogans, 13.
Achrida Regia Bulgariæ accedit Baſilio, 320.
Adrianopolis, Urbs poſt Byzantium maxima, 236. Dedita Bulgaris, 282. Per Alexium juniorem aſſeritur, 436. Joanni Vatazi ſubmiſſa, 453. Per Cantacuſenum traditur Matthæo filio, 521. A Solimanno expugnatur, 526.
Adulatio ſuorum pernicioſa, 353. Rem Diogenis perdit, 354.
Ægyptius Princeps, & Turcæ ſuperantur a Godfrido, 379.
Ægyptus ſubigitur a Perſis, 165. Saracenis, 176.
Ælurus ſuimet carnifex, 83.
Æmulatio inter Genuenſes, ac Venetos, 465.
Ætius addicitur Valentiniano, 67. Ejus juſſu trucidatur, 75. Alter potens apud Irenen, 226.
Africa occupatur per Genſericum Vandalum, 69. A Mauris miſerrima, 120. Arabibus Vectigalis, 191.
Alamundarus Saracenus confundit hæreticos, 94.
Alani operam ſuam deferunt Andronico, 489.
Alaricus Gothos in Græciam ducit, 59. Emoritur capta Roma, 65.
Albania per Amuratem invaditur, 556.
Albertus Imp. ac Ungariæ Rex moritur, 550.
Alboinus Longobardorum in Italiam Dux, 138.
Alemanni per Julianum victi; 32. Per Gratianum ad Argentinam, 48.
Alexander, Frater Leonis, Imperator, 279. Extinguitur, 280. *Bulgarus* populatur Thraciam, 505. Ex pacto, 509. Aliquot Urbibus donatur, 513. *Patriarcha* Alexandrinus impetitur ab Ario, 10.
Alexandria Ægypti lacerata diſſidiis, 24. Tumultuatur ſub Æluro, 77. Concedit in ditionem Perſarum, 165. Cives a Dœmonibus male vexantur, 95.
Alexius, *Angelus* Senior Iſaacio fratre oculis privato Imperator, 428. 429. Pace cum Iconii Sulthano reſciſſa, 430. Depellitur Imperio, 435. Junior reſtituitur patri, Urbi, Aulæ. Ibid. Evectus in Imperium, 436. Libertate, ac vita privatur, 437. *Comnenus* Dux rem præſtanter gerit, 357. Donatus titulo Nobiliſſimi, 360. Præ Iſaacio fratre ſalutatur Imperator à ſeditioſis, 363. Gratus in ſuos, 364. Invadens aliena, 365. Et a Guiſcardo fugatus, 366. 367. Dolo ſuperat, 368. Bellum in Scythas gerit, 369. Periclitatus proditione, 370. Occidentis flagitat opem, 371. Sugillatur à Latinis Scriptoribus, 372. Duces Latinos excolit muneribus, 374. Res in Aſia gerit, 377. Sacræ militiæ iniquus, 378. Quam cædi Turcarum objicit, 380. Boemundo in difficultates compulſo, 382. Auro bellat, 383. Pedibus captus excedit vita, 384. Junior imperat, 411. Coronatus ab Andronico, 413. Strangulatur ejusdem juſſu, 414. *Ducas* Imperator proclamatus, 437. Fugatur ab Urbe, 438. Monachus, 446.
Alpes Juliæ præoccupantur a Theodoſio, 57.
Amalaſuntha necatur a Theodato, 110.
Ambitio Licinii, 8. Procerum excitat Romanum Argyrum, 325.
Ambroſius Theodoſium cogit ad pœnitentiam, 56.
Amicitia Turcica non undique probatur Cantacuſeno, 518.
Amor Literarum in Porphyrogenito, 293.
Amorium Theophili Imp. patria per Saracenos evertitur, 252.
Amplitudo Conſtantinopoleos, & Baſilicarum, 16.
Amurates, I. Sedem figit Adrianopoli, 526. Inſtitutis Genitzeris, 527. Contra ſeditioſos abit in Aſiam, 528. Punit acerbe, 529. Magnos in Europa progreſſus facit, 530. Perimitur a transfuga, 531. II. Succedit Mahometi, 543. Chriſtianis navibus tranſit in Europam, 544. Solvit obſidionem Conſtantinopolis, 545. Arma profert per Græciam, 548. Belgrado fruſtra oppugnato, 551. Inglorius, 552. Illatis Albaniæ armis, 556. Interit, 560.
Anaſtaſia, ſoror Conſtantini M. 7. Juſtiniani mater flagris cæſa, 190. Conjux Tiberii, 140.
Anaſtaſius, I. Imperator acclamatus, 87. Et in vitia relapſus, 89. Turbatur bello Perſico, 90. 91. Seditione, 93. Inſaniens quoad ſacra, 94. 95. Fulmine perit; 96. II. Artemius Imperator, 197. Solio dejectus amplectitur Monaſticen, 198. Adit ſupplicium pro repetito Imperio, 202.
Anatolius, Gentilis per Byzantinos feris objicitur, 141.
Andreas, II. Ungarus, Imperii Orientalis Candidatus, 447. Dux Sacræ expeditionis, 449. Revertitur, 450. Baſilii Dux, 269. Depreſſus ab invidis, reſtituitur dignitati, 270.
Andronicus, *Angelus* ob ignaviam traducitur, 410. *Comnenus* inſidiator, truditur a Manuele in carcerrm, 401. Elapſus ad Turcas, 406. Exulat, 411. Ingenio factus ad vitia, 412. Graſſatur crudeliter, 413. Imperator, 414. Sceleratus, 415. 416. 417. Excarnificatus occiditur, 418. *Palæologus* Senior poſt patrem imperat, 482. Fovet turbas Eccleſiæ, 484. 485. Componit Limitem Imperii Orientalem, 486. Firmandæ ſtudet familiæ, 487. Laborat defectu, 489. Hiſpanas accipit ſuppetias, 490. Ordinat Magiſtratus, 499. Simulate agit omnia cum Nepote, 500. Imperium cogitur abdicare, 502. Junior ex Michaële Nepos, Judicio purgatus, 497. Fugit tamen, 498. Bellis præfectus, 499. Coronatur, 500. Byzantium accedit cum copiis, 501. Potitur Urbe, ac Imperio, 502. 503. Gravi ægritudine liberatus, 504. 507. Migrat e vita, 508.

Anna Comnena ſcribit res geſtas patris, 365. Diſſentiens, 378. Ac iniquior Latinis Scriptoribus, 380.
Anthimus hæreticus expellitur Byzantio, 110.
Antiochena Synodus Orthodoxorum, 50.
Antiocheni aggrediuntur Ciliciam, 393.
Antiochia, in Sacris turbida, 85. Patitur terræ motum, 103. Et ſuccenditur per Choſroem, 115. Per Nicephorum obſeſſa, 302. Ac a Ducibus expugnata, 303. Conſervatur in Saracenos, 306. Sub Iſaacio Comneno Duce, 357. Capta per Solimannum Turcam, 368. A Sacra militia obſeſſa, 376. Expugnatur, 377. Decorata titulo Principatus, 380. Oppugnatur per Joannem Comnenum, 390. Recepta per Manuelem, 403. Ab Ægypti Sulthano expugnatur, 475.
Antonina Conjux Beliſarii, 123.
Antonius Magnus, Ægypti Monachus, 23.
Apieſphares invaſor Armeniæ, 339.
Aquileia evertitur per Attilam, 74.
Arabes, ab Anaſtaſii Ducibus victi, 89. Inſoleſcunt ad Gazam Palæſtinæ, 174. Graſſantur per Iſauriam, 181. Tributarii Conſtantini Pogonati, 186. Fugantur ſub Irene, 218. 219. Strati in Aſia minore, 225. Compelluntur ad Pacem, 379. Vide Saraceni.
Aradus Inſula ſervatur in Saracenos, 180. Sed deditur, 181.
Arcadius Theodoſio a Patre Auguſtus dicitur, 53. Sortitus Orientem, 58. Byzantio depellit Arianos, 61. Reliquias abolet Gentilium, 62. Sed turbat Eccleſiam, 63. Et obit, 64.
Arelatenſis Conventus in Athanaſium, 28. 29.
Ariani per Orientem validi, 23. Quædam Sirmii ſtatuunt contra fidem, 31.
Arius Hæreſiarcha Presbyter Alexandrinus, 10. Cum aſſeclis concordiam ſimulat in Concilio Nicæno, 12. Etiam coram Conſtantino, 15. Effundit viſcera, 19.
Armatius, Zenonis, cui aſſeruerat Imperium, juſſu trucidatur, 82.
Armeni, in Sacris a Choſroe turbati, 139. Saracenos opprimunt, 192. Deſciſcentes, 338. Redeunt ad Imperium, 339.
Arſaces Armenus a Sapore dolo capitur, 45.
Arſenius Michaelem Imp. comunione movet; 473. Abdicatur Præſulatu, 475.
Artabanus Africæ Servator, 123.
Artabasdus Imperium eripere nititur Copronymo, 207. Victus fugatur, 208. Relinquit Byzantium, 209.
Aſanes Bulgarus ſtringit Latinos, 456. Clam adjungit ſemet iisdem, 457. Reducitur in Regnum, 478.
Aſcalon traditur Saladino, 423.
Aſia minor ſubjicitur Saracenis, 200.
Aſpar Joannem Tyrannum opprimit Ravennæ, 67.
Athanaſius Alexandri ſucceſſor Alexandriæ, 15. Criminibus per Arianos petitus, 17. Innocens deprehenditur, 18. Accuſatur ſine ſucceſſu, 23. Abdicatus per Arianos, 24. Sedi reſtituitur, 26. Suſtentat Religionem etiam in anguſtiis, 30. Latebris emergens, 38. Redit Alexandriam, 41. Latet in monumento, 45. Obit, 46. Alter pervertit Heraclium, 173. 174.
Athenæ adeuntur per Baſilium, 322.
Athenais Leontii filia, Conjux Theodoſii, 67.
Attila primum infeſtat Orientem, 70. In Occidentem vertit arma, 73. Pugnat in campis Catalaunicis, 74. Ac interit, 75.
Avares, victi licet, Tributum extorquent ab Imperio, 139. Per Buzem machinas docentur conſtruere, 146. Iteratis præliis cæduntur a Priſco Duce, 155. 156.
Auguſtulus poſtremus Occidentis Imperator, 81.
Aula Byzantina fluctuat ſub Irene, 225. Certatque vitiis, 356.
Auſus Gentilium ſub Juliano, 38.
Azatines Turcus Iconio per Tartaros exutus, 471.

B.

BAjazetes Gilderun, ſeu fulgur dictus, 532. Vincit Sigiſmundum, 534. Captus a Tamerlane, 536. Occumbit, 537.
Balduinus, Bullionius poſt Godfridum Rex Hieroſolymæ, 380. Flander Imperator ſalutatur a Latinis, 440. Prolatato Imperio, 441. 442. Captus a Joanne Bulgaro, 443. Perimitur, 444. II. Imperator, 454. Suppetias accipit Cruce-ſignatorum, 457. 461.
Baptiſmus Conſtantini Magni, 14.
Bardanes a ſeditioſis electus, abdicat Imperium, 227. Sed excœcatur, 228.
Bardas, Michaelis Imp. avunculus, res adminiſtrat, 258. Otio abuſus ad ſcelera, 259. Paſſusque æmulos, 260. Cæditur a Baſilio, 261. *Phocas* vincitur a Sclero, 313. At eo ſuperato, 314. Bellum in Imperatorem molitus, 315. Subito exſpirat, 316.
Baſiliſcus Architalaſſus claſſem Vandalis prodit, 78. Imperio ad ſe translato, 79. 80. Coronatus, 81. Fame necatur a Zenone, 82.
Baſilius, I. electus Imperator capite a Leone truncatur, 201. II. *Macedo* conſpirat, 260. Cæſis, Barda, 261. Et Michaele, Imperator, 262. Imperium probe auſpicatur, 263. Bellat in Italia contra Saracenos, 265. Struit Sacras ædes, 267. Victoriis auctus navalibus, 268. Bellum in Oriente adverſus Barbaros gerit, 269. Luſus a mago Santabareno, 270. Exſtinguitur, 272. III. Romani filius anniculus coronatur, 298. IV. Junior fit Imperator, 311. Rem gerit ſuo arbitrio, 314. Fuſus a Bulgaris, 315. Parta pace inſolefcit, 317. Illos perdomat, 318. Dirus in captivos, 319. Bellum proſecutus, 320. Evertit Regnum, 321. Moritur Oſor literarum, 323. *Dux* delet Saracenorum claſſem, 295. Occupat Samoſatta, 296. *Magnus* e ſolitudine prodiens, 45. Contendit pro Religione, 46. *Spado* veneno Joannem Imp. tollit, 310. Exuitur dignitate, opibusque, 314.
Baſſianus bellum infert Conſtantino Magno, 7.
Bela adoleſcens, miſſus Byzantium, 405. In Ungariam revertitur, 407. Reſtituit Dalmatiam, 408.
Belgradum expugnatur ab Ungaris, 387. In Amuratis oppugnationem, 551. Conſervatur, 552.
Beliſarius adhuc Juvenis oppugnat Perſas, 99. Militiæ Juſtiniani Magiſter, 102. Coactus a militia certare, vincitur a Perſis, 104. Seditioſos necat, 105. Pergit in Vandalos, 106. Victor eorum, 107. Triumphat Conſtantinopoli, 108. Recipit Neapolim de Gothis, 111. Romam in Vitigem defenſam, 112. Liberat, 113. Fama depellit Gothos Arimino, 114. Illum capit, 116. Byzantium non æqua deinceps fortuna redit, 117. Terret figmento Perſas, 118. Militum defectu laborans, 120. Inſtaurat Romam, 121. 122. Senex Hunnorum victor, 133. Evertitur fortunis, 134. 135.
Bernardus Claræ-Vallis Abbas, 394. Sanctimonia claret, 395.
Bertha Sulzbacenſis celebratur, 393.
Beſſas Romanus Dux, avaritia notatus, 125.
Bibliotheca Conſtantinopoli conflagrat, 81. Crematur a Leone Iſaurico. 204.
Bithynia infeſtatur a Turcis, 368.
Bodinus, Rex a Bulgaris dictus, capitur, 358.
Boemundus Guiſcardi filius, 366. Superat Alexium Imp. 367. Bellum in eum apparans, 381. 382. Emoritur, 383.
Bogomili Hæretici Alexio inviſi, 384.
Bogor Bulgarus Religionem amplectitur cum nomine Michaelis, 255.
Bonifacius Regiam occupat Byzantinam, 438. Retinet Theſſaliam cum pleraque Græcia, 441. 442.
Branas Imperator acclamatus, Iſaacium Byzantii obſidet, 420. Haſta confixus cadit, 421.
Bryennius Nicephorus Imperator a ſeditioſis proclamatus, 360.
Bulceo Dux Ungarorum, 294.
Bulgari erumpunt e Septentrione, 90. Vaſtata Thracia, 186. Bello petiti ſuperant Juſtinianum, 194. Saracenos cædunt, 201. Obruunt Philetum, Ducem Byzantinum, 221. In Conſtantinum bellant exitu ambiguo, 222. Capiunt Sardicam, 230. Arma inferunt Thraciæ, 211. Victi, 212. 214. Cæduntur, 215. Occupant Adrianopolim, 236. Victi a Leone Armeno, 237. Thomam ſeditioſum ſuperant, 245. Amplexi Religionem, 255. Fugant Byzantinos, 286. Sed cæduntur, 287. Iterum a Croatis, 288. Ex fœdere tranſitum Ungaris creduntur indulſiſſe, 303. Profligato Baſilio, 315. Delentur internecive, 318. Inhumane captivi accipiuntur a Baſilio, 319. Regnum amittunt cum Joanne, 321. Ab illo accipiunt Ducem, 322. Rebellant Michaeli Imp. 332. Delent Imperatorios, 358. Victores Regnum laborant reſtituere, 420. Per Scythas adjuti, 421. Iſaacio profligato, 426. Infeſtant Urbes, 427. Ferrocue miſcent omnia, 429. Præſulem ſuum eximunt Jure Byzantini, 456. Bis victi pace a Theodoro impetrata, 467. Diſſidiis laborant, 468. Variis acti viciſſitudinibus, 478. Incurſant Thraciam, 499. Proteruntur ab Amurate, 527.
Bulgaria ſe Romano Pontifici conjungit, 442.
Buzes captivus Avares docet machinas conſtruere, 146.
Byzantina Synodus, 72. Pro imaginibus, 254. Univerſalis contra Photium, 264.
Byzantini, Ungaros auro placant, 290. Conventus pro Photio, 268. 269.
Byzantium occupatur a Conſtantino Magno, 9. Reparatur, 15. 71. Conſtantinopolis dictum, 16. Diſſidiis laceratum, 24. Obſeſſores Gothos rejicit, 49. Affligitur terræ motu, 70. 133. Seditionibus, 134. Lue hominibus exhauritur, 119. 210. Pacatum a Juſtino, 100. In Religione turbatur, 141. Cinctum a Copronymo, fame adigitur, 208. Obſeſſum a ſeditioſis ductu Thomæ, 243. 244. Relinquitur, 245. A Symeone Bulgaro, 281. Deferitur, 282. Minuitur numero hominum, 336. Obſeſſum a Brana, 421. A Latinis, 434. Igne deformatur, 436. Cinctum denuo, 437. Expugnatur per Latinos, 438. Relapſum ad Græcos, 472. Alienatur ab Andronico Imperatore, 498. Proditione per Juniorem expugnatur, 502. Captum a Joanne Cantacuſeno, 516. Ab Amurate obſeſſum, 544. Liberum relinquitur, 545.

C.

CAbades Perſa Romanum Exercitum delet, 91. Avaritiæ inſimulatus, 103. Moritur, 104.
Cæcilianus Carthaginis Epiſcopus per Donatiſtas accuſatur, 6.
Calamitates rei Catholicæ ſub Longobardis, 138. Publicæ, 289. 327. 330. 331.
Calinicus inventor Ignis Græci, 185.
Calliopolis expugnatur per Catalanos, 492. Deditione accedit Muſtaphæ, 543. Amurati, 544.
Candia Cretæ nomen unde? 245.
Capua recipitur per Joannem Romanorum Ducem, 122.
Carolus, *Magnus* regnat in Francia, 218. Occidentis reſuſcitat Imperium, 225. Inhiat Orientali, 226. *Martellus* Leoni Iſaurico formidabilis, 206. *Siciliæ* Rex metuendus Michaeli Imp. 475. Græcis bellum infert, 480.
Carthaginenſes adſunt in Sicilia Saracenis, 331.
Carthago capitur a Beliſario, 107.
Caſtitas triumphat de impudentia, 254.
Catalani auxiliares movent ſeditionem in Aſia, 492. Sciſſi diſſidiis, 494. Modum ponunt vaſtandæ Thraciæ, 495.
Cerularius Patriarcha Iſaacio Imperatori charus, 347.
Chaganus Rex Avarum turbat Imperium Mauricii, 142. 143. Particeps prædæ partæ de Sclavis, 152. Beneficus in Romanos, 153. 154. Utitur dolo in Heraclium, 166. Recedit Byzantio, 171.
Chalcedon nequidquam a Perſis obſeſſa, 165. Per Sarbarum oppugnatur, 170. 172.
Chalcedonenſe Concilium, 74.
Chazaria, & Media regiones Baſilio ſe ſubmittunt, 320.
Cherſonii clade afficiuntur per Juſtinianum, 194.
Chius Inſula recuperatur per Andronicum Juniorem, 504. Erepta per Genuenſes, 516.
Choſroes Perſa, I. bellum infert Juſtiniano, 114. Colchis denuo, 130. Chriſtianus juxta Evagrium, 142. Morbo interit, 141. II. In ſolium a Perſis levatur, 148. Superat Varamum, 149. Regnum acerbe auſpicatus, 150. Dum Neſtorii hæreſim augere ſtudet, 170. A filio trucidatur, 172.
Chriſtophorus, Romani filius, Imperator a Conſtantino coronatur, 285.
Circumſpectio mira Præſulum quorundam, 487.
Clavi Crucis Chriſti per Helenam relati, 14.
Colomannus Ungarus excipit Godfridum Bullionium, 373.
Colonia Urbs recuperatur per Julianum, 31.
Coloſſus Rhodius everſus, 182.
Commentiolus copiarum Dux, 147. Suſpicione proditi exercitus aſperſus, 154. Incaſſum accuſatur, 155.
Comneni Fratres nova in Nicephorum moliuntur, 362.
Concordia, Eccleſiæ cum Romanis Pontificibus curatur per Juſtinum, 98. Etiam Juniorem, 136. A Taraſio, 220. Leone IX. Papa, 344. Diſceptatur, 388. 389. Arripitur per Michaelem, 476. 477. Vi etiam urgetur, 479. Peſſumdatur ab Andronico, 482. 483. Per Joannem anhelata, 550. Perficicitur, 557. Ab Ario ſimulatur in Concilio Nicæno, 12.
Conradus Imp. ducit denuo in Palæſtinam, 395. In Aſiam trajicit, 396. Profligatus a Turcis Byzantium, 397. Et in Germaniam reverſus, 398. Monferratenſis Brana occiſo ſervat Byzantium, 421.
Conſtans, I. Potitur Occidentis Imperio, 23. Cæſus, 26. II. Imperium adipiſcitur, 179. Victus a Saracenis effugit Byzantium, 182. Theodoſio fratre ſublato, 183. Perimitur & ipſe, 184.

Conſtantinopolis, e vetere Byzantio, 16. Turbatur ſeditione, 78. 84. Diſſidiis inquies, 81. 82. Concutitur Terræ tremore, 84. Afflicta lue, 517. Augetur Sacris Cymeliis, 291. Obſeſſa per Avares, 170. Liberatur, 171. Per Saracenos, 185. Relinquitur, 186. Iterum, 200. Sed permiſſa, 201. Cincta incaſſum per Joannem Cantacuſenum, 515. Capitur ab Andronico, 530. Obſeſſa per Bajazetem, 534. 535. Mahometem, 563. Expugnatur, 567. 568.
Conſtantinopolitana Synodus, 52. 128. 187. Disjicitur a milite, 220. Conciliabulum, 210.
Conſtantinus, I. *Magnus*, 2. Imperator ab Exercitu ſalutatus, 3. Crucem in cælo conſpicit, 4. Invitatus ſuperat Maxentium, 5. Licinium, 8. Getmaniam adit, 6. Studet augendæ Religioni, 7. 9. Præſens Nicæni Concilii Patres hortatur, 11. Suſcepto in Gothos bello, 17. Moritur, 20. II. Junior pius in Religionem, 22. III Filius Imperator poſt Heraclium veneno interit, 178. IV. *Pogonatus* ſuccedit Patri Conſtanti, 184. Fratribus in partem curarum Imperii aſſumptis, 185. Studioſus Religionis, 187. Placide finit, 188. V. *Copronymus* naſcitur, 202. Imperator, 207. Devicto Artabasdo æmulo, 208. Perit. 215. VI. Imperat cum Irene, 217. Nomine, non re Imperator, 221. Accipit poteſtatem, 222. Crudelis in Patruos, 223. Juſſu Matris excæcatur, 224. VII. *Porphyrogenitus* imperat, 281. Socerum Cæſarem coronat, 285. Amicus Muſis, 286. Submovet Æmulos, 292. Gratus in aſſertores, 294. Vitam exuit, 297. VIII. Imperat cum fratre Baſilio, 311. Poſt eum ſolus triennio, 323. Succeſſoris ſollicitus, 324. Exſtinguitur, 325. IX. *Monomachus* per Zoen aſciſcitur in thorum, & thronum, 335. 336. Sceræ næ concubinæ addictus, 338. Moritur, 344. X. *Ducas* Succeſſor deſignatur ab Iſaacio, 348. Imperat, 349. Prolium ſtudioſus petitur proditione, 350. XI. *Palæologus* ſucceſſor æque a Joanne fratre dictus, 552. Ac Peloponneſo præfectus, 553. Hanc throno inſcenſo cedit fratribus, 559. Parat omnia in urbis defenſionem, 561. 562. Generoſe per Turcas occumbit, 566. *Angelus* Architalaſſus capitur a Siculis, 401. *Bulgarus* a ſubulco ſeditioſorum Duce interficitur, 478. *Diogenes* fictus in caſſes delapſus, 370. *Patriarcha* cæditur juſſu Copronymi, 213.
Conſtantius; *Chlorus* Amicus Chriſtianis, 2. Moritur, 3. Patre ſepulto, 20. Orientis Imperator notatur a crudelitate, 21. Recreatus a morbo per S. Spiridionem, 22. Punit Byzantii ſeditionem, 25. Reſtituit ſedi Athanaſium, 26. De Imperio certat cum Magnentio, 27. Varia fortuna, 28. Turbat in Religione, 27. 34. Bellum in Quados, & Sarmatas gerit, 33. Febre moritur, 35.
Coraſmini cædunt Chriſtianos in Palæſtina, 458.
Cotriguri Gens Hunnica, 133. 134.
Creta Inſula, unde Candia? 245. Vindicatur de Saracenis, 246. Per Nicephorum Phocam, 298.
Criſpinus cum Francis deficit a Diogene, 352.
Criſpus, Conſtantini M. filius, 8. Patris juſſu necatur, 13.
Croatæ cædunt Symeonis Bulgari copias, 288. Obſequia Baſilii amplectuntur, 322.
Cruce ſignati pergunt in Orientem, 433. Navant operam Balduino II. 457. 458. Excitantur in expeditionem, 462. Reducti Damiatam, 464. Hoſtium diſidiis adjuvantur, 465.
Crumus Bulgarus inſidiis extorquet æs militi Nicephori, 230. Graſſatus impune per Thraciam, 235. 236. Proſternitur ſagitta, 237.
Crux, Domini reperta per Helenam, 14. Redditur a Siroe Perſa Heraclio, 173. Metu Saracenorum defertur Byzantium, 175. Per Saladinum capta reſtituitur, 452. Apparet Conſtantino in aere, 4. A Saracenis exſcinditur in monte Oliveti, 180.
Cultus Imaginum confirmatus, 220. Reſtituitur a Michaele Balbo, 242.
Cumani procurſionem in Thraciam moliti redeunt, 383. Sparſi per Ungariam, 459.
Cybalis Pannoniæ oppidum, 8.
Cyprus Inſula occupata, 180. Evaſtatur per Saracenos, 229. Recepta, 302. Subigitur ab Iſaacio Duca, 415. Per Richardum Anglum datur Luſignano, 425.
Cyrus ex Byzantii Præfecto Epiſcopus Smyrnæ, 71.

D.

DAlmatia ſe ſubtrahit ab Orientis Imperio, 247. Reddit ſe illi, 265. Per Stephanum Regem traditur Manueli, 406. Ungariæ reſtituitur per Belam, 408.
Dalmatius Conſtantini M. ex fratre Nepos, 18. Militum perimitur ſeditione, 21.
Damaſcus, & Phœnice hoſtibus relinquuntur, 176. Subjicitur Tributo a Nicephoro, 302. Fruſtra obſeſſa per Chriſtianos, 398.
Damiata eludit junctas Græcorum, ac Latinorum vires, 408. Vetus Peluſium, obſeſſa per Cruce-ſignatos, 450. Et capta, 451. Redditur Meledino, 452. Vacua per illos intrata, 463. Hoſtibus reſtituitur, 465.
Dara Urbs munitiſſima expugnatur a Perſis, 160.
Deipara Byzantii ſervatrix, 201.
Deleanus Regiis inſignibus ornatur per Bulgaros, 332.
Denſices Attilæ filius cæditur, 78.
Diocletianus obſcuro genere ortus, 1. Perſecutus Chriſtianos, 2. Imperio ſe abdicat, 3.
Diogenes Baſilii Præfectus perfide necat Sermonem Sirmii Principem, 322.
Dionyſius Ungarorum fugat Duces Manuelis, 407.
Dominica Valentis Conjux generoſa, 49.
Donatio Conſtantini M. ſuppoſititia, 14.
Donatiſtæ accedunt Conſtantinum M. 6.
Dorylæum Urbs reſuſcitatur a Manuele, 409.
Duces Cruce-ſignatorum in Palæſtinam, 373. 374. 395. 423. 432. 433. 449. 457.
Dyrrachium deditum Guiſcardo, 366. Proditione redit ad Alexium, 368.

E.

EDeſſa per Scirtum fluvium obruta, 100. Recipitur per Maniacem, 328. Cui fruſtra inhiant barbari, 331. Amiſſa recuperatur per Balduinum Godfridi fratrem, 376.
Effigies Alexii Comneni, 364. Balduini Flandri, 441. Baſilii Macedonis, 262. Conſtantinorum, Ducæ, 349. Magni, 1. Henrici Flandri, 445. Heraclii, 163. Iſaacii Angeli, 419. Juſtini, 97. Leonis Iſaurici, 199. Michaelis utriusque Balbi, 242. Palæologi, 470. Theodoſii Magni, 50.
Epheſina Synodus, 68.
Epheſus Turcis accedit, 493.
Epirus occupatur per Andronicum juniorem, 507.
Eudocia, Ducæ Vidua imperat cum filiis, 357. Leonis Uxor tertia, 276.
Eudoxia Imp. niſa, Urbe proturbare Joannem Chryſoſtomum, 62. 63. Interit, 64.

Eudo-

Eudoxius Arianiſmi promotor, 44. Perit, 46.
Eugenius Tyrannus ex Rhetoricæ Profeſſore, 57. Traditus Theodoſio per ſuos, 58.
Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus, 4. Nicomedienſis Arii Fautor, 10. Vita excedit, 24.
Eutropius Eunuchus Scriptor, potens Arcadii, 60.
Eutyches Hæreſiarcha, damnatur in Concilio Chalcedonenſi, 74. Aſſeclæ caput attollunt ſub Heraclio, 174.
Eutychius Byzantii Præſul Sanctiſſimus, 142.
Excœcatio, frequens Aulæ Byzantinæ ſupplicium, 287.
Excidium Imperii Orientalis, 569.

F.

FActiones, Praſina, & Veneta, 92. 93. 98. 99. 104. 105. 134. 158. 160.
Fauſta, Uxor Conſtantini M. 4. Noverca luit necem Criſpi, 13.
Florentina Synodus pro concordia Græcorum, 549. 550
Forma Labari Conſtantini, 5.
Franci Gothos, & Romanos vincunt, 115. Per illos in Italiam vocati, 128. 129. Cæduntur, 130.
Fridericus Imperator, I. Expeditionem ſuſcipit in Palæſtinam, 422. 423. Diſſidet ab Iſaacio, 424. Emigrat vita, 425. II. Movetur fidelium communione per Pontificem, 455.
Frugalitas Botaniatis in victu, 361.
Frumentius primus Iberorum in Aſia Præſul, 15.

G.

GAbriel Rex Bulgarus a Joanne proditorie necatur, 320.
Gainas Gothus, 60. Ferox Arianus, 61.
Galata Italis, & Venetis contribuitur, 472.
Galerius Maximianus Chriſtianorum hoſtis, 5.
Gallus Cæſar Orientem adminiſtrans crudeliter, 28. Occiditur, 29.
Genitzeri per Amuratem inſtituti, 527.
Genius Conſtantini Dux in deſignando novæ Urbis ambitu, 16.
Gennadius Mauros perfidos vincit, 153.
Gentiles adhærent Maxentio, 5. Ritus a Juliano reducti, 36. 37. Indulgentur a Valentiniano, 47. Sed in totum evertuntur a Theodoſio, 54.
Genſericus Vandalus occupat Africam, 69. Et Romam, 76.
Genuenſes, Rhodum noctu ſubigunt, 462. Ferunt in Catalanos opem Andronico, 493. Chium Inſulam ſibi aſſerunt, 516. Mari prævalidi, 518. Paciſcuntur cum Cantacuzeno, 519. Pyrata infeſtat littoralem Græciam, 430.
Georgius Caſtriotus, aliis Scanderbegus, 556.
Gigas Perſa proſternitur ab Heraclio, 169.
Gilimer invadit Regnum apud Vandalos, 105. Parat arma contra Beliſarium, 106. Obſeſſus, 107. Dedit ſe, 108.
Godfridus Bullionius Dux Sacræ Expeditionis, 372. 373. Paciſcitur cum Alexio, 374. Vincit hoſtem, 375. Primus Oppugnatorum in muris, Rex Hieroſolymæ ſalutatus, decedit, 379.
Gothi, a Conſtantino M. perdomiti, 17. Addicuntur Ario, 45. Valentem bello appetitum, 48. Exurunt, 49. Duce Alarico diripiunt Græciam, 59. Opera Zenonis colliduntur ad invicem, 83. Proditione ſubeunt Romam, 121. Pace icta nondum quieti, 128.
Græci, Præfecti partes Imperii pro ſe rapiunt, 439. Viarum ductores produnt Exercitum Conradi, 397.
Græcia invaditur per Normannos, 362.
Grando ignita de Cœlo peſſumdat Saracenorum claſſem, 201.
Gratianus, Imperator vincit Alemannos, 48. Capeſſit etiam Orientem, 49. Ac interit, 53. Illuſtris Dux pater Valentiniani Imp. 42.
Gregorius, *Cappadox* abdicatur ſede Alexandrina, 25. *Nazianzenus* Epiſcopus, 45. *Patriarcha* ſcribit de Spiritu Sancto, 484. *Taronites* Dux rem pro Alexio gerit, 381.
Gubazes Colchus Duces incuſat apud Juſtinianum, 131.
Guilielmus Rogerii Patris ſucceſſor in Sicilia, 402. Græciam feliciter invadit, 416. *Princeps* captus, 471. *Tyrius* geſtis, & ſcriptis celeber, 423.

H.

HElena mater Conſtantini M. 2. Viſit Palæſtinam, 14.
Henricus Flander Imperium aſſequitur, 445. Fundit copias æmuli Theodori, 446. Auget ditionem, 447. Siciliæ Rex Alexio formidoloſus, 429. Alter Palæſtinæ dominatum ſibi arrogat, 485.
Heraclionas Conſtantini ſocius in Imperio, 178. Naſo mutilatus retruditur in Monaſterium, 179.
Heraclius, I. monomachia ſternit Aphraatem Perſarum Ducem, 147. Tyrannidis victor inſcendit ſolium, 163. Priſcum in aſceterium detrudit, 164. Bello apparato, 166. Perſas profligat prælio, 167. Reſumpta expeditione, 168. 169. Urbem Deiparæ commendat, 171. Cædit dein Raſatem Perſam, 172. Receptam Domini Crucem ſuis humeris defert Hieroſolymam, 173. Deſciſcit ad Eutychem, 174. Demum Monothelitarum in errorem provolutus, 177. Excedit vita, 178. II. Tiberii frater vincit Arabes, 192. Suſpenditur per Juſtinianum, 193.
Herculius ſemet ipſe perimit, 4.
Hierapolis Syriæ per Diogenem recuperatur, 352.
Hieroſolyma capitur ab Omaro Saraceno, 176. Manceps Turcarum, 371. Munita per Ægyptium, 378. Expugnatur a Cruce-ſignatis, 379. Erepta per Saladinum, 422. Regem accipit Fridericum Imp. 455.
Hodegetria Deiparæ Icon, 472.
Honorius naſcitur Theodoſio ex Flacilla, 54. Accipit Occidentem, 58. Roma, & Italia conſervatis, 65. Vita cedit, 67.
Hormisdas Papa pompoſe accipitur a Juſtino, 101. Perſa Turcarum Tributarius, 147. Evertitur, 148.
Hugo Magnus in Palæſtinam ducens exſtinguitur, 380.
Hunni per Ruffinum Scythia proliciuntur, 59. Evaſtant Provincias Orientis, 115.
Hyems inaudita Conſtantinopoli, 212.

I.

JAdera ope Cruce-ſignatorum Venetis aſſeritur, 433.
Ibatzas Bulgarus exoculatur a ſuis, 322.
Iberia Aſiæ invaditur a Turcis, 342.
Iconium a Turcis evaſtatum, 353. Fruſtra per Manuelem obſidetur, 394.
Iconomachi profligantur, 255.
Ignis Græcus inventum Calinici, 185.
Imagines Sanctorum a Leone tolluntur, 202. Oppugnantur, 203. 204. 205. Per Copronymum, 210. 211. Leonem Chazarum, 216. Leonem Armenum, 238. 239. Theophilum, 248. 249. Reſtituuntur attamen cultui, 254.

Imperium Orientis nutat ſub Irene, Occidentis per Carolum M. reſuſcitatur, 225.
Joannes, *Cantacuzenus* fruſtra oppugnat Rhodum, 462. E Tutore Imperator, 508. Patitur occultam conſpirationem, 509. 511. Urbe ordinata ſuſcipit Imperium, 510. Serviam adit auxiliorum gratia, 511. Obtinet hæc & a Turcis, 512. Reverſus in Thraciam, 513. Eluſis ſeditioſorum conatibus, 514. Potitur Urbe, 516. Arbiter Imperii, 517. Bellum gerit in Regem Serviæ, 519. Impetitur a turbidis, 520. Genero, & filio non iniquus, 521. Victor de illo, 522. Everſus tamen a Genero, Monachus, 523. Hiſtoriam ſcribit, 524. *Comnenus* Alexio Patri ſuccedit in Imperio, 385. Occupata Sirmii regione, 387. Movet in Turcos, 388. 389. 391. Oppugnat Antiochiam, 390. Cæſaream, 391. Obit, 392. *Palæologus* fugatur a ſeditioſis, 476. Relinquit obſidium Adrianopoleos, 521. Elapſus in Tenedum Inſulam, 522. Exturbat Socerum, 523. Retento Imperio paciſcitur cum Solimanno, 525. Arma in ſeditioſos conjungit Amurati, 528. Suppetias oratum abit in Italam, 529. Captus ab Andronico, & elapſus, 530. Moritur, 531. Junior pro Manuele patre Imperator, 546. Quietus in Urbe Italiam adit, 549. Inita concordia regreditur, 551. Et vitam ponit, 558. *Tzimiſces* Dux fundit Barbaros, 301. Dilectus Theophanoni, 304. Nicephorum Imperatorem perimit, 305. Levatus in ſolium coronatur, 306. Ruſſorum victor, 307. 309. Expugnat Bulgarorum Regiam, 308. Gloriaque Victoriæ Superis adſcripta veneno interit, 310. *Varazes* Theodori Laſcaris ſucceſſor, 452. Commodus publico, 453. In arctum ſtringit Latinos, 456. Impetit Joannem Angelum, 460. Invitatur ad concordiam a Papa, 461. Paralyſi proſtratus occumbit, 466. Pupillus Collega Imperii, 469. Adducitur in neglectum, 471. Cœcus Imperii Jura transfert in Andronicum, 485. *Byzantinus* primus negat ſubjectionem Pontifici Romano, 155. *Bladiſtlavus* Bulgarus interimitur, 321. *Bulgarus* Rex appellatus, 429. Regnum Romano Pontifici addicit, 442. Offenſus Latinis, 443. Prælio capit Theodorum Angelum, 454. *Cantacuzenus* cœcus copiis ab Iſaacio præfectus, 420. *Chryſoſtomus*, 60. Exoſus Eudoxiæ Imperatrici, 62. Ac exul, 63. Moritur, 64. A morte reſtituitur Byzantio, 70. *Curcuas* Dux magni nominis, 289. Motus dignitate, 290. *Damaſcenus* reſiſtit Leoni Iſaurico, 204. *Ducas* pro Palæologo Dux in Italia, 402. *Eleemoſynarius* Alexandriæ fovet Chriſtianos, 165. *Hunniades* ſæpe de Turcis victor, 552. 553. 557. *Imperator* ab Urſelio dictus per Turcas capitur, 357. *Myſtaco* varia fortuna pugnat cum Perſis, 143. *Palæſtinæ* Rex, 449. Capto Peluſio copias reducit, 451. *Pupillus* excœcatur a Palæologo, 473. *Tyrannus* Occidentis, 67. *Veccus* Patriarcha odiis laborat Byzantii, 478. Concordiæ ſtudioſus ſede cedit, 482. Relegatur Pruſam, 483.
Jovianus evehitur ad Imperium, 40. Pace a Perſis obtenta, 41. Præfocatus, 42.
Irene, I. mater imperat cum filio Conſtantino, 217. Mulier ambitioſa, 218. Pacta Conjugii inter illum, & Caroli M. filiam reſcindit, 221. Excidit poteſtate, 222. Reſtituta, 224. Relegatur, 226. II. Conjux faſtidiens Imp. Andronicum, 494. Exſtinguitur, 496.
Iſaacius, *Angelus* mota ſeditione, 417. Ac everſo Andronico, 418. Imperator, 419. Oppugnatus, 420. Branam vincit, 421. Diffidet a Friderico Imp. 424. Profligatus per Bulgaros, 426. Excœcatur a perduellibus, 428. Dimiſſus e cuſtodia, 432. Ac in thronum repoſitus, 435. Animam efflat, 437. *Comnenus* Imperator ſalutatur a conjuratis, 345. Inauguratur, 346. Gratus in benemeritos, ac adjutores, 347. Arboris caſu pene oppreſſus brevi occumbit, 348. Alter Dux, 356. A Turcis captus, 357. A Manuele fratre in Cœnobium retruditur, 393. *Cyprius* Tyrannus capitur per Angelum, 425.
Isdegerdes Perſa Tutor Theodoſii junioris, 64.
Italia occupatur a Gothis, 86. Per eos turbatiſſima, 117. Majorem partem accedit Longobardis, 138.
Ivancus Bulgarus Princeps Philippopoleos e Præfecto, 431.
Judæi Templum, ac Urbem inſtaurare fruſtra moliuntur, 39.
Julianus Dæmonum artibus deditus, 27. Effugit exitium, 29. Cæſar Galliæ præfectus, 30. Recuperata Colonia, 31. Vincit Alemannos, 32. Abit in Orientem, 35. Succeſſor Conſtantii, 36. Profectus in Perſas, 37. 39. Interit, 40.
Jus Romanum coordinatur a Juſtiniano, 103.
Juſtina Gratiani mater favet Arianis, 53.
Juſtinianus, Juſtini Imp. Collega, 101. Laudatur, 102. Belli & Pacis ſtudioſus, 103. Bellum molitur in Vandalos, 105. Non æque in ſua, ut aliorum ſcelera ſeverus, 133. Prolapſus in errores emoritur, 135. 136. *Rhinotmetus* Imperator, 188. Bellum Saracenis infert, 189. Crudelis, 190. Naſo mutilatus pellitur in exilium, 191. Fugit ad Chazarorum Principem, 192. Reſtitutus, 193. Et per Bulgaros victus, 194. Capite minuitur ab Elia Duce, 195. *Tiberii Dux* profligat Choſroem, 141.
Juſtinus, I. Eligitur Imperator, 97. Curis reparandæ Religioni applicitis, 100. Obit, 101. II. Junior ſufficitur Juſtiniano, 136. Animam ſuo reddit Creatori, 140.

K. L.

Labarum Conſtantini, ejusque forma, 5.
Lacedæmon munitur a Theodoro, 532. Rhodios excludit, 535. Suſcipit Manuelem Imp. 540.
Lachrymæ Iconis Deiparæ prodigioſæ, 483.
Lampſacenus conventus Arianorum, 44.
Lancea infixa olim Chriſti lateri reperitur, 377.
Lapſus Oſii Epiſcopi, & Liberii Papæ, 32.
Latini auxilia per Byzantinos orantur, 358. Claſſe prævalida cingunt Byzantium, 434. Urbe potiti, 438. Creant Imperatorem Balduinum, 440. A Joanne Imp. Bulgaroque conſtricti, 456. Juvantur per Cruce-ſignatos, 457. 458.
Leo, *Armenus* ingratus in Michaelem, 235. Eripit Imperium, 236. Severus Legum vindex, 237. Imagines incipit axagitare, 238. 239. Condemnato Michaele Balbo, 240. Cæditur a ſeditioſis, 241. *Baſilii* filius captivus reſtituitur gratiæ, 271. Imperator, 272. Abhorret res belli, 273. Ejecta prima Uxore, Zoen ſibi conjungit, 275. Ac Eudociam, 276. Intendit ædificiis, 277. Et moritur, 279. *Chazarus* Imperator, 216. Imaginum hoſtis interit, 217. *Iſauricus* Imperator, 199. Graſſator in ſeditioſos, ac Imagines, 202. 203. 204. Victor, 205. Interit, 206. *Thrax* in Imperium provehitur, 76. Pacandæ ſtudens Eccleſiæ, 77. Seditioſis punitis, 78. Moritur, 79. *Armeniæ* Rex II. ſinceræ Religionis, 487. *Papa* placat Attilam, 74. IX. Græcos ad concordiam invitat, 344. *Phocas* Prætorianorum Dux nova in Zoen molitus, 283. Exuitur dignitate, 284. Ac a Romano profligatur, 285. In Syria Chabdani exerciticum ſternit, 298. 299.
Leontius, Stephano ſuccedit Antiochiæ, 26. Alter Zenoni oppoſitus, 84. Ac victus, 85. Interit, 86. Tertius movet ſeditionem contra Juſtinianum, 190. 191. Naſo truncatus retruditur in Cœnobium, 192.
Lepra Conſtantini M. num vera, 13.
Liberius Pontifex in exilium pulſus a Conſtantio, 29. Revocatur, 30. Ac labitur, 32.
Licinius affinis Conſtantini M. 6. Maximini Victor, 7. Victus a Conſtantino ipſo, 8. 9. Afficitur ſupplicio, 10.
Literæ per Salvatorem Abagaro ſcriptæ, 328.
Locuſtæ Sacrarum in Aſiam expeditionum prænuntiæ, 372.
Longinus inhians Imperio fit Presbyter, 88.
Longobardi Narſetis milites, 137. In Italiam penetrant, 138.
Ludovicus, Occidentis Imperator carceri mancipatur, 266. Rex Franciæ ducit in Palæſtinam, 396. Epheſi celebrat Chriſti Natalem, 397. Promovet iter, 398. Ducit iterum, 462. Capta Damiata ſuperat Saracenos, 463. Captus ab iis, 464. Dimittitur, 465.
Lugdunenſe in Gallia Concilium, 461. 477.

M.

Macedonia occupatur per Andronicum junionem, 502.
Macedonius Byzantinus hæreſiarcha, 34.
Magiſtri Literarum exuuntur ſtipendiis a Juſtiniano, 105.
Magnanimitas Amuratis Turcæ, 527. 528.
Magnentius Purpuram arripit, 26. Varia fortuna bellat cum Conſtantio, 28.
Mahomet, Pſeudo-Propheta, 167. Occurit reduci Heraclio, 173. Rex I. Bellum anceps gerit cum fratre Moſe, 539. Regno potitus, 540. Haud quieto, 541. Progreſſus in Orientem excedit, 542. II. Amuratis Patris ſucceſſor, 560. Parat exitium Byzantio, 561. 562.
Maniaces dolo cædit Saracenos, 326. Capit Edeſſam, 327. 328. Sicilia de illis recuperata, 330. 331. Militans in Italia contra Normannos, occumbit ab æmulo, 337. Dum Imperio inhiaret, 338.
Manichæi deludunt ir a Perſa Cabade, 100. Coguntur ad relinquendos errores, 256. Armis incaſſum oppugnati a Baſilio, 264.
Manuel, I. Imperator, Curator Michaelis ſe in privatam vitam componit, 257. *Comnenus* poſt Joannem patrem imperat, 392. Iſaacio fratre in Aſceterium retruſo, 393. Vitioſus, 394. Parat ſe in Conradum, 395. Impetitus a Rogerio Siculo, 399. Bellum cum Serviis, & Ungaris gerit, 400. 402. 404. Recuperat Antiochiam, 403. Bellat cum Turcis Iconienſibus, 404. Propenſus in adoleſcentem Belam, 405. Ungariam aggreditur, 406. Venetis in cuſtodiam compactis, 408. A Sultano victus acceptat pacem, 409 Scriptis codicibus, 410. Naturæ concedit, 411. *Palæologus* experitur magnanimitatem Amuratis, 527. Elapſus fuga levatur in Imperium, 532. Opem invocat, 533. Pactus cum Turco, 536. 539. Quædam opera in Peloponneſo molitur, 540. Excedit vita, 546. *Duces*, I. Terrore Theophilum impellit ad effugiendas manus Saracenorum, 250. II. Nicephori Phocæ ab iis capitur, 301. III. Succedit in Provinciis Theodoro, 454.
Marcianus Theodoſio Imp. ſuffectus, 73. Exſtinguitur, 76.
Marcelina Joannis Imp. pellex, 459.
Maria theſſera militiæ contra Perſas, 150.
Maronitæ Gens ad Libanum tenax Religionis, 187. Emoventur per Juſtinianum, 188.
Martinus, *Divus* miſſionem impetrat a Juliano, 31. *Dux* Romanorum in Colchide, 132. Ab exercitu revocatur, 139. *Papa* intendit animum ſanandæ Religioni, 181.
Matthæus Joannis Cantacuzeni filius turbas ciens, 517. A patre obtinet Adrianopolim, 521. Imperator proclamatus, 522. Evertitur a Palæologo, & Serviis, 523. Exul dein, & captivus, 524.
Mauricius evehitur ad ſolium, 142. Rejecta petitione Chagani, 151. Exercitum prodi juſſiſſe creditur, 154. Nec audit Commentioli accuſationem, 155. Omina formidans, & prædictiones, 156. Cæditur a Phoca, 158. 159.
Mauri perfidi, perfide cæduntur a Gennadio, 153.
Maxentius Romæ Tyrannus Chriſtianis favens mergitur, 5.
Maximinus Cæſar iniquus Chriſti Cultoribus, 7.
Maximus, Tyrannus, 54. Per milites traditur Theodoſio, 55. Alter occupato Principatu, 75. Diſcerpitur, 76. Tertius veritatis acerrimus propugnator, 181.
Media regio pervaſtatur a Turcis, 341.
Mediolanenſis Conventus, 29.
Mediolanum per Gothos evertitur, 114.
Meledinus pro pace ſupplex, & rejectus extorquet Damiatam, 452.
Mermeroes Dux Perſa penetrat anguſtias Colchidis, 131.
Meſopotamia Saracenis accedit, 177. Per eos vaſtatur, 327.
Michael, *Balbus* ſupplicio a Leone deſtinatus, 240. Conflata e cuſtodia ſeditione, 241. Inſcendit ſolium, 242. Ambiguæ fortunæ cum Thoma, 243. Conjuncta ſibi Sancti-moniale, 246. Moritur, 247. *Calaphates* Imperator renuntiatur, 333. Vitiis deditus, 334. *Curopalata* Imperator acclamatur, 232. Virtutum ſtudioſus, 233. Infeſtatur a Bulgaris, 234. Clades accipit, Monachus ex Imperatore, 235. *Ducas* pro capto Diogene Imperator, 354. 356. *Palæologus* bellum contra Siculos in Italia gerit, 402. Profugit ad Turcas, 468. E Duce Imperator, 469. Inhiat Byzantio, 471. Ac potitur, 472. *Paphlago* enecto Romano Argyro, 328. Umbra magis, ac Imperator, 329. Sponte Monachus pie moritur, 333. *Stratioticus* evehitur ad Imperium, 345. Victus a Conjuratis abdicat, 346. *Theophili* filius imperat, 253. Impius in ſacra, 257. Dedit ſe vitiis, 258. 259. 262. Diſſidens a Barda, 261. Per Baſilium trucidatur, 262. *Ultimus* eo nomine Imperator concordiam expetit cum Sergio, Papa, 358. Sollicitus firmandi ſuis Imperii, 473. A Tartaris pene opprimitur, 474. Ultus ſe de Arſenio, 475. Arripit concordiam, 476. 477. Luſtrat Aſiam a Turcis pervaſtatam, 480. Vita exutus, 481. *Ætoliæ* Deſpota motum ciens, 470. Victus ſuorum proditione, 471. *Angelus* inhiat Theſſaliæ, 466. *Bulgarus* amiſſa nititur recuperare, 467. Straſcimirus Rex, 500. 501.

Monachi, riſui a Copronymo expoſiti, 213. Martyrium adeunt plures, 214. Novum Conſtantini conjugium infectati, 223. Pro Imaginibus opponunt ſe Leoni Armeno, 239. Subeunt Theophili odium, 248. 249. Orphanotrophio per Alexium additi, 384.
Monaſtice in Occidentem transfertur per Athanaſium, 23.
Mopſueſtia vi, Tarſus deditione Nicephoro accedunt, 302.
Murſia Pannoniæ, nunc Eſſekinum, 18.
Muſtaphas laqueo ab Amurate fratre præfocatur, 545.

N.

NArſes copiis in Gothos præfectus, 125. Cædit Totilam, 127. Et Tejam, 128. Num Longobardos evocarit incertum, 138. Flammis exuritur a Phoca, 160.
Neapolis recepta per Beliſarium, 111. Expugnatur a Totila, 119. Orientis Imperio ſe reddit, 295.
Nepotianus cæditur a Magnentianis, 27.
Neſtorius Byzantinus Hæreſiarcha, 68. 69.
Nicæa ſe in Saracenos conſervat, 205. Turcarum Regia, 365. Recepta per Chriſtianos, 375. Deditur Andronico Imp. 415. Obſeſſa per Turcos, 503. Fame cogitur ad deditionem, 505.
Nicænum Concilium induſtria Conſtantini M. 10. 11. Finitur, 12. 13. Aliud pro Cultu Imaginum, 220.
Nicephorus, *Botaniates* Nicææ, ut Imperator acceptus, 359. Occupat Imperium, 360. Conjugem alienam ſibi adlegit, 361. Ex Imperatore Monachus obit, 363. *Logotheta* ſublimatus in Imperium, 226. Urbes reſtaurat, 228. Luxuria licet diffluens, 229. Exſtinguit ſeditionem, 230. Cæditur a Crumo Bulgaro, 232. *Phocas* recepta de Saracenis Creta, 298. Poſt triumphum ſalutatur Imperator, 300. 301. Mopſueſtia, & aliis expugnatis, 302. Necatur Uxoris dolo, 305. Quidam Imperii Candidatus recluditur Cœnobio, 344.
Nicetas, Nicomedienſis Præſul celebratiſſimus, 388. 389. Scriptor Præfectus Philippopoleos, 423.
Nicomedienſis Conventus, 44.
Niſibis divinitus in Perſas conſervata, 22. Iterum obſidetur, 26.
Nives pene obruunt exercitum Iſaacii, 348.
Noradinus reddit captivos Chriſtianos, 403. Ciliciam populatus, 405. Invaleſcit ubivis per Aſiam, 406.
Normanni Græcos oppugnantes, 362. Bello ab Imperatore petuntur, 365. Sed victores de Alexio Comneno, 366. 367.
Nota Conſtantini M. ob Arium, 20.
Nova Roma Byzantium, Conſtantinopolis, 16.
Nummi, Alexandri, 279. Alexiorum, *Angeli*, 428. *Comneni*, 364. Anaſtaſii, 88. 197. Andronicorum, *Comneni*, 414. *Palæologi*, 482. Arcadii, 58. Balduini, 441. Baſiliorum, *Macedonis*, 262. Alterius, 311. Baſiliſci, 80. Conſtantii, 21. Conſtantinorum, 178. 217. 311. *Copronymi*, 207. *Ducæ*, 349. *Magni*, 1. *Monomach*, 336. *Palæologi*, 559. Pogonati, 189. *Porphyrogeniti*, 281. Henrici, 445. Heraclii, 163. Heraclionæ, 178. Joannis *Comneni*, 385. *Palæologi*, 525. *Tzimiſcæ*, 305. Irenes, 217. Iſaaciorum *Angeli*, 419. *Comneni*, 347. Juliani, 36. Joviani, 40. Juſtiniani M. 102. *Rhinotmeti*, 188. Leonis, *Armeni*, 236. *Chazari*, 216. *Iſaurici*, 199. *Sapientis*, 272. *Thracis*, 76. Manuelis, 392. *Palæologi*, 532. Marciani, 73. Mauricii, 142. Michaelis, 253. *Balbi*, 242. *Calaphatis*, 334. *Curopalatæ*, 233. *Ducæ*, 356. *Palæologi*, 470. *Paphlagonis*, 329. *Stratiotici*, 345. Nicephororum, *Botaniatis*, 360. *Logothetæ*, 227. *Phocæ*, 301. Philippici, 196. Phocæ, 159. Pulcheriæ, 73. Romani, 297. *Argyri*, 325. Theodoſiorum, *Junioris*, 64. *Magni*, 50. Theophili, 247. Tiberii, 140. Valentiniani, & Valentis, 42. Zenonis, 80.

O.

OCcidens accedit Conſtantio Imp. 28. Præcipitat in exitium, 77.
Odoacer Herulorum Rex Romam ſubigit, 81. Necatur a Theodorico, 86.
Omarus Saracenus viſit ſitum Templi Salomonici, 176. Aucta ditione, 177. Illud inſtaurare molitus, 179. Perimitur, 180.
Omen condendæ per Conſtantinum Urbis, 15.
Orchanes Turca victo Andronico Imp. 503. Limites producit, 505. Gener Joannis Cantacuzeni, 516. Pruſæ interit, 526.
Oreſtes Baſilii Dux per Saracenos proteritur, 327.
Oriens per Gallum Cæſarem adminiſtratus crudeliter, 28. Affligitur ab Hunnis. & Saracenis, 80. 81.
Orphanotrophium celebre Byzantii opus, 384.
Orthodoxi Antiochiæ ſciſſi, 46. Exagitantur ab Athanaſio, 92.
Oſius Cordubenſis Conſtantini M. Alexandriam Legatus, 11. Labitur, 32.
Oſmanidæ Turci originem arceſſunt a Joanne Comneno, 391.
Otto Imp. bellum in Italia cum Græcis infauſte gerit, 319.
Ottomanus Turca populationes profert, 488. Occupat Provincias, 489. Expugnatis arce Nicolio, 494. Urbe Pruſa, 501.

P.

PAlæſtina vaſtatur a Sarbaro Perſarum Duce, 164.
Paphlagonia per Davidem Comnenum arrepta, 446.
Partitio Imperii Græcanici, 447. Per Manuelem in filios, 540.
Patriarchæ pauci ad mortem uſque Byzantii, 291.
Patzinacæ Gens Dacica, 331. Valachi hodie, 341. Bulgaria evaſtata, 342. Sternunt Imperatorios, 343.
Peloponneſus diripitur ab Amurate, 546.
Peluſium vetus, nunc Damiata, 450.
Perinthus occupatur a Catalanis, 493.
Periſthlava Bulgarorum Regia per Joannem Imp. expugnatur, 307. 308.
Perſæ, a Romanis Ducibus oppugnati, 99. Et a Philippico victi, 144. 145. Urbes quasdam ſubigunt in Oriente, 160. Vaſtatis, & occupatis regionibus Orientis, 161. Iterum ab Heraclio ſuperantur, 168. 169. 172.
Perſecutio Chriſtianorum ſub Diocletiano, 2. Per Conſtantinum comprimitur, 4.
Perſia a Saracenis domita, 177. Per Turcos occupatur, 340.
Pervicacia obſtinat Græcos in concordiam, 551.
Peruſium a Totila obſeſſum, 122.
Petrus, Imperator Byzantii Latinus, 448. *Eremita* Sacræ promotor Expeditionis, 371. Dux idem Cruce-ſignatorum, 372. 373.
Philadelphia obſeſſa per Turcos, deſeritur, 491. Servata iterum, 499.
Philip-

Philippicus Bardanes Imp. 196. Excœcatus truditur in carcerem, 197. *Dux* Mauricii Perſidem populatur, 144. Poſitam dignitatem, 146. Recipit denuo, 147. Aſceterio eductus, 164.
Philippopolis detracta Imperio, 431. Exſcinditur per Joannem Bulgarum, 443. Recuperata, 499.
Philippopolitanus Arianorum Conventus, 25. Aſcito nomine Concilii Sardicenſis, 26.
Phocas, quis vir? 156. Movet in Mauricium copias, 157. Cædibus graſſatus, 158. 161. Imperio ſuſcepto, 159. Cæditur, 162.
Photius provectus in ſedem Byzantinam, 259. 260. Exul verſutiſſimus, 266. Reponitur, 268. Sed dum triumphat ſcelere, 270. In Cœnobium detruditur, 273.
Phrygia per Turcos incurſatur, 385. 394. Vaſtatur ab Iconii Sultano, 409.
Pietas, Joannis Comneni erga Deiparam, 388. Joviani Religionem, 41.
Pila fortunæ Ablavius vir Conſularis, 22.
Piſidia, Provincia locuples, recreat Cruce-ſignatos, 375. 376.
Placentinum Concilium pro ſacra militia, 371.
Podagra Monomachum angit, 344.
Pœna arrogantiæ in Athanaſio Patriarcha, 494.
Pœnitentia Alexii Comneni, 364. Theodoſii ob cædem Theſſalonicenſium, 56.
Polyeuctus Patriarcha vita, & ſapientia probatiſſimus, 297.
Pomum inuſitatæ magnitudinis, 70.
Poſtrema Cruce-ſignatorum in Palæſtinam expeditio, 465.
Potentia Turcarum invaleſcit, 549.
Præfecti dominatus Provinciarum arripiunt, 524.
Principatus plures apud Turcas, 504.
Principes Bulgari ſe Baſilio ſubmittunt, 321. Græci e Præfectis, 439.
Priſcus, Dux per Mauricium oppoſitus Chagano, 151. Vincit proditione Sclavos, 152. Cædit Avares iterato, 155. 156. Exutus dignitate includitur Aſceterio, 164. *Rhezor* celebrat Attilam, 75.
Probitas Romani Lacapeni expenditur, 286.
Procella non temere alias conſpecta, 396.
Prodigium circa reliquias S. Joannis Chryſoſtomi, 69. Manum S. Joannis Damaſceni, 204. Naturæ in Ægeo mari, 203.
Profanus vir levatur in ſacram ſedem Conſtantinopolitanam, 228.
Pruſa dedita Ottomano, 501. Conſtituitur ſedes Regia, 502.
Ptolemais occupatur a Chriſtianis deditione, 425.
Pulcheria in Imperium aſcita per fratrem Theodoſium, 65. Iſto correcto, 72. 73. In Odeo, 71. Exſtinguitur, 75.

Q. R.

RAguſium ſervatur in Saracenos, 265.
Rainerus Cæſar appellatus, 411.
Raſates Perſa occumbit manu Heraclii, 172.
Ravenna, & Vitiges deduntur Beliſario, 116.
Rauſimundus Sarmatarum Rex prælio interemptus, 8.
Religio refloreſcit a Concilio Nicæno, 13. Laborat in Oriente ſub Arianis, 22. Byzantii a Theodoſio reparata, 51. Curatur per Juſtinianum, 122. Fœde lacerata, 174. Periclitatur ſub Leone Armeno, 239. Contempta per Michaelem Balbum, 246. Nutat pervicacia Græcorum, 479.
Rhodii Equites Divi Joannis, 506. Occupant Smyrnam, 515.
Rhodus a Saracenis expugnatur, 182. Capta per Genuenſes, 462.
Richardus Anglus Cyprum occupatam dat Luſignano, 425.
Ricimer Gothus creat Occidentis Imperatores, 77.
Robertus Latinus Imperator Byzantii, 452. Bello in Joannem Æmulum ſuſcepto, 453. Diem obit, 454. *Guiſcardus* Normannus bellum Græcis infert, 362. Devicto Alexio Comneno, 366. Moritur in Inſula Cephalonia, 368.
Rogerius, *Cæſar* appellatus, 492. *Siculum* bellum in Manuelem gerit, 399. 401.
Roma, vetus intrata per Conſtantium Imp. 30. Relinquitur, 31. Capta per Alaricum, 65. Genſericum, 76. Odoacrem, 81. In Vitigem propugnata per Beliſarium, 112. 113. Proditur Gothis, ac Totilæ, 121. 124. Recepta per Narſetem, 127.
Romani a Perſis eluſi, 91. Evadunt ſuperiores, 147.
Romanus, *Argyrus* Imperio accepto, 325. Victus a Saracenis, 326. Dum corradendæ ſtudet pecuniæ, 327. Aqua præfocatur, 328. *Diogenes* Capitis damnatus, 351. Potitur Imperio, 352. Profectus in Turcas, 353. Et captus dimittitur, 354. Dignitatem recuperare annisus, oculos amittit, 355. *Lacapenus* imperat, 281. Claſſi præfectus, 282. Prudentia fultus in adverſarios, 284. Superior omnibus, 285. Præponit ſe Conſtantino, 286. Sui, ſuorumque ſollicitus, 288. Imperio devolutus & exul, 292. Vitam in Inſula Protes exuit, 293. Junior imperans, 297. Baſilium filium anniculum coronari curat, 298. Mortuus, 299. Mauricii Dux Perſas ſæpe ſuperat, 147.
Ruffinus infidus Præfectus Orientis, 59.
Ruinæ Orientis etiam Cœlitibus miſerandæ, 483.
Ruſcianum traditur Totilæ, 123.
Ruſſi vicina Byzantio populati, 260. Traducuntur ad Religionem Chriſtianam, 271. Claſſe per Euxinum minorem in Aſiam advecti ſubmoventur, 290. Provincias Imperii aggreſſi vincuntur a Sclero, 307. A Joanne ipſo Imp. 308. 309. Cæduntur prælio navali, 338. Devicti per Scythas, 459.

S.

SAcerdotes Græci obſiſtunt concordiæ cum Papa, 477.
Saes Perſarum ſtrenuus Dux a Rege ſuo interimitur, 166.
Saladinus capta Hieroſolyma, 422. Et obtenta ab Anglo pace, 425. Perit in Ægypto, 432.
Salomon Præfectus Africæ bello petitus, 109. Cæditur a Mauris, 120.
Samaritæ turbant Religionem in Palæſtina, 139.
Samonas potens apud Leonem Imp. retruditur in Cœnobium, 278.
Samuel Bulgarus concitis in Baſilium motibus, 317. 318. Emoritur, 319.
Santabarenus Magus Baſilio familiaris, 270. 271. Relegatus Athenas, excœcatur, 273.
Saphadinus etſi victus, res tamen ſuas erigit, 432.
Sapor Perſa divinitus rejicitur Niſibi, 22. Gerit bellum in Imperatorem, 25.
Saraceni, permulti nomen dant Chriſto, 66. Incurſata Perſide, 155. Viribus per Arabiam invaleſcunt, 174. 175. Syriam, Meſopotamiam, Perſidem ſubigunt, 177. Occupata Cypro, 180. Scinduntur bifariam, 183. Conſtantinopolis obſidium, 185. Deſerunt, 186. Oppreſſi per Armenos, 192. Illa con-

ſtricta

ſtricta in Galliam, & Hiſpaniam effunduntur, 200. Mutuisque licet armis diſtracti, 209. 210. Tributum extorquent a Nicephoro, 229. Creta ſubacta, 245. Et amiſſa, 246. Pedem in Sicilia figunt, 247. Michaelem Imp. depellunt Samoſatta Urbe, 258. Cæſi alias a Petrona ejusdem Duce, 259. Dalmatiam, & Italiam adorti, 264. Ab utraque rejiciuntur, 265. Bellum anceps ubilibet gerentes, 267. 268. Cæduntur ab Andrea Baſilii Belli-Duce, 269. Imperio tamen vaſtando intendunt, 276. 277. Dolo cæſi a Maniace, 326. Depopulantur Meſopotamiam, 327. Bellum anceps gerunt in Ægypto cum Cruce-ſignatis, 463. 464. Vide Arabes.
Sardica occupatur a Bulgaris, 230.
Sardicenſis Synodus, 25.
Sarmatæ bello per Conſtantinum M. petuntur, 8.
Scanderbegus Albaniæ Princeps Turcis reſiſtit, 556.
Scholæ a Barda Cæſare inſtituuntur Byzantii, 259.
Scientiæ reviviſcunt Conſtantinopoli, 259. Foventur a Porphyrogenito, 293.
Sclavi Provincias Imperii pervaſtant, 125. Opera Chagani contra Mauricium incitati, 143. Ex inſperato diſſipantur a Priſco, 151. Victi proditione, 152. 153. Perfidi tranſeunt ad Arabes, 189. Per Stauracium fugantur e Græcia, 219.
Scleræna pellex Conſtantini Monomachi, 338.
Sclerus Ruſſorum, & Auxiliarium victor, 307. Suſpectus Baſilio, Imperii adminiſtratori, 311. Conquiſitis auxiliis, 312. Potitur Nicæa, 313. Dum ad Saracenos fugeret comprehenſus, 314. Et elapſus carcere Inſignia Imperii ſumit, 315. Sed iterum per Bardam Phocam detentus, 316. Pacem cum Baſilio amplectitur, 317.
Scythæ bello impetunt Alexium, 369. Devicti a Joanne Comneno, 386. Inque Thraciam per Joannem Bulgarum vocati, 443. Funeſtant Urbes aliquot, 444. Et percurſata regione, 506. Retunduntur Prædatores, 484. Jam Tartari dicuntur, 458.
Senderovia fame cogitur per Amuratem, 550.
Sepulchrum Domini per Barbaros evertitur, 318.
Sermo Sirmii Princeps necatur a Diogene, 322.
Servia deficit ab Orientis Imperio, 336. 337. 387. Flammis, & rapinis infeſtatur, 505. Deſpoſcitur a Deſpotis per Amuratem, 548.
Servii bello petiti a Manuele Imp. 400. Cæduntur per Bajazetem, 531.
Sicilia vaſtatur per Gothos, 124. Tributis a Leone Iſaurico vexata, 206. Subit Saracenorum poteſtatem, 247. 331. Guiſcardi demum, 362.
Siculi emoventur Græcia, 419.
Sigiſmundus Ungariæ Rex, 533. Victus a Turcis ſcapha Byzantium fugit, 534.
Singidunum, vel Singido, hodie Senderovia Serviæ, 18. Mœnibus exuitur a Chagano, 153.
Sirmienſi Synodus, 27. 28. 31.
Sirmium capitur a Chagano Avarum Rege, 143. A Joanne Comneno, 387. Ungaris parens, 388. Vaſtatur a Manuele, 400.
Siroes novus Perſarum Rex Heraclio reddit Crucem Domini, 173.
Sitta Tzanorum Gentem ſuperat, 102.
Smyrna occupatur per Equites Rhodios, 515.
Solimannus Turca eripit Antiochiam, 368. Alter bello in Thracia ſuſcepto moritur, 526. Bajazetis filius prævalet in Europa, & Aſia, 538. Suis odioſus, 539.
Sophia, Templum opus Juſtiniani, 105. Urbs capta diripitur per Uladislaum, ac Ungaros, 553.
Speculum Cauſticum miri effectus, 94.
Stauracius a Patre Nicephoro ſalutatur Auguſtus, 228. Manus Bulgarorum elapſus Monachum profitetur, 232.
Stephanus, *Servius* fruſtra inhiat Theſſalonicæ, 519. *Ungarus* cum copiis occurrit Manueli, 406.
Stilico cum filio capite minuitur, 65.
Stozas Tyrannus frangitur a Beliſario, 111.
Subulcus Tartaris obſiſtit in Bulgaria, 478.
Sultanus male accipit copias Petri Eremitæ, 373. Suos contrahit ex Aſia, 375.
Sylverius Papa in exilium ejectus a Beliſario, 113. Moritur, 117.
Sylveſter Pontifex Religionis Studioſus, 7.
Symeon Bulgarus funditur ab Ungaris, 274. Cingit Byzantium, 281. Potitus Adrianopoli, 282. Deſiſtit bello, 283. Thraciam, & Macedoniam pervagatus, 287. Moritur, 288.
Syracuſæ in Sicilia Conſtantis domicilium, 183. Captæ per Saracenos, 268.
Syria ſubacta per Saracenos, 177. Armisque domita victricibus, 291.

T.

TAmerlanes unde ortus? 535. Aſia inundata capit Bajazetem, 536. Exulibus ditiones reſtituit, 537.
Taraſius egregius Byzantii Præſul, 220. Obſiſtens novo Conſtantini conjugio, 223. Ac obit, 228.
Tarentum Saracenorum in Italia caput, 267.
Tartari nunc, olim Scythæ prorumpentes, 458. Turcas conſtringunt, 459.
Teias Gothorum Rex pro Totila, 127. Cæditur a Narſete, 128.
Telepugas Scytharum in Europam Dux, 459.
Templarii Saphadini petitionem improvide rejiciunt, 449.
Tephrica Urbs Manichæorum exſcinditur a Baſilio, 264.
Terræ motus Byzantio minatur interitum, 70. Annum ibidem perdurans, 206. Ruinam Imperii viſus portendere, 488.
Theodora, I. Conjux Juſtiniani, 104. Eutychiana, 109. Immoritur ſceleribus, 123. II. Mater pro impubere filio imperans, 253. Studet Religioni, 256. Abdicat ſe Imperio, 257. III. Auguſta cum Zoe ſorore, 335. Et Imperatrix acclamata, 344. Occumbit, 345.
Theodoricus, Gothus, I. Cæditur in campis Catalaunicis, 74. II. Occupata Italia, 86. Arianiſmi aſſertor, 100. Moritur, 101.
Theodorus, *Laſcaris* Nicææ Princeps, 442. Imperio arrepto, 445. Soceri, & Barbarorum victor, 446. Vita fungitur, 452. *Varazes* Imperator conſalutatus, 467. Et rebus comoſitis in Aſiam profectus, 468. Obit Magneſiæ, 469. *Angelus* Epiri Princeps ſpeciem præfert Imperii, 453. Stringit Latinos, 454. *Dux* in Aſia rebellat Iſaacio, 421.
Theodoſius, I. in Imperium aſciſcitur a Gratiano, 49. Religione magnus, ac geſtis, 50. Baptizatur, 51. Concilii auhoritatem tuitus, 52. Devicto Maximo, 55. Humilis pœnitet e cæde Theſſalonicenſium, 56. Eugenii victor vita emigrat, 58. II. Filius Arcadii, 64. Pulcheriam ſororem aſſumit ſociam Imperii, 65. Ducit Athenaidem, 67. Poſt illam in deterius præceps, 71. Sed correctus, 72. Moritur, 73. III. Succeſſor a Mauricio deſignatus, 150. IV. *Atramyttenus* Imperator, 198. Poſtea ſponte Clericus, 199.
Theophano Leonis prima Conjux, & laudatiſſima, 275.

Theo-

Theophilus Patri ſuccedit in Imperio, 247. Perimit Leonis interfectores, 248. Victus a Saracenis, 250. 252. Deditus augis prædictionum, 251. Oriundus autem Amorio patria, 251. Vitam claudit, 253.
Theophobus Dux ſervat Theophilum Imp. 250.
Theſſalia retinetur a Marchione Bonifacio, 441. 442.
Theſſalonica redimit auro excidium a Saracenis, 277. Servatur in Bulgaros, 332. Delapſa in manus Guilielmi Siculi, 416. Sub clientela Joannis Imp. 460. Subit etiam ditionem, 461. Clade turbata, 515. Et per Turras capta, ſed intacta, 527. Venetis venditur, 535. 547. Recepta per Manuelem, 538. Cedit Turcis, 547. Incolæ cæduntur juſſu Theodoſii, 56.
Thomas Michaeli Balbo rebellis, 243. Obſeſſa Conſtantinopoli, 244. Supplicio ab Imperatore afficitur, 245.
Thracia percurſatur, a Bulgaro, 505. Scythis, 506. Turcis, 507.
Tiberius, I. Collega Imperii aſcitur per Juſtinum, 139. Vita fungitur, 142, II. *Abſimarus* Imperio, 192. Depellitur per Juſtinianum, 193.
Tibiſcus, ſeu Tiſſus amnis, 155.
Toparchæ Turcarum ſeptem, 479.
Tornicius factione in Monomachum conflata, 339. Oculis privatur, 340.
Totilas Gothus Romanis victis, 118. Capit Neapolim, 119. Sed a Roma per Beliſarium repreſſus, 122. Cæditur a Narſete, 127.
Tricennalia Conſtantini M. 19.
Tripolis ſubjicitur Tributo per Nicephorum, 302.
Triumphus, Beliſarii de Gilimere, ac Vandalis, 108. Conſtantini M. Romam intrantis, 5. Iconis Deiparæ Conſtantinopoli, 388. Nicephori Phocæ, 296. Sane illuſtris de Saracenis, 301.
Turcæ populi Hunnici, 138. 139. Per Heraclium in Perſidem vocati, 170. Portis Caſpiis erumpunt, 212. Bello primum apparere incipientes, 336. Imperio laceſſito, 340. Mediam pervaſtant, 341. Illatis Iberiæ armis, 342. Plures Imperii provincias occupant per Orientem, 349. 351. Amorium, & Neo-Cæſaream diripiunt, 352. Iſaacio Comneno Belli-Duce capto, 357. Magnis progreſſibus, 358. Aſiam pergunt ſubigere, 361. Armisque latius diffuſis, 370. 371. Repulſi ab Antiochia, 377. Sed incurſantes Phrygiam, 385. Cæduntur dolo, 386. Decreſcentes incurſu Tartarico, 459. Regione licet a Joanne Palæologo donati, 474. Deſolant in Aſia limites Imperii, 475. 479. 480. Longe, lateque depopulantur Aſiam, 489. 491. Exercita Pyratica, 490. Migrant in Bulgariam nonnulli, 495. Exſcendunt in Thraciam, 500. 501. Joannis Cantacuzeni auxiliares poſt populationem redeunt, 521. Sæpe a Joanne Hunniade victi, 552. Cingunt Conſtantinopolim, 563. Ac expugnant, 567.
Tutela Deiparæ Byzantinis, ac Heraclio ſalutaris, 171.
Tzatthus Laziorum Rex Chriſtianus, 99.

U.

UNgari de Bulgaris victores, 274. Auro, non ferro Byzantio ſubmoti, 290. 291. Legatis ad Porphyrogenitum miſſis, 294. Cæduntur a Mariano Duce, 299. Thraciæ ſemper infeſti, 303. Belgradum expugnant, 387. Retinent Sirmium, 388. Bellum gerunt cum Manuele Imp. 500. Inferunt Provinciis Imperii, 405. Illius auxiliares in Aſia, 409. Ab Andronico fuſi, 407. Cladem apud Dacos inferunt Turcis, 549.
Ungaria in hoſtes probe obarmata, 323. Transitur a Cruce-ſignatis, 372.
Urſelius cum Francis deſciſcens ab Imperio, 356. Capitur per Turcas, 357.
Uzi Gens Scythica; 349. Divinitus victi colonis implent Provincias, 350.

V.

VAlachi Thraciam infeſtant, 430. Vide Patzinacæ.
Valachia ſine ſucceſſu invaditur a Bajazete, 534.
Valens Arianus pervertit Conſtantium Imp. 28. Imperator Gothos reddit Arianos, 45. Philoſophis iniquus, 47. Et Religioni, 48. A Gothis exuritur, 49.
Valentinianus, I. accipit cum fratre Imperium, 42. Inauguratus, 43. Orthodoxorum fautor moritur, 47. II. Junior favet Arianis, 54. Succedit Patri Honorio, 67. Moribus improbus perimitur, 75.
Valentinus auctor ſeditionis in Conſtantem, 180.
Vanitas, fœminea in Anna Comnena, 365. Græcorum, 517. Iſaacii Angeli, 426. 427. Manuelis in Urbem reducis, 401.
Varamus Perſarum Dux ignominia notatus, 147. Anhelansque diadema, 149. Vincitur a Choſroe, 150.
Varnenſis Ungarorum a Turcis clades, 555.
Veneti offenſi placantur a Manuele, 408. Congeſto apparatu Nautico, 433. Infeſtant Conſtantinoplim, 490. Cantacuzenum in Genuenſes excitant, 519. Bellum ob Cyclades gerunt contra Mahometem, 541.
Verina in libertatem aſſeritur, 84.
Verona Urbs fatis agitur ambiguis, 117. 118.
Vetranio in vitam privatam rerruditur, 27.
Vicennalia Conſtantini M. 13.
Vidinum Bulgariæ capitur per Baſilium, 318. Turcas, 539.
Vitalianus Dux bello Anaſtaſium petens, 94. Conſul interimitur, 98.
Vitiges Gothus deditur Beliſario, 116.
Uladislaus Ungariæ Rex, 553. Prælio Varnenſi a Turcis cæditur, 555.

X.

XIphias Dux Bulgaris præficitur a Baſilio, 322.

Z.

ZAmerga Hunnus victus a Beliſario, 133.
Zeligdes Hunnus a Perſis ob perfidiam interficitur, 99.
Zemlinum in Sirmio deditur Manueli Imp. 400.
Zeno Iſauricus Imperium aſſequitur, 79. 80. Latro ejusdem verius, 81. Repetit illud, 82. Graſſatus in vitam plurium, vivus tumulatur, 87.
Zoe, I. Leonis altera Conjux fato ſucumbit, 276. II. Copias opponit Symeoni Bulgaro, 282. Infeliciter, 283. Retruſa in Monaſterium, 285. III. Luxurioſa Imperii hæres, 328. 329. 333. Throno depulſa, 334. Reducitur, 335.

FINIS INDICIS.

FINIS INDICIS.